AURIFODINA

UNIVERSALIS

PARISIIS. — TYPIS ADRIANI LE CLERE, VIA DICTA CASSETTE, 29.

AURIFODINA

UNIVERSALIS

SCIENTIARUM DIVINARUM

ATQUE HUMANARUM

EX FONTIBUS AUREIS SANCTORUM PATRUM

CONCILIORUM, DOCTORUM, NEC NON PAGANORUM FERE DUCENTORUM

TAM IN THEOLOGIA, QUAM IN PHILOSOPHIA

PER SENTENTIAS PLUSQUAM OCTOGINTA MILLIA, SUB TITULIS SEPTINGENTIS ET ULTRA, ORDINE ALPHABETICO DIGESTARUM, RELIGIOSIS ET SÆCULARIBUS, MAXIMEQUE CONCIONATORIBUS, ORATORIBUS, JURISPERITIS, ALIISQUE OMNIBUS STUDIOSIS UTILISSIMA

A V. P. ROBERTO,

CAMERACENSI CAPUCINO PROVINCIÆ GALLO-BELGICÆ

EDITIO SECUNDA



PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM

VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 9.

—

M DCCC LXVIII

AURIFODINA UNIVERSALIS

SCIENTIARUM DIVINARUM

ATQUE HUMANARUM

MAGISTER.

S. ANTON. DE PAD. *Etymologia.* Magister dicitur, quasi major statione : nam *steron* græce, statio latine dicitur. Serm. *Dom.* 23 *post Trinit.*

COLLECTOR. *Definitio.* Magister est doctor seu præceptor, apud quem est summa rerum potestas.

S. AMBROS. *Comparatio.* Sicut aurum, et argentum, et lapides quos ignis non corrumpit : ita bonus magister incorruptibilis permanebit. Super I *Cor.* III, in illud : *Ignis probabit.*

SENECA. Eadem est præceptorum conditio, quæ seminum : multum efficiunt, etsi angusta sunt, modo idonea mens capiat illa, et in se trahat. Epist. 38.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Perfectio discipulorum, gaudium et corona magistri est. *Prosec.*

2. Fructus magistri, discipulus est obediens : cujus dum bona conversatio proficit magistro, fructus sui edit laborem.

3. Labor enim discipuli in opere bono, coronam dat magistro. Super I *Thessal.* cap. II.

S. ANTONIN. 4. Magistrorum secundum mundum et non Christum, totum studium est legere et disputare, et commenta curiosa facere, de pœnitentia non curare, carnaliter vivere, et honores appetere. Part. 3, tit. 5, *de Doctoribus*, cap. 2, § 10.

S. ATHANAS. MAGNUS. 5. Probi præceptoris est, omnia in erudiendo ad mores discipulorum dispensare, donec eos ad perfectum absolutæ eruditionis evehat. Epist. *adversus Arianos.*

S. AUGUST. 6. Me potius magistrum audire, quam velut

magistrum delectat audiri. Epist. 28, *ad Hieronym.*

7. Magister verus est, qui neminem palpat, neminem fallit, sed verax est doctor. *De Verbis Apost.*, serm. 13.

8. Docentis auctoritas, fidem orationi conciliat, attentioresque discipulos reddit. Apud div. Joannem Damascenum, lib. 1 *Parall.*, cap. 90. S. BASIL. MAG.

9. Loqui et docere, magistrum condecet : tacere et audire, discipulo convenit. In *Regula*, cap. 6. S. BENEDIC.

10. Discipulus aurem parat magistro. Serm. 7 super *Cantica.* S. BERNARD.

11. Multi sub præceptore quieti vivunt quos si jugo absolvas, vides non posse quiescere, nec se ullo modo æqualibus servare innoxios. *Ibid.*, serm. 23.

12. Innumeros cernes simpliciter ac sine querela inter fratres conversari, super fratres non solum inutiliter, sed et insipienter et nequiter, minime quidem egentes magistro, nec tamen idonei magisterio. *Ibid.*

13. Multi sunt qui sine duce et præceptore vias vitæ ingredi non formidant, et ex hoc a recto tramite periculosissime aberrasse comperti sunt. *Ibid.*, serm. 77.

14. Erubescunt superbi esse discipuli, si eos in humilitate præcesserint magistri. In suis *Sent.*, verbo *Quantum.*

15. Magister ignorans ignorabitur, imo et multos ignorare faciet, et ignorari. In *Declamat.*

16. Miserum est eum esse magistrum, qui nunquam novit se esse discipulum. *De Discipl. scholar.* Hab. apud Bedam, in *Axiomat. philos.*, verbo *Miserum.* BOETIUS.

17. Non est dignus scientia, qui scientiæ insurgit præceptoris. *Ibid.*, verbo *Non est.*

S. BONAV. 18. Ipse magister est, qui cathedram habet in cœlis, corda hominum in terris. Super *Sap.*, cap. v.

19. Cathedram habet in cœlo, qui intus docet corda. Super *Luc.*, cap. xix.

20. Boni magistri, bonos discipulos facere consueverunt. *De sex alis Seraphin*, cap. 4.

S. CYPRIAN. 21. Tam de divinis, quam de philosophorum doctrinis, nec tutum est, nec honestum ineruditos et ignaros sibi usurpare magisterium. *De Cardinalibus oper. Christi*, in præfat. cap. 2.

S. FRANCIS. ASSISIAS. 22. Quid in temerario præceptore auctoritas imperandi est, nisi gladius in manu furiosi? In suis *Opusc.*, oraculo 19.

GLOSS. ORD. 23. Qui prius magister esse desiderat quam discat, stultitiæ noxam non declinat. Super *Prov.* cap. xviii.

24. Magister eruditus, margaritæ fulgenti recte comparatur : quia dum emendationem morum, dum supernorum scientiam pie quærentibus aperit, quasi aureo ornatu majorem insuper gratioremque fulgorem gemmæ ardentis annectit. *Ibid.*, cap. xxv.

GLOSS. INT. 25. Sicut peccat, qui scit et non vult proximum docere : sic qui nescit, et vult magister esse. Super *Ecclesiasten*, cap. v.

GRATIANUS 26. In arrogantiam (quæ ut ruina diaboli) incidunt, qui in puncto horæ nec dum discipuli fiunt magistri. In *Decret.* part. 1, distinct. 48, can. *Prohibentur.*

S. GREGOR. MAGN. 27. Omne magisterium in examine charitatis approbatur. Lib. 21 *Moral.* cap. 8.

28. Incassum tenet magistri locum, qui non exercet officium. *Ibid.*, lib. 25, cap. 12.

29. Sunt plerique qui dum metiri se nesciunt, quæ non didicerunt docere concupiscunt; qui pondus magisterii tanto levius æstimant, quanto magnitudinem illius ignorant. In *Pastorali cura*, sub finem Prologi.

30. Ipsa in magisterio lingua confunditur, quando aliud discitur, et aliud docetur. Part. 1 *Pastor.*, cap. 1.

31. Sunt nonnulli qui ita per magisterium spiritus intrinsecus docentur, ut etsi exterius humani magisterii disciplina desit, magistri intimi censura non desit. Lib. 1 *Dialogi*, cap. 1, verbo *Nequaquam.*

32. Qualis magister erit, si discipulus non fuerit? Lib. 7 in *Registro*, epist. 5, indict. 3, *ad Brunechild., regin. Francor.*

33. Nullus post magister discipulorum fit, nisi prius habuerit magistrum. Lib. 1 *Dialogi*, cap. 1.

34. Quid putamus quod isti subjectis præstaturi sunt, qui antequam discipulatus limen attingant, tenere locum magisterii non formidant? *Prosecutio.*

35. Videat quod imitetur, discat quod doceat, informetur quod teneat : ut postea non debeat errare, qui eligitur viam erranti demonstrare.

36. Quid hoc celerius, quidve præcipitantius, quam ut exoriatur a summitate principium, et ante esse incipiat quis magister, quam minister? Lib. 7, in *Registro*, ind. 2, cap. 110, epist. 110., *ad Syagrium episc.*

37. Magnum quid est docere, verum discere periculo caret. *Prosec.* S. GREG. NAZ.

38. Cur teipsum facis pastorem, cum sis ovis? cur teipsum præbes magistrum, cum sis discipulus? cur caput esse contendis, cum pes existas? cur exercitum ducere quæris, cum inter milites adhuc censearis? Orat. 20, *de Modestia.*

39. Delicatus magister est, qui pleno ventre de jejuniis disputat. Epist. 2 *ad Nepotian.* S. HIERON.

40. Ne miles ante quam tyro, ne prius magister sis, quam discipulus. *Ibid.*, epist. 4, *ad Rustic.*

41. Nulla ars absque magistro discitur. *Ibid.*

42. Magistrorum non vitia imitanda sunt, sed virtutes. *Ad Rufin.*

43. Incidunt in arrogantiam diaboli, qui in puncto horæ, nec dum discipuli, jam magistri sunt. epist. 41, *ad Ocean.*

44. Felix est, qui Deo magistro utitur. Super *Psalm.* xciii, vers. 11.

45. Nihil est fœdius præceptore furioso, qui cum debeat esse mansuetus, et humilis ad omnes : e diverso torvo vultu, trementibus labiis, rugata fronte, effrænatis convitiis, facie inter pallorem ruboremque variata, clamore perstrepat : et errantes non tam ad bonum retrahat, quam ad malum sua sævitia præcipitet. Super *Epist. ad Tit.* cap. i, in illud : *Non iracundum.*

46. Severus magister, non crudelis, summus est medicus. Lib. 2 *de Claustro animæ*, cap. 21.

47. Magister debet esse eruditus, mitis, diligens, sollicitus. Lib. 4 *de Propriet. rer.* cap. 2. HUGO A S. VICTOR

48. Qui non novit esse discipulus, nescit esse magister. Super *Ecclesiastic.*, cap. xviii. HUGO CAR

49. Miserum est eum fieri magistrum, qui nunquam fuit discipulus. Et hab. in *Decret. Gratiani*, dist. 61, can. *Miserum.* S. INNOC.

50. Hoc magistri optimi est officium, suo exemplo docere quod præcipit. Homil. 20 super I *Cor.* S. JOANN CHRYSOS

51. Hoc potissimum est præceptoris, non statim ulcisci : sed corrigere, cessareque, ac moram nectere in pœnis. Hom. 21, super II *Cor.* : *Oro ne audax sim.*

52. Præceptorum virtus est, nihil honoris, nihil gloriæ a discipulis : sed salutem ipsorum

quærere. Ita ut qui non istud, sed gloriam suam quærit, non jam præceptor, sed tyrannus sit. Serm. 8 super *Epist. ad Ephes.*

53. Affert non modicum ad virtutis studia incrementum, assidua magistrorum cura. Lib. 6 *de Sacerd.*

54. Noli quærere magister fieri si virtutem magisterii a te alienam esse consideras : verum et si traharis, inde resilire contende. Hom. 2 super *Epist. ad Titum.*

JO.N. TRITH. 55. Discipulatus securus est; magisterium autem periculis plenum : nihil enim in magisterio est sine mœrore et sollicitudine. Lib. 2 *de Tent. relig.*

ISID. HISP. 56. Esto non solum magister, sed et imitator virtutis : non enim satis est laudare quod dicis, nisi dictis facta conjunxeris. *Prosec.*

57. Cum enim doces, cum erudis, cum instruis, noli verborum obscuritate uti : ita dic, ut intelligaris; nec simplicibus displiceas, nec prudentes offendas.

58. Sic alios instrue, ut te custodias : sic doce, ut humilitatis gratiam non amittas : et cave, ne dum alios docendo erigis, ipse laudis appetitu demergaris. Lib. 2 *de Synonym.*, cap. 14.

59. Per disciplinam nomen accipe magistri, *Ibid.*, cap. 15.

S. LEO I. 60. Ubi Deus magister est, quam cito discitur quod docetur : non est adhibenda interpretatio ad audiendum, non consuetudo ad usum, non tempus ad studium. Serm. 1 *Pentec.*

NILUS. 61. Præceptoris oculus, tacita doctrina est. Hab. apud D. Joan. Damasc. lib. 2 *Parall.*, cap. 25.

PETRUS BLESENS. 62. Nullus magister fidelior aut efficacior est, quam qui probavit per experientiam, quod impertitur aliis per doctrinam. Epist. 75, *ad Rogerium Decan.*

REMIGIUS 63. Honor magistrorum, numerositas est auditorum. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 11, can. 13.

THEODOR. 64. Magister ille est laude dignus, qui sequitur regulam divinorum eloquiorum. Super II *ad Timoth.*, cap. II.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 65. Imbecillioribus ingeniis necessarium est aliquem præire, ut dicat : Hoc vitabis. Epist. 94.

Vide etiam tit. *Discipulus*, fere per totum; *Electio*, sent. 43; *Error*, sent. 59; *Reverentia*, sent. 12, 14; *Seductio*, sent. 13.

MAGISTRATUS.

COLLECTOR. *Definitio.* Magistratus est homo in dignitate aliqua civili constitutus, reipublicæ administrationem fideliter gerens.

S. AMBROS. Quis est magistratus nisi penes quem omnis potestas est, et qui pleni et perfecti temporis sublimem sibi vendicat dignitatem. Lib. 7 super *Luc.* cap. XII, in illud : *Dum vadis ad magistratus.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIUS 1. Magistratus æstimare se debent gerere personam civitatis. Part. 4, tit. 4, *de Temperantia*, cap. 10, § 1.

2. Voluptatis vitium in magistratu totam politiam submittit ruinæ, quia dum rector voluptatibus intendit, a cura reipublicæ excors remittitur, et exemplo ejus subditi licentius ad vitia inclinantur. Part. 4, tit. 1, *de Justitia*, cap. 4, § 2.

3. Necessaria est recta conscientia, et vitiorum odium magistratibus. Part. 4, tit. 11, cap. 4, § 2.

S. AUGUST. 4. Si populus sit bene moderatus et gravis, communisque utilitatis diligentissimus custos, recte lex fertur, qua huic ipsi populo liceat creare sibi magistratus, per quos sua res, id est, publica, administretur. Lib. 1 *de Libero arbitrio*, cap. 6.

5. Senatoribus fœnus diffamia est. *De Quæst. Vet. et Novi Testament.*, quæst. 102.

6. Locus superior, sine quo regi populus non potest, etsi ita teneatur atque administretur ut decet, tamen indecenter appetitur. Lib. 19 *de Civit. Dei*, cap. 19.

7. Magistratus rempublicam gerens terrenam, cor sursum habet, si Christianus est, si fidelis est, si pius est, si contemnens in quibus est, et sperat in quibus nondum est. Super *Psalm.* LI, sub fin. Præfationis.

8. Fideles et boni magistratus in civitatibus suis judices sunt, et duces sunt, et comites sunt, et reges sunt. Super *Psalm.* LXI.

S. BASILIUS MAGNUS. 9. Absurdum est eum, qui intus a meretricis dominio detinetur, publicæ civitatis esse præfectum. *Prosec.*

10. Domesticas res bene administrare oportet, atque ea quæ intus sunt bono ordine disponere, et ita in alios assumere ac gerere magistratum. Hom. 10 *in Hexam.*

V. BEDA. 11. Qualis rector est civitatis, tales inhabitantes. In suis *Proverb.*, verbo *Qualis.*

BOETIUS. 12. Vis ea est magistratibus, ut utentium mentibus virtutes inserant, vitia depellant. Lib. 3 *de Consolat. philos.* prosa 4.

13. Magistratura magna olim potestas, nunc inane nomen est, et senatoris census gravis sarcina. *Ibid.*

CLEMENS ALEX. 14. Qui in magistratu est constitutus, non secus ac Moyses, præsit ad salutem eorum, in quos obtinet imperium : honore quidem eorum, qui sunt optimi ac præstantissimi : supplicio autem improborum, quod non convenienter rationi

adscriptum est ad disciplinam. Lib. 7 *Stromat.*

S. CYPRIAN. 15. Quos honores putas esse, quos fasces in magistratu, quam purpuræ speciem, in principatu licentiæ potestatem? Epist. 2, *ad Donat.*, cap. 8.

FRANCISCUS TITELMAN. 16. O in populo Christi consuetudo corruptissima, quæ magistratus solam generis nobilitatem considerans, neque morum integritatem, neque sapientiæ claritatem requirit! *Prosec.*

17. Una carnis (quam vocant et fingunt) nobilitas, etiam indoctos et improbos homines ad omnem administrationem et civilem et ecclesiasticam, hodie, proh pudor! facit idoneos. In *Annot.*, super cap. XV *Job.*

GLOSS. ORD. 18. Nisi magistratus ac subditi philosophantur, certum est non fore fortunatas civitates. Super *Esther*, cap. VI.

S. GREGOR. MAGNUS. 19. Magistratus plerique inordinatum sibi metum a subditis exigunt, et non tam propter Dominum, quam pro Domino venerari volunt. Lib. 24 *Moral.* cap. 14.

20. Qui est in magistratu, honore supresso, qualem se subditis bene viventibus putet, et erga perversos jura rectitudinis exercere non formidet. Part. 2 *Pastor.* cap. 6.

S. GREG. NYS 21. Magistratus imperium atque potestas, plerumque superbiæ materiam et occasionem præbet. Orat. 1 *de Beatitud.*

22. Gravis est magistratus quidem iis, qui ejus reguntur imperio : sceleratis autem et iniquis, etiam habetur odio. *Adversus eos, qui nolunt reprehendi.*

HUGO CARD. 23. Magistratus superbi et potentes, vilius in judicio Dei tractabuntur, quam cæteri a dæmonibus, et quasi lutum conculcabuntur. Super *Isa.* cap. XLI.

S. JOANNES CHRYSOST. 24. Qui affectant dignitatem magistratus, nimirum ut glorificentur et honorentur apud homines, perduntur apud Deum. Hom. 3 super *Acta Apost.*

25. Magistratus velut miles armatus, delinquentibus terribilis præficitur. Serm. 23 super *Epist. ad Rom.*

26. In maximis populo benefacit magistratus, dum et pacem et administrationem politicam procurat. *Ibid.*

27. Innumera bona civitatibus per magistratus proveniunt, quæ si sustuleris, omnia simul pessum ibunt. *Ibid.*

28. Multa beneficia per magistratum urbibus exhibentur : ut pote ordinata disciplina, pacifico convictu reliquisque ministeriis, ut sunt militum, eorumque qui communia, quæ ad rempublicam pertinent, administrantur. *Ibid.*

29. Magistratibus honor debetur et timor. *Ibid.*

30. Doles magistratum videns, cùm tu sis privatus : cogita ante eum quot metus, quot pericula, quot adulationes, quot vigilias, quot generis omnis miserias. Homil. 38 super I *Cor.*

31. Nihil ita clarum facit gerentem magistratum, sicut dilectionis studium erga subditos. Hom. 15 super II *Cor.*

32. E magistratu non est, qui plus pecuniæ dederit, sed qui maximas virtutes declaraverit. *Ibid.*

33. E magistratu non est, qui quasi ad humanam gloriam, et ad suam quietem : sed quasi ad labores et sudores, et ad multorum utilitatem ad magistratum ascendit ordinatus. *Ibid.*

34. Malum est, ubi nullus est magistratus, et multarum cladium hæc res existit occasio, et confusionis turbationumque principium, subversionis denique hoc argumentum est. Hom. 34 super *Epist. ad Hebr.*

35. Magistratus non jam sunt animi virtutis demonstrationes, pecuniis enim sunt venales, et amicorum vendicantur assentationibus. Hom. 16 *ad Popul. Antioch.*

36. In magistratu positus nihil magis laboriosum, quam alienas curare necessitates affirmat. *Ibid.*, hom. 67.

37. Mundani magistratus nequaquam possunt christianorum demonstrare virtutes, quin potius frequenter habent accusationem malitiæ. In orat. *de S. Philogonio.*

38. Multi sunt, qui ad gerendos magistratus omnem vitæ suæ operam curamque convertunt, ut potestate domini dici possint. Lib. 6 *de Div. inst.* cap. 4. I ACT. FI

39. Impudentissimum esse arbitror, quempiam sæculares magistratus precibus mendicare. *De Perf. gradibus*, cap. 8. .LAURE JUSTI

40. Qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea. Lib. 8, epist. 2, *ad Cinthium præfect.* .PETR. D

41. Seniores ad magistratus legitimos gerendos vocari mos est. *De Agricultura.*

42. Quid civitas, si destituatur magistratibus? Nonne carens magistratibus civitas illa malis opprimetur maximis? Lib. *De eo quod deterius.* PHILO J

43. Olim pauperes magistratus opulentem rempublicam habebant : nunc autem dives potestas pauperem facit esse rempublicam. *Prosec.* SALVIAN

44. Tales magistratus veteres Romani sic tunc contemnebant divitias, nescientes Deum, sicut nunc spernunt sequentes Dominum. Lib. 1 *de Gubern. Dei.*

45. Virtutis non divitiarum, ut nunc assolet, inita ratione, magistratuum delectus habeatur. *De Regno ad Arcadium imperat.* S. SYNE EPISCO

46. Magistratus præ divite multo magis is eli-

gendus est, qui regendorum hominum peritia valet. *Prosec.*

47. Quid enim si quis ex hoc ipso quod improbus esset, divitias congessit, num ab eo æquum est magistratum geri, nec ab eo qui sit quidem pauper, sed legum tamen justitiæque cultor, qui ob ipsum quod justus est, paupertate laborans, pudore non afficitur?

48. Atqui ille sane quomodocumque dives magistratum pecuniis mercatus, cujusmodi sit æqui distributor idoneus nesciat. *Ibid.*

HEODOR. 49. Qui in magistratu sunt constituti, non suis commodis, sed utilitati subditorum inservire debent. Quæst. 17 super *Jesum Nave.*

50. Everso regno, necesse est etiam magistratus, qui sub eo degunt, commutari. Sect. 12 super *Ezech.*

51. Multa mala conciliat, nullum habere magistratum. Super *Judic.*

52. Magistratuum gubernationem tanquam pharmacum quoddam depulsorium peccati, ulceribus rerum Creator imposuit. Serm. 7, *de Provident.*

EOPHILA. 53. Plurimum prosunt reipublicæ magistratus; per ipsos enim hominum vita consistit : qui nisi essent, jam olim omnia periissent, potentioribus imbecilliores devorantibus. Super *Epist. ad Rom.*, cap. XIII, in illud : *Necesse est subditos esse.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ISTOTEL. 54. Magistratus custos est justi : quod si justi, et æqui, quia alii non sibi ipsi laborat. Lib. 5 *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 6.

55. Oportet et volentem et non volentem ad magistratum assumere, si dignus sit eo magistratu. Lib. 2 *Politic.* cap. 7.

56. Nemo magistratum petet, nisi honoris sit assectator : atque pleraque eorum, quæ homines injuste faciunt, per ambitionem et avaritiam committuntur. *Ibid.*

57. Carthaginenses non solum optimos, verum etiam ditissimos censent in magistratibus esse ponendos, quasi impossibile sit, qui egenus existat, eum bene magistratum gerere. *Ibid.*, cap. 9.

58. Si inspicere oportet ad opes gratia quietis, pravum est maximos magistratus esse venales. *Ibid.*

59. Oportet eos, qui possunt optime gerere magistratum, assumere ad magistratum. *Ibid.*

60. Pravum videri potest, plures magistratus ab uno homine geri : unicum enim ab uno optime perficitur opus. *Ibid.*

61. Dicimus studiosum in magistratu, bonum esse atque prudentem. *Ibid.*, lib., 3, cap. 3.

62. Istis, qui neque opes habent, neque virtutis ullam existimationem, permittere magnos magistratus, nequaquam est tutum. Lib. 5 *Ethic.*, cap. 7.

63. Civitas absque magistratibus esse non potest; necessarium igitur est esse quosdam qui magistratus gerere valeant, et hoc munus sufferre, vel perpetuo, vel ad tempus. *Ibid.*, lib. 4.

64. Magistratus constituendus est quidam, qui sit quasi in specula ad mores civium intuendos, ne quis ita vivat, ut reipublicæ nocere possit. *Ibid.*, lib. 5, cap. 8.

65. Maximum illud est in omni republica, et omni diligentia constituendum, ne ex magistratibus lucra proveniant. *Ibid.*

66. Tria debent habere illi, qui magistratus sunt suscepturi : primum, ut ament præsentem civitatis statum; secundum, ut habeant potentiam maximam ad ea exequenda, quæ magistratus requirit; tertium, ut habeant virtutem et justitiam. *Ibid.*, cap. 6.

67. Senatus officium est, consilio civitatem juvare : magistratus officium est, opera et diligentia consequi voluntatem senatus. Lib. 4 *de Arte rhetor. ad Herenn.* CICERO.

68. Magistratus legum sunt ministri, legum interpretes, legum judices, legum denique servi, ut possint esse liberi. Orat. *pro Cluentio.*

69. Sudandum est his, qui magistratum gerunt, pro communibus commodis. Orat. 32, *pro Sextio.*

70. Sicut magistratibus leges, ita populo præsunt magistratus : vereque dici potest magistratum legem esse loquentem, legem autem mutum magistratum. Lib. 3 *de Legibus.*

71. Magistratibus opus est, sine quorum prudentia ac diligentia esse civitas non potest. *Ibid.*

72. Magistratus nec obedientem et noxium civem mulcta, vinculis, verberibusque coerceant. *Ibid.*

73. Proprium munus magistratus est, intelligere se gerere personam civitatis, debereque ejus dignitatem et decus sustinere, leges servare, jura distribuere, eaque fidei suæ commissa meminisse. Lib. 1 *Offic.*

74. Vere verum germanumque magistratum non ita esse comparatum putes, ut propriam utilitatem perspiciat, sed ut subjecti sui emolumentem quærat. *Prosec.* PLATO.

75. Quocirca quicumque id prudenter cognoscit, potius malit alium quempiam in magistratu constitutum sibi prodesse, quam ut dum ipse alienam utilitatem studet promovere, negotium sibi facessat. Lib. 1 *de Repub.*

76. Omni ratione providendum est, ne summorum magistratuum socii, quibus id tributum est

muneris, ut magistratus adjuvent, idem agant adversus cives, quos nimirum viribus et auctoritate superant, ne cum benigni socii esse debeant, immanibus et feris dominis assimilentur. *Ibid.*, lib. 3.

PLATO. 77. Magistratus ut pastores sunt civitatis. *Ibid.*, lib. 4.

78. Magistratus legum sunt ministri. Lib. 4 *de Legibus*.

SENECA. 79. Quidquid peccavit in magistratum aliquis, majestatem lædit. Lib. 4 *Controvers.* controv., 25.

80. Lex a sexagesimo anno senatorem non citat. *De Brevit. vitæ*, cap. 2.

Vide etiam tit. *Civitas*, sent. 85; *Pecunia*, sent. 138; *Reddere rationem*, sent. 43; *Respublica*, sent. 30; *Vinum*, sent. 116.

MAGNANIMITAS.

COLLECTOR. *Etymologia.* Magnanimitas dicitur, quasi magna animositas : et magnanimus, quasi magnus animus.

S. THOMAS AQUINAS. Magnanimus non est μικροκίνδυνος, id est, pro parvis periclitans : sed μεγαλοκίνδυνος, id est, pro magnis periculis periclitans. 2. 2. quæst. 129, art. 5.

S. ANTON. *Definitio.* Magnanimitas est appetitus ordinatus magni honoris. Part. 2, tit. 3, cap. 5, § 1.

S. BONAV. Magnanimitas est difficilium spontanea, et rationabilis aggressio. Part. 3 *Centiloquii*, sect. 43.

Magnanimus est, qui ad universa sustinenda patiens est, et qui nullis passionibus perturbatur. Lib. 2 *de Profectu religiosor.*, cap. 34.

HUGO A S. VICTORE. Magnanimitas est generosa quædam excellentia animi, res difficiles et arduas pulchre et fortiter administrantis. *De Fruct. carnis et spirit.*, cap. 1.

JOAN. GERS. Magnanimitas est fortitudo, qua inclinatur habens eam tendere in bonum aliquod sub ratione arduitatis et excellentis apprehensum. Part. 4, in *Descript. terminor.*, cap. *Fortitudo.*

S. THOMAS AQUINAS. Magnanimitas est circa honores, ut scilicet studeat facere ea, quæ sunt honore digna. 2. 2. quæst. 129, art. 1.

Magnanimitas est quædam extensio animi ad magna. *Ibid.*

PLATO. Magnanimitas est usus prudens eorum quæ contingunt magnificentia animæ cum ratione. *De Definit.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTON. 1. Magnanimus magis curat veritatem, quam opinionem. Part. 2, tit. 4, cap. 1, § 3.

2. Magnanimus non est contentiosus, quia nihil æstimat magnum : nullus enim contendit, nisi pro re, quam æstimat magnam. *Ibid.*

3. Injurias magnanimus debet parvipendere, et a memoria repellere, tunc in mente sua quietus erit. Part. 4, tit. 3, cap. 7, § 15.

S. AUGUST 4. Virilis animi est et præclaræ mentis, dejicere a cervicibus inimicum pondus. Serm. 1, *Vigil. Pentecostes.*

5. Dilectio magnanimum facit. Serm. 1 *Dom. Rogat.*

CLEMENS ALEX. 6. Magni et excelsi animi virtutis species sunt, tolerantia, ingens spiritus, magnitudo animi, et liberalitas. Lib. 7 *Stromat.*

S. CYPRIAN 7. Quisquis magnanimus est, a livore alienus est. *De Zelo et livore*, cap. 4.

S. GREGO MAGNUS. 8. Respicere inopem, exaudire precem, largiri stipem, præbere defensionem, atque pro ejusdem defensione pauperis, adversantis cujuslibet inimicitias non timere, magnæ mentis latitudo est. Homil. 12 super *Ezech.*, super illud : *Et mensus est portam.*

S. HIERO 9. Magnus est, qui vicerit magna : ingentis virtutis est, ingentia superare. Epist. 6, *ad Amicum.*

S. JOANN CHRYSOS 10. Magnanimitas virtus est, quæ omnia probe dispensare facit, affectioni non servit, et nihil putat esse pecunias : quia qui insumit ubi opus est pecuniam, magnanimus est. Hom. 48 super *Acta Apost.*

11. Ille magnanimus est, qui vere est humilis, non adulator, non contemptor. Hom. 1 super I *Cor.*

12. Is excelsi animi est, qui pecuniis et gloria et nulla ejusmodi re indiget : sed qui ea omnia contemnit, et in seipso suam servat magnanimitatem. *Ibid.*

13. Quemadmodum tuba clare insonante, locus undique vicinus completur, ita clara magnanimitatis fama cujusque viri. Hom. 2 super I *ad Thessal.*

S. LAURE JUSTI 14. Magnanimum illum esse denuntio, qui renuntiat sæculo, carnis lenocinia calcat, perfectionis arcem conscendere nititur. Serm. *de S. Hugone.*

15. Stat magnanimus, imperterritus corde, desiderio accensus, lætus animo, fide fundatus, spei consolatione repletus, virtutumque protectione. *Ibid.*

S. LEO 16. Magnanimitas in pauperes, paucorum est. Serm. 3, *de Jejun. septimi mensis.*

PETR. B 17. Hæc est laudanda magnanimitas, quæ prosperis non extollitur, nec frangitur adversis : sed in omni eventu permanens eadem, sufficit ipsa sibi. Epist. 177, *ad Reginam quamdam.*

S. PETI 18. In desperatis rebus gloriosum est fortiter agere. *Opusc.* 48, cap. 4.

S. SYNE EPISCO 19. Qui magnanimus est, nisi philosophiæ beneficio intra virtutis limites coerceatur (si paulu-

lum prodierit) pro magnanimo arrogans fiet, et mente depravatus. *De Regno ad Arcadium imperat.*

S. THOMAS AQUINAS. 20. Magnanimitas non potest esse, nisi aliis virtutibus præexistentibus, unde est quasi ornatus earum. 1. 2. quæst. 66, art. 4.

21. Pro his quæ vere sunt magna, magnanimus promptissime se periculis exponit; quia operatur magnum in actu fortitudinis. 2. 2. quæst. 129, art. 5.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 22. Qui generosus est atque magnanimus, multas ac magnas adversitates facile perfert. Lib. 1 *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 10.

23. Magnanimus is est, qui magnis est dignus : magnanimitas enim in magnitudine consistit. *Ibid.*, lib. 4, cap. 3.

24. Eum, qui vere magni est animi, bonum esse oportet : magnanimus si non sit bonus, ridiculus omnino videbitur, nec etiam dignus erit honore. *Ibid.*

25. Magnanimi videbitur id esse, quod est in unaquaque virtute magnum : nulloque modo convenit magnanimo pericula fugere ob timorem, aut injuriam facere. *Ibid.*

26. Videtur ipsa magnitudo animo tanquam ornamentum quoddam esse virtutum : nam majores efficit ipsas, sine illis ipsa non fit : quamobrem difficile est vere magnanimum esse; non enim esse potest, si non omnis probitas adsit *Ibid.*

27. Est magnanimi non audire ea, quæ afficiuntur honore, et ubi alii primas occupant partes, et otiosum esse ac tardum, nisi ubi magnus est honos, vel opus, et paucas quidem agendas res aggredi, magnas autem et præclaras. *Ibid.*

28. Nihil apud magnanimum est magnum, nec est sibi mali memor illati : non est enim magnanimi meminisse, sed potius despicere mala. *Ibid.*

29. Inter cæteras virtutes, magnanimitas eminet : quare peculiari vocabulo hoc præditus, magnanimus appellatur. Lib. 3 *Ethic. ad Eudomium.*

CICERO. 30. Magnanimus vir nec mœrens, nec timens, nec cupiens, nec gestiens est. Lib. 4 *Tuscul. quæst.*

31. Viros fortes et magnanimos, eosdem bonos et simplices, veritatis amicos, minimeque fallaces esse volumus. Lib. 1 *de Officiis.*

32. Ad magnanimum pertinet, nulli neque homini, neque perturbationi animi, neque fortunæ succumbere. *Ibid.*

33. Fortis animi et constantis est, non perturbari in rebus asperis, nec tumultuantem de gradu dejici, sed præsenti animo uti et consilio. Lib. 1 *de Offic.*

34. Magnitudo animi remota justitia, humanaque comitate, feritas quædam fit et immanitas. *Ibid.*

35. Decet magnanimitas quemlibet mortalem. Lib. 1 *de Clement., ad Neronem*, cap. 5. SENECA.

36. Magni animi est proprium, placidum esse tranquillumque, et injurias atque offensiones semper despicere. *Ibid.*

37. Nihil æque hominem, quam magnus animus decet. Lib. 2, *de Clement., ad Neron.*, cap. 5.

38. Generosos animos labor nutrit .Epist. 31.

39. Magni animi est, magna contemnere, ac mediocria malle, quam nimia : illa enim utilia sunt, at hæc (eo quod superfluunt) nocent. Epist. 39.

40. Perit magnanimitas , quæ non potest eminere ; nisi omnia velut minuta contempserit, quæ pro maximis vulgus optat. Epist. 74.

41. Magnanimos nos natura produxit, et ut quibusdam animalibus ferum dedit, quibusdam subdolum, quibusdam pavidum : ita nobis gloriosum et excelsum spiritum, quærentem ubi honestissime, non ubi tutissime vivat, simillimum mundo. Epist. 124.

42. Nihil non magnanimo magnum est, quia satis. Epist. 74.

43. Quis generosus? ad virtutem bene a natura compositus. Epist. 44.

44. Magnanimitas si insit animo tuo, cum magna fiducia, vives liber, intrepidus, alacer. *De Quatuor. virt.*

45. Magnanimi hominis bonum est, non vacillare, constare sibi, et finem vitæ intrepidus expectare. *Ibid.*

46. Eris magnanimus, si pericula nec appetas ut temerarius, nec formides ut timidus. *Ibid.*

47. Magnanimus esse stude. *Sent.* 112. SIXTUS PHILOSOPH.

MAGNUS, MAGNIFICENTIA.

Definitio. Magnificus est, qui in omni opere virtutis eligit quod perfectius est. Super *Lament. Hierem.*, cap. I. S. BONAV.

Magnificentia est decus, et onamentum divinarum humanarumque omnium virtutum. *Ibid.*

Magnificentia est difficilium et præclarorum consummatio. Part. 3 *Centiloquii*, sect. 43.

Magnificentia est virtus factiva magnorum. 2. 2. quæst. 134, art. 2. S. THOMAS AQUINAS.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Quantò quis major est in bonis exterioribus, tanto est instabilior, nisi sustineatur. Part. 2, tit. 8, *de Invidia*, cap. 5, § 3. S. ANTON.

2. Non participatione magnitudinis Deus magnus est, sed seipso magno magnus est, quia ipse sua est magnitudo. Lib. 5 *de Trin.*, cap. 10. S. AUGUST.

S. AUGUST. 3. Non erit magnus se magnum putans. *de Viginti et una sent.*, sent. 20.

4. Hæc virum magnum faciunt, domi industria, foris justum imperium, animus in consulendo liber, neque libidini, neque delicto obnoxius. Lib. 5 *de Civitate Dei*, cap. 12.

5. Tunc semper in Deo magni esse poterimus, si semper parvuli simus. Super *Psalm.* LXII.

6. Nemo se dicat magnum, quia Deus solus est magnus. Super *Psalm.* LXXXV.

7. Magnus esse vis? a minimo incipe. *Prosec.*

8. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis; et quantam quisque vult et disponit superimponere molem ædificii : quanto erit majus ædificium, tanto altius fodit fundamentum. Serm. 10 *de Verbis Dom.*

9. Sæpe qui major est ætate, major est iniquitate. *Ibid.*, serm. 36.

10. Esto parvus in oculis tuis, ut sis magnus in oculis Dei. Serm. 70 *ad Fratr. in eremo.*

11. Maximæ res cum a parvis quæruntur, magnos eos solent efficere. Lib. 1 *contra Academ.*, cap. 2.

12. Magnorum est libertas. Lib. 4 *de Musica*, cap. 6.

13. Non mole, sed virtute magnus est Deus. Epist. 3.

14. Deus in minimis suis operibus magnus est. Lib. 9 *de Genesi ad litteram*, cap. 10.

15. Deus ita magnus est in operibus magnis, ut minor non sit in minimis. Lib. 21 *contra Faust.*, cap. 5.

16. Loquitur parvulis parvus, sed ipse ita parvus, ut et magnus : nos autem parvi, sed in illo magni. Tract. 21 super *Joan.*

V. BEDA. 17. Nil magnum in rebus humanis, nisi animus magna despiciens. In suis *Proverb.*, verbo *Nil.*

S. BERNARD. 18. Magna et rara virtus profecto est, ut magna licet operantem, magnum te nescias, et manifestam omnibus tuam te solum latere sanctitatem. Serm. 13 super *Cant.*

19. Magni magna audent, quoniam magni sunt : et quæ audent, obtinent. *Ibid.*, serm. 32.

20. Quidni erubescas minimus inveniri in magnis, qui te recordaris magnum in minimis extitisse? Lib. 2 *de Consid. ad Eugen. papam.*

21. Quid si summus Pontifex sis? Numquid quia summus Pontifex, ideo summus? Infimum noris esse, si summum putas... Niti te ad summum velim, non putare summum, aut velle putari antequam sis. *Ibid.*

22. Arbitratur se non esse minoribus occupandum, qui se ad majora sentit idoneum. *De Duodecim gradibus, humilit.* grad. 7.

23. Qui sibi vilis est, ante Deum magnus est. Serm. 39 *ad Sororem.*

24. Minorem major præcedit sicut honore, ita et crimine. Lib. 3 *Pharetræ*, cap. 34. S. BONAV.

25. Nihil magnum præter animum magnum, nec tibi magno aliquid est magnum. *De septem donis Spiritus sancti in specie. De dono fortitudinis*, cap. 3.

26. Magnus non dicitur, nisi qui summæ potestatis arcem tenere monstratur. Super *Psalm.* XCIV. CASSIODOR.

27. Nihil est magnum re, quod parvum est tempore. In *Epist. Parænetica ad Valeriam.* S. EUCHER.

28. Magnus plane est ille, qui nunquam titubat in fide, et passionibus animi nullis turbatur. Serm. 13, super *Cant.* Habet. apud D. Bernardum. GILLEBERT. ANGLUS.

29. Magnus est, qui magna : parvus, non minimus, qui saltem potest consequi mediocria. Super *Levit.*, cap. 3. GLOS. ORD.

30. Qui se magnum jactat, similis est diabolo. Super *Ecclesiasten*, cap. IX. GLOSS. INT.

31. Multi minimi dum congregantur unanimes, fiunt magni. Super *Epist. ad Rom.*, cap. XV. GLOSS. ORD.

32. Quisquis apud se magnum æstimat, aditum sibi Dei accessus angustat. Lib. 17 *Moral.*, cap. 17. S. GREGOR MAGNUS.

33. Magnus mihi fuisti, quia despectus tibi : sed nunc quia magnus tibi es, factus es despectus mihi. *Ibid.*, lib. 18, cap. 20.

34. Magnus est, qui æterna concupiscit : parvulus, qui terrena diligit. *Ibid.*, lib. 5, cap. 32.

35. Dum arrogantes magna, et spiritualia agunt, in oculis suis magni sunt. *Prosec.*

36. Magni sunt merito humiles æstimatione, quia semper magna agunt; sed in eisdem magnis, se magnos nunquam aspiciunt. Lib. 4 in I *Reg.*, cap. 4.

37. Tanto major efficeris, quanto te aspernaris et stulti vocabuli usurpatione restringis. Lib. 4, in *Registro*, ind. 13, cap. 82, epist. 38, *ad Joan. episc. Constantinop.*

38. Qui bonis studiis comptus est, judicio magnus est, non favore. *Ibid.*, lib. 8, indict. 3, cap. 37, epist. 37, *ad Innocent. episcop.*

39. Ante Deum ille magnus per meritum noscitur, qui ei perfecte subjicitur in præceptis. Lib. 2 in I *Reg.* cap. 4.

40. Sciunt inter magna, quæ ostendunt magni per jactantiam non apparere. *Ibid.*, lib. 4, cap. 4, super illud *Exod.* XXXIII : *Ostende mihi faciem tuam.*

41. Qui magni sunt meritis, parvi sint per humilitatem. *Ibid.* super illud : *Cumque aspexisset Samuel Saul.*

42. Hoc proprium magnorum virorum est, ut a minimis difficile cognoscantur. *Ibid.*, super illud : *Ubi est domus Videntis?*

IERON. 43. Magnus est, qui vicerit magna : ingentis virtutis est, ingentia superare. Epist. 5., *ad Amicum.*

O A S. TORE. 44. Ecce sacerdos magnus. Magnus officio, magnus merito, magnus præmio, magnus suffragio; magnus officio, quia episcopus; magnus merito, quia dignus cœlo; magnus præmio, quia beatus; magnus suffragio, quia noster patronus. Serm. 19 *de Divers.*

O CARD. 45. Magnus unusquisque esse studeat, sed tamen aliquo modo se esse nesciat, ne dum sibi magnitudinem arroganter tribuit, amittat. Super *Genes.*, cap. 14.

46. Magnum fecit Deus hominem in natura, majorem in gratia, maximum in gloria, *Prosecutio.*

47. Sed qui non fuerit minimus reputatione sui, non fiet maximus coram Dei majestate. Super *Job*, cap. VII.

OANNES YSOST. 48. Quanto major es, tanto magis submitte teipsum. Homil. 4 *de Verbis Isaiæ.*

49. Si voluerimus magni ac mirabiles videri; non modo non tales erimus, verum etiam cæteris omnibus abjectiores futuri sumus. Hom. 66 super *Matth. Oper. perfect.*

50. Si magnus vis fore, hæc ipsa contemne, et eris profecto magnus : illud enim quod tu maximum putas, minimum omnium est. *Ibid.*

51. Consideremus magnum eum esse hominem, qui cum omnium minimus sit, minimum quoque se putat. *Ibid.*

52. Qui apud nos magnus est, etiamsi nemo ipsum hujusmodi esse dicat, vere tamen magnus est. *Ibid.*

53. Non qui major fuerit, ille est justior : sed qui justior fuerit, ille est major. Hom. 35 super *Matth. Oper. imperf.*

54. Sancti sibi invicem sunt ita subjecti, ut minor majori non invideat, quasi majori; sed libenter ei obsequatur, quasi sibi servienti in eo ipso quod major est, et major non contemnat minorem, qui major est. *Ibid.*

55. Nihil in hac vita magnum, nisi prius omni animi perturbatione amota, adipisci possumus. *Prolog.* super *Joan.*

56. Omnia quæ vulgo videntur esse magnifica, mihi facta sunt mortua. Super *Epist. ad Galat.*, cap. VI.

57. Magnus in Deo dicitur, non relative ad aliquid, sed absolute omnino dicitur, magnus post quem magnus rite nemo dicitur. Hom. super *Epist. ad Tit.*

58. Vere magnus parvulo se inferiorem existimat esse, et ita major efficitur. Hom. 58 *ad Popul. Antioch.*

59. Qui vere magnus est, nihil de se magni sentit, aut loquitur, sed omnium se ultimum judicat : hoc vere magnum et mirabile est. Lib. 2 *de Compunct. cordis.*

60. Magnus ille quidem est, qui nihil quod S. JOAN. CL. factu possibile fuerit, facere omisit : major autem, qui per humilitatem etiam quæ ultra vires sunt agere conatur. *Grad.* 26.

61. Quæ magna sunt, magno egent studio, JOAN. GERS. cura, sollicitudine, vigiliis et labore. Serm. coram *Papa Benedict.*

62. Etsi aliquid es, nisi tanto te humilies, S. ISIDORUS quanto magnus es, perdes omnino quod es. *De* HISPAL. *Conflict. vitior. et virt.*

63. Ille vere erit magnus, qui fuerit totius S. LEO I. ambitionis alienus. Epist. 55, *ad Pulcheriam august.*

64. Etiamsi magna sint, et magna esse scias ea, LUDOV. BL. quæ cœlitus, percipis, nunquam tamen magnus tibi videaris. Lib. 1 *Enchirid. parvulor.* document. 12.

65. Magnos se reputant, qui aut parvi, aut om- PETR. BLES. nino nulli sunt : quare te apud te majorem reputas, quam hominum reputet communis opinio? pondera teipsum secretius, nec te majorem vendas, quam te libra veritatis appendit. Epist. 3, *ad Quemdam nobilem.*

66. Cave ne magnificentia cordis tui, tibi occasio sit ruinæ. *Ibid.*, epist. 21, *ad Quemdam canonic.*

67. Hypocritæ magni student videri, non fieri. S. PROSPER. Lib. 2 *de Vita contemplat.*, cap. 4.

68. Vere magnus est, qui magnam habet cha- THOMAS ritatem : vere magnus est, qui in se parvus est, A KEMPIS. et pro nihilo omne culmen honoris ducit. Lib. 1 *de Imit. Chr.*, cap. 3, sect. 6.

69. Si vis magnus esse in cœlo, esto parvus in mundo. In *Hortulo rosar.*, cap. 9, sect. 2.

70. Non magnum est, quod aliquis coram S. THOMAS mundo magnus sit : sed qui coram Domino ma- A VILLAN. gnus dici poterit, hic magnus est. Conc. 1, *de S. Joan. Bapt.*

71. Nihil est magnum, nisi quod ipse Dominus magnum voluerit reputare. *Ibid.*

72. Magnus est quisquis aliqua virtute magnus est : sed maximus est, quisquis optima virtute magnus est. Conc. *de S. Maria Magdal.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

73. Nemo vir magnus, sine aliquo afflatu di- CICERO. vino unquam fuit. Lib. 2 *de Natura Deor.*

74. Quid videtur ei magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis, totiusque mundi nota fit magnitudo? Lib. 4 *Tusc. quæst.*

75. Si quis in rebus magnis præclare ac feliciter PLATO. elaborare instituit, consentaneum est, ut prius

in parvis eas meditando se exerceat, quam in illis magnis. In *Dialogo sophistæ*.

76. Nihil magnum aut mirum facere potest, qui maximis quibusdam sceleribus se contaminat. Lib. 2 *de Republ.*

PLIN. II. 77. Hoc tantum cæteris es major, quo melior. In *Panegyr. de Trajano August.*

SENECA. 78. Magnus es vir; sed unde scio, si tibi fortuna non dat facultatem exhibendæ virtutis. *De divina. Provid.*, cap. 4.

79. Multis rebus, non ex natura sua, sed ex humilitate nostra magnitudo est. Lib. 3 *Quæst.* Præfat.

80. Sapiens magnus est, quia magnum animum habet. Epist. 87.

81. Laxum spatium, res magna desiderat. Epist. 88.

82. Verus philosophus contentus est magnitudine sua : multi enim majores quam sint, videri volunt. Epist. 3.

83. Nihil non magnanimo magnum est, quia satis. Epist. 74.

84. Nihil aliud magnum in rebus humanis, nisi animus magna despiciens. *De Quatuor. virtut.*

85. Nihil magnum, nisi magno animo despicias. *De Moribus.*

ZEN. CITIENSIS PHILOS. 86. Non qui magnus, statim bonus est : sed quisquis bonus, idem et magnus est. In suis *Sentent.*, sentent. 1.

Vide etiam tit. *Conscientia*, sent 44; *Divitiæ*, sent. 45; *Gloria vana*, sent. 165; *Humilitas*, sent. 105, 106; *Jactantia*, sentent. 40; *Joannes*, sent. 24, 59; *Raritas*, sent. 11.

MALEDICTIO.

S. THOMAS AQUINAS. *Etimologia.* Maledicere est malum dicere : quod tripliciter contingit, scilicet, annuntiando, imperando et optando. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 12, lect. 3.

S. BONAV. *Definitio.* Maledicere est alicui plagas, vel pœnas verbo optativo imprecari. In *Declarat. terminor. theologiæ.*

S. THOMAS AQUINAS. Maledicere nihil est aliud, nisi de re aliqua ex malitia malum dicere. Super *Epist. ad Galat.*, cap. 3, lect. 4.

Maledicere nihil aliud est, quam malum alterius referre. 2. 2. quæst. 76, art. 1.

PETR. BLES. *Divisio.* Duo sunt modi maledictionis : primus, consideratione justitiæ; secundus, livore vindictæ. Primus modus licitus est; secundus, prohibitus. Super *Job*, cap. III.

CICERO. *Differentia.* Aliud est maledicere, aliud accusare : accusatio crimen desiderat, maledictio autem nihil habet propositi præter contumeliam. Orat. 34, *pro Cœlio.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Fovea alta est os malevoli, grande innocentiæ præcipitium, sed majus malevolentiæ : quia maledicus suis artibus præcipitatur, unde nunquam evadat. Lib. 7, epist. 44, *ad Constantium.*

2. Quid pulchrius quam ridere, cum maledicitur nobis? Lib. 2 *de Interpellat.*, cap. 3.

S. ANTON. 3. Tanta est humana fragilitas, ut ad sibilum unius verbi dejiciatur. Part. 4, tit. 5, cap. 12, § 2.

S. AUGUST. 4. Cum falsum quid maledico fingitur, aut omnino non creditur, aut certe integra salute sola fama vexatur. Epist. 15, *ad Hieronym.*

5. Quicumque maledicto aliquem læsit, meminerit satisfactione quanto citius curare quod fecit. In *Reg.* 3 *ad Clericos.*

6. Non ad maledicendum quemquam consuescamus linguam nostram, quæ ad benedicendum et laudandum Deum creata est. *De Salutarib. docum.*, cap. 42.

7. Maledicere, hoc est malum dicere : sed maledictum aliter jactatur cum contumelia coram illo qui maledicitur, et aliter cum absentis fama læditur. *Serm. Dom. in monte*, lib. 1.

8. Idipsum vipereum est, non habere in ore firmamentum veritatis, sed venenum maledictionis. Lib. 2 *contra Litteras Petiliani*, cap. 14.

9. Non qui maledictus fuerit justus est : sed qui justus est, et injuste maledicitur; et si injuste maledicitur, præmium illi redditur. Super *Psalm.* CII, vers. 6.

10. Surgit ira, noli dare iræ linguam ad maledicendum. Tract. 41 super *Evang. Joan.* cap. 8.

11. Cum quisque maledicit tibi, benedic ei, et magnam habebis gratiam, quod tu non lædis a quo læsus es. *De Rectitud. catholicæ conversat.*

12. Quisquis est qui maledicendi licentia felicem se putat, multo erit felicior, si hoc illi omnino non liceat. Lib. 5 *de Civitate Dei*, cap. 27.

S. BASIL. MAGN. 13. Si contra maledicta irasceris, jam ea corroborasti : si vero quietus et immobilis persistas, pudorem maledicenti magnum intulisti. Homil. 10, *de Ira.*

S. BERN. 14. In *maledicere* sermo est vel supervacaneus, ratione et utilitate carens : vel detractorius, fraterna bona invida corrosione et odii instinctu diminuens : vel adulatorius, caput alicujus falsa olei delinitione demulcens. In suis *Sent.*, verbo *Auctoritate.*

S. BON. 15. Qui negligit oris maledici resecare consuetudinem, etsi non maledicat, immunditiam tamen labiorum, et oris inquinamentum incurrit. In *Centiloq.*, part. 1, sect. 13.

16. Æstimanda sunt verba maledicorum, sicut

latratus canum, et clamores anserum. Lib. 1 *de Profectu relig.*, cap. 31.

S. EPHRÆM. 17. Beatus ac felicissimus, qui maledictis, proscindendo proximum, linguam suam non maculat : nec lingua maledica cor sibi contaminat. *De Maledictis.*

18. Qui maledictis alterum non incessit, se ipsum inculpatum servat. *Ibid.*

19. Qui maledicentiæ spiritum vitat, ab improborum se consuetudine servat, exercitusque dæmonum fugat ac superat. *Ibid.*

20. Qui alios lubens maledictis incessit, se iis quæ in alios confert obnoxium declarat. *De Maledicentia.*

21. Vere miser ac deplorandus est ille, qui maledictis in proximos conferendis se assuescit : quid hoc scelere gravius? *Ibid.*

S. GREGOR. MAGNUS. 22. Aliter maledictum profertur prætextu justitiæ, aliter livore vindictæ. Lib. 4 *Moral.* cap. 6.

23. Cum sancti viri maledictionis sententiam proferunt, non ad hanc ex voto ultionis, sed ex justitia examinis erumpunt. *Ibid.*

24. Qui maledictionibus inimicum impetunt, quid aliud in illo Deum facere volunt, nisi quod ipsi facere aut nequeunt, aut erubescunt? *Ibid.*, lib. 22, cap. 6.

25. Valde grave esse credimus, si fortasse cuilibet exagitante iracundia maledicamus. Lib. 3 *Dialog.*, cap. 15.

S. HIERON. 26. Omnibus maledicere, malæ conscientiæ signum est. Epist. 1, *adversus Helvidium.*

27. Contra quemlibet passim in triviis strepere, et congerere maledicta, scurrarum et parasitorum est. Epist. 3, *ad Domnionem.*

28. Nihil prodest maledicentibus remaledicere, et adversarios talione mordere, cum præcipitur malum pro malo non reddere. Epist. 19, *ad Pammachium et Oceanum.*

29. Non velis in maledictis referre vicem, ne ipse maledicus esse videaris. Epist. 21, *ad Pammachium et Marcellinum.*

30. Illi æquali maledicto subjacent, qui bona mala dicunt, et illi qui mala bona judicant. Epist. 32, *ad Paulin.*

31. Qui sanitate abutuntur in libidinem, et divitias vertunt in luxuriam, bonamque famam sordida conversatione deturpant, hi benedictiones Dei mutant in maledictionem. Super *Malach.*, cap. 2, super illud : *Maledicam benedictionibus vestris.*

32. Qui justis maledicit, diabolus est. Super *Psalm.* XXXII, vers. 2.

33. Illud maledictum contemnendum est, quod beatitudinem creat, quod falso maledicentis ore profertur. *Prosec.*

34. Ubi ergo Christus in causa est, ibi et optanda maledictio est. Lib. 1 super *Matth.*, cap. 5, can. 10, num. 35, super illud : *Beati estis, cum maledixerint vobis homines.*

35. Qui jaculum maledictionis jacit in aliquem, pro eo punietur. Super *Prov.*, cap. XXVI. HUGO CARD.

36. Quanto magis noster est, qui maledicit, tanto intolerabilior est, et profundius atque periculosius vulnerat maledictio ejus. Super *Ecclesiasten*, cap. VII.

37. Justa pœna est, ut tu maledicaris, qui aliis maledixisti : quia per quæ peccat quis, per hæc torquetur. *Ibid.*

38. Si quis te maledictis prosequitur, recordare Domini tui, quem ad derisum adorabant Judæi, et verbis et re distrahebant et irridebant : ipse vero non modo non ultus est, sed beneficiis et summa humanitate et clementia eos affecit. *Prosec.* S. JOANNES CHRYSOST.

39. Christus opprobriis et maledictis afficitur, ad derisum alapis cæditur; tu ab omnibus laudem captas, et non fers opprobria Christi. Hom. 82 super *Joan.*

40. Si maledicentes patri vel matri, morte moriuntur; quali judicio dignus eris, qui maledicere audes ei, qui parentibus illis magis necessarius est et melior? *Prosec.*

41. Si is qui publicano maledixit, pœnam non effugit : qui vero parentibus maledicere solet, qua apologia tuebitur? Serm. super illud : *Salutate Priscam.*

42. Quos vere amamus, nunquam morsu petimus. Homil. 24 super I *Cor.*

43. Lingua maledica ebria est, caninis carnibus impuriorem depascitur mensam. *Ibid.*, hom. 44.

44. Sanguinaria lingua cœnum confundit, et os cloacam latrinamque reddit, imo qualibet latrina abominabiliorem. *Ibid.*

45. Nihil detestabilius animo alium devovente, neque quidquam impurius lingua imprecationes exhalante. *Prosec.*

46. Homo es, ne virus aspidum evomas : homo es, ne vertaris in feram. Tibi datum est os, non ut mordeas : data tibi est lingua, non ut maledicas, sed ut benedicas.

47. Nonne putas diabolum ridere, cum talia audit maledictionis vota? numquid putas Deum irritari et averti, cum talia imprecationibus postulas? qua re nihil fieri potest sceleratius. Hom. 5 super II *Cor.*

48. Nihil putas te mali facere, quando fratri maledicis : quomodo ergo illum fratrem vocas? Si vero non est frater tuus, quomodo dicis : Pater noster? Serm. 14 super *Epist. ad Ephes.*

49. Maledicit frater, et tu qui audis, maledicentis os non obturas, iis quæ ab eo dicuntur facile credis, et non reprimis : cujus sunt ista

indicia? dilectionis an odii? Hom. 2 super II *Thess.*

50. Maledixit te quispiam, tu illum dilige, tu illum beneficiis refove, et magnum quid fecisti. Hom. 3 super I *Tim.*

51. Qui inimicum benedicit, seipsum benedicit : et qui illi maledicit, in seipsum maledicta detorquet. *Ibid.*, hom. 6.

52. Maledici sibi ipsis nihil boni conscii sunt, veluti solatii cujusdam vice aliorum opinionem violare nituntur, ac per id innumeris se peccatis ac sceleribus implicant. Hom. 8 super II *Tim.*

53. Sicut benedicere, amicitiæ principium est; sic maledicere, inimicitiæ, et odii, et injuriarum principium est, atque discordiarum materia. Hom. 3 *ad Popul. Antiochenum.*

54. Sive fatuum quis dixerit, sive vanum, sive latronem, sive quolibet alio nomine maledictum fratri ingesserit, ex quolibet horum vocabulo sub maledicti titulo gehennæ ignis supplicio condemnabitur. Lib. 1 *de Compunt. cordis.*

55. Maledicus cum adultero et avaro et idola colente damnabitur. *Ibid.*

56. Christus maledicentibus benedici jubet, nos e contrario aut priores maledicimus, aut maledictis alterius multiplicata maledicta restituimus. *Ibid.*

57. Annon times ne aperiat se terra, et totum te absorbeat, vel fulmen superne in te adigatur, et maledicam illam linguam comburat? Serm. in illud Pauli : *Salutate Priscam.*

58. Maledictiones, quæ diriguntur in proximo, maledicentes primitus vexant. Hom. 1 super *Epist. ad Hebr.*

JOAN. TRIT. 59. Quis se maledici non desideret, ut mereatur Christi voce laudari, et cœlesti copiosaque mercede munerari? Lib. 1, hom. 10, *ad Monach.*

S. ISID. PEL. 60. Multi hanc velut artem factitant, ut hominibus maledicant, et obtrectent. Lib. 4, epist. 71.

LACT. FIRM. 61. Maledicenti benedictio respondeat, et nunquam ipse maledicat. Lib. 6 *de Divin. inst.*

SALVIANUS. 62. Hinc intelligere possumus, quam gravis sit et perniciosa maledictio, quando etiamsi alia bona adfuerint, sola excludit e cœlo. Lib. 3, *de Gubern. Dei.* Super illud I *Cor.* VI, 10 : *Maledici regnum Dei non possidebunt.*

63. Sacrosanctum Domini Dei nomen sacrilegorum hominum maledictione violatur. *Ibid.*, lib. 4.

S. THOMAS AQUINAS. 64. Maledicere animo maledicendi, optando, seu imprecando malum alicui, illicitum est. 2. 2. quæst. 76, art. 1.

65. Otiosum est maledicere non existenti, vitiosum vero si existeret. *Ibid.*, art. 2, argum. 3.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 66. Nihil est tam volucre, quam maledictum, nihil facilius emittitur, nihil citius excipitur, nihil latius dissipatur. Orat. 31, *pro Plancio.*

EPICTETUS. 67. Si quis nuntiarit quemdam tibi maledicere, ne refuta quæ dicta sunt; responde eum nescisse cætera tua vitia, nam alioqui non illa sola fuisse dicturum. In suo *Enchirid.*, cap. 48.

68. Quidquid de te dictum fuerit, id ne curato; id enim non jam tui est arbitrii. *Ibid.*, cap. 74.

SENECA. 69. Male de te loquuntur homines, bene autem loqui nesciunt; non quod merearis, sed quod solent ipsi. *Prosec.*

70. Homines de te male loquuntur : si merito, non quod loquuntur, molestum est, sed quod non mentiuntur : si immerito, innocentia mea nunc maxime gaudeo. *De Moribus.*

71. Multi, cum aliis maledicunt, sibi ipsis convitium faciunt : nihil enim turpius, quam qui objicit alteri sibi objiciendum. *Ibid.*

SOL. ATHEN PHILOSOPH 72. In defunctum maledicta ne congerito. In suis *Sent.*, sent. 9.

MALITIA.

S. AMBROS. *Definitio.* Malitia est mentis atque animi depravatio a tramite veritatis devia. *De Isaac et anima*, cap. 7.

Quid est malitia, nisi boni indigentia? *Ibid.*

S. AUGUST Quid est malitia, nisi nocendi amor? malitia enim malo delectatur alieno. Hom. 20 *ex* LIII *Hom.*

RICHARD. A S. VICTORE Nihil aliud est malitia, quam concupiscentia effrænata. *Prosec.*

Malitia namque est ex proposito et deliberatione, malo cognito, prono animo consentire. Part. 1, *de Fermento ad Bernardum.*

SENECA. Malus est, cuicumque deest aliquid ad bonum. Epist. 93.

SIXTUS PH Malitia est ægritudo animæ. *Sent.* 198.

S. BONAV *Divisio.* Malorum quatuor sunt genera : pravi, malevoli, maligni, pessimi. Super *Psalm.* LXXXVIII.

S. PETRUS CHRYSOLO *Productio.* Bonitas virtutum mater, malitia origo vitiorum. Serm. 31.

Omnis improbitas, ex imbecillitate venit. *De Perfect. vitæ spirit.*, cap. 16.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS 1. Malitiæ diabolus præsidet, virtutibus Christus. Super *Psalm.* XXXII.

2. Pejor est, qui se, cum sit malus, bonum ostendit, quam ille qui aperte est malus. Super I *Tim.*, cap. V.

S. ANSEL 3. Per malos Deus purgat bonos. Super *Epist. ad Rom.*, cap. IX.

S. ATHANA MAGNUS 4. Malitia contra sui usurpatores militat, eosque qui ipsam tenent, magis quam illos, in quos noxam parat consauciat. *De Passione et cruce Domini.*

S. AUGUST. 5. Deus malorum malitia juste utitur, ut aliis mala ingerat temporalia. Epist. 70, *ad Bonifac.*

6. Malitiæ individua comes, miseria est. *Prosec.*

7. Perversi enim non solum mali esse volunt, et miseri nolunt, quod fieri non potest; sed ideo volunt mali esse, ne miseri sint : ergo ne miser sit, malus est, et ideo miserior est, quia malus est. Super *Psalm.* xxxii, conc. 2, vers. 12.

8. Omnis malus aut ideo vivit, ut corrigatur; aut ideo vivit, ut per illum bonus exerceatur. Sup. *Psalm.* liv, conc. 2, vers. 2.

9. Arcta omnis malitia, sola innocentia lata est. Super *Psalm.* c, vers. 3.

10. Malitiæ meæ nulla causa erat, nisi malitia. Lib. 2 *Conf.*, cap. 4.

11. Voluntate propria quisque malus est. Lib. 2 *de Civit. Dei*, cap. 4.

12. Malus fuisti heri, hodie bonus esto. Tract. 33 super *Joan.*

13. Malitia malo delectatur alieno. Hom. 20 *ex* liii *Hom.*, cap. 1.

V. BEDA. 14. Eo tempore quisque incipit malus esse, quo potest bonus fieri. In suis *Proverb.*, verbo *Eo.*

15. Vix quisquam in bonum transit, nisi ex malo. *Ibid.*, verbo *Vix.*

S. BERNARD. 16. Habet malitia currum suum rotis quatuor consistentem : sævitia, impatientia, audacia, impudentia. Valde velox est currus iste, qui nec innocentia sistitur, nec patientia retardatur, nec timore frænatur, nec inhibetur pudore. *Prosecutio.*

17. Trahitur autem duobus admodum pernicibus equis, ad omnem perniciem paratissimis : terrena potentia, et sæculari pompa. Porro præsident duobus his equis aurigæ duo, tumor et livor : tumor quidem pompam, livor vero potentiam agit. Serm. 39 super *Cant.*

18. Minus semper malitia palam nocuit : nec unquam bonus nisi boni simulatione deceptus est. *Ibid.*, serm. 66.

19. Molestum est, grave est, periculosum est, nimirum ubi malitiæ plurimum, sapientiæ modicum. Serm. 6, *de Ascens.*

20. Sicut nemo fit repente summus, sed gradatim quisque ascendit : sic nemo repente fit pessimus, sed paulatim descendit. *De Duodecim grad. humilit.*, verbo *Interlucet.*

21. Malus homo nunquam tute secum habitat, quia cum malo homine habitat; et nemo molestior ei est, quam ipse sibi. *De Vita solit.*

22. Optimus hodie est, qui non est nimis malus. In Præfat. *Vitæ S. Malach.*

BOETIUS. 23. Infeliciores esse necesse est malos, cum cupita perfecerint, quam si ea, quæ cupiunt, implere non possint. *Prosec.*

24. Nam si miserum est voluisse prava, potuisse miserius est, sine quo voluntatis miseræ langueret effectus. Lib. 4 *de Consol. philos.*, prosa 4.

25. Si nequitia miseros facit, miserior sit necesse est diuturnior nequam : quos infelicissimos esse judicarem, si non eorum malitiam saltem mors extrema finiret. *Ibid.*

26. Feliciores sunt improbi supplicia luentes, quam si eos nulla justitiæ pœna coerceret. *Ibid.*

27. Sæpe illa summa providentia profert insigne miraculum, ut malos mali et bonos faciant. *Prosecutio.*

28. Nam dum iniqua sibi a pessimis quidam perpeti videntur noxiorum odio fragrantes, ad virtutis frugem redeunt. *Ibid.*

29. Sicut probis probitas ipsa fit præmium, ita improbis nequitia ipsa supplicium est. *Ibid.*, lib. 4, prosa 3.

30. In ipso uno qui malus est, et proximum habes et inimicum : nam quod homo est, proximus tuus est : quod malus est, non solum tuus, sed etiam suus inimicus est. Homil. 11. S. CÆSARIUS ARELAT.

31. Malorum libertas confert absolutam superbiam, dum contemptum semper nutrit impunita protervitas, et subjectum se malis esse non credit, qui nihil quod obviare possit expavescit. Super *Psalm.* lxxii, vers. 6. CASSIODOR.

32. Lugendi ac deplorandi sunt illi, qui malitiæ vinculis constricti sunt : grave enim malitiæ dæmonium est. *De Malitia.* S. EPHREM.

33. Nunquam in pace est malignus, semper perturbationibus agitatur, semper dolo et ira plenus est, semper proximum suum despicit, semper submurmurat, semper susurrat, semper invidet, æmulatur, semper exasperatur. *Ibid.*

34. Malignus eos, a quibus diligitur, illudit, commendantes se spernit, proficientes contristat, admonitiones parvi facit, fratres dirimit, simplices vexat, longanimes repellit, patientes irridet, peregrinos aversatur, singulis adversatur. *Ibid.*

35. Malignus iracundiam excitat, ad vindictam impellit, ad convicia promptus, ad detractiones facilis, ad injuriandum proclivis, ad loquacitatem potens, ad jurgia pronus. *Ibid.*

36. Tanta est jam malorum copia, ut vix ullus videatur, si cum illorum conferatur immensa multitudine, numerus justorum. In *Elucid. super Psalm.* xiii, vers. 4 : *Non est qui faciat bonum.* FRANCISCUS TITELM.

37. Cor pessimum ex sua malitia tabescit. *Prosecutio.* S. GREGOR. MAGNUS.

38. Sicut ignis amoris mentem erigit, ita ignis malitiæ involvit. Hom. 2 super *Ezech.*

39. Frustra indignatio, clamor, et blasphemia ab exterioribus tollitur, si in interioribus vitiorum

mater malitia dominatur. Part. 3 *Pastoral.*, cap. 1, admonit. 10.

40. Incassum foras nequitiæ ramus inciditur, si surrectura multiplicius intus in radice mater malitia servatur. *Ibid.*

S. GREG. NAZ. 41. Facilius est scientes malitia aliorum inquinari, quam aliis virtutem impertiri. Orat. 10, *in Funere Basilii.*

42. Expedita est malitia, etiam sine trahente. Orat. 3, *de Pace.*

43. Magnum malitiæ remedium confessio, et fuga est peccati. Orat. 8, *ob Patrem episc.*

HAYMO. 44. Boni a Deo conditi, vitio mali sumus effecti. Serm. 2 *fer.* 2 *Litaniar.*

S. HIERON. 45. In omni proposito, in omni gradu, et sexu, et boni et mali reperiuntur : malorumque condemnatio, laus bonorum est. Epist. 2 *ad Nepotian.*

S. JOANNES CHRYSOST. 46. Sicut virtus salutis causa est, eam operantibus : ita et malitia interitus. Hom. 42 super *Gen.*

47. Tale est vitium malignitatis, ut sibi perniciem accersat. Hom. 7 sup. *Matth. Oper. perf.*

48. Anima semel malitia capta stultior cunctis efficitur. *Ibid.*

49. Nunc illud maxime multis dignum est lacrymis, quia cum multi sint mali, non pudet eos male agere. *Ibid.*, hom. 82.

50. In quibus est una malitia, est unus ad malefaciendum consensus. Homil. 26 super *Matth. Oper. imperf.*

51. Malitia non compescitur sermonibus, sed excitatur : malum enim hominem plus tacendo, quam respondendo vincere potes. *Ibid.*, hom. 38.

52. Omnis malitia confunditur aliquoties ratione veritatis, corrigitur autem nunquam, maxime eorum qui proposito malo et non ignorantia peccant. *Ibid.*, hom. 42.

53. Sicut ignis quanto amplius ligna susceperit in majorem flammam erigitur : sic animus malus quanto magis veritatem audierit, eo ampliùs in malitiam excitatur. *Ibid.*

54. Malitia cæca est. Hom. 8 super *Joan.*

55. Talis malitia est, ut quidquid dicatur, fiatve, non exurgit, sed proprium servat venenum. *Ibid.*, hom. 40.

56. Nihil tam stultos homines facit, quam malitia. *Ibid.*

57. Impudens quiddam et temerarium malitia est : quæ cum magis confundi deberet, magis irritatur. *Ibid.*, hom. 54.

58. Malitiosus seipsum percutit primum, alium autem nullum, et sic sibi ipsi est hostis. Homil. 7 super *Acta Apost.*

59. Nihil impudentius, neque audacius malitia. *Ibid.*, hom. 13.

60. Mentis malitia necessitate non tollitur. Hom. *de Prod. Judæ.*

61. Qui in malitia vivit, omni caret securitate. Homil. 9 super I *Cor.*

62. Nihil virtute purius, nihil malitia impurius : nam illa sole fulgidior est, hæc vero luto fœtidior. Hom. 28 super II *Cor.*

63. Nemini fidit, qui in malitia vivit. Serm. 14 super *Epist. ad Philipp.*

64. Quemadmodum boni ac probi viri, duplici honore digni sunt, quod et frugi scilicet fuere, et ab improbis nihil quidquam vitii traxere : sic et mali duplici pœna mulctandi, quod cum boni esse possent, per vitia improbi fuere, et a bonis virtutis nihil adipisci voluere. *Prosec.*

65. Sicuti bonos non improbi solum, sed probi quoque admirantur : ita et improbos non boni solum, sed mali etiam odere. Serm. *de Virt. et vit.*

66. Quemadmodum si aliquis claudere voluerit aquæ currentis meatum, si una ex parte exclusa fuerit aqua, violentia aliunde sibi semitam rumpit : sic et impiorum malignitas, ex una parte confusa, aliunde sibi aditum adinvenit. Homil. 42 super *Matth. Oper. imperf.*

S. JOAN. CL. 67. Nequitia non est scientia, imo vero turpitudo dæmoniaca, privata veritate, et quæ plurimos latere videatur. *Gradu* 24.

68. Nequitia est rectitudinis perversio, intentio seducta, mentis dispersio, fraudis abyssus, lapsus artifex, dæmoniaca vita. *Ibid.*

69. Malus est diabolo et familiaritate conjunctus et nomine. *Ibid.*

70. Malitia a tumore ac iracundia nascitur. *Ibid.*, gradu 26.

JOAN. TRIT. 71. Si malus in juventute quis extitit, raro in senectute bonus erit. *De Inst. vitæ sacerd.*, cap. II.

S. ISID. HIS. 72. Malorum iniquitas, sanctorum servit utilitati : quia unde mali corruunt, inde boni proficiunt. Lib. 1 *de Summo bono*, cap. 10, sent. 12.

73. Impii cibus sunt diaboli. *Ibid.*, cap. 2, sent. 7.

74. Malignantium hominum voluntas nequaquam potest impleri, nisi Deus dederit potestatem. *Ibid.*, lib. 3, cap. 57, sent. 4.

75. Sunt necessarii mali ; ut quoties boni offendunt, flagellentur ab illis. *Ibid.*, sent. 7.

ORIGEN. 76. Ne contemnas etiamsi parvam videris intra te fermentari malitiam, quia modicum fermenti totam massam corrumpit. *Prosec.*

77. Sicut enim ex justitia generatur justitia, et ex castitate castitas, et castus accepto castitatis fermento, quotidie castior efficitur : ita et qui semel intra se licet parvum malitiæ reposuerit fer-

mentum, quotidie in semetipso nequior efficitur ac deterior. Hom. 23 in cap. XXVII *Num.*

RUS BL. 78. Jam optimus est, qui non est nimis malus. Epist. 143, *ad Conradum archiepiscop. Moguntin.*

ILO JUD. 79. Non semper felix est malitia, interdum cum maxime se celat, deprehenditur. Lib. 7 *de Joseph.*

VIANUS. 80. Magis damnabilis est malitia, quam titulus bonitatis accusat. Lib. 4 *de Gubern. Dei.*

81. In hoc scelus res devoluta est, ut nisi quis malus fuerit, salvus esse non possit. *Ibid.*, lib. 5.

82. Nullus malus, nisi stultus : si enim saperet, bonus esse vellet : exue ergo nequitiam, si vis habere sapientiam. *Ibid.*

LASSIUS 83. Vere potens vir est, qui et ab opere et a scientia malitiam removet. *Hecatontad.* 1, sent. 12.

84. Malitia inveterata, longa opus habet exercitatione : sole clarior enim consuetudo, haud cito immutatur. *Hecatontad.* 3, sent. 7.

85. Malitiam mortifica, ne mortuus non resurgas, et a brevi morte in longam transeas. *Hecatontad.* 4, sent. 51.

IT. PAT. 86. Malitia nequaquam expellit malitiam : sed si quis tibi male facit, tu benefac ei, ut per bonum opus tuum destruas ipsius malitiam. Lib. 5, libell. 10, *de Discretione*, num. 53.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

STOTEL. 87. Malus nunquam sibi amicus est, se namque semper oppugnat. Lib. 2 *Magnor. moral.* cap. 11.

GENES. 88. Nobilitas, gloria, divitiæ malitiæ sunt velamenta. In *Sent.*, sent. 14.

NECA. 89. Levis est malitia, sæpe mutatur non in melius, sed in aliud. Epist. 47.

90. Nemo est extra periculum malitiæ, nisi qui totam eam excussit : nemo autem illam excussit, nisi qui pro illa sapientiam assumpsit. Epist. 75.

91. Malitia miseros facit, virtus beatos. Epist. 81.

92. Malitia ipsa maximam partem veneni sui bibit, dum nocet. *Ibid.*

XTUS LOSOPH. 93. Impius in Deum maledicus, et infestus, et contumeliosus est. *Sent.* 77.

94. Intolerabilis est malitia, cum laudatur. *Ibid.*, sent. 142.

95. Anima mala Deum fugit. *Ibid.*, sent. 301.

SMEGIS. 96. Anima in corpus humanum lapsa, siquidem mala perseveraverit, non gustabit immortalitatis quidquam. Lib. *de Potest. et sap. Dei*, cui tit. *Pimander*, cap. 10.

97. Quænam fera mordax ita corpus lacerat, ut impietas laniat animam? Nonne vides quot malis animus premitur impius? *Ibid.*

98. Morbus animæ gravissimus, impietas est. *Ibid.*, cap. 12.

Vide etiam tit. *Abundantia*, sent. 100; *Diabolus*, sent. 75; *Ecclesia*, sent. 63; *Dissimulatio*, sent. 18, 25; *Finis*, sent. 53; *Hæresis*, sent. 28; *Justitia in genere*, sent. 67; *Mundus*, sent. 127; *Otiositas*, sent. 57; *Patientia*, sent. 14; *Vacare sibi*, sent. 9; *Veritas*, sent. 25; *Virtus*, sent. 88.

MALUM.

Definitio. Malum est aversio ab incommutabili bono, et conversio ad mutabilia bona. Lib. 2 *de Lib. arb.*, cap. 19. S. AUGUST.

Malum est corruptio vel modi, vel speciei, vel ordinis naturalis. *De Natura boni*, cap. 4. S. DIONYS. AREOPAG.

Malum est privatio, defectus, imbecillitas, aptæ compositionis vacuitas, peccatum, vacuitas propositi, pulchritudinis, vitæ, mentis, rationis, perfectionis, sedis : quod causam non habet, quod interminatum est, quod sterile, ignavum, imbecillum, inordinatum, dissimile, infinitum, tenebricosum, expers essentia. *De Divinis nominibus*, cap. 4.

Malum est infirmitas imbecillitasque, ac privatio aut scientiæ, quæ latere non potest, aut fidei, aut appetitus, aut actionis bonæ. *Ibid.*

Malum est privatio modi, speciei, et ordinis. Parte 1 *Summæ*, quæst. 5, art. 5, argum. 3. S. THOMAS AQUINAS.

Malum nihil aliud est, nisi quod turpe, inhonestum, indecorum, pravum, flagitiosum, fœdum, quod fugiendum est. Lib. 3 *de Finib.*, num. 14. CICERO.

Malum, est rerum imperitia. Epist. 31. SENECA.

Divisio. Dupliciter malum appellatur : unum quod homo facit; alterum quod patitur. Quod facit, peccatum est; quod patitur, pœna. Lib. 5 *Etym.*, cap. 27. S. ISID. HISP.

Comparatio. Sicut bonum objectum est, et causa amoris : ita malum est objectum, et causa odii. 1. 2. quæst. 29, art. 1. S. THOMAS AQUINAS.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Mala non sunt, nisi quæ crimine mentem implicant, et conscientiam ligant. Lib. 1 *Hexam.*, cap. 8. S. AMBROS.

2. Non sunt mala, nisi quæ privantur bonis : per mala tamen factum est, ut bona eminerent. *De Isaac et anima*, cap. 7.

3. Permittit Deus impiis male agere, ut ex eorum malis bona operetur. Super *Apoc.*, cap. 9.

4. Nemo a malo liberatur quisquam nisi Dei gratia. Lib. 1 *Retract.*, cap. 9. S. AUGUST.

5. Cum malum perpetratur, hostis est intimus, etiamsi nullius intimi loquacitate vulgetur. Epist. 15, *ad Div. Hieronym.*

6. Deus malorum malitia juste utitur, ut aliis mala ingerat temporalia. Epist. 70, *ad Bonifac.*

7. Cum Deus summe bonus sit, nullomodo si-

neret mali aliquid esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens et bonus, ut bene faceret etiam de malo. In *Enchyridio*, cap. 11.

8. Ex omnibus consistit universitatis admirabilis pulchritudo, in qua etiam illud quod malum dicitur, bene ordinatum, et loco suo positum, eminentius commendat bona, ut magis placeant, et laudabiliora sint, dum comparantur malis. *Ibid.*, cap. 10.

9. Non dubitandum Deum facere bene, etiam sinendo fieri quæcumque male : non enim hoc nisi judicio sinit, et profecto bonum est, omne quod justum est. *Prosec.*

10. Quamvis ea, quæ mala sunt, in quantum mala sunt, non sint bona : tamen ut non solum bona, sed etiam sint et mala, bonum est.

11. Nam nisi esset hoc bonum ut essent et mala, nullo modo esse sinerentur ab omnipotente bono. In *Enchyridio*, cap. 96.

12. Cum bona et mala nullus ambigat esse contraria, non solum simul esse possunt, sed etiam mala omnino sine bonis, et nisi in bonis esse non possunt, quamvis bona sine malis esse possint. *Ibid.*, cap. 14.

13. Melius judicavit Deus de malis bene facere, quam mala nulla esse permittere. *Ibid.*, cap. 27.

14. Prosunt mala, quæ fideles pie perferunt, vel ad emendanda peccata, vel ad exercendam probandamque justitiam, vel ad demonstrandam vitæ hujus miseriam, ut illa ubi erit beatitudo vera atque perpetua, et desideretur ardentius, et instantius acquiratur. Lib. 13 *de Trin.*, cap. 16.

15. Quanto magis homo sua mala intelligit, tanto amplius suspirat et gemit. *De Spirit. et anima*, cap. 49.

16. Bonum et malum a Deo est, non secundum malitiam, qua homines mali sunt : malus enim Deus non est, sed malis ingerit mala, quia justus est. In *Quæst. super Exod.*, quæst. 143.

17. Qui peccando malum facit, prius delinquendo a bono cadit. Lib. 3 super *Levit.*, quæst. 20.

18. Malorum omnium causa, improba voluntas est. Lib. 3 *de Libero arbitrio*, cap. 17.

19. Notitia evidentior boni, mali est experimentum. *De Viginti et una sentent.*, sent. 20.

20. Quid melius, quid omnipotentius eo, qui cum mali nihil faciat, bene etiam de malis facit? *De Continentia*, cap. 6.

21. Mali nulla natura est, sed amissio boni, mali nomen accepit. Lib. 11 *de Civit. Dei*, cap. 9.

22. Non hæc quæ pateris mala, mala sunt : si enim justa sunt, bona sunt, sed tibi patienti hæc mala sunt. *Prosec.*

23. Non vis ut mala sint tibi, quæ justa sunt Dei? non sit mala in conspectu Dei iniquitas tua. Super *Psalm.* CII, vers. 3.

24. Difficilius bonorum appetitores invenies, quam malorum desertores. *De Sobriet.*, cap. 1.

25. Non nocent mala præterita, si non placent. *De Verb. Dom.* serm. 20.

26. Quam spem habere possunt, qui mala faciunt, cum illi perituri sunt, qui bona non faciunt? Serm. 1 *de Defunct.*

27. Per ignorantiam malum quasi bonum placet. Lib. 1 *ad Bonifac.*, cap. 13.

28. Malum est male uti bono. *De Nat. boni*, cap. 36.

29. Nihil est detestabilius quam de malo alterius, mera diaboli similitudine atque imitatione lætari. *De Catechiz. rud.*, cap. 11.

30. Homo factus est malo dignus æterno, qui in se peremit bonum, quod esse posset æternum. Lib. 21 *de Civitate Dei*, cap. 12.

31. Bona mea dona tua sunt, mala mea delicta mea sunt. Lib. 10 *Confess.*, cap. 4.

32. Bona sine malis esse possunt, mala vero sine bonis esse non possunt; quia naturæ in quibus sunt, in quantum naturæ sunt, utique bonæ sunt. Lib. 14 *de Civitate Dei*, cap. 11.

33. Qui nimis quærunt unde sit malum, nihil reperiunt nisi malum. *De Utilit. cred.*, cap. 18.

34. Reddere mala christianus non debet pro malis. In *Enchiridio*, cap. 72.

35. Qui nihil mali faciunt, bene vivun[t]. Epist. 105.

36. Quando homini proponitur, ut aut ma[li] aliquid faciat, aut mali aliquid patiatur, eligat non facere mala, quam non pati mala. Epist. 204.

37. Malum nisi experimento non sentiremus, quia nullum esset, si non fecissemus. Lib. 8 *de Genesi ad litteram*, cap. 14.

38. Origo et caput mali est peccatum. *Contra Fortunatum*, disputatione 2.

39. Quod in homine malum est, est fructus originalis peccati. Lib. 3 *contra Julian.*, cap. 8.

40. Nullum malum sine aliquo bono esse potest, nec ideo bonum est. *Ibid.*, cap. 23.

41. Bonum est bene uti malis. *Ibid.*, lib. 5, cap. 9.

42. Malo bene uti, non est peccatum. *Ibid.*, cap. 16.

43. Ea quæ dicuntur mala, aut vitia sunt rerum bonarum, aut supplicia peccatorum. Lib. 1 *contra Advers. legis*, cap. 5.

44. Quod malum per vitium, profecto bonum est per naturam. *Ibid.*

45. Cum Deus omnia facere possit, malum tamen, quia nihil est, facere non potest. In suis *Prov.*, verbo *Cum*.

46. Deo nihil mali est imputandum, quandoquidem ipse malo utitur ad bonum. *Ibid.*, verbo *Deo*.

47. In malis sperare bona, nemo nisi innocens solet. *Ibid.*, verbo *In.*

48. Hoc est funditus a malo recedere, ex amore Dei jam nolle peccare. *Ibid.* verbo *Hoc.*

.BERNARD.

49. Qui manum non retinet a malo, quo potest, licet quandoque frustretur effectus, non minus culpatur affectus. Epist. 2, *ad Fulconem.*

50. Malum si comprimas tuum, reputabitur tibi ad justitiam; si alienum, ad gloriam. Epist. 200.

51. Sapere malum, sapere non est, sed desipere. *De duodecim Gradibus humilitatis*, grad. 1, verbo *Tu quoque.*

BOETIUS.

52. Quæ in terris abundare creduntur, si disponentem providentiam spectes, nihil usquam mali esse perpendes. Lib. 4, *de Consolatione philos.*, prosa 6.

. BONAV.

53. Malo consentire est malum, operam dare malo est majus malum : sed in malo perseverare est pessimum malum. *De SS. Apost.*

54. Malum est vituperabile in se, et vituperabilem reddit actorem. Super lib. 2 *Sentent.* dist. 34, art. 1, quæst. 1.

55. Magis nocet malum, quod magis intimum est; et magis prodest bonum et delectat, quod magis intimum est. *De septem Itineribus æternit.* Itin. 6, distinct. 3.

ASSIODOR.

56. Permittitur nimis præcurrere scelestum malum, ut gratius regnum Domini suscipiatur optatum. Super *Psalm.* IX, vers. 40.

57. Nunquam malum derelinquit, qui cognoscitur amare quod peccat. Super *Psalm.* LI : *Dilexisti malitiam.*

58. Omne malum execrabilius redditur, quando publica præsumptione tractatur. Super *Psalm.* LIV, vers. 11.

59. Malum intestinum quanta plus tegitur, tanto amplius incurabili putredine sauciatur. Super *Psalm.* LV, vers. 7.

CYPRIAN.

60. Nullum malum difficilius extinguitur, quam quod faciles reditus habet. *De Spectaculis*, cap. 1.

DIADOCH.

61. Malum nec est in natura, nec est quisquam natura malus. *De Perfectionibus spiritus*, cap. 3.

DYM. AL.

62. Qui alium malo aliquo mulctare vult, prius seipsum mulctat. Habetur apud div. Joan. Damascenum, lib. 2 *Parall.* 68.

DIONYS. AREOPAG.

63. Malorum omnium principium et finis, est bonum : boni enim causa sunt omnia, et quæ bona sunt, et quæ mala. *Prosec.*

64. Mala quippe boni desiderio aguntur; nemo enim proposito sibi malo facit quæ facit : idcirco non subsistit malum, sed subsistere videtur, cum boni causa, non sui fiat. *De divin. Nomin.*, cap. 4.

ONYSIUS. ARTHUS.

65. Nullus respiciens ad malum, operatur : unde malum nec agitur, neque appetitur, nisi sub ratione boni. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 7, art. 10.

S. ELIGIUS.

66. Debet unusquisque a se eradicare quod malum est, et inferre in se quod bonum est. Homil. 8.

S. EUSEBIUS EMISSENUS.

67. Cui mala propria non sufficiunt, ille sic agit, ut judicium etiam alienæ perditionis incurrat. Homil. 7, *ad Monach.*

68. Uniuscujusque malum in suum redundat auctorem : suam linguam maliloquus maculat, suum corpus obtrectator exulcerat, suæ mentis lumen iracundus obcæcat, suam animam invidus veneno livoris aspergit. *Ibid.*, homil. 8.

FRANCISCUS TITELM.

69. Tanto gravius est homini, quod infligitur malum, quanto eum qui infligit, minus æquum est hoc agere. In titulo *Psalm.* III.

GLOSS. INT.

70. Plus valet apud pravos malum inolitum, quàm bonum insolitum. Super *Genesim*, cap. 19, illud : *Eo quod increverit clamor.*

GLOSS. ORD.

71. Communia sunt, bonorum et malorum in hac vita, mala; nec quisquam est tam acri ingenio, qui horum rationem possit reddere, sed solus Deus eorum providentiam tenet. Super *Job*, cap. IX.

72. Non est purus qui mala ageret, si liceret. *Ibid.*

GLOSS. INT.

73. Qui mala temporalia stulte præcavet, incidet in æterna. *Ibid.*, cap. XX.

GLOSS. ORD.

74. Odit malum, qui non solum voluptate non vincitur, sed odit opera voluptatis. Super *Amos*, cap. V, in illud : *Odire malum.*

75. Ubi charitas deficit, desiderium mali crescit. Super *Epist. ad Romanos*, cap. VII.

S. GREGOR. MAGN.

76. Sæpe committunt homines mala, quæ sciunt, et idcirco permittuntur decipi, ut cadant etiam in mala, quæ nesciunt. Lib. 11, *Moral.*, cap. 7.

77. Tanto securius mala temporalia mens penetrat, quanto durius bona æterna desperat. *Ibid.*, lib. 26., cap. 8.

78. Quos præsentia mala non corrigunt, ad sequentia perducunt. *Ibid.*, lib. 9, cap. 24.

79. Mala reproborum bonos dum cruciant, purgant. *Ibid.*, lib. 20, cap. 19.

80. Quælibet mala, quæ minores iniqui faciunt, ea nequissimi majores tuentur. *Prosec.*

81. Dum malum pejor vindicat, quasi umbra umbram, ne a veritatis lumine irradietur, obscurat. *Ibid.*, lib. 33, cap. 4.

82. Ille hujus mundi veraciter mala sentit, qui ejus bona inhianter appetit. *Ibid.*, lib. 6, cap. 7.

83. Mala præsentis vitæ tanto durius animus sentit, quanto pensare bonum quod sequitur negligit : et quia non vult præmia considerare, quæ

restant, gravia æstimat esse, quæ tolerat. *Ibid.*, lib. 10, cap. 12.

84. Difficilius malum corrigitur, quod profectionis prosperitate fulcitur. *Ibid.*, lib. 34, cap. 2.

85. Mala quæ pro peccatis nostris sæpe patimur, quia per divinam justitiam nobis irrogantur, bona sunt : bonum profecto est, quidquid est justum. Lib. 4, in I *Regum*, cap. III.

86. Districto judicio permittit Deus mala fieri, sed misericorditer providet de his malis, quæ per judicium irrogat, quæ bona facere disponat. *Ibid.*, cap. 1.

87. Cùm de manifesto bono latens malum nascitur, sapienter bonum absconditur, ne malo superveniente maculetur. *Ibid.*, lib. 5, cap. 4.

S. GREG. NAZ. 88. Pessum eunt, quæ bona sunt et honesta : sine pudore vigent, quæ mala sunt. Epist. 29, *ad Eudochium Rhetor.*

HAYMO. 89. Fieri non potest ut ex malo bonum, aut ex bono oriatur malum : arbor enim bona Christus est, arbor verò mala diabolus. Serm. *fer.* 6 *Pentecostes.*

S. HIERON. 90. Omnipotens Deus bene utens malis nostris, multa ex his bona operari consuevit. Super *Apocal.*, cap. 8.

91. Duplex malum æquale, et anceps, periculosum est : ex utroque arctaris, ex utroque constringeris. Epist. 14, *ad Celant.*

92. Mala imposita, bona devotione portata vincuntur : pejus nocet malum, si male portetur; lædunt et ipsa bona, si male portentur. Epist. 6, *ad Amicum.*

93. Bonum certamen est, malis non cedere, sed mala virtutis bono portare. *Ibid.*

94. Grande peccatum est, non solùm facere malum, sed et diligere. Lib. 2, super *Amos*, cap. V, sup. illud; *Quærite bonum et non malum.*

95. Mala non fugere, vitii est : quantæ impietatis est, etiam diligenter inquirere? Lib. 1, super *Michæam*, cap. III.

96. In eo nullum bonum fuit, qui nullum malum destruit. Super *Psalm.* XXXIII, vers. 14.

97. Nonnunquam malum, occasio fit bonorum, Super *Epist. ad Philemon.*, in illud : *Forsitan ideo discessit.*

HUGO A S. VICTORE. 98. Malum posse, potestas non est, sed infirmitas. Homil. 12, super *Ecclesiasten*, in illud : *Quid gloriaris in malitia?*

HUGO CARD. 99. Totum est a providentia Dei rempublicam suam tam sapienter ordinantis, ut etiam de malis noverit eligere bonum. Super *Ecclesiasten*, cap. VIII.

100. Mala temporalia non occurrunt justo, id est, non contra eum current, vel obviabunt : sed cum eo, et pro eo; quia non impediunt vel retardant cursum ejus ad patriam, sed juvant et accelerant. Super *Ecclesiastic.*, cap. XXXIII.

101. Mala præterita destestemus, præsentia expellamus, futura caveamus. In *Prologo* super *Hierem.*

S. INNOC. III. 102. Malorum alia sunt præterita, alia sunt præsentia, alia sunt futura. Præterita sunt dolenda, præsentia sunt vincenda, futura sunt præcavenda. Serm. 1 *in die Ciner.*

S. JOANNES CHRYSOST. 103. Omnis homo elatus, malum ipsum, cui servit, dominum sibi facit. Hom. 1, super *Matth. Oper. imperf.*

104. Qui nunquam fuit in malis, sed in innocentia, dum nescit quid sit malum, facile decipitur, et transit ad diabolum : sed cum expertus fuerit malum quod invenit, et recordatus fuerit bonum quod perdidit, compunctus redit ad Deum, unde recessit. *Prosec.*

105. Qui autem gaudet de bonis quæ invenit, et recordatur mala quæ evasit, difficile redit ad malum.

106. Malus quod malum est non putat malum; ideo nec pœnitet cum fecerit malum. *Ibid.*, hom. 2.

107. Mala quamdiù præsentia sunt, gravia videntur : cùm verò transacta fuerint, recordatio eorum gloriatio est. *Ibid.*, homil. 6.

108. Omne malum quantò gravius crimen est, tantò levius videtur ad non faciendum, et gravius facit peccatum. *Ibid.*, homil. 10.

109. Manifestum malum, quasi malum fugitur et cavetur : malum autem sub specie boni celatum, dum non cognoscitur, nec cavetur, sed quasi bonum suscipitur, et ideo conjunctum bono exterminat bonum. *Ibid.*, hom. 19.

110. Intelligere malum, laudabile est : facere autem, vituperabile. *Ibid.*, hom. 24.

111. Præ omnibus malis homo est pessimum malum : unaquæque bestia unum habet et proprium malum, homo autem habet omnia in se. *Ibid.*

112. Quid pejus quam mali et non boni memorem esse? Homil. 19 ex diversis in *Matth.*

113. Spiritualis vir, si occurrant ei mille mala, nullo modo vincitur. Hom. 34, super *Epist. ad Hebr.*

114. Nihil adeo Deum delectat, quam non malum pro malo, immo pro malo bonum reddere. Homil. 70, super *Joan.*

S. JOAN. DAMAS. 115. Solers ad invenienda mala est impietas, atque ad aggrediendum aliquid mire audax. *Ibid.*

116. Nulla alia mali substantia est, quam disjunctio a bono. *Ibid.*

117. Sceleratus quisque quod justum est, malum dicere consuevit. *Ibid.*, cap. 12.

118. Malum, cum expectatur, timorem affert;

eum adest, mœrorem. Lib. 2 *de Fide orthodox.*, cap. 12.

TRITH. 119. Nihil prodest mala non facere, nisi etiam bona adjicias. Mala non facere, pœnam non habet : sed bona omittere, corona caret. Super *Prolog. Reg. S. Benedict.*, cap. 2, tract. 2.

120. Malum superare per bonum, laudabile est. In cap. 4 *Reg. S. Bened.* verbo *Hinc.*

121. Malum sub specie boni celatum, dum non cognoscitur, non cavetur. Lib. 2 *de Tent. Relig.*, cap. 5.

122. Neminem ad malum natura compellit, sed propria voluntas. Epist. 15, *ad Nicol. presbyt. Mernicens.*

DORUS SPAL. 123. Ob eam causam permisit Deus mala oboriri, ut ex contrariis malis bonæ naturæ decor emineret. Lib. 1, *de Summo bono*, cap. 9, sent. 5.

124. Bona mens ad malum, nec præmiis corrumpitur, nec terroribus vincitur. *Ibid.*, lib. 3, cap. 30, sent. 12.

125. Magis mala facientibus, quam mala patientibus dolere ac lugere debemus. *Prosec.*

126. Illi enim mala faciendo, in malum proficiunt : isti patiendo, a malo corriguntur. *Ibid.*, cap. 57.

D. PEL. 127. Malum inferre miserius est, quam malo affici. Lib. 2, epist. 257, *ad Eutonium Diacon.*

FIRM. 128. Potest Deus mala tollere, sed non vult, quia et sapientiam simul tribuit, et plus boni ac jucunditatis in sapientia est, quam in malis molestiæ. *Prosec.*

129. Sapientia facit ut etiam Deum cognoscamus, et per eam cognitionem immortalitatem assequamur, quod est summum bonum : itaque nisi prius malum agnoverimus, nec bonum poterimus agnoscere.

130. Si enim tollantur mala, tollere pariter sapientiam necesse est; nec ulla in homine virtutis remanere vestigia, cujus ratio in sustinenda et superanda malorum acerbitate consistit.

131. Itaque propter exiguum compendium malorum, maximo et vero et proprio nobis bono carere caveamus.

132. Constat omnia propter hominem esse proposita, tam mala quam etiam bona. *De Ira Dei*, cap. 13.

133. Ideo malum permisit Deus, ut et bonum clarius emicaret : et alterum sine altero intelligimus constare non posse. *Ibid.*, cap. 15.

EO I. 134. Magis plangendus est faciens mala, quam patiens. Hom. *in Festo omnium Sanctor.*

ILUS. 135. Res est beata, malis affici : inferre vero, miserrimum. Qui enim patitur mala, Christi hæres : faciens vero, diaboli cohæres esse creditur. *Parænes.* 174.

136. Mala ne semina, messis enim prope est, et ignis excipiet spinarum agricolam. *Ibid.*, *Parænes* 212.

137. Malum absconditum urget acrius : indecenter latum, nocet apertius. Lib. 1, epist. 18, *ad Joan. episc.* PETR. CELL.

138. O misera hominis ac lugenda conditio, quæ facilius valet sibi consciscere mala, cum desunt, quam vitare, cum imminent. Opusc. 34, cap. 8. S. PETR. DAM.

139. Quid amentius quam in malis esse, et malorum intelligentiam non habere? Lib. 6, *de Gubern. Dei.* SALVIANUS.

140. Incipientia mala facilè superantur, progressa confirmantur. *De Regno ad Arcadium imperat.* S. SYNESIUS EPISCOPUS.

141. Hoc ad infinitam Dei bonitatem pertinet, ut esse permittat mala, et ex eis eliciat bona. Part. 1, quæst. 2, art. 3. S. THOMAS AQUINAS.

142. Mala quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt. Part. 1, quæst. 21, art. 4.

143. Bona nostra divinitati debemus adscribere, mala autem humanis moribus imputare : quia sicut bona procurante Domino creantur, ita mala diabolo auctore nascuntur. Hom. 11. S. VALERIAN. EPISCOPUS.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

144. Malum facile, bonum verto difficile est. Lib. 2, *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 6. ARISTOTEL.

145. Nemo tolerantior est malorum homine forti. *Ibid.*, lib. 3, cap. 6.

146. Homo malus millies plura mala, quam fera facere postest. *Ibid.*, lib. 7, cap. 6.

147. Omne malum nascens facile opprimitur, inveteratum fit plerumque robustius. Orat. 47, *Philipp.* 5.

148. Malum nihil est, nisi quod turpe, inhonestum, indecorum, pravum, flagitiosum, fœdum, quod fugiendum est. Lib. 3 *de Finibus*, num. 14.

149. Nihil bonum, nisi quod honestum : nihil malum, nisi quod turpe. Lib. 2 *Tuscul. quæst.*

150. Malitia mala bonis anteponit. Lib. 3 *Offic.*, num. 71.

151. Grave est malum omne, quod sub aspectu latet. In suis *Sent.* sent. 152. MIMUS PUB.

152. Prudentis est prospicere, ne quid eveniat mali : fortis tolerare, si quid forte obtigerit. In *Sentent.*, sent. 3. PITTACUS PHILOSOPH.

153. Nihil unquam bono viro quidquam mali evenire potest, nec vivo, nec mortuo. Sizygia 1, in *Apolog.* PLATO.

154. Quid eo infelicius, cui jam esse malum SENECA.

necesse est? ô miserabilem illum! Lib. 1 *de Clement.*, cap. 13.

155. Alienis malis torqueri, æterna miseria est : alienis malis delectati, voluptas inhumana. *De Tranquillit. animi*, cap. 15.

156. Tu ita vive, ut nihil mali committas. Ep. 3.

157. Mali mala sua, quod malorum ultimum est, amant. Epist. 39.

158. Mala mentis nostræ tunc perniciosissima scias esse, cum simulata sanitate subsidunt. Ep. 56.

159. Quæ ista dementia est, malum suum antecedere? Epist. 98.

160. Lento adjutorio opus est contra mala continua, et fœcunda : non ut desinant, sed ne vincant. Lib. 2 *de Ira*.

SIXT. PHIL. 161. Mali nullius auctor est Deus. *Sent.* 106.

162. Non putes malum, quod non sit turpe. *Ibid.*, sent. 192.

163. Qui nihil mali vult, fidelis est. *Ibid.*, sent. 203.

164. Omne quod malum est, Deo inimicum est. *Ibid.*, sent. 302.

165. Qui cogitat adversus alium mala, ipsa præveniens ipse perfert mala. *Ibid.*, sent. 318.

TRISMEGIS. 166. Deus profecto extra culpam malorum a nobis causa venit, nam mala bonis anteponimus. Lib. *de Potest. et sap. Dei*, cui tit. *Pimander*, cap. 4.

Vide etiam tit. *Accusatio*, sent. 63; *Bonum*, sent. 126, 127, 141, 145; *Compassio*, sent. 54; *Consensus*, sent. 52, 53, 55; *Delectatio*, sent. 31; *Diabolus*, sent. 43, 103; *Flagellum Dei*, sent. 260; *Lingua*, sent. 49; *Negligentia*, sent. 25; *Obedientia*, sent. 131; *Obviatio*, sent. 9; *Passio*, sent. 31; *Peccatum veniale*, sent. 25; *Prævisio*, sent. 17, 18, 39, 41, 44, 48; *Profectus*, sent. 84; *Prosperitas*, sent. 38; *Punitio*, sent. 35; *Ratio*, sent. 105; *Rectitudo*, sent. 27; *Remuneratio*, sent. 9; *Timor*, sent. 54; *Victoria*, sent. 46; *Voluntas Dei*, sent. 65.

MANDATUM IN GENERE.

COLLECTOR. *Etymologia*. Mandatum dicitur quasi manui datum; quia quod manui traditur, in promptu est : sic mandatum semper in promptu esse debet.

Definitio. Mandatum est omnis jussio, qua alter alteri jubet quod vult fieri. Vel, mandatum est intimatio voluntatis superioris, facta inferiori, ut secundum illam agat.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Qui alios præceptis suis ligat, debet ipse legitima præcepta in se custodire. Lib. 10, epist. 82, *ad Vercellens. Ecclesiam*.

S. AUGUST. 2. Ex quo incipit homo præcepti esse capax, ex illo incipit posse peccare. Lib. 3 *de Libero arbit.*, cap. 24.

3. Præceptum non est ab illo, cui præcipitur; sed ab illo, qui præcipit. *Ibid.*

4. Quod neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, et pro eorum inter quos vivitur societate servandum est. Epist. 118, *ad Januarium*.

5. Per mandatum gravius delinquit, qui per mandatum scit quam malum sit quod admittit. Epist. 144, *ad Anastas*.

6. Mandatum si fit timore pœnæ, non amore justitiæ, serviliter fit, non liberaliter, et ideo nec fit. Non enim fructus est bonus, qui de charitatis radice non surgit. *De Spiritu et littera*, cap. 14.

7. Quidquid difficile est in præcepto, leve est amanti. Super *Psalm.* LXVII, vers. 14.

8. Animus mallet non esse quod præcipitur, si ad faciendum amore non ducitur, sed timore coarctatur. Super *Psalm.* XXXII, conc. 1, vers. 2.

9. Non est amicus recti quando mallet, si fieri posset, id quod rectum est non juberi. Super *Psalm.* LXVII.

10. Quanto magis suavia sunt quæ jubet qui juvat, tanto magis ea scrutatur amans, ut cognita faciat, et faciendo cognoscat, quia perfectius cognoscuntur cum fiunt. Super *Psalm.* CXVIII, Conc. 17.

11. Circumstant nos et præcepta recte faciendi, et exempla recte facientium. Hom. 50, *ex Hom.* 53.

12. Magnum a Deo judicium timere et expectare debent, qui prælatorum suorum jussa despiciunt. Serm. 61, *ad Fratres in eremo*.

13. Iniquum est eum damnare, cui non fuit potestas jussa complere. *De Fide contra Manich.*, cap. 10.

14. Præcepta liber facit, qui libens facit. *De Gratia Christi*, cap. 13.

15. Ipse se interimit, qui præcepta medici observare non vult. Tract. 12, super *Joan.*

16. Valde bona sunt præcepta, si legitime his utamur. *De Natura et gratia*, cap. 69.

17. Omni tempore, omni personæ, mortem contempta, custodita salutem operantur. *De Præceptis et disput.*

18. Prælati jussio vel prohibitio non prætereat terminos professionis, nec ultra extendi potest, nec contrahi citra. *Ibid.*

S.BER[N.] 19. In prælatis quibusque gravioris auctoritatis, et eorum mandatis quibusque majoris utilitatis, quo diligentior debetur obsequendi cura, eo et culpa gravior incurritur de contemptu. *Ibid.*

20. Jussa prælatorum sine culpa non negliguntur, sine crimine non contemnuntur : ubique enim et culpabilis neglectus, et contemptus damnabilis est. *Ibid.*

21. Contemptus in omni specie mandatorum pari pondere et communiter damnabilis est : neglectus autem in fixis gravior, tolerabilior in mobilibus mandatis. *Ibid.*

22. Sive Deus, sive homo vicarius Dei, mandatum quodcumque tradiderit, pari profecto obsequendum est cura, pari reverentia referendum, ubi tamen Deo contraria non præcipit homo. *Ibid.*

23. Imperfecti cordis et infirmæ prorsus voluntatis indicium est, statuta seniorum studiosius discutere, hærere ad singula quæ injunguntur, exigere de quibusque rationem, et male suspicari de omni præcepto cujus causa latuerit : nec unquam libenter obedire, nisi cum audire contigerit quod forte libuerit, aut quod non aliter licere seu expedire monstravit, vel aperta ratio, vel indubitata auctoritas. *Ibid.*

24. Elatio contemnentis atque impœnitentis obstinatio in minimis quoque mandatis culpam facit non minimam : et convertit in crimen gravis rebellionis nævum satis levem simplicis transgressionis. *Ibid.*

25. Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quam si præcipiat Deus. *Ibid.*

26. Ille se decipit, qui occulte vel aperte satagit, ut hoc ei injungatur, quod ipse desiderat. Lib. *Medit.*, cap. 11.

27. Multos videmus post præcipientis imperium, multas facere quæstiones : cur, quare, quamobrem, sæpius interrogare : ingeminare querelas, quærere quare hoc præcipit? unde hoc venit? quis hoc adinvenit consilium? Serm. *de Virtut. obedient.*

BONAV.

28. Mandata tripliciter sunt servanda : propter salutarem obligationem, propter maledictionis ablationem, propter benedictionis collationem. Expos. 2, super *Psalm.* CXVIII, cap. 1, vers. 6, art. 4.

29. Benedictionis adeptio, est mandatorum observatio. *Ibid.*

30. Mandata animam pacificant, pacificatam fortificant, fortificatam sapientificant. *Ibid.* cap. 11, vers. 10, art. 4.

31. Mandatorum conservatio, est conservatorum exultatio. *Ibid.*, cap. 7, vers. 15, art. 4.

32. Nemo excusabilis est, si mandata non servat : quia omne quod præcipitur, facile est amanti. Serm. 1. *de SS. Evangelistis.*

EUSEBIUS CÆSARIENS.

33. Non est obediens, sed negligens, qui secundum expectat mandatum. Epist. *ad Damas. pap. de Morte D. Hieron.*

S. FRANCISC. ASSISIAS.

34. Non considerare debetis quis, vel qualis sit, qui vobis facienda præcipit; sed solum quod sit prælatus. In suis opusc. collat. 4, *de Obedientia.*

GLOSS. INT.

35. Ad promissam requiem pervenire desiderat, qui mandatorum onera libenter portat. Super *Gen.*, cap. 49.

S. GREGOR. MAGN.

36. Dum salva fide res agitur, virtutis est meritum, si quidquid superior præcipit humiliter toleratur. Lib. 25 *Moral.*, cap. 14.

37. Justitiæ ac rationis ordo suadet, ut qui sua a successoribus desiderant mandata servari, decessoris sui procul dubio voluntatem et statuta custodiant. Lib. 5, in *Registr.* ind. 14, cap. 112, epist. 12.

38. Si parva quæ videntur majorum imperia contempta, ab internis gaudiis separant; etiam minima, quæ perficiuntur, vitam parant. Lib. 2 in I *Regum*, cap. III.

39. Majorum imperia perfecta humilitate observanda sunt. *Ibid.*, lib. 4, cap. 5.

40. Præcepta majorum et timori esse debent, et amori. *Ibid.*, lib. 5, cap. 4.

S. HIERON.

41. Prudentissimus ille est, qui non tam considerat quod jussum sit, quam illum qui jusserit : nec quantitatem imperii, sed imperantis cogitat dignitatem. Epist. 14, *ad Celant.*

42. Quod præcipitur, imperatur : quod imperatur, necesse est fieri : quod necesse est fieri, nisi fiat, pœnam habet. Lib. 1, *advers. Jovian.*

43. Ubi consilium datur, offerentis arbitrium est : ubi præceptum, necessitas est servientis. *Ibid.*

44. Nullus a se mandata ita pollicetur, implenda, ut ille qui amore perfectionis supra mandata conscendit; et dum amplius statuit facere, quam præceptum est, ostendit minus sibi præceptum esse quam potuerit. Epist. 1, *ad Demetriad.*

45. Non solum ille servus contempsit Dominum, qui prohibita fecerit, sed et qui jussa non fecerit. *Ibid.*

HUGO A S. VICTORE.

46. Leve est præcipere, sed labor est implere. Lib. 2 *de Claustr. animæ*, cap. 13.

47. Vitia præceptis contradicunt, virtutes obediunt. *Ibid.*, lib. 3, cap. 6.

48. Triplex est vinculum mandatorum : primo trahimur, secundo retrahimur, tertio astringimur. Vinculum attrahens, sunt præceptiones, quæ sunt eorum, quæ fieri oportet. Vinculum retrahens, sunt prohibitiones, quæ sunt eorum, quæ fieri non licet. Vinculum astringens, sunt admonitiones, quibus cordium fluxum ligamus, cum voluntates etiam a licitis restringimus. Lib. 4 *Miscellan.*, codic. 2, tit. 33.

HUGO CARD. 49. Mandatum est sepes arcens ab anima bestias vitiorum. Super *Prov.*, cap. XIX.

S. JOANNES CHRYSOST. 50. Mandatorum observatio, amicitiæ est confirmatio. *Prosec.*

51. Non potest quis et amicus esse, et mandata contemnere : quia qui contemnit mandatum, amicus esse non poterit. Homil. 1, in dictum *Joan.* 15 : *Vos amici mei estis.*

52. Custoditio præceptorum, perceptio est promissorum. *Ibid.*, homil. 2.

JOAN. TRITH. 53. Quidquid jusserit superior, debet obedire inferior : sic tamen ut non aliter jubeat, quam Deus præcipit. In cap. 7 *Regulæ*, grad. 4, verbo *Fides.*

54. Quidquid vice Dei præcipit homo, non aliter accipiendum est, quam si per se Deus præciperet. Part. 1, *de Regione claustral.*, tract. 2, *Regul.* art. 5.

LACT. FIRM. 55. Qui dat præcepta vivendi, amputare debet omnium excusationum vias, ut imponat hominibus parendi necessitatem. Lib. 4 *de Divin. Inst.*, cap 24.

S. PETR. DAM. 56. Aliud est quod ex auctoritate præcipitur, aliud quod misericorditer indulgetur. Quod præcipitur, non sine peccato negligitur : quod autem indultum est, bonum est si dimittitur, non malum est si completur. Opusc. 13, cap. 7.

S. THOMAS AQUINAS. 57. Inferioris potestatis præceptum non obligat, si contrarietur præcepto potestatis superioris. 1, 2. quæst. 19, art. 5, argum. 1.

THOMAS A KEMPIS. 58. Nemo secure præcipit, nisi qui bene obedire didicit. Lib. 1, *de Imitatione Christi*, cap. 20, sect. 2.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 59. Jubere imperiosius est, quam parere. Lib. 4 *Polit.*, cap. 15.

SENECA. 60. Longum iter est per præcepta, breve et efficax per exempla. Epist. 6.

61. Nihil proficient præcepta, quamdiu menti error obfusus est. Epist. 94.

62. Tolle errores et vitia, supervacua præcepta sunt. *Ibid.*

63. Ad actiones rectas præcepta perdurant. Epist. 95.

64. Præcepta dare scienti supervacuum est, nescienti parum : audire enim debet non tantum quid sibi præcipiatur, sed etiam quare. Epist. 93.

Vide etiam tit. *Mandatum Dei et Mandatorum facilitas* per totum; *Murmur*, sent. 39; *Obedientia*, sent. 55, 126; *Parentes*, sent. 10; *Peccatum in gen.*, sent. 64, 328; *Placare Deum*, sent. 21; *Placere*, sent. 69; *Prælatus*, sent. 247; *Promissio*, sent. 52; *Retrogredi*, sent. 23; *Suasio*, sent. 29; *Vetatio*, sent. 9.

MANDATUM DEI.

Etymologia et Definitio. Nihil aliud sunt mandata Dei, quam jura divina manu data, vel effectui commendata. Super *Psalm.* CXVIII, exposit. 2, vers. 6, cap. 6, art. 2. S. BONAV.

Divisio. Duo sunt genera mandatorum Dei, prohibendi unum, jubendi alterum : ut enim mala prohibentur, ita præcipiuntur bona : ibi otium imperatur, hic studium; ibi coercetur animus, hic incitatur, hic fecisse, illic non fecisse culpabile est. *Prosec.* S. HIERON.

Hoc duplex diversumque præceptum, prohibendi scilicet, et imperandi, æquo omnibus jure mandatum est, et nullus ab hoc imperio liber est. Epist. 14, *ad Celantiam.*

Differentia. Differentia est inter mandatum, et præceptum Dei : quia mandatum non obligat de necessitate salutis, ejusque transgressio est venialis; sed præceptum fit de necessitate salutis, quia obligat ad mortale. Part. 2, tit. 4, cap. 2, § 3. S. ANTONIN.

Præcepta Dei multis nominibus significantur : via, lex, testimonia, mandata, justificationes, judicia, sermones, eloquia, mirabilia, æquitas, verba, veritas, justitia. *Prosec.* HUGO A S. VICTORE.

Via dicuntur præcepta Dei, quia ea faciendo pervenitur ad vitam; lex dicuntur, quia observationum ritu proposito ligant; testimonia dicuntur, quia evidenter admonent pœnis, vel promissis, vel præmiis, vel donis contestantia; mandata dicuntur, quia facienda indicant; justificationes dicuntur, quia impleta, a reatu liberant; judicia dicuntur, quia unicuique pro merito debitam retributionem pronuntiant; sermones dicuntur, quia narrando instruunt; eloquia dicuntur, quia aperte significant; mirabilia dicuntur, quia insolita præcipiunt, et incognita promittunt; æquitas dicuntur, quia secundum justitiam facta sunt; verba dicuntur, quia significationes Dei sunt; veritas dicuntur, quia ita est ut dicunt; justitia dicuntur, quia nihil inordinatum continent. Super *Psalm.* CXVIII, cap. 68.

Mandata Dei a præceptis distinguuntur : præcepta dicuntur, quæ Deus per seipsum jussit; mandata autem, quæ per alios mandavit. 1, 2, quæst. 99, art. 5. S. THOM. AQUINA.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Qui secundum corporis appetentiam vivit, caro est : qui secundum præcepta Dei, spiritus est. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 4, vers. 1. S. AMBR.

2. Magna est utilitas præceptorum Dei, si libero arbitrio tantum detur, ut gratia Dei amplius honoretur. Epist. 29, *ad D. Hieron.* S. AUGU.

3. Mandatum si fit timore pœnæ, non amore

justitiæ, serviliter fit, non liberaliter, et ideo nec fit, non enim fructus est bonus qui de charitatis radice non surgit. *De Spiritu et littera*, cap. 14.

4. Homo inobediens mandato Dei, atque elatus superbia, suasioni serpentis obediens, Dei præcepta contempsit. In Dialog. 65, *Quæst. ad Orosium*, quæst. 4.

5. Generalis prohibitio est, *Non concupisces* : et generalis jussio, *Diliges*. *De Perfect. justitiæ*, cap. 5, ratiocinat. 11.

6. Quidquid difficile est in præcepto, leve est amanti. Super *Psalm*. LXVII, vers. 14.

7. Animus mallet non esse quod præcipitur, si ad faciendum amore non dicitur, sed timore coarctatur. Super *Psalm*. XXXII, conc. 1, vers. 2.

8. Mandatis rectis atque arduis humana non obtemperat infirmitas, nisi præveniens Dei adjuvet charitas. Super *Psalm*. CXVIII, conc. 5.

9. Via testimoniorum Dei nihil certius, nihil brevius, nihilque grandius intelligimus esse. Super *Psalm*. CXVIII, conc. 6.

10. Cum causæ articulus venerit, ut hæc conditio proponatur, aut faciendum esse contra Dei præceptum, aut ex hac vita emigrandum : quorum duorum homo si cogatur alterum eligere, comminante mortem persecutore, ibi eligat Deo dilecto emori, quam offenso vivere. Tract. 5 super *Evang. Joan.*, cap. 12.

11. Non potest divina promissa percipere, qui præcepta cœlestia noluerit observare. Serm. 1, *fer.* 3 *post Dominicam* 2 *Quadrages.*

12. Dominus noster Jesus Christus jubet nobis aliquid, et promittit nobis aliquid : quod jubet hic est, quod promittit alibi est. Quod jubet finitur, quia temporale est : quod promittit non finitur, quia æternum est. Quod jubet, opus est : quod promittit merces est. Serm. 4 *de S. Stephano*.

13. Præcepta ideo data sunt, ut homo excusationem de ignorantia non haberet. *De Grat. et lib. arb.*, cap. 2.

14. Accusatio potius quam excusatio vera est, ubi mandati divini est aperta transgressio. Lib. 14 *de Civit. Dei*, cap. 14.

15. Multi Dei mandata retinent memoria, ut contemnant ea, prævaricationis majore peccato, ubi oblivionis nulla est excusatio. Lib. 11, *de Genesi ad lit.*, cap. 30.

16. Certum est nos servare mandata, si volumus. *De Grat. et lib. arb.*, cap. 16.

17. Mandata Dei servare possumus tanto amplius, quanto illud percipimus amplius. Tract. 74 super *Joan.*

V. BEDA. 18. Nihil prodest littera jubens, nisi adfuerit gratia juvans. Lib. 1 super *Luc.* cap. 2, in illud : *Lex per Moysen.*

19. Quanto solertius quisquam divinis obtemperat jussis, tanto dulcius Dei amorem concipit. Lib. 1 super *Proverb.*, cap. III, in illud : *Et gratia faucibus meis.*

20. Omni tempore, omni personæ, mortem contempta, custodita salutem operantur. *De Præcepto et disput.* S. BERNARD.

21. Bona præcipit Deus, ut faciamus; a malis jubet ut abstineamus. Serm. *de Virt. obed.*

22. Frustra se Deum diligere dicit, qui mandatis ejus suis operibus contradicit. Serm. 9, *de Cœna Dom.*

23. Mandata Dei sunt via, veritas, vita : via, in patriam reducens; veritas, in patriam conducens; vita, in patriam inducens. Exposit. 2 super *Psalm*. CXVIII, cap. 2, vers. 3, art. 4. S. BONAV.

24. Mandata Dei non sunt impossibilia credenti, nec inutilia speranti, nec difficilia diligenti. *Ibid.*, cap. vers. 3, art. 3.

25. Mandata Dei est dominicum decernere, diabolicum spernere, angelicum adimplere. *Ibid.*, cap. 5, vers. 11, art. 2.

26. Quanto leviora sunt Dei præcepta, tanto majus supplicium, his qui non obediunt. Lib. 2 *Pharetræ*, cap. 44.

27. Non est perfectus observator mandatorum Dei, nisi sit repletus timore et amore. Serm. 2, *de Decem præcept.*

28. Via mandatorum amantibus est lata, sed non amantibus est arcta. *Ibid.*

29. Justum est ut qui divina contemnunt mandata severioribus corrigantur vindictis : quatenus cæteri talia committere timeant, et sumant severitatis atque bonitatis exemplum. Apud Gratianum in *Decretis*, part. 2, causa 22, quæst. 3, can. *Justum.* S. CALIXTUS PAPA.

30. Apud Deum vice sunt pecudum, qui ejus præceptis resistunt, et aliud sentire volunt, quam sanctis regulis continetur. Super *Psalm*. LXXII, vers. 24. CASSIODOR.

31. Multi resistunt præceptis Dei, quando illa magis appetunt, quæ ipsius monitis inhibentur. Super *Psalm*. LXXV, vers. 7 : *Et quis resistet tibi?*

32. Se persequitur, qui Domini jussa non sequitur. Super *Psalm*. LXXXXI, vers. 9.

33. Custodia præceptorum Dei, est securitatis vitæ acquisitio. Lib. 2 *Stromat.* CLEMENS ALEX.

34. Mandatum Dei lucerna est, lex, lux, via vitæ, increpatio disciplinæ. Super *Epist. ad Tit.*, in proœmio. DIONYSIUS CARTHUS.

35. Illi soli vere sunt liberi dulcissima libertate, qui salubribus mandatorum Dei vinculis fuerint bene captivati. In *Annot. super Psalm*. II, vers. 3 : *Dirumpamus vincula eorum.* FRANCISCUS TITELM.

36. Mandata gravia non sunt, non trahunt GLOSSA ORD.

deorsum, ut talentum plumbi; sed sursum vehit et excelsos facit custodia mandatorum Dei. Super I *Joan.*, cap. 5, in illud : *Mandata ejus gravia non sunt.*

S. GREGOR. MAGNUS. 37. Cum ab externis actionibus mens sopitur, tunc plenius mandatorum Dei pondus agnoscitur. Lib. 23, *Moral.*, cap. 12, num. 20.

38. Magna vecordia est, forti opere præceptis cœlestibus inservire, sed terrenæ retributionis præmium quærere. *Ibid.*, lib. 8, cap. 25.

39. Graviter unusquisque contunditur, quando mandata Dei, vel legendo, vel audiendo respicit, quæ male vivendo contempsit. *Ibid.*, lib. 18, cap. 5, super illud *Psalm.* CXVIII : *Tunc non confundar.*

40. Sacri eloquii mandata si modo bene portantur in opere, postea coronam victoriæ exhibent in retributione. *Ibid.*, lib. 22, cap. 14, num. 20.

41. Iram Dei provocare est, mandatis illius sciendo contraire : scire bonum, sed despicere : facere posse, sed non velle. *Ibid.*, lib. 26, cap. 23.

42. Mandata Dei pro jussione facere, servientis et obedientis est : diligendo hæc facere, obedientis et amantis est. Homil. 10, super *Ezech.*, super illud *Psalm.* CXVIII : *Vide quia mandata tua dilexi.*

43. Omne mandatum de sola dilectione est, quia quidquid præcipitur, in sola charitate solidatur. Hom. 27, super *Evang.*

44. Multum cordi suo seminat, sed parum infert, qui de mandatis cœlestibus, vel legendo, vel etiam audiendo multa cognoscit; sed negligenter operando pauca fructificat. Hom. 10, super *Ezech.*

45. Magnum est quod committitur, cum Dei mandata negliguntur. Lib. 5, in I *Regum*, cap. 3, super illud : *Nec custodisti mandata Domini Dei tui.*

S.GREG.NAZ. 46. Ubi timor Dei, ibi mandatorum est observatio. Orat. 2 *de Epiphan.*

HAYMO. 47. Præcepta Novi Testamenti, quanto sunt perfectiora, tanto districtiora. Serm. 2 *Dom.* 2 *post Pent.*

S. HIERON. 48. Duo sunt genera mandatorum Dei : prohibendi unum, jubendi alterum. Ut enim mala prohibentur, ita præcipiuntur bona : ibi otium imperatur, hic studium : ibi coercetur animus, hic incitatur : hic fecisse, illic non fecisse culpabile est. *Prosec.*

49. Hoc duplex diversumque præceptum, prohibendi scilicet et imperandi, æquo omnibus jure mandatum est, et nullus ab hoc imperio liber est. Epist. 14 *ad Celant.*

50. Sufficere tibi non putes, mandata Dei memoria tenere, et operibus oblivisci : sed ideo illa cognosce, ut facias quidquid faciendum didiceris. *Ibid.*

51. Imperium Dei, beneficium est. *Ibid.*

52. Quanto solertius quisque divinis obtemperat jussis, tanto dulcius ejus amorem concipit. Lib. 1, super *Prov.* cap. III, super illud : *Et gratia faucibus tuis.*

53. Quisquis in præceptis Dei institerit, hic beatus est : dum vitia carnis coercet, dum animi petulantiam edomat, dum avaritiæ famem vincit, dum terrenorum honorum gloriam evitat. In explanat. super *Psalm.* CXVIII, in illud : *Beati immaculati.* S.HILARIUS.

54. O infelix superbia! dedignatur sub præceptis cœlestibus vivere, quæ mandata divina animi infidelis tumore fastidit. Super *Psalm.* CXVIII, vers. *Retribue servo tuo.*

55. Veritas in præceptis Dei, nihil falsum, nihil incertum, nihil imperfectum habet. *Ibid.*, vers. *Defecit in salutare tuum.*

56. Instruitur christianus, ut non cum mora vel tarditate, non cum tædio, vel desidia, nec cum tristitia vel dolore, non cum murmure vel querela, divinum exequatur mandatum. Serm. 3 *Dedicat.* S. INNOC. III

57. Quidquid imperative decernitur, mortem irrogat non impletum : quæcumque vero suadentur potius quam jubentur, facta prosunt, infecta non puniunt. Collat. 21, *Abbat. Theonæ*, cap. 14. JOAN. CASS.

58. Mandatorum adimpletio animarum est disciplina, vulnerum pharmacum, optima ad Deo placendum via, et certissimum animæ piæ indicium. Homil. 27, super *Genesim.* S. JOANNES CHRYSOST.

59. Dat Deus mandatum, ut probet obsequium : imponit legem, ut exploret hominis voluntatem : insinuat præceptum, ut ejus noscat arbitrium. Serm. *de Gen.*

60. Utilitas omnium mandatorum, una est, et omnia mandata quasi unum videntur esse mandatum : quia ita sibi cohærent, ut alterum sine altero esse non possit. Homil. 42, super *Matth. Oper. imperf.*

61. Qui Dei mandatum transgreditur, omnia confundit et divini muneris proditor est, et cœlitus sibi tributum honorem, abjectum contemnit. Homil. 26, super I *Cor.*

62. Pauca Dei præcepta sic totum hominem immutant, expoliato vetere novum reddunt, ut non cognoscas eumdem esse. Lib. 3 *de Divin. inst.*, cap. 26. LACT. FIRM.

63. Mandatum Dei sanctum est, cœleste, delectatione refertum, dulcedine plenum, mercede exuberantissimum; non temporali, sed æterna. In *Fasciculo amoris*, cap. 3. S. LAUREN. JUSTIN.

64. Artifex misericordia Dei splendidissimum in mandatis suis condidit speculum, in quo homo suæ mentis faciem inspiceret, et quam conformis S. LEO I.

imagini Dei, aut quam similis esset, agnosceret. Serm. 11. *Quadrag.*

LO JUD. 65. Est servi laus maxima, nihil ex jussis dominicis contemnere, sed impigre industrieque, vel supra vires conari cuncta exequi ex illius animi sententia. Lib. *Quis rerum divinarum hæres sit.*

66. Mandata Dei retineas firmiter, et jus divinum habeas in pretio. Lib. 2 *de Victimis.*

ROSPER. 67. Superba voluntas facit Dei præcepta contemni, humilitas custodiri. Lib. 3 *de Vita contemplat.*, cap. 3.

68. Ille mandata Dei memoriter tenet, qui quod mandatis Dei continetur, operatur. Super *Psalm.* CII. vers. 17.

69. Mandata Dei, nisi quieta mens, scrutari non potest. Apud div. Augustinum, sent. 2.

70. Nihil Deus jubet quod sibi prosit, sed illi cui jubet. *Ibid.*, sent. 39.

VIANUS. 71. Pauca sunt, quæ mandat Deus, sed salutaria : expedita, sed sancta ; præcepto parva, sed fructu grandia : scripto brevia, sed beatitudine sempiterna. Lib. 1, *ad Eccles. cathol.*

72. Pene omnis sermo divinus habet æmulos suos : quot genera præceptorum, tot adversariorum. Si largitatem esse in hominibus jubet Dominus, avarus irascitur ; si parcimoniam exigit, prodigus execratur ; horrent raptores, quidquid de justitia scribitur ; horrent superbi, quidquid de humilitate mandatur ; adversantur ebriosi, ubi sobrietas indicitur ; detestantur impudici, ubi castitas imperatur ; mavult quilibet improbus execrari legem, quam emendare mentem : mavult præcepta odisse, quam vitia. *Ibid.*, lib. 4,

VAL. EP. 73. Mandatis Domini servit, qui vitam suam ab omni vitiorum contagione custodit. Homil. 10 *de Parasitis.*

Vide etiam tit. *Desertio Dei*, sentent. 45, 50 ; *Dispensatio*: sent. 33. ; *Fides*, sent. 78, 155. ;*Obedientia*, sent. 141.

MANDATORUM FACILITAS.

SENTENTIÆ PATRUM.

AMBROS. 1, Nihil est tam facile, quin habeat difficultatem, quod facias invitus. Lib. 5 *Hexam.*, cap. 15.

AUGUST. 2. Quidquid difficile est in præcepto, leve est amanti. Super *Psalm.* LXVII, vers. 14.

3. Non Deus impossibilia jubet, sed jubendo admonet, et facere quod possis, et petere quod non possis. *De Natur. et gratia.*

4. Valde bona sunt præcepta, si legitime his utimur : eo quippe ipso quo firmissime creditur, Deum justum et bonum impossibilia non potuisse præcipere. *Ibid.*, cap. 69.

5. Viæ Dei duræ sunt timori, leves amori. *Ibid.* Omnia fiunt facilia charitati ; cui uni Christi sarcina levis est. *Ibid.*

7. Præcepta Dei gravia non sunt, sed cui gravia sunt consideret non potuisse divinitus dici, gravia non sunt, nisi quia potest esse cordis affectus cui gravia non sunt, et petat quo destituitur, ut impleat quod jubetur. *Ibid.*

8. Ostenditur non esse gravia divina præcepta ; quis autem nesciat, cum præceptum sit generale charitas, quia finis præcepti est charitas, non esse grave quod diligendo fit, non timendo ? *De Perfect. justit. contra Cœlestium*, cap. 10.

9. Non aliam ob causam Scriptura commemorat esse gravia divina præcepta, nisi ut anima quæ illa gravia sentit, intelligat se nondum accepisse vires, quibus talia sint præcepta Domini qualia commendantur, levia scilicet atque suavia : et oret gemitu voluntatis, ut impetret donum facultatis. *Ibid.*, *Prosec.*

10. Commendantur non esse gravia, ut cui gravia sunt intelligat nondum se accepisse donum, quo gravia non sint, nec arbitretur ea se perficere, quando ita facit, ut gravia sint. *Ibid.*

11. Dei mandata non modo impossibilia non sunt, verum ne gravia quidem. *Ibid.*

12. Non juberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri. *De Grat. et liber. arbit.*, cap. 16.

13. Execramur blasphemiam eorum, qui dicunt impossibile aliquid homini a Deo esse præceptum, et mandata Dei non a singulis, sed ab omnibus in commune posse servari. Serm. 3 *de Trinit.*

14. Multi præcepta Dei sua imbecillitate, non Sanctorum viribus æstimantes, putant esse impossibilia, quæ præcepta sunt. Serm. 59 *de Temp. fer.* 6 *post. Dom. Quinquag.*

15. Præcepta Dei nolentibus gravia, volentibus sunt levia. Serm. 61, *ad Fratr. in eremo.*

16. Onerosum, et quasi impossibile præceptum videtur : sed quibus ? Mollibus, effæminatis, ignavis : in quibus ? libertate perniciosa, ruptis habenis eunt, quo volunt. Serm. 2 *in Cœna Dom.* S. BERNARD.

17. Nemo excusabilis est, si mandata non servat quia omne quod præcipitur, facile est amanti. Serm. 1 *de SS. Evangelistis.* S. BONAV.

18. Quanto leviora sunt Dei præcepta, tanto majus supplicium his, qui non obediunt. Lib. 2 *Pharetræ*, cap. 44.

19. Via mandatorum amantibus est lata, sed non amantibus est arcta. Serm. 2 *de Decem præceptis.*

20. Fac quod in te est, sicque cito senties facile, quod fuit difficile. *De Perfect. charit.*, art. 4. DIONYSIUS. CARTHUS.

21. Nemo temeraria illa, et a patribus sub anathemate prohibita voce uti debet, Dei præcepta CONCILIUM. TRIDENT.

homini justificato ad observandum esse impossibilia : nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis, cujus mandata gravia non sunt, cujus jugum suave est, et onus leve. Session. 6, cap. 11.

22. Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam justificato, et sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia, anathema sit. Session. 6, can. 18.

S. EUSEBIUS EMISSENUS. 23. Nemo dominicum esse intolerabile conqueratur jugum : qui duri est animi, qui cordis est asperi, ipse sibi facit durum atque asperum jugum Christi : onus Domini scit revelare, nescit opprimere. Hom. 1. *Epiphan.*

GLOSS. ORD. 24. Jugum Dei suave est, et onus leve : quæ natura sua dura sunt et aspera, amor Dei et spes præmii facit levia. Super illud I *Joan.* cap., v, *Mandata ejus gravia non sunt.*

25. Mandata gravia non sunt, non trahunt deorsum, ut talentum plumbi : sed sursum vehit, et excelsos facit custodia mandatorum Dei. *Ibid.*

26. Mandata Dei dum fiunt, levia sunt, et nullo onere deprimunt : si quis autem accedens ad ea non sicut oportet, ea gravia esse dicat, suam infirmitatem magis accuset. *Prosec.*

27. Unde non scripsit : Mandata ejus levia sunt, sed ait : *Gravia non sunt* : illud solum assumens quod deorsum non trahit, et sursum vehit; ut juste sectemur quod justum est, experimentum utique cognoscentes, quia Christi jugum leve est, suavitatem obtinens copiosam. *Ibid.*

GLOSSA INT. 28. Mandata Dei libenter custodienda sunt, quia non sunt gravia. *Ibid.*

GLOSS. ORD. 29. Mandata Dei moderata, et contemperata sunt humanis viribus. Super *Deuter.*, cap. xxx, in illud : *Juxta est sermo.*

S. GREGOR. MAGNUS. 30. Præceptum Domini, jugum est divinæ suavitatis : quid enim grave non leviter tolerat qui amat? Lib. 5, in I *Reg.* cap. II, super illud : *Et audieritis vocem ejus.*

31. Ii, qui divina mandata quasi dura et importabilia respuunt, intolerabilis pœnæ onere in futuro deprimuntur. *Ibid.* super illud XII : *Si non audieritis vocem Domini.*

32. *Jugum meum suave est, et onus meum leve.* Quid grave mentis nostræ cervicibus imponit, qui vitari omne desiderium, quod perturbat, præcipit? *Prosec.*

33. Quid grave subjectis jubet, qui declinare laboriosa mundi hujus itinera admonet? Lib. 4. *Moral.* super illud *Job* 3 : *Ibi impii cessaverunt.*

34. Mandata Dei in delectatione suavitatis habenda sunt, non in æstimatione asperitatis. *Prosec.*

35. Nam quibus semper dura et aspera videntur, quæ a Domino præcipiuntur, paulatim decidunt et deficiunt. Libro 5 in I *Regum*, cap. II.

36. Præceptum Domini jugum est divinæ suavitatis : quid enim levius, aut unquam gratius, quam amor fertur? *Prosec.*

37. Quid præterea grave non leviter tolerat, qui amat? quidquid enim diligitur, cum magna devotione portatur. *Ibid.*

38. Ii qui divina mandata quasi dura et importabilia respuunt, intolerabilis pœnæ onere in futuro deprimuntur. *Prosec.*

39. Stulta audacia hominis, unde ad modicum subire ea, quæ sibi videntur aspera, refugit; inde se asperioribus in æternum subdit.

40. Nam si sapienter saperet, hoc sibi quod displicet, suaderet : ut per dura et aspera hujus brevissimi temporis, dura et aspera evaderet futuræ damnationis.

41. Hæc profecto dura corda carnalium velociter audiunt, sed per salubre consilium, facile molliri non possunt. *Ibid.*

42. En totum illud divinæ legis arduum, totumque difficile, en ob quam causam dura imperia Domino reclamamus, et dicimus nos vel difficultate, vel impossibilitate mandatorum premi. *Prosec.* S. HIERON.

43. Nec sufficit, quod jussa non facimus, nisi etiam jubentem, injustum pronuntiemus, dum ipsum æquitatis auctorem non modo dura et ardua, sed etiam impossibilia præcepisse conquerimur. Epist. 14, *ad Celantiam.*

44. Nihil amantibus durum est, et nullus difficilis cupienti labor est : amemus et nos Christum, et facile videbitur omne difficile. Epist. 22, *ad Eustoch.*

45. Adversarius Christi est, et antichristus, cui præcepta displicent Christi. Epist. 23, *ad Marcellam.*

46. Dices forsitan : Grandis labor est, sed respice quod promissum est : omne opus leve fieri solet, cum ejus pretium cogitatur. Epist. 1, *ad Demetriad.*

47. *Jugum meum suave est, et onus meum leve* : suave est volentibus, durum est nolentibus. Super *Psalm.* VI, vers. 5.

48. Nihil durum, nihil impium, nihil contrarium præceptis Dei jubetur. Super *Psalm.* CXVIII, vers. *Iniquos odio habui.* S. HILARIUS.

49. Communis omnium Dominus prius benefacit et multitudine beneficiorum hominis naturam ad se allicit, et postea imperat facilia atque levia, ut facilitate mandatorum, et beneficiis prioribus excitati, ad ea implenda homines inducantur. *Ibid.* S. JOANN. CHRYSOS.

50. Difficultatem non natura præceptorum, sed

multorum solet socordia efficere : itaque si quis ea cum studio et alacritate animi suscipiat, videbit ea esse levia. Hom. 10, super *Matth. Oper. imperf.*

51. Nihil molestum habent Dei leges, levia et facilia sunt mandata : nihil grave neque onerosum requirit Deus a nostra natura. Homil. 27, super *Gen.* in illud : *Qui effuderit sanguinem.*

52. Nolite onus pertimescere, suavitatis enim eximiæ plenum est. Homil. 39, super *Matthæum, Oper. perfect.* in illud : *Jugum meum suave est.*

53. Non pertimescas onus, nec ab eo jugo resilias : sed omni alacritate animi jugum hoc jubeas, et tunc quam suave sit facile cognosces. *Prosec.*

54. Nec enim teret cervicem tuam, sed ornatus gratia imponitur; et ut discas ordine ad regiam viam procedere, et præcipitia utrimque vitare, ac facile per angustam viam lætus incedere. *Ibid.*

55. Cur fugis? cur tremis? cur metuis? ergo-ne impossibilia præcipit tibi Deus? Homil. 33, super *Act. Apost.*

56. Mandata Moysi in actu facilia sunt, ideo in remuneratione modica, in peccato autem magna : mandata vero Christi, ipso actu difficilia sunt, et ideo in remuneratione magna, in peccato autem minima. Homil. 10, super *Matth. Oper. imperf.*

57. Videamus si quid Dei mandatorum difficile sit, et naturam humanam transgrediens : nihil igitur tale profecto, sed e contra incredibilem in his facilitatem invenimus. Homil. 57, super *Matth. Oper. perf.*

58. Possibile est Dei jussa perficere, si modo velimus omnem naturæ trepidationem alacriter virtute superare, nihilque impossibile est eorum, quæ a Christo hominibus imperantur. Homil. 6, *de Laudibus D. Pauli.*

59. Quamnam habemus excusationem, si tam levia, tam facilia præcepta non servaverimus? Nullam sane. Homil. 9, super I *Cor.*

60. Præcepta Dei adeo facilia sunt, adeo levia, ut multi philosophica tantum ratione ea excesserint. *Ibid.*, homil. 2.

61. Quid grave, quid onerosum est in præceptis Christi? Serm. 2, super *Epist. ad Philip.*

62. Nihil difficile est, nihil grave est, quod nobis imperatur : si voluerimus, in voluntate omnia constituta sunt, per gratiam dumtaxat, quæ desuper est. Homil. 13, super *Epist. ad Hebr.*

63. Magna præcepti facilitas est, sed, dilecte, grave malum est desidia, facitque ut facilia omnia videantur difficilia; sicut studio et vigilantia etiam omnia ardua et difficilia, facilia nobis fiunt. Homil. 14, super *Genes.*

[...]N. TRIT. 64. Jugum Domini Jesu suave est bonis, durum et importabile reprobis. *Prosec.*

65. Nihil est enim tam durum, nihil tam terribile, nihil tam arduum, quod amanti Deum non sit facile et jucundum.

66. Rursus nihil tam leve, nihil tam facile, nihil tam parvum, quod malæ voluntati non sit grave et onerosum. Lib. 2 *ad Monachos.*

67. Nihil Christo Domino famulanti difficile, nihil arduum, nihilque æstimandum est asperum. *De Obedient.*, cap. 26. S. LAURENT. JUSTIN.

68. Præceptum sapientiæ et lex Christi, lex charitatis est, lex amoris et elegantiæ, non coacta, neque in terrore posita, sed in gratuita et spontanea cordis dilectione solidata. In *Fasciculo amoris*, cap. 1.

69. Nihil arduum est humilibus, nihil asperum mitibus, et facile omnia præcepta veniunt in effectum, quando et gratia prætendit auxilium, et obedientia mollit imperium. Serm. 5 *Epiphaniæ.* S. LEO I.

70. Nihil, o anima, a te Deus exigit grave et arduum, sed facilia. Lib. 2 *de Victimis.* PHILO JUD.

71. Quid hic molestum est, aut difficile? Non juberis maria nunquam prius tentata trajicere, et tempestate furente in mediis fluctibus, non pedibus emetiri asperos calles et invios, non itinera ingredi feris infestata et latronibus, non agere sub dio excubias, expositus insidiis hostium; absit, satis est si annuat animus, mox in promptu facilia erunt omnia. *Ibid.*

72. Omne præceptum Dei leve est amanti. Apud *D. August.*, sent. 222. S. PROSPER.

73. Totum durum est quidquid imperatur invitis. Lib. 4 *ad Eccles. catholic.* SALVIANUS.

74. Attendite, fratres mei, attendite et videte, qualia præcepta nobis injungit Deus noster; non aspera et difficilia, non gravia et importabilia. Serm. 17 *post Pentec.* S. THOMAS A VILLAN.

75. Lex Domini non est gravis, nisi carnalibus et iniquis : justus autem et rectis, suavis supra modum et dulcis est. Conc. 4 *de Uno mart.*

Vide etiam tit. *Onus*, sent. 2, 3, 7, 19, 20, 27, 28, 29, 30, 32, 33, 35.

MANSUETUDO.

Etymologia. Mansuetus dicitur, quasi manens quietus. COLLECTOR.

Mansueti dicuntur, quasi manui assueti; quia qui de manu Domini bona et mala suscipiunt, recte manui sunt assueti. Super *Psalm.* XXXIII. HUGO CARD.

Definitio. Mansuetudo est tractabilitas, iram repellens. Sup. *Epist. ad Gal.*, cap. 5. DIONYSIUS CARTHUS.

Benignitas est virtus lenis, blanda, tranquilla et omnium bonorum apta consortio, invitans ad familiaritatem sui, dulcis alloquio, moribus temperata. Lib. 3., super *Epist. ad Galat.*, cap. 5. S. HIERON.

Benignitas est virtus sponte ad benefaciendum exposita. *Ibid.*

HUGO A S. VICTORE. Mansuetudo est, per quam mansueti vel modesti tranquillitas animi, nullius improbitate limitem suæ quietis excedit. *De Fruct. carnis et spirit.*, cap. 18.

Benignitas est cum quadam splendida morum suavitate diligentis animi fervida conspectio. *Ibid.*

HUGO CARD. Mansuetudo est virtus, quæ disponit cor ad hoc, ut nec injurias, nec verbera, nec contumelias sentiat. Super *Epist. B. Jacobi*, cap. III.

S. JOAN. CL. Mansuetudo est animi immobilis status, inter vituperationes et laudes eodem modo perseverans. *Gradu* 8.

S. LAUREN. JUSTIN. Mansuetudo est suavitas malo cedens, subesse sciens, superiori non resistens, et bonis consentiens. Part. 1, *de Ligno vitæ*, tract. 4, *de Charitate*, cap. 16.

S. THOMAS AQUINAS. Mansuetudo est virtus compescens ab ira, quæ perturbat judicium rationis. Super II *ad Tim.*, cap. 2.

SENECA. Clementia est temperantia animi in potestate ulciscendi. Lib. 2. *de Clement. ad Neronem*, cap. 3.

Clementia est lenitas superioris adversus inferiorem in constituendis pœnis. *Ibid.*

Clementia est inclinatio animi ad lenitatem in pœna exigenda. *Ibid.*

Clementia est, quæ se flectit citra id quod merito constitui posset. *Ibid.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ALBERT. MAGNUS. 1. Mansuetudo vera est, cum propter illatas injurias mens nequaquam exercetur, nec amaritudo cordis exterius indicatur. *De Paradiso animæ*, lib. 1. *de Virtut.*, cap. 19.

S. AMBROS. 2. Quid mihi prodest carere sæcularibus, nisi fuero mitis et mansuetus? Lib. 5, super *Lucam*, cap. 6, in illud : *Beati mites.*

S. AUGUST. 3. Quanto melior, tanto esto mitior. Epist. 54 *ad Macedonium.*

4. Mansuetudo falsa, crudelitas est. Epist. 50 *ad Bonifac.*

5. Mitibus hæreditas data est, tanquam testamentum Patris cum pietate quærentibus. *Serm. Domini in monte*, lib. 1.

6. Mites sunt, qui cedunt improbitatibus, et non resistunt malo, sed vincunt in bono malum. *Ibid.*

S. BERNARD. 7. Sunt aliqui mites, sed quamdiu nihil dicitur vel agitur, nisi pro eorum arbitrio : patebit autem quam longe sint a vera mansuetudine, si levis oriatur occasio. Serm. 4 *Advent.*

8. Triplici velut ariete mansuetudo nostra pulsatur, verborum injuriis, damnis rerum, corporis læsione : in his tribus, omnis exercitatio mansuetudinis existit. Serm. *in Convers. S. Pauli.*

9. Noli abuti clementia, ne potentia opprimaris. Epist. 131. *ad Mediolanenses.*

10. Mansuetudo habet pacem et societatem cum proximo, gratiam et familiaritatem cum Deo, regnum et hæreditatem in cœlo. Tit. 7 *Diætæ*, cap. 2. S. BONAV.

11. Sicut leoni a natura inest crudelitas, sic homini mansuetudo : et qui relicta mansuetudine regitur crudeliter, non est homo, sed bestia silvestris *Ibid.*

12. Mansueti clarius informantur, rarius impugnantur, altius elevantur, amplius venerantur. *Ibid.*, tit. 8, cap. 4.

13. *Audiant mansueti et lætentur.* Non dixit : Lege docti, non jejunantes, non psallentes ; sed, mansueti lætentur, qui charitate præcipua habere rerum omnium temperantiam consueverunt. Super *Psalm.* XXXIII, vers. 2. CASSIODOR.

14. Mansueti mentis soliditate firmissimi sunt, et quamvis pia humilitate curventur, spe futuræ beatitudinis in summitates solidissimas eriguntur. Super *Psalm.* XCXVII, vers. 9.

15. Beatus ac felicissimus verè est vir ille, qui mansuetus est : nam vir mansuetus omnibus operibus bonis decoratur. *Prosec.* S. EPHRÆM.

16. Quamvis afficiatur injuria, lætatur : quamvis rebus adversis prematur, Deo gratias agit.

17. In charitate irascentes placat, increpationes aliorum fortiter tolerat.

18. In pugna tranquillus est, et sub imperio alterius lætus vivit.

19. Non pungitur stimulis superbiæ, in depressionibus lætatur : recte factis non extollitur, nec de iis se jactat.

20. Cum omnibus se pacificum exhibet, superiorum jussis promptus obtemperat.

21. Omnis malitiæ expers est, et a simulatione distat quam longissime, a dolo et invidia alienissimus est. *De Mansuetud.*

22. Perversi nulla flectuntur æquitate, ac mansuetudine. Epist. 77, *ad Olympium.* S.GREG. NA

23. Mansuetudo nulla passione turbatur, et specialiter ira et furore non rumpitur. In *Regula monachorum*, cap. 21, *de Patient.* S. HIERO

24. Mansuetudo pascitur injuriis. Super *Ezech.*, cap. 22. HUGO CA

25. Qui mitis semper ac tranquillus est, nec iracundiæ perturbatione succenditur, nec acediæ atque tristitiæ angore consumitur, nec cenodoxiæ vanitate distenditur, nec superbiæ timore sustollitur. Collat. 12. *Abbat. Chæremonis*, cap. 6. JOAN. CA

26. Bestiæ natura feroces sunt, et præter natu- S. JOAN

CHRYSOST. ram mansuetæ; contra tu homo præter naturam ferox, natura autem mitis : et qui bestiis id quod natura eis inest auferre, et quod earum naturæ adversum inserere potes, id quod natura tibi præstitit, conservare non potes? Homil. 9, super *Gen.*

27. Nihil mansuetudine potentius, nihil illa fortius : illa animam in perpetua tranquillitate, et quasi in portu constituit, et omnis quietis occasio est. *Ibid.*, homil. 34.

28. Nihil animam ita in tranquillitate et quiete esse facit, ut mansuetudo et modestia. *Ibid.*

29. Mansuetudo omni diademate se possidenti est utilior, et omni claritudine et gloria conducibilior. *Ibid.*

30. Hoc certissimum signum est, quo internoscitur vir ratione præditus, si mansuetus fuerit, si lenis, si mitis, si modestus et quietus. *Ibid.*

31. Tantum mansuetudinis et lenitatis est robur, ut hæc sola virtus sufficiat se colentem diligenter ineffabilibus laudibus dignum reddere. *Ibid.*

32. Hæc vere mansuetudo est, non quando quis offensus mansuete fert; sed quando quis ab his, etiam qui inferiores putantur, offensus cedit. *Ibid.*, homil. 52.

33. Ille vere mansuetus est, qui cum nocitus fuerit, non cogitat malum, neque facit. Homil. 9, super *Matth. Oper imperf.* super illud *Matth.* v : *Beati mansueti.*

34. Mansuetudo si non sit propter Deum, stultitia est. *Ibid.*, homil. 37.

35. Mansuetus sibi ipsi dulcis, et aliis est utilis. Homil. 6, super *Acta Apost.*

36. Tantum bonum est mansuetudo, ut ipsa pectora magis quam vehemens severitas extimulet, et plaga feria majore. *Ibid.*, homil. 7.

37. Ex dilectione mansuetudo oritur. Homil. 17, super I *Timoth.*

38. Mitis orphanorum pater est, viduarum præses, paupertatis procurator, injuria affectorum adjutor. *Prosec.*

39. Mitis reverendus est pater pueris, et observandus dominus est servis. Serm. *de Mansuetud.*

40. Mansuetus sua præsentia res turbulentas componit, quietasque ac tranquillas reddit. *Ibid.*

41. Multæ quidem sunt virtutes, quæ christianum decent, maxime autem omnium mansuetudo. *Ibid.*

42. Nihil Deo tam gratum, tam amabile est, quam mitis anima, atque mansueta. Homil. 3 *de Pœnit.*

43. Christi erimus discipuli, si mansueti simus, et mitis ingenii. Homil. 59, super *Joan.*

S. JOAN CL. 44. Mansuetudo est firmamentum patientiæ, charitatis janua, imo vero mater, discretionis argumentum, veniæ ministra, confidentia in oratione, Spiritus sancti diversorium, obedientiæ adjutrix, fraternitatis dux, furentium frænum, irascentium retinaculum, gaudii indultrix, imitatio Christi, angelorum proprietas, dæmonum nexus, amaritudinis clypeus. gradu 24.

45. In cordibus mansuetorum requiescit Deus : anima vero turbulenta, sedes est diaboli. *Ibid.*

46. Mansueta anima, simplicitatis est sedes : mens autem iracunda, nequitiæ est opifex. *Ibid.*

47. Mansuetus est totius charitatis domicilium : is enim difficile ad verba moveri, sed immobilis esse ad iracundiam solet. *Ibid.*, gradu 27.

48. Multa mansuetudo torporis segnitiem gignit. Lib. 3 *de Summo bono*, cap. 34, sent. 4. S.ISID.HISP.

49. Mitis est, qui nulli reddit malum pro malo : læsus veniam petit, et benefacit lædentibus. Serm. 55 *in Festo omn. Sanctorum.* S.PET.DAM.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

50. Mansueta meliora sunt, quam fera. Lib. 1, *Politic.*, cap. 1. ARISTOTEL.

51. Nihil laudabilius, nihil magno et præclaro viro dignius placabilitate atque clementia. Lib. 1, *Offic.* CICERO.

52. Mansuete immansueta tractanda sunt. Lib. 1. *de Ira*, cap. 7. SENECA.

53. Nullam ex omnibus virtutibus magis homini convenire (cum sit nulla humanior) constet, necesse est. Lib. 1, *de Clement.*, cap. 3.

54. Clementia in quamcumque domum pervenerit, eam felicem tranquillamque præstabit. *Ibid.*, cap. 5.

55. Nullum clementia ex omnibus magis quam regem decet. *Ibid.*, cap. 3.

56. Nec promiscuam habere ac vulgarem clementiam oportet, nec abscissam. *Ibid.*, cap. 1.

57. Magna laus est, si homo mansuetus homini est. Epist. 95.

Vide etiam tit. *Correctio*, sent. 105; *Correptio*, sent. 115, 116, 117; *Differentiæ*, sent. 113.

MARIA VIRGO.

Etymologia. Maria, id est, mare, mundans a peccatis, meritis, et precibus suis. Part. 4, tit. 1, *de Spe*, cap. 1, § 5. S.ANTONIN.

Maria dicitur illuminatrix, sive stella maris : genuit enim Lumen mundi. Sermone autem syro Maria, Domina nuncupatur, quia Dominum genuit. Lib. 7 *Etymolog.*, cap. 10. S.ISID.HISP.

Maria interpretatur stella maris, quia sicut per stellam maris navigantes diriguntur ad portum, ita christiani diriguntur per Mariam ad gloriam. *Opuscul.*, opusc. 8, super *Ave Maria.* S. THOMAS AQUINAS.

SENTENTIÆ PATRUM.

B. ALANUS DE RUPE. 1. Ut omnium advocatus est ad Deum Christus, ita mediatrix ad Christum est Maria. Part. 1. in *Apologia*, cap. 6.

2. Opus divinæ clementiæ positum est ad plenum in manus Mariæ. Part. 4, serm. 1, cap. 24, *ex* LIII *Hom.*

3. Signum sit tibi probabilissimum æternæ salutis, si perseveranter in dies Mariam in suo Psalterio salutaveris. *Ibid.*

S. AMBROS. 4. Quid nobilius Dei matre? quid splendidius ea, quam splendor elegit? quid castius ea, quæ corpus sine corporis contagione generavit? *Prosec.*

5. Nam de cæteris ejus virtutibus quid loquar? Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum.

6. Corde humilis, verbis gravis, animo prudens, loquendi parcior, legendi studiosior.

7. Quandonam ista vel vultu læsit parentes? quando dissensit propinquis? quando fastidivit humilem? quando derisit debilem? quando vitavit inopem?

8. Eos solos solita erat cœtus virorum invisere, quos misericordia non erubesceret, neque præteriret verecundia.

9. Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum.

10. Non gestus fractior, non incesssus solutior, non vox petulantior. Lib. 2, *de Virgin.*

11. Sic Maria intendebat omnibus, quasi a pluribus moneretur : sic implebat omnia virtutis officia, ut non tam disceret, quam doceret. *Ibid.*

12. Talis fuit Maria ut ejus unius vita omnium disciplina sit : hæc est enim imago virginitatis. *Ibid.*

13. O quantæ in beata Virgine species virtutum emicant! secretum verecundiæ, vexillum fidei, devotionis obsequium : Virgo intra domum, comes ad ministerium, mater ad templum. *Ibid.*

14. Disce virginem moribus, disce virginem verecundia, disce virginem oraculo, disce mysterio. *Prosec.*

15. Discant mulieres propositum pudoris imitari; sola in penetralibus, quam nemo virorum videret, solus angelus reperiret : sola sine comite, sola sine teste, ne quo degenere depravaretur affatu, ab angelo salutatur.

16. Disce, virgo, verborum vitare lasciviam; Mariam etiam salutationem angeli verebatur. Lib. 2, super *Luc.*, cap. I, in illud : *Et ingressus ad eam Angelus.*

17. *Exurgens Maria*, etc. Non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, nec quasi dubitans de exemplo : sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festina pro gaudio, in montana perrexit. *Prosec.*

18. Quo enim jam Deo plena, nisi ad superiora cum festatione contenderet? Nescit tarda molimina Sancti Spiritus gratia. *Ibid.*, in illud : *Exurgens Maria.*

19. Discite, virgines, non circumcursare per alienas ædes, non demorari in plateis, non aliquos in publico miscere sermones : Maria in domo sera, festina in publico. *Ibid.*

20. Didicistis, virgines, pudorem Mariæ? discite humilitatem. Venit propinqua ad proximam, junior ad seniorem : nec solum venit, sed etiam prior salutavit. Sit magistra humilitatis, in qua est professio castitatis. *Ibid.*

21. Per portam orientalem beata Virgo Maria figuratur, quæ clausa ante ingressum Christi semper extitit : et post egressum ejus clausa in ævum permansit. Super *Apocal.*, cap. XXI, in illud : *Habentem portas duodecim.*

22. Quidquid crudelitatis inflictum est corporibus martyrum, leve fuit, aut potius nihil, comparatione passionis Mariæ; quæ nimirum sua immensitate transfixit cuncta penetralia ejus, suique benignissimi cordis intima. *De Excellent. Virg. Mariæ*, cap. 5. S. ANSELM.

23. *Invocato nomine Mariæ* : et si merita invocantis non merentur ut exaudiatur, merita tamen Matris intercedunt, ut exaudiatur. *Ibid.*, cap. 6.

24. O benedicta super mulieres, quæ angelos vincis puritate, sanctos superas pietate. In *Invocat. Matris*. V. M.

25. Fugiat reus justi Dei ad piam Matrem miricordis Dei, refugiatque reus offensæ Matris ad pium Filium benignæ matris, ingerat se reus utriusque inter utrumque. *Ibid.*

26. Scio beatam virginem magis propter peccatores, quam propter justos esse factam Dei Matrem. *De Excellent. beatæ Virginis*, cap. 1.

27. Totam Mariam excanduerat divinus amor, ardor continuus, et ebrietas perfusi amoris, ut nihil esset in ea quod mundanus violaret affectus. Part. 3, tit. 31, cap. 3, § 2. S. ANTON.

28. Maria ipsa sola mater est et virgo, et primiceria, et speculum virginum, quæ utique possidet, aureolam virginitatis : quia et si non habuit a carne pugnam (propter cujus victoriam plena datur aureola) habuit tamen ab hoste, cujus caput contrivit sola. Part. 3, tit. 2, cap. 1, in principio.

29. Virgo Maria, quia humillima semper fuit, ideo plena gratia, et consolatione cœlesti. Part. 3, tit. 16, cap. 10, § 5.

30. Eva fœmina mater fuit cunctorum in terra

viventium : beata autem virgo mater est omnium in cœlum ascendentium. Part. 3, tit. 31, cap. 1, § 1.

31. Matrimonium replet terram, virginitas Mariæ replet cœlum. *Ibid.*

32. Sicut cedrus in Libano, est altior omni arbore : ita Virgo sublimior est omni angelo. *Ibid.*, cap. 3, § 3.

33. Quid dicam, beata Virgo? cum de te quidquid dixero, minor est laus tua, quam dignitas tua meretur. *Prosec.*

34. Si cœlum te vocem, altior es : si matrem gentium dicant, præcedis : si formam Dei apellem, digna existis : si Dominam Angelorum vocem, per omnia esse probaris. *Ibid.*, cap. 1, § 1.

35. Beata Virgo Maria cum gratia repletur, cum Spiritu sancto perfunditur, cum virtute Altissimi obumbratur, fit pretiosior meritis, celsis sublimior fastigiis, pulchrior sanctitate, gloriosor suorum meritorum prærogativis : ita ut nullis sit usibus jam mancipanda, nisi divinis. *Ibid.*

36. O dilectissimi! quis laudes beatissimæ Virginis digne decantare valeat? *Prosec.*

37. Facta est enim Maria, janua cœlorum, sublimatio apostolorum, laus martyrum, jubilatio confessorum, gloria viduarum, gaudium angelorum, requies animarum. *Ibid.* cap. 4, § 1.

38. Facta est Maria, salus morum, mors criminum, vita virtutum, virtus pugnantium, palma victorum.

39. Facta est Maria excelsa super sidera, sanctior super omnes feminas, cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.

40. O quot sententias terribilium flagellorum quæ meruit mundus propter peccata sua, hæc sanctissima Virgo misericorditer revocavit. *Ibid.*, cap. 1, § 1.

41. Beata Virgo Maria est mundatrix vitiorum, mediatrix hominum, ablutrix criminum, peccatorum venia, reparatrix Angelorum, juvatrix miserorum, sublevatrix omnium, illuminatrix supernorum. Part. 1, tit. VII, *de Spe*, cap. 1, § 5.

42. Quinque sunt litteræ nominis Mariæ, quæ hæc signant :

M. Mater universorum;

A. Arca thesaurorum;

R. Regina Cœlorum, vel Regula viatorum;

I. Jaculum inimicorum;

A. Advocata peccatorum. Parte 1, tit. 15, cap. 11, § 3.

UGUST 43. Integra fide credendum est beatam Mariam Dei Christi Matrem, et virginem concepisse, et virginem genuisse, et post partum virginem permansisse. In *Enchiridio*, cap. 69.

44. Beatior Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi : sic et materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi felicius Christum corde, quam carne gestasset. *De S. Virginit.*, cap. 3.

45. *Quomodo*, inquit Maria, *fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Quod profecto non diceret, nisi Deo virginem se ante vovisset. Sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro justo, non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro quod illa jam voverat. *Ibid.*, cap. 4.

46. Sola Maria et spiritu et corpore, et mater et virgo, et Mater Christi, et Virgo Christi est. *Ibid.*, cap. 6.

47. Eva inobediens meruit pœnam, Maria obediendo consecuta est gratiam : illa gustavit prohibitum maledicta, hæc credens angelo est benedicta : illa nobis mortem contulit, hæc vitam nobis peperit. *De Quinque hæresibus*, cap. 5.

48. Maria ministra Christi spiritalium operum qualitatibus, sicut devotissima extitit, ita absque dubio religionis fide, id est, veræ credulitatis charitate secutrix fuit. *De Assumpt. Mariæ*, cap. 7.

49. Quantum Christi potestas possit, mundi ostendit universitas : quantum gratia, Mariæ monstrat integritas. *Ibid.*, cap. 4.

50. Non immerito excipitur Maria a quibusdam generalibus vera æstimatione, quam tanta servat gratia, et attollit dignitatis prærogativa. *Ibid.*

51. Si merito Mariæ viventi præ omnibus donata est gratia, non erit mortuæ minuenda : quia si omnium Sanctorum mors est pretiosa, Mariæ sane est pretiosissima, quam tanta comitata est gratia, ut Mater Dei dicatur et sit. *Ibid.*, cap. 7.

52. Porta clausa, signaculum est pudoris, et immaculatæ carnis, Virginis Mariæ integritas : non enim est violata partu, quæ magis est sanctificata conceptu. Serm. 2, *de Nativ.*

53. O mira et laudabilis inter fœminas! in qua ab angelo salutatur virginitas, sola imprægnata, nec vitiata : exonerata, nec vacuata; quia sic est ab angelo salutata : *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum.* Serm. 14, *de Nativ.*

54. Magnum meritum virginitatis! Virginitas Mariæ angeli salutatione est imprægnata; et prægnans Mariæ virginitas, de utero in utero est salutata : et generans virginitas Mariæ, ab angelis est collaudata : et lactans virginitas Mariæ per stellam de cœlo est indicata, et Magorum muneribus est honorata. *Ibid.*

55. *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum.* Tecum Dominus in corde, tecum in ventre, tecum in utero, tecum in auxilio. Serm. 2, *Annunt. B. Mariæ.*

56. Auctrix peccat Eva, auctrix meriti Maria :

Eva occidendo obfuit, Maria vivificando profuit? *Ibid.*

57. Tu es spes, Maria, unica peccatorum, per te speramus veniam delictorum, et in te beatissima nostrorum est expectatio præmiorum. *Ibid.*

58. O beata Maria! quis tibi digne valeat jura gratiarum, ac laudum præconia rependere, quæ singulari tuo assensu mundo succurristi perdito? *Ibid.*

59. O vere beata Mariæ humilitas! quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cœlos innovavit, mundum purificavit, paradisum aperuit, et hominum animas ab inferis liberavit. *Prosec.*

60. O vere gloriosa Mariæ humilitas, quæ porta paradisi efficitur, scala cœli constituitur, per quam Deus descendit ad terras. Serm. 1, *de Assumpt. B. M.*

S. BASILIUS SELEUCENS. 61. Non dubium est Mariam, quæ meruit pro liberandis proferre pretium, posse plus omnibus liberatis impendere suffragium. *Ibid.*

62. O Virgo sanctissima, de qua qui cum laude graviterque dixerit : non ille quidem a veritate aberrabit, sed pro merito haud fecerit satis. Orat. 29.

V. BEDA. 63. Jure beata Maria angelico aspectu simul et affatu meruit perfrui, quæ angelicam studebat vitam imitari. Hom. *in Festo Annunt. B. M.* in illud : *Et ingressus angelus.*

64. O vere gratiosa et venerabilis, o vere gloriosa et admirabilis salutatio! quanto humanæ consuetudini inaudita, tanto beatæ Mariæ dignitati est congrua. *Ibid.*

S.BERNARD. 65. O Virgo virga sublimis, o vere cœlestis planta, pretiosior cunctis, sanctior universis. Serm. 2 *Advent.*

66. Per te, Maria, accessum habemus ad filium, o benedicta inventrix gratiæ, genitrix vitæ, mater salutis, ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. *Ibid.*

67. Felix Maria, cui nec humilitas defuit, nec virginitas, et quidem singularis virginitas, quam non temeravit, sed honoravit fœcunditas : et nihilominus specialis humilitas, quam non abstulit, sed extulit fœcunda virginitas, et incomparabilis prorsus fœcunditas, quam virginitas simul comitatur et humilitas. Hom. 1, super *Missus.*

68. O admirandam, et omni honore dignissimam virginem! virginem carne, virginem mente, virginem professione. *Prosec.*

69. O fœminam singulariter venerandam, super omnes fœminas admirabilem, parentum reparatricem, posterorum vivificatricem. *Ibid.*, hom. 2.

70. Quisquis te intelligis hujus sæculi profluvio magis inter procellas et tempestates fluctuare, quam per terram ambulare, ne avertas oculos a fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis. *Prosec.*

71. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum : respice stellam, voca Mariam.

72. Si jactaris superbiæ undis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis; respice stellam, voca Mariam.

73. Si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra naviculam concusserit mentis, respice ad Mariam.

74. Si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, judicii horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso : cogita Mariam.

75. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca : non recedat ab ore, non recedat a corde, et ut impetres ejus orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum.

76. Mariam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras; ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia pervenis. *Ibid.*

77. O pia Virgo, non immerito ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, salus denique universorum. *Ibid.*, homil. 4.

78. Sicut origo fontium et fluminum mare est, ita virtutum auctrix, et scientiarum scientia sanctarum, Maria. Serm. 1, super *Salve Regina.*

79. Sicut sol universa cœli lumina præcellit prærogativa claritatis eximiæ, sic Maria totam rationalem creaturam, post Filium, præcellit splendore virtutis. *Ibid.*

80. Juste Maria Regina mundi et Regina cœli dicitur, per quam utriusque Creator et Rector generatur. *Ibid.*

81. Maria Regina est misericordiæ, Domina mundi, Regina cœlorum, Virgo virginum, Sancta sanctorum, lumen cæcorum, justorum gloria, peccatorum venia, desperatorum reparatio, deficientium fortitudo, salus orbis, speculum totius integritatis. *Ibid.*

82. Tu es ager plenus, o Maria, plena virtutum, plena gratiarum. *Ibid.*, serm. 4.

83. Nihil est virtutis quod ex te, Maria, non resplendeat : et quiquid singuli habuere Sancti, tu sola possedisti. *Ibid.*

84. Laudamus virginitatem Mariæ, humilitatem miramur : sed misericordia miseris sapit dulcius, misericordiam amplectimur charius, recordamur sæpius, crebrius invocamus. Serm. 4 *Assumpt.*

RNARD. 85. Per te, Maria, cœlum repletum est: infernus evacuatus est, instauratæ ruinæ cœlestis Hierusalem, expectantibus miseris vita perdita data. Serm. 4. *Assumpt.*

86. Sit pietatis tuæ, ô Maria, ipsum quam apud Deum gratiam invenisti, notam facere mundo : reis veniam, medelam ægris, pusillis corde robur afflictis consolationem, periclitantibus adjutorium et liberationem, sanctis tuis precibus obtinendo. *Ibid.*

87. Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas ? nihil austerum in ea, nihil terribile : tota suavis est, tota plena pietatis et gratiæ, plena mansuetudinis et misericordiæ. *Prosec.*

88. Revolve diligentius evangelicæ historiæ seriem universam, et si quid forte increpatorium, si quid durum, si quod denique signum vel tenuis indignationis in Maria occurrerit, de cætero suspectam habeas, et accedere verearis. Serm. *B. M. de Verb Apost.*

89. Maria omnibus misericordiæ sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi : captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, Filii persona carnis humanæ substantiam, ut non sit qui se abscondat a calore ejus. *Ibid.*

90. Maria omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitates amplissimo quodam miseratur affectu. *Ibid.*

91. Speciali quodam splendore in Maria coruscant, mansuetudo pudoris, devotio humilitatis, magnanimitas credulitatis, martyrium cordis. *Ibid.*

92. Maria in omnibus et per omnia providens miseris, trepidationem nostram solatur, fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem. Serm. *de Nativ. B. M.*

93. Deus totius boni plenitudinem posuit in Maria, ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus redundare. *Ibid.*

94. Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, ubi dies ? tolle Mariam hanc maris stellam, maris utique magni et spatiosi : quid nisi caligo involvens, et umbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquntur ? *Ibid.*

95. Advocatum habere vis ad Christum ? ad Mariam recurre : exaudiet utique matrem Filius. *Ibid.*

96. Fuit beata Virgo Maria fortis in proposito, temperans in silentio, prudens in interrogatione, justa in confessione. Serm. 9, *de Parvis sermonibus.*

97. Mariæ præsentia totus inlustratur orbis, adeo ut ipsa jam cœlestis patria clarius rutilet virgineæ lampadis irradiata fulgore. Serm. 1, *Assumpt. B. M.*

98. Tria nobis contulit Mariæ fœcunditas : avertit jugum captivatis antiquæ; remisit iram indignationis divinæ; delevit notam iniquitatis humanæ. In suis *Sentent.*, cap. *Tria.*

99. Auctor mirabilium Deus, tria quædam mirabilia operatus est in Maria : integritatem munditie mirabiliter suscitavit ; ut arca testamenti auro purissimo tegeretur, puritatem virgineam potentialiter fœcundavit; ut rubus ardens non combureretur ima supernis ineffabiliter copulavit : ut scala Jacob mediante, terrena cœlestibus unirentur. In suis *Sentent.*, cap. *Auth.*

100. Mariam advocatam præmisit peregrinatio nostra, quæ tanquam judicis mater, et mater misericordiæ, suppliciter et efficaciter salutis nostræ negotia pertractabit. Serm. 1, *Assumpt. B. M.*

101. Quantum in terris Maria adepta est præ cæteris, tantum est in cœlis obtinet gloriæ singularis. *Ibid.*

102. Felix plane Maria, et multipliciter felix, sive cum excipit Salvatorem, sive cum a Salvatore suscipitur ; utrobique mira dignitas Virginis matris, utrobique amplectenda dignatio majestatis. *Ibid.*

103. Unum in quo nec primam similem visa est; nec habere sequentem, gaudia matris habens cum virginitatis honore, Mariæ privilegium est ; non dabitur alteri : singulare est, sed etiam indicibile invenitur. *Ibid.*, serm. 4.

104. Non in sola Mariæ taciturnitate commendatur ejus humilitas, sed evidentius resonat in sermone, quia nihil aliud quam ancillam Dei se esse fatetur. Serm. *Beatæ Mariæ de Verbis Apocal.*

105. Exaudiet Matrem Filius, et exaudiet Filium Pater : Filioli, hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ. Quid enim ? potestne filius aut repellere, aut sustinere repulsam ? non audire, aut non audiri filius potest ? neutrum plane. *Invenisti*, ait angelus, *gratiam apud Deum*, et sola est gratia, qua egemus. Serm. *Nativ. B. M. de Aquæductu.*

106. Modicum istud quod offerre desideras, gratissimis illis, et omni acceptione dignissimis Mariæ manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam. *Ibid.*

107. A Domina nostra rei habent veniam, justi gratiam, angeli lætitiam. In suis *Sent.* verbo *A Domina.*

108. Fuit procul dubio Mater Domini ante sancta quam nata : nec fallitur omnino sancta Ecclesia, sanctum reputans ipsum Nativitatis ejus diem. Epist. 174, *ad Canonicos Lugdunenses.*

109. Fuit Maria mundissima carne, humillima corde, devotissima mente. Serm. *de B. Virg. Maria.*

110. O pia, ô magna, ô multum amabilis Maria! tu nec nominari quidem potes, quin accendas, nec cogitari quin recrees affectus diligentium te. In *Deprecat. ad V. Mariam.*

111. Peccatorem quantumlibet fœtidum, non horres, non despicis, si ad te suspiraverit, tuumque interventum pœnitenti corde flagitaverit. *Prosecutio.*

112. Tu peccatorem a desperationis barathro pia manu retrahis, spei medicamine foves : non despicis quousque horrendo judici miserum reconcilies. In *Deprecat. sua ad B. Mariam.*

113. Quidquid illud quod offerre paras, Mariæ commendare memento, si non vis sustinere repulsam. Lib. 11 *Florum,* cap. 6.

114. Sileat misericordiam tuam, Virgo beata, si quis est, qui invocatam te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse. Serm. 4, *in Assumpt. B. M.*

115. Maria est omnibus amabilis, omnibus affabilis, omnibus delectabilis, sedes sapientiæ, fluvius clementiæ, radius deitatis, solatium miserorum, refugium expulsorum, liberatio captivorum, regina bellatorum, domina universorum. *Medit. super Salve Regina.*

116. Maria clemens est indigentibus, pia exorantibus, dulcis diligentibus. *Prosec.*

117. Clemens pœnitentibus, pia proficientibus, dulcis contemplantibus.

118. Clemens liberando, pia largiendo, dulcis se donando.

119. Clemens consolando, pia blandiendo, dulcis osculando.

120. Clemens subjectis, pia jam correctis, dulcis prædilectis.

S. BONAV. 121. Beata Virgo Maria doctrix Apostolorum est, et Evangelistarum. Serm. 9, *in Hexam.*

122. Fuit Virgo Maria, beata propter meritum castitatis; beatior propter consilium virginitatis, beatissima propter privilegium fœcunditatis. Super *Luc.* cap. 1, in illud; *Beatam me dicent.*

123. Virgo Maria exaltata est super choros angelorum, nullam puram creaturam habens superiorem, nec etiam æqualem. *Ibid.* cap. 7, in illud : *Nullus major.*

124. Maria non tantum beata fuit, quia Christum gestavit in carne, verum etiam beatior, quia ipsum perfectissime gestavit in mente. *Ibid.* cap. 11, in illud; *Beatus venter.*

125. Beata Maria in animo martyri Filio commartyr astabat, vulnerato convulnerata, crucifixo concrucifixa, gladiato congladiata. Serm. 1 *Dom. infra octav. Epiph.*

126. Sicut in comparatione Dei, bonus nemo : sic comparatione Matris Domini, nulla invenitur perfecta, quantumcumque virtutibus eximia comprobetur. Super *Lucam.* cap. 10.

127. Quando misereri non poterit Mater omnipotentiæ? quando misereri noluerit Regina misericordiæ? Tota est dulcis, tota suavis, tota misericors, omnibus offerens lac et lanam. Serm. 2, *de B. V. M.*

128. Beata Virgo Maria auxiliatrix et amatrix est omnium fidelium suorum laudatorum. Super lib. 3 *Sent.* dist. 3, part. 1, art. 1, quæst. 1.

129. Ex hoc quod Virgo Maria effecta est Dei Mater, est effecta Mater omnium creaturarum. *Ibid.* dist. 9, part. 1, art. 1, quæst. 3, argum. 2.

130. Beatissima Virgo Maria Mater fuit complectissimo modo, ipsum Dei Filium concipiendo absque viro, fœcundante Spiritu sancto. In *Breviloq.*, part. 4, cap. 3.

131. Mariam salutans Angelus, non solum plenam gratia, sed adhuc superventurum in eam asseruit Spiritum sanctum : ad quid, nisi ut adveniente jam Spiritu, plena sibi, eodem superveniente, nobis quoque superplena, et super effluens fieret? Lib. 1 *Pharetræ,* cap. 5.

132. O Fœmina mirabiliter singularis, et singulariter mirabilis, per quam elementa renovantur, inferna remediantur, homines salvantur, angeli reintegrantur! *Prosec.*

133. O fœmina plena et superplena gratia, de cujus plenitudinis exundantia respersa sic reviviscit omnis creatura! *Ibid.*

134. O virgo benedicta, per cujus benedictionem benedicitur omnis creatura : non solum creatura a Creatore, sed etiam Creator a creatura. *Ibid.*

135. Innocentissima et sanctissima Maria corde fuit absque væ, ore absque væ, opere absque væ, et ideo dictum est ei, Ave. In *Speculo* B. M. V, lect. 2.

136. Hoc nomen Maria sanctissimum, nomen dulcissimum, nomen dignissimum, tam sanctissimæ, tam dulcissimæ, tam dignissimæ Virgini convenientissime impositum est. *Ibid.*, lect. 3.

137. Interpretatur Maria, amarum mare ; Maria, stella maris; Maria, illuminata vel illuminatrix; Maria, domina; Maria amarum est mare dæmonibus; stella maris, hominibus; illuminata, vel illuminatrix, angelicis spiritibus; domina, creaturis omnibus. *Ibid.*

138. Omnia flumina intrant in mare, dum omnia charismata sanctorum intrant in Mariam. *Prosecutio.*

139. Flumen gratiæ angelorum intrat in Mariam, et flumen gratiæ patriarcharum et prophetarum intrat in Mariam.

140. Flumen gratiæ apostolorum intrat in Mariam, et flumen gratiæ martyrum intrat in Mariam.

141. Flumen gratiæ confessorum intrat in Mariam, et flumen gratiæ virginum intrat in Mariam : omnia flumina intrant in mare.

142. Quid mirum, si omnis gratia in Mariam confluxit, per quam tanta gratia ad omnes defluxit ? *Ibid.*

143. Maria est stella purissima, stella radiosissima, stella utilissima : stella purissima, purissime vivendo ; stella radiosissima, radium æternum pariendo ; stella utilissima, ad littus patriæ dirigendo. *Ibid.*

144. Maria Domini est filia nobilissima, mater dignissima, sponsa venustissima, ancilla devotissima. *Ibid.*, lect. 10.

145. Maria in domo Dei plantata, et impinguata Spiritu Sancto, ut oliva fructifera, omnis virtutis habitaculum facta est. Lib. *Pharetræ*, cap. 5.

146. Sicut, o beatissima, omnis a te aversus, et a te despectus, necesse est ut intereat : ita ad te omnis conversus, et a te respectus, impossibile est ut pereat. *Ibid.*

147. Maria est solatium miserorum, refugium expulsorum, liberatio captivorum, medicina infirmorum, mater parvulorum, sponsa adultorum, regina bellatorum, domina universorum. In *Stimulo amor*, part. 3, cap. 19.

S. CYPRIAN. 148. Mariæ proprium privilegium, quod nulla mulierum, nec ante, nec deinceps meruit obtinere : quia simul Mater et Virgo singulis titulis est insignita. *De Nativit. Christi*, cap. 2.

DIONYSIUS CARTHUS. 149. Quanto beatissima Virgo Maria cæteris sanctis universis perfectior, sanctior, major et dignior est : tanto illis amabilior, honorabilior, suaviorque consistit. Super *hymn. B. V. M. ad vesperas.*

150. Maria est regina cœlorum, mater regis angelorum, mundi domina, imperatrix totius orbis gloriosissima, peccatorum advocata, reorum reconciliatrix, miserorum consolatrix. *De Perfect. charit.*, art. 31.

GLOSS. ORD. 151. Mulier a diabolo seducta, mortem intulit : contra, mulier ab angelo edocta, salutem edidit. Sup. *Luc.* cap. 1.

S. GREGOR. MAGNUS. 152. Maria dignitate electionis suæ transcendit electarum creaturarum altitudinem. Lib. I, in I *Regum*, cap. I. *Allegoricæ exposit.* super illud; *Fuit vir unus de Ramathaim Sophim.*

S. HIERON. 153. Nulli dubium est, quin totum ad gloriam laudis Christi pertineat, quidquid digne genitrici suæ impensum fuerit. Epist. 10, *ad Paulam et Eustochium, de Assumpt. B. M.*

154. Beatam et gloriosam virginem Mariam digne laudare nequeo, quoniam quidquid humanis dici potest verbis, minus est a laude ejus : qua divinis est et angelicis excellentius prædicata, et laudata præconiis. *Prosec.*

155. A prophetis prænuntiata, a patriarchis figuris et ænigmatibus præsignata, ab Evangelistis exhibita et monstrata, ab angelo venerabiliter atque officiosissime salutata.

156. Talibus decebat Virginem oppignorari muneribus, ut esset gratia plena : quæ dedit cœlis gloriam terris Dominum, pacemque refudit ; fidem gentibus, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus disciplinam.

157. Et bene angelus ad Virginem Mariam mittitur, quia semper est angelis cognata virginitas.

158. In carne angelicam vitam acquirere, majus est meritum quam habere.

159. Cæteris per partes præstatur, Mariæ vero simul se tota infudit plenitudo gratiæ. *Ibid.*

160. Quod natura non habuit, usus nescivit, ignoravit ratio, mens non capit humana ; pavet cœlum, stupet terra, creatura omnis etiam cœlestis miratur. Hoc totum est, quod per Gabrielem Mariæ divinitus nuntiatur, et per Christum adimpletur. *Ibid.*

161. Sicut beata Maria incomparabilis est Virginibus cœteris, ita incomparabilis est omnium sanctorum festivitatibus, et admiranda etiam angelicis virtutibus. *Ibid.*

162. Maria quia mente passa est, plusquàm martyr fuit : nimirum quod ejus dilectio amplius fortis, quam mors fuit, quia mortem Christi suam fecit. *Ibid.*

163. Si diligentius aspicias, nihil virtutis est, nihil speciositatis, nihil candoris gloriæque, quod in Maria non resplendeat. *Ibid.*

164. Maria cunctis tanto venerabilior, quanto gratiosior, et quanto virtute Altissimi extollitur ad sublimia, tanto clarior resultat in gloria. *Ibid;*

165. Plena gratia, plena Deo, plena virtutibus, non potest non possidere plene gloriam claritatis æternæ, quam plenissime accepit, ut Mater fieret Salvatoris. *Ibid.*

166. Maria omnibus exemplum est castitatis, in qua velut in speculo refulget forma virtutis. *Ibid.*

167. Quid nobilius Matre Domini? quid splendidius ea, quam splendor elegit paternæ gloriæ? quid ea castius, quæ corpus Christi sine contagione corporis generavit? *Ibid.*

168. Nunquam beata Virgo Maria sine pudoris sui custode processit. *Ibid.*

169. Mariæ vita omnium est disciplina, cujus mores instituta sunt Ecclesiarum : quæ præcellit cunctos, supereminet universis, et in ea magisteria sunt probitatis expressa. *Ibid.*

170. Sicut in comparatione Dei nemo bonus, ita et in comparatione Matris Domini nulla fæminarum invenitur perfecta, quamvis virtutibus eximiis comprobetur. *Ibid.*

171. Maria, virgo extitit ante conjugium, virgo in conjugio, virgo prægnans, virgo pariens, virgo lactans : et dicta est merito Mater, non de marito, Epist. 11, *de Assumpt. B. M.*

172. Beata Maria tantæ extitit puritatis, ut mater Domini esse mereretur. Habet. in *Glossa ord.* sup. *Epist. ad Rom.*, cap. v, in illud : *In omnes homines mors pertransiit.*

HUGO A S. VICTORE. 173. Beata Virgo pauper fuit, humilis, obediens, quieta, modesta, simplex, et sapiens. Lib. 4, *de Propriet. rerum*, cap. 2.

174. Beata Virgo Maria, vere aurora clarissima est, quæ suo magnifico jubare præcedentium Patrum claritatem minoravit : sane quæcumque in Scripturis, vel in creaturis sunt laudabilia. ejus sunt laudi convenientia. Serm. 34, *de Diversis.*

175. Habuit beatissima Virgo non solum intus sanctitatem ad conscientiam, sed et foris sanctitatis opinionem ad famam. Serm. 46, *in Diversis de Assmpt. B. M.*

176. Sicut ergo est aurora veræ lucis præventione, sic est flos pulchritudine, favus dulcedine. viola humilitate, rosa charitate vel compassione, lilium suavitate, vitis fructificatione, quodlibet aroma bona opinione, castrum securitate, murus vel turris fortitudine, clypeus aut propugnaculum defensione, columna rectitudine, sponsa fide, amica dilectione, mater fœcunditate, virgo integritate, domina dignitate, regina majestate, ovis innocentia, agna munditia, columba simplicitate, turtur castitate, munda et mansueta conversatione, nubes protectione, stella cujus libet virtutis aut boni operis inchoatione, luna ejusdem augmentatione, sol consummatione, cœlestis denique paradisus cœlestis boni plenitudine. Serm. 34 *de Divers.*

177. Maria Virgo Virginum, singularis integritate, unica castitate, excellens dignitate. *De B. Mariæ virginit. perpetua*, cap. 1.

178. Tria contulit Mariæ fœcunditas : avertit jugum captivitatis antiquæ : remisit iram indignationis divinæ; delevit notam iniquitatis humanæ. Lib. 4 *Miscellan.*, codic. 2. tit. 135.

179. Quid tibi negabitur, ô Maria, quæ Theophilum de ipsis faucibus diaboli eruisti? *Prosec.*

180. Quomodo illa potestas tuæ potentiæ poterit obsistere, quæ de carne tua carnis suscepit originem?

181. Accedis ad illud reconciliationis altare, non solum rogans, sed et imperans : in manibus tuis sunt thesauri misericordiæ Dei, absit ut cesset manus tua.

182. Neque enim tua gloria minuitur, sed augetur : cum pœnitentes ad veniam justificati assumuntur ad gloriam. Lib. 3 *Miscellan.*, codio. 2, tit. 44.

183. O Virgo gratiosa, totum nobis quodammodo est a te; et per illum nobis est, qui natus est ex te. Collat. 3 *de Verbo incarnato.*

184. Virgo Maria exemplar ct humilitatis, decus castitatis, fons charitatis. Super *Ecclesiastic.*, cap. 24. HUGO CARD.

185. Beata Virgo fuit, et pia, et benigna, et modesta, et casta : pia in opere, benigna in corde, modesta in sermone, casta in corpore, et in mente. *Ibid.*, cap. 26.

186. Beata virgo de virginitate accepit integritatem, et sterilitatem reliquit : de matre fœcunditatem, et fœditatem reliquit. Et facta est mater integra, et virgo fœcunda : mater sine fœditate, virgo sine sterilitate. Super *Isai.*, cap. XLVII.

187. Maria Virgo assimilatur stellæ : primo, quia cum magna esset ad modum stellæ, modica apparebat per humilitatem ; secundo, sicut stella de nocte lucet, sic B. Virgo his lucet, qui sunt in tenebris; tertio, in hoc quod naufragantes hujus mundi ad portum salutis dirigit; quarto, quia ad modum stella radios ex se profert bonorum exemplorum. Sup. *Luc.*, cap. I.

188. Maria amarum est mare : quia aqua ejus salsa est, et ideo sitim provocat. *Ibid.* IDIOTA.

189. Tua species, Virgo Maria, fuit in corporis castitate, in conscientiæ puritate, in exteriori conversatione, in divinorum contemplatione. In *Contemplat. V. M.*, cap. 3.

190. Per te, ô super benedicta Virgo Maria, innocentia reparatur, vita angelica reducitur Deus homini pacificatur et unitur, diabolus vincitur et conteritur. *Ibid.*

191. Tantæ virtutis et excellentiæ est tuum sanctissimum nomen, beatissima Virgo, quod ad invocationem ipsius cœlum ridet, terra lætatur, angeli congaudent, dæmones contremiscunt, et infernus conturbatur. *Ibid.*, cap. 5.

192. Tanto pretiosior præ cunctis et sublimior B. Virgo, quanto et gratia gloriosor refulsit. Serm. 3, *de Assumpt. B. M.* S. ILDEPH.

193. Virginitas et vita B. Mariæ, speculum et species fuit totius castitatis : et integritas virtutum, decus pudicitiæ, et magisterium valde eximium probitatis. *Ibid.*

194. De propagine carnis, nulla nobilior Dei matre refulsit, nulla splendidior ea processit. *Ibid,*

195. Sancta Maria semper virgo fuit, virgo permansit, virgo ante partum, virgo in partu, et virgo post partum. *Prosec.*

196. Concepit, et virgo est : generat, et virgo est : lactat, et virgo est.

197. Mater quippe esse potuit B. Maria, mulier esse potuit : magnum mysterium, magnum donum, magna gratia. *Ibid.*, serm. 1, *de Nat. B. M.*

198. Ipsa Maria virgo extitit ante conjugium; virgo in conjugio, virgo prægnans, virgo pariens, virgo lactans : et data marito, et mater non de marito. *Ibid.*, serm. 2.

S. INNOC. III 199. Virgo Dei Genitrix virga est recta, erecta, procera, fragilis, gracilis, flexibilis, frondosa, florigera, fructifera : recta per justitiam, erecta per devotionem, procera per longanimitatem, fragilis per abjectionem sui, gracilis per humilitatem, flexibilis per mansuetudinem, frondosa per sanctissisimam conversationem, florigera per virginalem Conceptionem, fructifera per partum vitæ æternæ : recta per fidem, erecta per spem, procera per charitatem, fragilis per pudorem, gracilis per despectionem mundi, flexibilis per compassionem proximi, frondosa per bonorum operum excutionem, florigera per gloriam virginitatis, fructifera per prærogativam fœcunditatis. In *Encomio B. M.*

200. Quicumque sentit impugnationem ab hostibus, vel a mundo, vel a carne, vel a dæmone, respiciat castrorum aciem ordinatam, deprecetur Mariam. Serm. 2, *de Assumpt. B. M.*

S. JOANNES CHRYSOST. 201. Evam serpens seduxit, Maria Gabrieli consensit : sed seductio Evæ attulit mortem, consensus Mariæ peperit vitam. Serm. *de Genesi.*

202. Per Mariam effectus est homo ex reo judex, ex abjecto filius, ex hoste amicus, ex alieno proximus, ex mortuo suscitatus. *Ibid.*

203. Maria comessatrix, aut vinolenta numquam fuit : quoniam omnis mulier, quæ vinolenta est et comessatrix, meretrix est. Homil. 1, super *Matthæum, Oper. imperf.*

204. Maria non levis fuit, non jocosa, non cantatrix, non turpium verborum amatrix, sicut solent plerumque puellæ quæ libenter talia aut loquuntur, aut audiunt : non super virum oculos suos extulit, nec infixit aspectum. *Ibid.*

205. O inæstimabilis laus Mariæ! magis Joseph credebat castitati quam ejus utero, plus gratiæ quam naturæ : conceptionem manifeste videbat, et fornicationem suspicari non poterat; possibilius esse credebat mulierem sine viro posse concipere, quam Mariam posse peccare. *Ibid.*

206. Sancta Maria, beata Maria, mater et virgo : virgo fuit ante partum, virgo post partum. Ego hoc miror quomodo de virgine virgo natus sit, et post nativitatem virginis, mater virgo sit. Homil. *de Joan. Baptista.*

S. JOANNES DAMASCEN. 207. Tu, ô Maria, eximium humani generis decus, tu sacerdotum gloria, tu christianorum spes, tu virginitatis feracissima planta. Orat. 1, *de Nat. B. M.*

208. Maria virgo ipsa est, et virginum amans : pura est, et purorum amans. Orat. 2, *de Assumpt. B. M.*

S. IRENÆUS. 209. Evæ inobedientiæ nodus solutionem accepit per obedientiam Mariæ : quod enim alligavit virgo Eva per incredulitatem, hoc virgo Maria solvit per fidem. Lib. 3, *advers. Hæres.*, cap. 33.

S. ISIDORUS HISPAL. 210. Maria (quæ interpretatur Domina, sive illuminatrix) est clara ex stirpe David, virga Jesse, hortus conclusus, fons signatus, mater Domini, templum Dei, sacrarium Spiritus Sancti, virgo sancta, virgo fœta, virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum. *De Vita et morte Sanctorum Novi Testam.*, cap. 68.

S. LAURENT. JUSTIN. 211. Maria effecta est porta cœli, paradisi janua, stella maris, solatium mundi, peccanti refugium, naufraganti portus, auxilium periclitanti, erranti via, desperanti salus, mundi interventriux, interemptrix peccati, diaboli terror. *De Casto connubio*, cap. 9.

212. Maria est tabernaculum testamenti, arca fœderis, templi propitiatorium, thronus Dei, virga florida. nubecula levis, hortus conclusus, signatus fons, porta clausa, columba immaculata, rosa redolens, lilium candens, flos nitens, virgula fumans, oliva viren, vitis fructificans, cupressus se attolens, palma frondens, terebinthus se extendens, campus germinans, terra pullulans, aurora surgens, lucifer rutilans, sole splendidior, auropurior, gemmis pretiosior, balsamo suavior, margaritis charior, nectare dulcior, harmonia omni delectabilior. *Ibid.*

LUDOVICUS BLOSIUS. 213. Beatam Mariam virginem frequenter lauda, omnium enim præconiis dignissima est : et quantumcumque prœdicetur, omnem commendationem semper superat. In *Canon vitæ spirit.*, cap. 13.

214. Plane nihil sub Deo cogitari potest divinius Dei Matre quid enim hac dignitate celsius? quid sublimius? quid honorificentius? quid admirabilius? *Ibid.*

115. Nullum Maria virgo aspernatur, nulli se negat, omnes consolatur, omnibus sinum pietatis aperit : et vel tenuiter invocata, præsto adest. *Ibid.*

216. Fieri non potest ut unquam pereat, qui Mariæ sedulus, et humilis cultor fuerit. *Ibid.*

217. Maria Virgo peccatores ad se pie et humiliter confugientes blande suscipit, fovet, protegit, et Filio suo materna fiducia reconciliat. *Prosec.*

218. Citius cœlum cum terra peribit, quam ipsa aliquem serio se implorantem sua ope destituat. In *Speculot., spirit.*, cap. 12.

S. METHOD. 219. Maria Virgo omnibus generationibus excelsior est, omnibusque visibilibus, atque invisibilibus operibus longe præstantior declaratur. *De Purificat. B. M.*

S. PETRUS DAMIANUS. 220. Dignum est, ut quæ laudum præconia meretur ab Angelis, obsequiis etiam frequentetur humanis : eique post Deum totus orbis exhibeat laudem, per quam suscepit propriæ salutis auctorem. Lib. 6, epist. 29. *ad Stephanum monach.*

221. Optima spes est apud Mariam habere confugium; quæ inter omnes cœlestis curiæ senatores, impetrandi apud Deum primum obtinet locum. *Ibid.*

222. Ascendit Salvator in cœlum potestativæ virtutis imperio, non angelorum auxilio fultus : assumpta est Maria in cœlum, sed gratiæ sublevantis judicio, et auxiliantibus angelis. Serm. 40. *de Assumpt. B. M. V.*

223. Quid sanctitatis, quid justitiæ, quid religionis, quid perfectionis singularis Mariæ virgini deesse potuit, quæ totius divinæ gratiæ charismate plena fuit? Serm. 46, *de Nativ. B. M. V.*

224. Nec mirum si cunctorum merita transcendat mortalium, quæ et ipsa superexcedit celsitudinem angelorum. *Ibid.*

225. Per beatissimam virginem Mariam non solum amissa olim vita hominibus redditur, sed etiam beatitudo angelicæ sublimitatis augetur. *Ibid.*

226. O mirabiliter fœcunda virginitas, quæ novo et inaudito miraculo, et mater dici possit et Virgo. *Ibid.*

227. Per mulierem infusa est maledictio terræ, per mulierem redditur benedictio terræ; largissimum benedictioni novæ fluentum, totum detersit maledictionis antiquæ contagiun. *Ibid.*

228. Beata virgo Maria, licet de generosa sit Patrum stirpe progenita, ab illo tamen trahit excellentissimæ nobilitatis genus, qui de illa est novo nascendi genere procreatus, et per clarissimam sobolem, omnem humani stemmatis excedit nobilitatem : clara proavorum titulis, sed incomparabiliter clarior generositate prolis; filia siquidem regum, sed mater Regis regum. *Ibid.*

229. Non ad æterni Judicis poterit perire conspectum, qui genitricis ejus sibi providit auxilium. Opusc. 33, cap. 2.

S. PETRUS NAUBIT. AB. CLUNIAC. 230. Beata Maria, in carne etiam posita, omnem creaturam vel humanam, vel angelicam summe transcendit. Lib. 3, epist. 7 *ad Gregor.*

RUPERT. AB. 231. Prophetissa erat Maria, prophetissa, in quam, nulli prophetarum comparanda, cujus in sacrarium pectoris Spiritus santus prophetias omnes convexerat. Lib. 1, *de Spiritu sancto.*

232. pulchritudo tua, pudicitia est, et pudicarum omnium virginum, viduarum atque continentium pudicitia, religiositas aut verecundia, tuis genis, tuis oculis comparata, non est verecundia, non est religiositas, non est aut vix meretur dici pudicitia. Lib. 1 *in Cant.* cap. 1.

233. Quid in te, ô dilectissima dilectarum, Virgo virginum, laudatur a dilecto laudabili, quem laudat chorus angelorum? *Prosec.*

234. Laudatur simplicitas, munditia, innocentia, doctrina, verecundia, humilitas, mentis et carnis integritas, sive incorrupta virginitas.

235. In oculis simplicitas, in capillis cogitationum tuarum munditia, in dentibus innocentia, in labiis doctrina, in genis verecundia, in collo humilitas, in uberibus tuis admiranda et spectabilis cum fœcunditate virginitas.

236. Simplicitas tua, prudentia tua est : munditia tua, supernorum desiderium est : innocentia tua, religiositas est : humilitas tua, vera contra diabolum fortitudo est; virginitas tua, matrum decus est. Lib. 3, super *Cant.* cap. IV, super illud : *Quam pulchra es, amica mea!*

237. *Oculi tui columbarum.* Hæc namque avicula sine felle est, et tu maxime, ô misericordiæ mater! sine felle es, nihil enim unquam habuisti invidiæ, nihil odii, quod familiare est rapacibus corvis. *Ibid.*, cap. 3.

238. Sub Christo maxima fuit B. Mariæ virginis puritas. Part. 3, quæst. 27, art. 2. S. THOMAS AQUINAS.

239. Beata virgo non solum erat pura in se sed etiam puritatem procuravit alliis. *Opusc.* 8 super *Ave Maria.*

240. Si malignus hostis vos tentat, Mariam invocate, Mariam salutate, Mariam cogitate, Mariam nominate, Mariam honorate, Mariam glorificate, Mariæ vos commendate. Serm. 21 *ad Novit.* divis. 4, THOMAS A KEMPIS.

241. Maria est omnium virginum, virgo prudentissima; omnium fœminarum, fœmina pudicissima; ominium matronarum, matron honestissima; omnium puellarum, puella speciosissima; omnium domicellarum, domicella venustissima; omnium reginarum, regina nobilissima. *Ibid.*, serm. 25.

242. O summe venerabilis virgo Maria, virginitate candidissima, humilitate profundissima, charitate ferventissima, patientia mitissima, misericordia plenissima, oratione devotissima, meditatione purissima, contemplatione altissima, compassione suavissima, consilio prudentissima, auxilio potentissima. *Ibid.*, divis. 4.

243. O summe veneranda virgo Maria, aula Dei, porta œcli, paradisus deliciarum, puteus gratiarum, angelorum gloria, hominum lætitia, forma morum, virtutum splendor, lucerna vitæ,

spes egenorum, salus infirmorum, mater orphanorum. *Ibid.*

244. Invocanda est Maria ab omnibus Christi fidelibus : nam dulce nomen Mariæ fiduciam donat invocanti et nominanti. *De Disciplina claustr.*, cap. 15.

S. THOMAS VILLANS. 245. Quidquid in quolibet sancto fuit illustre, in virgine Maria fuit, in illa patientia Job, mansuetudo Moysi, fides Abrahæ, castitas Joseph, humilitas David, sapientia Salomonis, zelus Eliæ, puritas virginum, fortitudo martyrum, devotio confessorum, sapientia doctorum, contemptus mundi anachoretarum. Conc. 3 *de Nativ. B. M.*

246. O homo! in quacumque tribulatione ad Mariam fuge, sive peccatis afflictus, sive persecutionibus attritus, sive tantationibus turbatus, hanc turrim petito, ad Mariam confugito, Conc. 1 *de Assumpt. B. M.*

S. ZENO EPISCOPUS ET MART. 247. O magnum sacramentum! Maria Virgo incorrupta concepit, post conceptum Virgo peperit, post partum Virgo permansit. Serm. 2 *de Nat. Christi.*

Vide etiam tit. *Conceptio immaculata,* per totum; *Intercessio,* sent. 60; *Martyrium,* sent. 265; *Privilegium,* sent. 14, *Seductio,* sent. 23.

MARIÆ CONCEPT. IMMACULATA.

Vide CONCEPTIO IMMACULATA.

MARTYRIUM.

S. ANTONIN. *Etymologia.* Martyr est græcum, latine interpretatur Testis : per excellentiam autem dicuntur martyres, testes, qui propter Deum sustinent mortem : quia non potest esse efficacius testimonium ejus, quod dicit quis, vel fatur, quam confirmando quod verum sit, vel justum, sustinere mortem patienter. Part. 3, tit. XXXI, cap. 9, § 1.

CLEMENS ALEXAND. *Definitio.* Martyrium est expurgatio peccatorum cum gloria. Lib. 4 *Stromat.*

S. THOMAS AQUINAS. Martyrium est actus virtutis, qua aliquis contra persequentium impetus firmiter in justitia et veritate permanet. 2, 2 quæst. 124, art. 1.

S. BONAV. *Divisio.* Tria genera sunt martyrii : castitas, in juvene, largitas in paupere, abstinentia in abundantia. Expos. 1, super *Psalm* CXVIII, in illud : *Narraverunt mihi iniqui fabulationes.*

ISID. HISP. Duo sunt martyrii genera; unum in aperta passione, alterum in occulta animi virtute. *Prosec.*

Nam multi hostis insidias tolerantes, et cunctis carnalibus desideriis resistentes, per hoc quod in corde suo Deo omnipotenti mactaverunt, etiam pacis tempore martyres facti sunt, qui etiamsi persecutionis non tempus existeret, martyres esse potuerunt. Lib. 7, *Etymol.* cap. 11.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Non ideo laudabilis virginitas, quia in martyribus reperitur, sed quia ipsa martyres faciat. Lib. 1, *de Virginibus.*

2. Ipsa mors martyrum, præmium vitæ est. In *Orat. de fide Resurr.*

3. Cum judicatur martyr, et condemnatur, tunc vincit, atque prosternit persecutorem. Serm. 76 *de Natali sanctorum Martyrum.*

4. Martyr cum patitur, non sibi tantum patitur, sed et civibus : sibi enim patitur ad præmium, civibus ad exemplum : sibi patitur ad regnum, civibus ad salutem. Serm. 77.

5. Cuncti martyres devotissime percolendi sunt, sed specialiter ii venerandi sunt a nobis, quorum reliquias possidemus. *Prosec.*

6. Et ideo, Fratres, veneremur eos in sæculo, quos defensores habere possumus in futuro. *Ibid.*

7. Martyrii mater, est fides catholica, Serm. 93.

8. Martyres principes sunt fidei, intercessores mundi, præcones regni, cohæredes. Dei. *Ibid.*

9. Tolle martyrum certamina, tulisti coronas : tolle craciatus, tulisti beatitudines. Lib. 4 super *Lucam,* cap. 4, in illud : *Diabolus recessit ab illo.*

S. ANSELM. 10. Nullatenus seipsum potest homo magis dare Deo, quam cum se morti tradit ad honorem illius. Lib. 2, *Cur Deus,* cap. 11.

S. ANTON. 11. Anima martyris framea est splendida charitate, acuta veritate, vibrata Dei virtute. Part. 4, tit. III, cap. 3, § 2.

12. Martyrium triplex est sine sanguine : parcitas in ubertate, quæ fuit in David; liberalitas in paupertate, ut in Tobia; castitas in juventute, ut in Joseph in Ægypto, *Ibid.*

S. ANT. DE PADUA. 13. Lapides Stephano, craticula Laurentio, carbones ignis Vincentio dulces fuerunt. Serm. *Dom. infra octav. Nativ.*

S. AUGUST. 14. Veri martyres illi sunt, de quibus Dominus ait : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam*; non ergo qui propter iniquitatem, et propter christianæ unititatis impiam divisionem : sed qui propter justitiam persecutionum Patiuntur, hi martyres veri sunt. Epist. 50 *ad Bonifac.*

15. Disputando et scribendo monstravimus hæreticos non posse habere martyrum mortem, quia christianorum non habent vitam : cum martyrem non faciat pœna, sed causa. Epist. 61 *ad Dulcitium.*

16. Centesimus fructus, martyrum est. Lib. 1, *Quæst evang.*, quæst. 9, super illud *Matth.* 13 : *Aliud centesimum.*

17. Tota justitia hæc est, virginitas, sacerdotium, et martyrium. Lib. 2, *de Mirab. sacræ Script.*, cap. 3.

18. Non nos martyribus templa sacerdotia,

sacra, et sacrificia constituimus, quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus : honoramus sane memorias eorum, tanquam sanctorum, hominum Dei, qui usque ad mortem suorum corporum pro veritate certarunt. Lib. 8. *De Civ. Dei*, cap. 27.

19. Nulli martyrum, sed ipsi Deo, quamvis in memorias martyrum, constituimus altaria. *Prosec.*

20. Colimus martyres eo cultu dilectionis et societatis, quo et in hac vita coluntur sancti homines, quorum cor ad talem pro evangelica veritate passionem paratum esse sentimus. Lib. 20 *contra Faustum*, cap. 11.

21. Laus martyrum est, non in pœna, sed in causa : non persecutionem pati, non teneri, non flagellari, non includi, non proscribi, non occidi laus est : sed habendo causam bonam ista pati, hæc laus est ; laus enim est in causæ bonitate, non in pœnæ acerbitate. Super *Psalm.* LXVIII.

22. Martyres non facit pœna, sed causa : nam si pœna martyres faceret, omnia metalla martyribus plena essent, omnes catenæ martyres traherent, omnes qui gladio feriuntur, coronarentur. Super *Psalm.* LXXXIV, conc. 2.

23. Multi martyres multa tormenta passi sunt, sed nihil sic elucet quomodo caput martyrum; ibi melius intuemur, quod illi experti sunt. Super *Psalm.* LXIII, vers. 2.

24. Martyrium Christi, et apud homines, et in hoc mundo non solum non est opprobrium, sed magnum est ornamentum. Super *Psalm.* CXVIII, conc. 9.

25. Quanta mala passi sunt martyres, quanta exitia, quanta tormenta! squalores carcerum, stricturas catenarum, sævitias ferarum, ardorem flammarum, aculeos contumeliarum. Super *Psalm.* CXXVII, vers. 5.

26. Sæculi homines infeliciter felices sunt, martyres autem feliciter infelices erant : erant enim ad tempus infelices, sed in æternum felices. *Ibid.*

27. Quam mirandi generis mors est, cui parum fuit non esse in pœnis, nisi esset insuper in deliciis. Tract. 65, super *Evang. Joan.*, cap. 13.

28. Si nulla esset mortis, vel parva molestia, non esset tam magna martyrum gloria. *Ibid.*, tract. 123.

29. Perpetua et felicitas (nomina sanctarum fœminarum) merces est sanctorum omnium martyrum. *De Tempore barbarico*, cap. 5.

30. Habet pax martyres suos : nam iracundiam mitigare, libidinem fugere, justitiam custodire, cupiditatem contemnere, pars magna est martyrii. *De Honest mulier.*, cap. 1.

31. Omnibus christianis martyria deesse non possunt : sicut castitas, veritas, et justitia Christus est, sic et ille qui eis insidiatur persecutor Christi est : ille vero qui castitatem, veritatem, et justitiam in aliis defensare, et in seipso custodire voluerit, martyr est. *Ibid.*, cap. 3.

32. Injuria est pro martyre orare cujus nos debemus orationibus commendari. *De Verb. Apost.*, serm. 17.

33. Si nulla esset mortis amaritudo, non esset magna martyrum fortitudo. *Ibid.*, serm. 33.

34. Licet Christi Passio nobis sufficiat ad salutem, tamen etiam sanctorum martyrium nobis contulit ad exemplum. Serm. 3 *sanctorum Petri et Pauli*.

35. Martyrum confessio, quanto in passione est fortior, tanto est clarior in honore. Serm. 1. *sanctorum omnium*,

36. Martyrium est indulgentia criminum, virtutum caput, occasio justitiæ, Dominicæ Passionis imitatio. Serm. 5 *de Martyribus*.

37. Hæc est vox Martyrum, omnia tolerare, et de se nihil præsumere; illum diligere, qui glorificatur in suis. *Ibid.*, serm. 6.

38. Eligite martyrum causas, si vultis pervenire ad martyrum palmas. *Ibid.*

39. Martyrium non tantum effusione sanguinis, sed etiam abstinentia peccatorum, et exercitatione divinorum præceptorum perficitur. Serm. 44 *ad Fratr. in eremo*.

40. Non putemus tantum in effusione sanguinis, esse martyrium, semper martyrium est christianis et religiosis. *Ibid.*, serm. 60.

41. Ab inferiore martyr accipit sententiam, a superiore coronam. Hab. in *Decret. Gratiani* part. 2, causa 11. quæst. 3, conc. *Etsi*.

42. Reges venerati sunt sanguinem martyrum, quem diabolico furore fuderunt. Lib. 18 *de Civ. Dei*, cap. 50.

43. Martyrium extra Ecclesiam, etiam pro Christo susceptum, pœnam habet, non coronam. In serm. *de Gestis cum Emerito*.

44. Quis modus aut quæ satietas Martyrum memoriam prosequendi erit, illi præsertim qui eorum amore ac charitate magnopere tenetur? Nam honor in bonos a conservis collatus, benevolentiæ significationem apud communem Dominum habet. Hom. 20 *de Quadrag. Martyr.* S. BASILIUS MAGNUS.

45. Per martyria veritas fidei clarius eluscescit quando paratus est homo mori pro veritate, quam prædicat. Serm. 1 *Dom. Quinquag.* art. 2, cap. 3. S. BERNARD. SENENS.

46. In martyribus facit mortem pretiosam aliquando sola causa, aliquando causa pariter et vita. Serm. 24 *de Parvis serm.* S. BERNARD.

47. Martyrium sine sanguine triplex est : parcitas in ubertate, largitas in paupertate, castitas in juventute. In suis. *Sent.*, cap. *Martyrium.*

48. Non superbi vel arrogantes, sed humiles potius, qui de se præsumere nesciunt, maryrio idonei sunt. Serm. 47 super *Cant.*

BOETIUS. 49. Nonnulli venerandum nomen gloriosæ mortis pretio emerunt. Libro 4 *de Consolat. Philos.*, Prosa 6.

S. BONAV. 50. O quam gloriosum est mori pro veritate, quæ etsi non convertat audientem, coronat tamen prædicantem! Serm. 4, *Dom. 4 post Pent.*

51. Sine ferro et flammis Martyres esse possumus, si patientiam in animo veraciter conservemus. Serm. 3 *de Sancto Andrea.*

52. Qui unquam reges, qui principes, qui barones, aut nobiles a mundo honorantur, ut martyres? immo ut Martyrum crura? Major longe, major honor exhibetur Stephano, sive Laurentio, quam Alexandro, sive Apostatæ Juliano. Serm. 2 *de Uno mart.*

CASSIODOR. 53. Sine labore et dolore corporis consumari non potest corona martyrii. Super *Psalm.* IX, vers. 29, *Labor. et dolor.*

54. Tribulationibus crebris, atque martyriis, robur animæ consenescit. Super. *Psalm.* LXX, vers. 10.

45. Multi sanctissimi tribulationibus appetiti, certamen atrocissimum sustinentes, martyrii coronam consummata clade meruerunt. Super *Psalm.* CXXVIII, vers 1.

CYPRIAN. 56. Confessio quanto in passione fortior, tanto clarior et major in honore est. Epist. *ad Mart. et Confess.*

57. Martyrum certamen, cœleste certamen est, certamen Dei, certamen spiritale, prælium Christi. *Ibid.*

58. Non minor est martyrii gloria, non publice et inter multos perisse, cum pereundi causa sit propter Christum perire. Epist. 56, cap. 1.

59. Esse martyr non potest, qui in Ecclesia non est. *De Unitate Ecclesiæ.*, cap. 8.

60. Martyrium fundamentum est vitæ et fidei, præsidium salutis, vinculum libertatis et honoris. *De Laude Mart.*, cap. 2.

61. Res summa martyrium est. *Ibid.*, cap. 3.

62. Martyrium est delictorum finis, periculi terminus, dux salutis, magister patientiæ, domus vitæ. *Ibid.*

63. Martyr morte vitam condemnat, ut vitam morte custodiat. *Ibid.*, cap. 4.

64. Martyrii est inæstimabilis gloria, infinita mensura, immaculata victoria, nobilis virtus, incomparabilis titulus, triumphus immensus. *Ibid.*, cap. 16.

65. Martyrium appellatur tam corona, quam baptisma; quia baptizat pariter et coronat. *De Singular. Cleric.*, cap. 20.

66. Non martyr est omnis, qui occiditur; occiduntur enim et sicarii et piratæ : quia non supplicium facit martyrem, sed causa. *De Duplici martyrio*, cap. 6.

67. Martyres sunt, nec martyrum corona frustrabuntur monachi, qui vere monachi sunt, et apud Deum carnem suam crucifixerunt : ac virgines quæ vere virgines sunt. *Ibid.*, cap. 14

68. Fides est, quæ pugnat et superat in martyribus, nec quisquam defecit in tormentis, nisi fidei defectu. *Ibid.*, cap. 17.

69. In Dei servis (apud quos cogitatur, et martyrium mente concipitur) animus ad bonum deditus Deo judice coronatur : aliud est martyrio animum deesse, aliud animo defuisse martyrium. Habetur in *Decretis Gratiani.*, part. 2 *de Pœnit.*, dist. 1, can. *Numquid.*

70. Martyres imitare, vicerunt illi tyrannos sua modestia atque longanimitate : vince et tu tyrannidem passionum tuarum, iisdem instructus armis. *Prosec.* S. EPHRÆM.

71. Illi palam martyres fuerunt, at tu in secreto saltem martyrem perfectum te præbe : illi in aperto certamen consummarunt, perfice tu quoque certamen in occulto. *De Laudibus Martyr.*

72. Dulplex martyrium est : unum succumbere gladiis impiorum; alterum in infirmitatibus et adversitatibus in animo patientiam custodire. Epist. *ad Damas. pap. de Morte D. Hieron.* S. EUSEBIUS CÆSARIENS.

73. Quam pretiosa sunt martyrum vulnera, quam gloriosa certamina; inter quæ tormentis sunt viventes, et mortibus triumphantes. Serm. *de S. Genesio.* S. EUSEBIUS EMISSENUS.

74. Martyres Christi occidi possunt, flecti nequeunt. Serm. 23 super *Cant.* GILLEBERT. ANGLUS.

75. Laus est in causæ bonitate, non in pœnæ acerbitate : causa enim facit martyrem, non pœna. Super *Psalm.* LXVIII. GLOSS. INT.

76. Quisquis extra unitatem Ecclesiæ patitur, pœnas pati potest, martyr fieri non potest. Lib. 18 *Moral.*, cap. 14. S. GREGOR. MAGNUM.

77. Martyr Christi occidi potest, superari non potest. *Ibid.*, lib. 31, cap. 15.

78. Martyrium non facit pœna, sed causa : nec clarescere potest aliquis fulgore virtutis, qui non arserit in officina charitatis. *Ibid.*, lib. 18, cap. 14.

79. Duo sunt martyrii genera, unum in occulto, alterum in publico. Nam etsi persecutio desit exterius, martyrii meritum in occulto est, cum virtus ad passionem prompta flagrat in animo. Lib. 3. *Dialog.*, cap. 26, verbo *Duo.*

80. Sancti martyres Christi præsentem vitam non despicerent, nisi certiorem animarum vitam subsequi scirent. *Ibid.*, lib. 4, cap. 6.

81. Duo sunt martyrii genera, unum in mente,

aliud in mente simul et actione : itaque esse martyr quisque potest, etiamsi nullo percutientium ferro trucidetur. *Prosec.*

82. Mors a persequente, martyrium in aperto opere est. : ferre contumelias, odientem diligere, martyrium est in occulta cogitatione.

83. Nos igitur sine ferro martyres esse possumus, si patientiam veraciter in animo custodimus. Homil. 35 super *Evangelium.*

84. Martyrium quod per infirmitatem carnis Petrus noluit, per virtutem spiritus amavit. *Prosecutio.*

85. Martyr qui dum per carnem ad pœnas trepidat, per spiritum ad gloriam exultat. *Ibid.*, hom. 3.

S. GREGOR. NAZ. 86. Martyres sunt holocausta rationalia, sacrificia perfecta, oblationes acceptæ, veritatis præconia, mendacii infamatio, legis adimpletio, erroris dissolutio, malitiæ persecutio, peccati subversio, mundi expurgatio. Orat. 12 *de S. Cypriano.*

87. Hunc esse quæstum omnium præstantissimum, aio, nimirum exiguo sanguine cœlorum regnum emere, ac pro caducis et temporariis bonis æternitatem gloriæ referre. Habetur apud *Divum Joannem Damascenum*, lib. 1. *Parall.* cap. 31.

S. HIERON. 88. Non solum effusio sanguinis in confessione, martyrium reputatur, sed devotæ quoque mentis servitus immaculata, quotidianum martyrium est; illa corona de rosis et violis plectitur, ista de liliis. Epist. 27, *ad Eustoch.*

89. Confessores voluntate martyres sunt. Epist. 41, *ad Ruffinum.*

90. Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum divisio, et totius corporis contritio, et tota tormenta diaboli in me veniant, tantum ut Christo fruar. *de Scriptoribus ecclesiast.* in *Ignatio loquente.*

91. Cum Ignatius jam damnatus esset ad bestias, ardore patiendi, cum rugientes audiret leones, ait : Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar. *Ibid.*

92. Non moritur, quisquis victurus occiditur. Epist. 49 *ad Innocent.*

93. Voti, tempore persecutionis, christiani erat, pro Christi nomine gladio percuti. Epist. 50, *de Vita Pauli Eremitæ.*

94. In martyre voluntas, ex qua ipsa mors nascitur, coronatur. Lib. 2, *advers. Jovian.*

95. Honoramus reliquias martyrum, ut eum cujus sunt martyres adoremus. Epist. 5, *ad Riparium advers. Virgilant.*

96. Quanti in toto orbe martyres, antequam cæderentur, variis subjacuere peccatis! Epist. 19, *ad Pammach. et Occan.*

97. Sine charitate martyrio sanguis effusus, corpus flammis traditum, coronam non habet præmiorum. Epist. 28, *ad Pammach. èt Marcellin.*

98. Passio martyrum et pro Christi nomine cruoris effusio, et inter tormenta lætitia triumphus Dei est. Epist. 8, *ad Hedibiam,* quæst. *Ibid.*

99. Martyr, qui pro confessione Domini sanguinem fundit, tentatus quidem est, sed tentationum retibus non ligatur. Lib. 4 super *Matth.*, cap. XXVI, can. 2, num. 296, super illud : *Ut non intretis in tentationem.*

100. Sanguis in martyrio, quamvis ardeat fides, tamen sine dolore et timore non funditur. Lib. 3, super *Epist. ad Galat.* cap. 5, in illud : *Per charitatem spiritus servite invicem.*

101. Si ita martyrium fecerimus, ut nostras velimus ab hominibus reliquias honorari, si opinionem vulgi sectantes, intrepidi sanguinem fuderimus, huic operi non tam præmium, quam pœna debetur; et perfidiæ magis tormenta sunt, quam corona victoriæ. *Ibid.*

102. Non omnis qui vinctus est, vinctus est Christi : sed quicumque pro Christi nomine, et pro ejus confessione vincitur, ille vere vinctus dicitur Jesu Christi. *Prosec.*

103. Sanguis effusus is tantum martyrem facit, qui pro Christi nomine funditur. Super *Epist. ad Philemon.* super illud : *Paulus vinctus.*

104. Gloriosa martyrum species est, qui confessioni Dei, tanquam hostia electa, sunt immolati. Super *Matth.*, cap. XXII, in illud : *Simile est regnum cœlorum homini regi.* S. HILARIUS

105. Habent martyres sancti fructus in mundo, et fructus in cœlo : in mundo fructus justitiæ, in cœlo fructus gloriæ : in mundo fructus meriti, in cœlo fructus præmii. Serm. 60, *de Divers. de omnibus Sanctis.* HUGO A S. VICTORE.

106. Omnia falce martyrii resecantur peccata. Super *Psalm.* VI. HUGO CARD.

107. In sanguine martyrum fundata est Ecclesia. Super *Psalm.* XLIII.

108. Mors martyrum tanto erat pretiosior, quanto ante mortem pœna productior. *Ibid.*

109. Vinctus sum propter Christum, sed necdum Christo dignus sum : si vero consummer, fortassis dignus ero. Epist. 5. *ad Trallianos.* S. IGNATIUS MART.

110. Ignis, crux, ferarum concursus, sectiones, laniena, ossium discerptiones, membrorum concisiones, totius corporis solutio, diaboli tormenta in me veniant, tantummodo ut Jesum nanciscar. *Ibid*, epist. 15, *ad Roman.*

111. Tanto eris acceptabilis hostia, quanto libenter gloriosæ mortis exceperis beneficia. Serm. *de Fide Abraham.* S. JOANNES CHRYSOST.

112. Deus permittit justos occidi ad probatio-

nem pietatis; exercitatio enim pietatis est martyrium. Homil. super *Psalm.* xcxv.

113. Martyrium non eventu tantum æstimatur, sed etiam proposito : non cum martyr decollatur, tum fit martyr, sed ex quo propositum ostendit profitendi, martyr est; etiamsi non patiatur quæ martyres solent. *Ibid.*

114. Horti aquis irrigati non ita germinant, sicut Ecclesia, si martyrum irrigetur sanguine. Serm. *in Juventin. et Maxim.*

115. Martyrii corona non solum pro eo est quod idolis non immolatur, sed pro ipsa Evangelii prædicatione mori, martyrium facit. Serm. 9 super *Epist. ad Philipp.*

116. Sanguine plenam esse decet Christiani vitam, non alienum effundendo, sed se paratum suum effundere præstando. Homil. 67. *ad popul. Antioch.*

117. Fac martyr sis, pro eo, qui pro te martyr fuit : morere pro eo, qui pro te mortuus est. Serm. 1 *de Jejunio,*

118. Non solum is martyrium peragit, qui jussus sacrificare, potius ducit emori : verum etiam servare quod justum est, ac sponte propter Deum mortem accersere, manifestum est martyrium. *Prosec.*

119. Si morbo cum perfecta patientia moriaris, martyr perfectus eris. Orat. 5, *advers. Judæos.*

AN. RES. 120. Quicumque pro justitia patitur, martyr est, id est, testis justitiæ, assertor Christi. Epist. 166 *ad Dom. Cantuariens.*

AN. TH. 121. Mori a persequente, martyrium in aperto opere est : ferre autem contumelias et odientem diligere, martyrium est in occulta cogitatione. Lib. 2, homil. 18 *ad Monachos.*

NÆUS. 122. Martyres testantur, et contemnunt mortem : non secundum infirmitatem carnis, sed secundum quod promptus est spiritus. Lib. 5, *advers. Hæres.*, cap. *Traductis.*

D. PEL. 123. Pulchrum est quidem pietatis martyres votivis donis ornare : pulchrius autem ac præstantius, eos per ea quæ cum virtute ac laude gesserint imitari. Lib. 1, epist. 189. *ad Serenum.*

JSTIN. RT. 124. Dum christiani suppliciis afficiuntur, numerus eorum crescit. Epist. *ad Diognetum.*

. FIRM. 125. Quanto fuerint graviora tormenta, tanto majorem virtutis gloriam pariunt. Lib. 5, *de Divin. inst.* cap. 11.

126. Si est gloriosum pro amicis, pro parentibus, pro liberis, et pro quocumque homine suscipere mortem : quanto magis pro Deo, qui potest æternam vitam pro temporali morte præstare ? *Prosec.*

127. Deus sit ante oculos, sit in corde, cujus interno auxilio dolor vicerum, et adhibita corpori tormenta superentur : nihil tunc aliquid, quam vitæ immortalis præmia cogitemus.

128. Ita facile, et si dissipandi aut urendi artus fuerint, tolerabimus quæ in nos tyrannicæ dominationis amentia molietur.

129. Postremo ipsam mortem non inviti, aut timidi, sed libenter et interriti subire nitamur, qui scimus quali apud Deum gloria sumus fruituri triumphato sæculo ad promissa venientes : quibus bonis, quanta beatitudine brevia hæc pœnarum mala, et hujus vitæ damna pensemus. In *Epitome,* cap. *Fides.*

130. Beatus est sapiens in tormentis : sed cum torquetur pro fide, pro justitia, pro Deo, illa patientia doloris beatissimum faciet. Lib. 3. *de Divin. inst.* cap. 27. S. LAURENT. JUSTIN.

131. Cuncta beatissimorum vulnera, vincula, carceres, aculeorum cruciatus, lampadum adustiones, membrorum sectiones, excoriationes, persecutiones, verbera, opprobria, exquisita et auditu horrenda tormenta, suis vocibus clamant, ut fortiter dimicetur. *De Casto connub.* cap. 8.

132. Multos novimus exanimatos extitisse in pœnis, nec tamen morte consumptos. *Prosec.*

133. Hi voluntate, et si non actu, dicendi sunt martyres, quorum animas quamvis persecutoris non abstulerit gladius, palmam tamen non amisere martyrii.

134. Est et tertium martyrii genus, quod actu et voluntate perficitur. Serm. *de sanctis Innocent.*

135. Mortis fortitudo, amoris martyris probat incendium. *Ibid.*

136. Facile est illi martyrii concupiscere certamen, qui propriam ignorans infirmitatem, minime pugnare inchoavit. *Ibid.*

137. Defecissent procul dubio in passionis agone martyres, si absque Dei amore certassent : maxima siquidem est charitatis vis, quæ in martyribus dimicando naturam vincit. *De Regimine prælat.* S. LEO I.

138. Nihil in martyribus obtinet, nihil proficit sæva crudelitas : sævisti persecutor in martyrem, sævisti et auxisti palmam, dum aggeras pœnam. Serm. *in Natali S. Laurent.* LUDOVICUS BLOSIUS

139. Hæretici martyres affecti, non Christi, sed Satanæ sunt. *Prosec.*

140. In martyribus enim Christi, sancta mentis humilitas relucet : in martyribus autem diaboli, præfractus animi tumor apparet. In *canon. Vitæ spirit.*, cap. 27. S. MAXIMUS EP. TAURIN

141. Martyr cum patitur, non sibi tantum patitur, sed et civibus : sibi enim patitur ad præmium, civibus ad exemplum : sibi patitur ad requiem, civibus ad salutem. Hom. *in Natali Sanctorum martyr. Taurinor.* MIN. FELIX.

142. Quam pulchrum spectaculum Deo, cum

christianus cum dolore cungreditur ! *Prosec.*

143. Cum adversus minas et supplicia, et tormenta componitur !

144. Cum strepitum mortis, et horrorem carnificis irridens conculcat !

145. Cum libertatem suam adversus reges et principes erigit : soli Deo, cujus est, cedit !

146. Cum triumphator et victor, ipsi qui adversum se sententiam dixit, insultat ! In suo *Octav.*

147. Dei miles nec in dolore deseritur, nec morte finitur. *Ibid.*

ORIGENES. 148. Pueri et mulierculæ nostræ, cruces, et tormenta, feras, et omnes suppliciorum terriculas inspirata patientia doloris illudunt. *Ibid.*

PETR. BLES. 149. Nihil mihi conducit martyr pater, si non bene vixero, et ornavero virtutibus generis mei nobilitatem. Hom. 4 in cap. 14. *Ezech.*, super illud : *Ipsi soli salvit erunt,*

PETR. CELL. 150. Religiosa vita, martyrium est. Vos martyres estis, gravius est enim illud quod sustinetis martyrium in claustro, quam illud sit, quod fit gladio : illud materiale et momentaneum, vestrum spiritale et diuturnum, et ideo magis periculosum. Serm. 8, *de S. Vincent.*

S. PETRUS. CHRYSOL. 151. Gloriosos faciunt martyres nostros causa cum pœna, et pœna cum causa. Lib. 5, epist. 4.

152. Non tam mors, quam fides et devotio, martyrem facit. Serm. 128.

153. Martyr comprehensus debet tenere constantiam, non comprehensus debet fugere persequentem. *Ibid.*, serm. 151.

154. De martyrio debemus totum Deo, nihil nobis : ad martyrium enim, qui sua virtute currit, non pervenit ad coronam. *Prosec.*

S. PETR. DAM. 155. Vincere diabolum, corpus tradere, contemnere viscera, tormenta expetere, lassare tortores, capere de injuriis gloriam, de morte vitam, non est virtutis humanæ, muneris est divini. *Ibid.*, serm. 152.

156. Martyr quo acrius impugnatur, eo robustior invenitur : et quo magis corpus per tormenta distenditur, eo magis fides augetur. Serm.. 32, *de S. Apollinare.*

157. Non potes invenire martyrium ? exhibe et martyrio dignum et martyrii consequeris procul dubio præmium. *Prosec.*

158. Non potes sanguinem fundere ? potes temetipsum pœnitentiæ telo percutere, et cordis contritione mactare.

159. Præparetur ad feriendum jugulum, non deerit remunerator, etiamsi defuerit gladius : deest carnifex, qui cervicem exterius feriat ; adest judex, qui bonæ voluntati præmium reddat. *Ibid.*

160. Inter cuncta martyrii genera, illud nobilius, illud non immerito judicatur esse præcipuum, quod in ipso redemptore nostro, capite videlicet martyrum cognoscitur dedicatum. Serm. 57. *de S. Andræa.*

161. Magnum est mori pro Christo ; sed non est inferius vivere Christo. Serm. 65. *de S. Barbatiano.*

PRUDENT. 162. Gloriosa res, ubi tenera membra longiori martyrio confringuntur. Serm. 69. *in Dedicat. Eccles.*

RICHARD. S. VICTOR. 163. Nil est pretiosius pro te, Christe, mori. In *Peristephano. de Hymno* S. *Quirini mart.*

TERTULLIANUS. 164. Mors martyrum tanto erat pretiosior, quanto mortem præcedens pœna productior, quibus volentibus mori, non dabatur occidi. Pert. 2, super *Psalm.* CXVIII.

165. Semen est sanguis christianorum : plures efficimur, quoties metimur a tyrannis. In *Apolog. ædvers. Gentes*, cap. 50.

166. O vos benedicti de carcere in carcerem translati ! habet quidem tenebras, sed lumen estis ipsi : habet vincula, sed vos soluti in Deo estis : triste quid illic spirat, sed vos odor estis suavitatis. *Ad Martyres*, cap. 2.

167. Negatio est, martyrii recusatio. *De fuga*, cap. 12.

S. THOM. AQUINAS. 168. Martyrem non pœna facit, sed causa : duplex autem est causa martyrii, scilicet propter divinum honoren et salutem proximi. Super II *Tim.*, cap.2, lect. 2.

169. Facile est martyrem celebrando venerari, magnum vero fidem ejus et patientiam imitari. 2, 2, quæst. 124, art. 3, argum. 3.

THOMAS A KEMPIS. 170. Quicumque perfectæ mortificationi tota die, id est, per totum tempus vitæ suæ se tradidit, iste veraciter martyr efficitur, quamvis materiali gladio in collo non feriatur. *Prosec.*

171. Et qui vim sibi ipsi inferre conatur, atque carnem insurgentem compescit et necat, cum martyribus de hoste victor sui ipsius factus, strenue triumphat. Serm. II *ad Novit.*, divis. 2.

172. Potest quilibet religiosius in ordine et in statu suo religiose et devote vivendo palmam martyrii obtinere. *Ibid.*, divis. 3.

173. Sancta voluntaria paupertas, pro martyrio computatur. *Ibid.*, divis. 4.

174. Martyres Christi per transitoria tormenta meruerunt sine mora migrare ad gaudia sempiterna. *Ibid.*, divis. 4.

175. O vere singulare martyrium in desolata matre et tenera virgine Maria, quæ acrius torquebatur in corde compatiendo filio, quam martyr aliquis suspensus in equuleo. *Ibid.*, serm. 21, divis. 2.

S. THOM. VILLANO. 176. Revera toties martyr Dei efficeris, quoties pro Deo pœnam libenter pateris. Medit. 27, *de Christi passioni*, cap. 9.

177. In his quæ passi sunt martyres, similia patientium advocati constituti sunt. Conc. 4 *de Nativ. Dom.*

VALER. ISCOPUS. 178. Transit cito quod cruciat, permanet in æternum quod coronat. *Conc. funebr.*

179. Quanti est plane sustinuisse carnificem, cui paret pœna mercedem? Hom. 16 *de Bono martyr.*.

180. Sine dubio universus apparatus mortis cedit, si tamen pugnandi voluntas martyris accrescat. *Ibid.*

181. Omnis spes obtinendæ victoriæ in fide et voluntate consistit : si enim voluntas sequatur fidem, fides nunquam deserit voluntatem. *Prosec.*

182. Difficile autem est, ut illic sentiat pœnam martyris, qui susceperit injuriam voluntariæ passionis. *Ibid.*

183. Quo facilius in acie positus, securus incedas, ante oculus ponenda sunt semper facta sanctorum, *Prosec.*

184. Nam in maximis præliis non desunt pugnatori solatia, si fortissimorum virornm requirantur exempla.

185. Facile supervenientis hostis impetum sustinet, quem ad pugnam voluntas armaverit : nec expavescit cruenti lictoris gladium, quem munit virtus animæ. *Ibtd,*

186. Multa sunt genera passionum, quæ Deo nostro mortalem hominem vivendi lege commendant : in quibus etsi non est corona martyrum, est tamen non minima palma virtutum. *Ibid.* Hom. 17.

CICERO. 187. Tanto fœdius hostis vincitur, quanto adversus unum justum virum major tyranno satellitum turba famulatur. *Ibid.*, hom. 18, *de Machab.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 188. Brevis quidem vobis vita data est, at memoria bene reddita vitæ, sempiterna est. Orat. 56. *Philipp.* 13.

189. Quanto plus tormenti, tanto plus erit gloriæ. *De Divina providentia*, cap. 3.

190. Corpusculum hoc, custodia et vinculum animi, huc atque illuc jactetur; in hoc supplicia exerceantur, animus ipse sacer et æternus est, cui possit non injici manus. *De Consolat. ad Helviam.* cap. 11.

191. Quanti viri est, pro domino eo tempore mori velle, quo erat rara fides. Lib. 3, *de Benef.* cap. 25.

192. Dulce est torqueri : stet illic licet carnifex, stet tortor atque ignis, constans perseverabit vir bonus : nec quid passurus, sed quid facturus sit, aspiciet; et utilem illam torturam sibi judicabit, tutam, prosperam. Epist. 66.

193. Bonum est fortiter torqueri; et magno animo uri, et patienter ægrotare; sequitur ut ista obtabilia sint : non tamen pati tormenta, optabile est, sed pati fortiter; illud opto fortiter, quod est virtus, Epist. 67.

194. Malo me fortuna in suppliciis, quam in deliciis habeat : torqueor, sed fortiter, bene est : occidor, sed fortiter, bene est. Quidni optabile sit? non quod urit me ignis, sed quod non vincit. *Ibid.*

Vide etiam tit. *Christianus*, sent. 53; *Convivium*, sent. 55; *Dolor*, sent. 61; *Evangelium*, sent. 34; *Ferire*, sent. 44; *Festivitas*, sent. 15, 16, 18, 71; *Fortitudo*, sent. 80; *Jesus*, sent 108; *Mors*, sent. 136; *Mundus*, sent. 48; *Obedientia*, sent. 228; *Passio Christi*, sent. 35; *Persecutio*, sent. 76; *Pudicitia*, sent. 35; *Schisma*, sent. 17; *Tentatio*, sent. 54 · *Testis*, sent. 9; *Tyrannis*, sent. 5.

MATRIMONIUM.

Vide CONJUGIUM.

MEDICINA.

Ethimologia. Nomen medicinæ a modo, id est temperamento impositum æstimatur, ut non statim, sed paulatim adhibeatur. Lib. 4 *Etymolog.*, cap. 2. S. ISID. HISP.

Definiti. Medicina post Deum, ejusque auxilium, ea est, quæ in primis prodest ob hanc vitam conservandam. Part. 4. *Orat. ad regem Franciæ.* consid, 1. JOAN. GERS.

Medicina est, quæ corporis vel tuetur, vel restaurat salutem. Lib. 4 *Etymolog.*, cap. 1. S. ISID. HISP.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Nunquam ibi proficit cura, ubi morbus est ipsa medicina. Lib. 10, epist. 84, *ad Demetriad.* S. AMBROS.

2. Serpit malitia, vulnus augetur, ubi medicina defuerit. Lib. 2, *de Caïn et Abel*, cap. 9.

3. Principium medicinæ est, causas languoris incidere : ne diutius ea quæ nocent ad incrementum ægritudinis ministrentur. *De Noë et Arca*, cap. 7.

4. Medicina Christi, correptio est. Super *Psalm.* XXXVII.

5. Medicus non eo quod seipsum servat, declaratur medicus, nisi simul et ægrotis artem suam exhibeat. *De Passione et cruce Domini.* S. ANASTAS MAGNUS.

6. Non tibi deputatur ad culpam, quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis. Lib. 3, *de Libero arbitrio*, cap. 19. S. AUGUST.

7. Cogunt multas invenire medicinas, multorum experimenta morborum. Epist. 50 *ad Bonifac.*

8. Ipse sibi denegat curam, qui suam medico non publicat causam. Epist. 188.

9. Medici curatio nisi morbo congruat, non perducit ad sanitatem. Lib. 4 *de Trinit.* cap. 18.

10. Duo sunt officia medicinæ, unum quo sanatur infirmitas, alterum quo sanitas custoditur. Super *Psalm.* VII, vers. 11.

11. Omnipotenti medico nullus languor insanabilis occurrit, tantum tu curari te sine, manus ejus ne repellas, novit quid agat. Super *Psalm.* CII, vers. 3.

12. Magnus medicus Christus sanabit te, si sanari velis : sanat omnino ille quemlibet languidum, sed non sanat invitum. *Ibid.* vers. 3.

13. Medicus novit vena inspecta quid intus agitur in ægroto, ægrotus non novit : venit accessio tentationis, et probat medicus sententiam suam, perdit æger præsumptionem suam, sic novit Deus et requirit. Super *Psalm.* XLIII, vers. 23.

14. Magna gloria medici est, quando ex desperatione convalescit ægrotus. Super *Psalm.* XLVII *Enarrat.*, vers. 2.

15. Æger petit multa a medico, non dat medicus : non exaudit ad voluntatem, ut exaudiat ad sanitatem. Super *Psalm.* XCV, vers. 4.

16. Medicus quando ægritudinem discutit, si curet quod per aliquam causam factum est, et ipsam causam per quam factum est non curet, ad tempus videtur mederi, causa manente morbus repetitur. Tract. 25, super *Evang. Joan.*, cap. VI.

17. Medicina vitia persequitur, non naturam. *De Verbis Apost.* serm. 31.

18. Jaces sub manibus medici, patienter implora auxilium; fovet, urit, secat, æquanimiter tolera; tantum noli attendere, nisi ut saneris : sanaberis, si te relinquas medico. Hom. 11 ex *Hom.* LIII.

19. Medicamentum famis, cibus est. Medicamentum sitis, potus est. Medicamentum lassitudinis, somnus est. Medicamentum sessionis, deambulatio est. Medicamentum deambulationis, sessio est. Medicamentum fatigationis, dormitio est. Medicamentum dormitionis, vigilatio est : vide quam imbecille sit corpus humanum. *Ibid.*, hom. 38.

20. Sanus tibi esse videris? detrahe medicamenta, et vide quid potes. Serm. 1. *Dom.* 2 *Quadrag.*

21. Ipsa medicamenta tormenta sunt, ut homines a pœnarum exitio, pœnali eruantur auxilio. Lib. 22, *de Civit. Dei.* cap. 22.

22. Medicus ægro corpori alimentum adhibet et vulnerato medicamentum. Lib. 9, *de Genesi ad lit.* cap. 5.

23. Non eadem medicina est omnibus adhibenda. *De Catechiz. rud.*, cap. 15.

24. Diversitas medicinarum congruit varietati temporum. Epist. 5.

25. In homine secundum corpus, ei quod intrinsecus agit natura, servit extrinsecus medicina. Lib. 8, *de Genesi ad litteram,* cap. 9.

26. Plus dolet vulneratus cum curatur, quam si non curaretur : sed ideo plus dolet accedente medicina, ut nunquam doleat succedente salute. Tractatu 9, super *Epist. Joan.*

27. Medicus si voluntatem ægri attendat, nunquam illum curat. *De Decem chordis*, cap. 4.

28. Est medicus febris persecutor, ut sit hominis liberator. *Ibid.*, cap. 8.

29. Contra omnem curantis industriam, non malo medici, sed ægroti, insanabilis morbus invictus est. Lib. 6 *de Civitate Dei,* cap. 1.

30. De corpore tot existunt morborum mala, ut nec libris medicorum cuncta comprehensa sint. *Ibid.*, lib. 22, cap. 22.

31. Peritissimus medicus, sicut arte sciuntur, omnes fere morbos corporis novit : sicut autem corpore sciuntur, plurimos nescit, quos ipse non passus est. *Ibid.*, cap. 30.

32. Sicut malum medicum expertus, etiam bono timet se committere : ita erat valetudo animæ meæ. Lib. 6 *Confess.* cap. 4.

33. Ecce vulnera mea non abscondo, medicus es, æger sum. *Ibid.*, lib. 10, cap. 28.

34. Sub medici manibus adhuc natura cum suo languore confligit. *De Continent.*, cap. 7.

35. Cum phreneticus medicum vexet, et medicus phreneticum liget, non utique persequitur phreneticum, sed phreneticus medicum. Lib. 4 *contra Cresconium,* cap. 51.

36. Medici cum alligant vulnera, non incomposite, sed apte id faciunt. Lib. 1, *de Doctr. christ.* cap. 14.

37. Erit voluntas sana, si medicum non refugiat. Epist. 45.

38. Molestus est medicus furenti phrenetico ligando, sed diligendo. Epist. 50, *ad Bonif.*

39. Non ut permaneant, sed ut sanentur, a medicis diliguntur ægroti. Epist. 54.

40. Tu inimicus es medico, ego morbo. Hom. 24 ex LIII *Hom.* cap. 2.

41. Ululatus ejus qui secatur, non retrahit manus medici artificiose secantis. Tract. 7, super *Joan.*

42. Nos venimus ægroti ad medicum, et medicus ad ægrotos. *Ibid.*

43. Quantum in medico est, sanare venit ægrotum : ipse se interimit, qui præcepta medici observare non vult. *Ibid.*, tractatu 12.

44. Odit medicus ægritudinem ægroti, et id agit curando, ut ægritudo pellatur, æger levetur. *Ibid.*, tract. 41.

45. Medicus recte dicitur ægros diligere, qui in

eis salutem diligit, non morbum. *Ibid.*, tract. 65.

46. Novit medicus quid pro sua, quid contra suam salutem poscat ægrotus : et ideo contraria poscentis non facit voluntatem, ut faciat sanitatem. *Ibid.*, tract. 73.

47. Multi vocantur medici, qui curare non norunt. Tract. 4 super *Epist. Joan.*

48. Medicus secare vult, urere vult; tu si clamas et non exaudiris in sectione, in ustione et tribulatione, novit ille quousque putre est : tu jam vis revocare manus, et ille vulneris sinum attendit. *Ibid.*, tract. 6.

. BASILIUS MAGNUS. 49. Sanitas choragus et princeps est ars medicinæ Epist. 80 *ad Eustathium medic.*

50. Corporum medici subsidiis ad præcavendum morbum accomodatis, sanos præmuniunt : iis autem qui jam morbo tenentur, manum non admovent. Apud div. Joan. Damasc. lib. 2, *Parall.*, cap. 64.

51. Imperitus medicus ad ægrotos ingrediens, pro eo quod sanitati eos restituere deberet, id quoque paululum virium, quod ipsis reliqum est, etiam adimit. *Ibid.*

52. Solerter medici, cum acerbissima quæque pharmaca ægrotis fastidio laborantibus haurienda porrigunt, melle persæpe poculum circumliniunt. *Ibid.*

V. BEDA. 53. Valde imperitus est medicus, qui nulla nisi lenia medicamenta dare novit. In suis *Prov.* verbo *Valde.*

BERNARD. 54. Delicata nimis medicina est prius alligari quam vulnerari, membrum non percussum plangere, et necdum suscepto ictu admovere manum, fovere enguento ubi non dolet, emplastrum adhibere ubi cæsura non est. In *Apologia ad Guillielmum Abbatem*, cap. *Dicitur.*

BO[illegible]US. 55. Si operam medicantis expectas, oportet ut vulnus detegas tuum. Lib. 1 *de Consolat. Philos.* prosa 4.

. BONAV. 56. Si medicina est propter ægritudinem ; igitur non est redarguendus ægrotus, si confugit ad medicum, nec medicus, qui accedit ad ægrotum. Super *Luc*, cap. v, in illud : *Non egent sani medico.*

57. Putridæ carnes cauterio curantur et ferro, et venena serpentina curantur antidoto : sicut enim clavus clavo repellitur, sic majori dolor dolore curatur. *Prosec.*

58. Tunc medicus miseretur, quando non parcit ægritudini, ut curetur : tunc vero crudelis esset, si parceret ; quia eum tunc occideret et non curaret. Serm. 2 *de Pluribus Martyr.*

59. Magis se quam medicum diligit, quem solum ob causam suæ salutis diligit. Serm. 9 *de sanctis Apostolis.*

S. SÆSARIUS ARELAT. 60. Austeriorem ac violentiorem poscit vis occulta medicinam, ut ulceris magnitudo, aut sectione, aut exustione supercuretur, et dolor dolore pellatur. homilia 1.

61. Spiritualis medicina si libenter accipiatur, absque dubitatione, et etiamsi mortua sit anima, suscitatur. *Ibid.*, hom. 15.

CASSIODOR. 62. Saluberrima medicina, ut morbus contrario remedii munere curetur. Super *Psalm.* cvi, vers. 12.

63. Remanet iniquitas desperata, cui subtrahitur saluberrima medicina. Super *Psalm.* cviii, vers. 2.

S. DIADOCH. 64. Medicos vocare, cum non valemus, nihil prohibet : verum non oportet spem sanationis in illis collocare, sed potius in vero Salvatore et medico nostro Jesu Christo. *de Perfect. spirit.*, cap. 53.

FRANCISCUS TITELM. 65. Vitium datur medico, si cum alios curaverit, semetipsum curare vel non possit vel non velit. In *Elucid.* super cap. iv, *Job.*

66. Non plene cognoscitur medicantis beneficium, nisi morbus ipsi fuerit ægrotanti bene cognitus. In *Anotatione* super *Psalm.* xxxvii, vers. 19.

GLOSS. ORD. 67. Medicus injustus est aut ex malitia, aut ex imperitia. Super *Jol.*, cap. xiii.

68. Omnis medicina habet ad tempus amaritudinem, sed fructus doloris sanitate monstratur. Super *Ezech.*, cap. vii, in illud : *Et non parcet.*

S. GREGOR. MAGNUS. 69. Mos medicinæ est, ut aliquando similia similibus, aliquando contraria contrariis curet. Lib. 24, *Moral.*, cap. 2.

70. Medicina sæpe calida calidis, frigida frigidis : sæpe etiam frigida calidis, calida frigidis sanare consuevit. *Ibid.*

71. Moris medicinalis est, ut sæpe fervorem viscerum in pruriginem cutis trahat : et plerumque in interius curat, unde exterius sauciat. *Ibid.*, lib, 33, cap. 17, num. 23, super illud *Job.* xl : *Memento belli.*

72. Improbus et imperitus est medicus, qui alienum mederi appetit, et ipse vulnus quod patitur, nescit. Part. 3 *Pastor.* cap. 1, admonit. 25.

73. Si quis medicus adjutoria corpori immature dederit, fit causa periculi res salutis, Lib. 7, in *Registro*, indict. 2, cap. 110, epist. 110, *ad Syagrium.*

S. GREGOR. NYS. 74. In medicina damnum affert exuperatio, et defectus temporis et mensuræ, quæ convenit curationi. Hom. 4, super *Ecclesiasten.*

HAYMO. 75. Interemitur, qui præcepta medici servare non vult. Serm. *fer.* 2 *Pent.*

76. Medicorum opus tanto magis laudabile apparet, quanto et difficiliores morbos curare potuerint. Serm. *Dom.* 17 *post Pent.*

S. HIERON. 77. Medicus si cessaverit curare, desperat. Epist. 33, *ad Castrat.*

78. Si quæ in medico perdidisti, dedisses pauperibus, curasset te verus medicus Jesus. Epist. 50, *de Vita Pauli Eremitæ.*

79. Putridæ carnes ferro indigent, et cauterio : nec est medicinæ culpa, sed vulneris, cum clementi crudelitate non parcit medicus, ut parcat; sævit, ut misereatur. Epist. 25, *ad Amandum.*

80. Ama medicum percussorem, cujus plaga mater est disciplinæ. Epist. 6, *ad Amicum.*

81. Multi sunt quos medici sine ferro curare non possunt. *Ibid.*

82. Sub medica pietate homo plurimum torquetur, ut plurimum vivat. *Ibid.*

83. Grandi plagæ alta et prolixa opus est medicina. Epist. *ad Susannam lapsam.*

84. Dolorem medicinæ, spes salutis mitigat. Super *Marc.* cap. 1, can. 6, num. 9, super illud : *Pœnitemini.*

HUGO A S. VICTORE.

85. Noli timere morbo medicinam apponere : morbus medicinam non corrumpit, sed morbum medicina disrumpit. *De Orat. Dom.*, cap. 19.

86. Oportet medicum quasi prophetam esse; ut non solum de præsentibus, sed etiam de præteritis et futuris possit judicare. *De Animæ medicina*, cap. 9.

HUGO CARD.

87. Magna est ira Dei, quando medicina versa est in venenum. Super *Psalm.*

88. Laudabilis est medicus, qui gratis sanat : laudabilior, qui inimicum propriis sumptibus curat; superlaudabilis est, qui de suo sanguine conficit medicinam. Super *Luc.*, cap. 19.

S. INNOC. III.

89. Saluberrimum est consilium, ut qui indiget corporali medela, spiritualium prius exigat et accipiat medicinam. Super *Psalm.* VI, vers. 3.

S. JOANNES CHRYSOST.

90. Medicina optima est, quando commensurationem habet optimam. Hom. 1, *ad Popul. Antiochen.*

91. Medicina licet millies utilis sit, per utentis imperitiam inutilis sæpe fit. *Ibid.*, hom. 3.

92. Medicinæ finis, sanitas est. Hom. 2, super 1, *Tim.*

S. JOAN. CL.

93. Fit plerumque, ut quod alteri medicina est, alteri venenum sit. Nam eadem res, si eidem suo tempore offeratur, medicina est : sin autem intempestive, venenum efficitur. Gradu 26.

S. JOANNES DAMASCEN.

94. Perfectum medicum eum appellamus, qui nihil eorum, quæ ad utilitatem atque ægrotorum curationem attinent, prætermittit. Lib. 2 *Parall.*, cap. 64.

JOAN. SAR.

95. Nemo magis necessarius est aut utilior medico, dummodo sit fidelis et prudens. Lib. 2. *de Nugis curial.*, cap. ult.

S. IRENÆUS.

96. Quis medicus volens curare ægrotum, faciet secundum concupiscentias ægrotantis, et non secundum quod aptum est medicinæ? Lib. 3, *advers. Hæres.*, cap. 5.

97. Medicus in his, qui ægrotant, probatur. *Ibid.*, cap. 22.

S. ISIDORUS PELUSIOTA.

98. Ridiculum est, aliis medicinam afferre conari, seipsum autem ægrotantem negligere. Lib. 1. epist. 391, *ad Domestium.*

LACT. FIRM.

99. Quamprimum latentibus morbis adhibenda est curatio. Lib. 6, *de Divin. inst.*, cap. 24.

PETR. BLES.

100. Medicorum vitium est, semper circa ægritudines variare. Epist. 43, *ad Petr. medic.*

101. Frequenter ex aptitudine medici gratiosa, ex quadam confidentia, quam ægrotus inde concipit, natura jam deficiens convalescit. *Ibid.*

S. PETRUS CHRYSOL.

102. Ingratus medico, inimicus est curæ : qui semper curari æstuat, nec unquam desiderat sanari. Serm. 113.

103. Medicus, qui non fert infirmitates, curare nescit. *Ibid.*, serm. 50.

S. PETRUS DAMIANUS.

104. Quomodo sanari poterit, qui medicum spernit, et medicinam conculcat? Serm. 60, *de Vigilia Nativit. Dom.*

PHILO JUD.

105. Probus medicus non uno eodemque die ea omnia simul, quæ ad valetudinem conducunt ægroto adhibere sustinet : verum partitis temporibus salutaria medicamenta tribuit, atque alias aliud adjiciens, sensim ac leniter ad sanitatem eum asserit. Habetur apud D. Joan. Damasc. lib. 2, *Parall.*, cap. 64.

S. PROSPER.

106. Nunquam ibi proficit cura, ubi morbus est ipsa medicina. Epist. *ad Demetriad.*

SALVIANUS.

107. Medicis est nihil inexpertum relinquere, quam morientem non curare. Lib. 1. *ad Eccle. Cathol.*

S. SYNESIUS EPISCOPUS.

108. Medicis corpus committimus, non qui ditissimi, sed quicumque demum suæ ætatis peritissimi sint. *De Regno ad Arcadium imperat.*

TERTULLIANUS.

109. Cur cessas aggredi, quod scias mederi tibi? mutæ animæ et irrationales medicinas sibi divinitus attributas in tempore agnoscunt. *De Pœnit.*, cap. 2.

S. THEODOR.

110. Medica ars corporibus auxilium præbet, et morbis insidias struit. Serm. 3, *de Provid.*

S. VALERI. EPISCOPUS.

111. Parum prodest medicina morituris. Hom. 2, *de Arcta vita*, in principio.

112. Res quæ nullis medicinæ beneficiis indagata excluditur, in perpetuum dolores operatur. *Ibid.*, Homil. 5, *de Oris insolentia.*

113. Infirmitas, quæ in diem crescit, medicinam in diem requirit. *Ibid.*, homil. 9, *de Misericord.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CATO POET.

114. Corporis auxilium medico committe fideli. Lib. 2 *Distichor.*, metr. 52.

CICERO.

115. Animi medicina non tam desiderata est, antequam inventa sit, quam corporis, nec tam culta posteaquam cognita est, nec tam multis

grata et probata, pluribus etiam suspecta et invisa. Lib, 3 *Tusc. quæst.*

MUS PUB. 116. Crudelem medicum intemperans æger facit. In suis *Sent.*, sent. 73.

117. Mala est medicina, ubi aliquid naturæ perit. *Ibid.*, sent. 237.

PLATO. 118. Medicina ars quædam dicitur : ab hac duo fiunt, nam et medici ex medicis efficiuntur, et sanitas reparatur. Sizygia 6, in dialog. *Clitophi.*

ENECA. 119. Mali medici est, desperare ne curet. Lib. 1, *de Clement. ad Neron.*, cap. 17.

120. Nihil in morbis est magis periculosum, nec perniciosum, quam immatura medicina. *De Consolat. ad Helviam*, cap. 1.

121. Medicina ægro, non regio quærenda est. Epist. 104.

122. Non quærit æger medicum eloquentem, sed sanantem. Epis, 75.

123. Emis a medico rem inæstimabilem, vitam ac veletudinem bonam. Lib. 6, *de Benef.*, cap. 15.

Vide etiam tit. *Consilium*, sent. 85 ; *Dissimulatio*, sent. 23 ; *Doctrina*, sent. 52 ; *Infirmitas*, sent. 8, 10 ; *Ira*, sent. 49 ; *Melior*, sent. 31 ; *Occisio*, sent, 55 ; *Placare Deum*, sent. 32 ; *Pœnitentia*, sent. 65 ; *Tribulatio*, sent. 11 ; *Vulnus*, sent. 57, 92.

MEDIOCRITAS.

LLECTOR. *Definitio.* Mediocritas est virtus inter excessum et defectum posita.

SENTENTIÆ PATRUM.

BERNARD. 1. Quid mediocritate gratius, ut de severitate non sis oneri, nec de familiaritate contemptui ? Lib. 4, *de Consid. ad Eugen. pap.*

2. Omnia mediocria sunt utilia, et in suo modo perfecta. Serm 63, *ad Sororem.*

BONAV. 3. Mediocritas dat satis, et dat gratis : dat quo natura caleat, et dat quo convaleat. Super *Psalm* IX.

ANCISCUS TELM. 4. Ditior est justi mediocritas, quam impii abundantia. In *Elucid.* super *Psalm.* XXX, vers. 22.

GO A S. CTORE. 5. Ex fortitudine mediocritatis, deprimuntur vitia carnis. Super *Regul. S. August.*, cap. 5.

6. Mediocritas, quam vocant philosophi frugalitatem, est voluntaria paupertas. Lib. 1 *de Claustro animæ*, cap. 9.

7. Fame natura deficit, frigus naturam afficit ; sed mediocritas utrumque reficit. *Ibid.*, cap. 10.

8. Mediocritas est quasi via plana, in qua nec celsitudo divitiarum lapsum minatur ascendentibus, nec profunditas egestatis cadentibus resurgendi spem negat. *Ibid.*

9. Mediocritas est via media, quæ tenenda est, quæ ducit ad civitatem summi Regis, a dextris vero et sinistris sunt egestas et divitiæ. *Ibid.*

10. Mediocritas est quasi mensura quædam, qua totius bonitatis spatium terminatur. *Ibid.*

11. Mediocritas novit æqualiter omnibus sua partiri. *Ibid.*, lib. 2, cap. 3.

12. Semper quod mediocritatem custodit, amabile est : quod vero modum non servat, injucundum est. Hom. 16, super *Acta Apost.* — S. JOANNES CHRYSOST.

13. Mediocritas duplex sanitas est, et duplicia affert bona. *Ibid.*

14. Ubique malum, ubi non est mediocritas. *Ibid.*, hom. 22.

15. Mediocritas rerum optima est. Orat. 5, in *Conventu Abbat. habita.* — JOAN. TRITH.

16. Rerum mediarum usus rectus, et rationi consentaneus, animæ conditionem purgat, et discretionem procreat. Centur. 4, *de Charit.*, cap. 91. — S. MAXIMUS MART.

17. Mediocritas in tribus consistit : sufficiens est, tranquilla est, secura est : sufficiens est, quia non inhiat quærendis, non incubat quæsitis, nec cruciatur amissis ; tranquilla est, quia non exsanguinatur curis, non distrahitur negotiis, non maceratur opprobriis ; secura est, quia non timet calumnias proximorum, non insidias latronum, nec impetus hostium. Serm. 31, *de S. August.* — PETR. BLES.

18. Ubi mediocritas servatur, ibi virtus concordiæ diutius perseverat. *In Hortulo rosar.* cap., 16, sect. 2. — THOMAS A KEMPIS.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

19. Notam morum laudabilium habent, qui mediocriter vivunt. Lib. 1, *de Histor. animal.*, cap. 10. — ARISTOTEL.

20. Mediocritatem in vita sequi oportet, non excessus. Lib. 5 *Polit.*, cap. 11.

21. Ne tibi quid desit, quæsitis utere parce : — CATO POETA
Utque quod est serves, semper tibi deesse putato.
Lib. 1 *Ditsich.*, metr. 46.

22. Nihil est uberius, nihil eruditius, nihil gravius, nihil dulcius mediocritate. Lib. 3 *Tusc. quæst.*, num. 22. — CICERO.

23. In vestitu sicut in plerisque rebus, mediocritas optima est. Lib. 1 *de offic.*

24. Mediocritas ad omnem usum, cultumque vitæ transferenda est. *Ibid.*

25. In omnibus fere rebus mediocritatem esse optimam, existimant. Lib. 4. *Tuscul. quæst.*

26. Disce parvo essse contentus. Epist 110. — SENECA.

27. Contentus esse mediocribus stude. *Sentent.* 90. — SIXT. PHIL.

Vide etiam tit. *Magnanimitas.*, sent. 39 ; *Nutrimentum*, sent. 55.

MEDITATIO.

Definitio. Meditatio est studiosa mentis actio occultæ veritatis, notiam ductu propriæ rationis investigans. In *Scala claustral.*, cap. *Cum.* — S. BERNARD.

S. BONAV. Meditari est secreta scrutari. *Exposit.* 2 super *Psalm.* CXVIII, cap. 8, art. 3, vers. 5.

DIONYSIUS CARTHUS. Meditari de Deo, est interius, seu intellectualiter loqui cum eo, vel de eo. *De Fructuosa temporis deductione*, art. 3.

HUGO A S. VICTORE. Meditatio est frequens cogitatio, modum, et causam, et rationem uniuscujusque rei investigans : modum, quid sit : causam, quare sit; rationem, quomodo sit. *De Arte meditandi.*

JOAN. GERS. Meditatio est vehemens cordis applicatio ad aliquid investigandum, et inveniendum fructuose. Part. 3 *de Meditat.*, consid. 1.

RICHARDUS A S. VICTOR. Meditatio est ocultæ veritatis studiosa investigatio. Part. 1, tract. 2 *de Extermin. mali.* cap., 15.

Meditatio est studiosa mentis intentio circa aliquid investigandum diligenter insistens. Lib. 1 *de Contempl.*, cap. 4.

Meditatio est providus animi obtutus in veritatis inquisitione vehementer occupatus. *Ibid.*

HUGO A S. VICTORE. *Divisio.* Tria sunt genera meditationum : unum in creaturis, unum in scripturis, unum in moribus *Prosec.*

Primum surgit ex admiratione, secundum ex lectione, tertium ex circumspectione.

In primo admiratio quæstionem generat, quæstio investigationem, investigatio inventionem.

Admiratio est dispositionis, quæstio causæ, investigatio rationis. *De Arte meditandi.*

DIONYSIUS CARTHUS. *Differentia.* Differunt cogitatio, meditatio, et contemplatio : Cogitatio vagatur, et serpit sine labore, et sine fructu. Meditatio nititur, et incedit cum labore, et cum fructu. Contemplatio autem circumvolat, et circumfertur sine labore, et cum fructu. *Prosec.*

Ita quod in cogitatione est evagatio mentis, in meditatione inquisitio mentis, sed in contemplatione est mentis admiratio. *De Perfect. charitat.*, art. 41.

RICH. A S. VICTORE. Aliud est contemplatio, aliud est meditatio. Meditationis est perscrutari occulta, contemplationis est admirari perspicua. *Prosec.*

Per meditationem ad bonum instruimur, per contemplationem in bono solidamur. Part. 1, tract. 2 *de Exterm. mali*, cap. 15.

HUGO A S. VICTORE. *Comparatio.* Sicut homo exterior in refectorio materiali ad horam cibo potuque reficitur : sic homo interior in refectorio sanctæ meditationis diversorum exemplorum ferculis saginatur, et vino compunctionis potatur. Lib. 3 *de Claustro animæ.* cap. 8.

S. NILUS. Sicut panis est alimentum corporis, sic spiritualis oratio alimentum mentis est. *De Orat.*, cap. 95.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Meditationis præceptorum cœlestium intentio vel finis, operatio est. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 6, vers. 7.

S. ANSELM. 2. Meditatio de te, Deus, plusquam cibus suavis est; de te loqui plena est refectio : te nosse, perfecta consolatio : tibi adhærere, vita æterna : a te separari, mors perpetua. In *Meditationibus.*

S. AUGUST. 3. Meditatio parit scientiam, scientia compunctionem, compunctio devotionem, devotio orationem. *De Spiritu et anima*, cap. 49.

4. Piissime Domine, quam dulcis est memoria tua, quanto magis in te meditor, tanto es mihi dulcior et amabilior. In *Manuali.* cap. 14.

5. Dulce est semper ad considerandum, quod ad amandum et laudandum semper suave est. *Ibid.*, cap. 28.

6. Lectio inquirit, meditatio invenit, oratio postulat, contemplatio degustat. *Prosec.*

7. Lectio quasi solidum cibum ori apponit, meditatio masticat et frangit, oratio saporem acquirit, contemplatio est ipsa dulcedo, quæ jucundat et reficit.

8. Lectio in cortice, meditatio in adipe oratio, in desiderii postulatione, contemplatio in adeptæ dulcedinis delectatione. *In Scala Paradisi*, cap. 2.

9. Ad hoc ut fructuosa sit meditatio, oportet ut sequatur orationis devotio, cujus quasi effectus est contemplationis dulcedo. *De Scala Paradisi*, cap. 10.

10. Lectio sine meditatione arida est, et meditatio sine lectione erronea est. *Ibid.*, cap. 11.

11. Oratio sine meditatione est tepida, meditatio sine oratione infructuosa. *Ibid.*

S. BASILIUS MAGNUS. 12. Ne majora mediteris, quam naturæ humanæ convenit. Homil. 10 in *Hexamer.*

S. BERNARD. 13. Qui mentem pacificam et serenam habent, de supernis dulcius sapiunt, et subtilius vident. Serm. *De Donis Spirit. sancti*, cap. 7.

14. Nihil tam efficax ad curanda conscientiæ vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quam Christi vulnerum sedula meditatio. Serm. 62 super *Cant.*

15. Juge silentium, et ab omni strepitu sæcularium perpetua quies, cogit cœlestia meditari. Epist. 78.

16. Meditandi melius ac tutius proponitur imago Dominicæ nativitatis, passionis, et resurrectionis. *De Vita solit.*

17. Omnis locus ad meditandum congruus est. Lib. *Medit.*, cap. 6.

18. Sedula meditatio non remanet extra, non hæret in superficie, ulterius pedem figit, interiora penetrat, singula rimatur, attente considerat quod meditatur. In *Scala claustral.*, cap. *Accedens.*

19. Summa philosophia est, assidua mortis meditatio. In *Speculo monachorum.*

20. Oratio et meditatio, sicut turtur et columba querimonias dulces submurmurant in foramine petræ, in caverna maceriæ, condolentes de Domini passione, emittentes gratiosa susurra et devota suspiria. Hom. *de Duobus discip. euntibus in Emmaus.*

S. BONAV. 21. Meditatio non ad linguam proprie pertinet, sed ad cor, cujus proprium est meditari. Super *Psalm.* xxxv.

22. O felix meditatio! intus ardens, foris lucens, sursum ducens. Amando, interius inardescit; orando, forinsecus elucessit; suspirando, quæ sursum sunt concupiscit. *Expos.* 2, super *Psalm.* CXVIII, cap. 9, vers. 45.

23. Jugis et assidua vitæ Christi meditatio, contra vana et caduca mentem roborat : contra tribulationes et adversa fortificat, contra hostium insidias ac blandimenta fallacia erudit. Lib. *Meditat. vitæ Christi* in proœmio.

24. Vitæ Christi meditatio non solum per se dulciter pascit, sed ad majorem cibum transmittit. *Ibid.*, cap. 99.

25. Meditatio sæpe per ardua et aspera ad directionis finem cum magna animi industria pervenire nititur *De Septem itineribus æternit.*, itin. 2, dist. 2.

26. In passionis Christi meditatione fit homo totus virgineus, totus sanctissimus, totus divinus. In *Stimulo amoris.* part, 3, cap. 16.

27. Ad orandi studium meditatio provocat et informat. In *Speculo disciplin.*, part. 2, cap. 12.

28. Vitanda est in conventu, seu congregatione oratio sibilosa. *Ibid.*, cap. 15.

29. Meditationis studium est semper quovis industriæ labore, qualibet animi difficultate, ardua quæque apprehendere, obscura irrumpere, occulta penetrare, donec veritatem diu quæsitam inveniat, et animum ad veritatis contemplationem, cum admiratione et exultatione adducat. *De Septem itineribus æternit.*, itin. 2, dist. 1.

30. Meditationis proprium est, sua promotione semper in ulteriora tendere. *Ibid.*, itin. 3, dist. 1.

31. Sic orationi sancta meditatio necessaria est, ut omnino perfecta esse oratio nequeat, si eam meditatio non comitetur aut præcedat. In *Speculo disciplinæ*, part. 1, cap. 12.

CASSIODOR. 32. Illa meditatio beatos facit, quæ operibus sanctis cœlorum regna conquirit. Super *Psalm.* CXVIII, vers. *Lex tua meditatio mea est.*

DIONYSIUS CARTHUS. 33. Omnis meditationis veræ finis et fructus est Deo adhærere, et unum cum Deo spiritum fieri, *De Perfect. charit.*, art. 38.

S. EPHREM. 34. Esto totus orationis tempore velut cœlestis angelus : mens tua non evagetur, et coram Deo bene te compone. *De Virginit.*

35. Meditare bona, ut non mediteris mala : siquidem mens non patitur otium. *Adhort.* 4.

EVAGRIUS. 36. Ex diuturna meditatione et exercitatione, vis et feritas perturbationum animi frangitur, ac debilitatur. Hab. apud *D. Joan. Damasc.*, lib. 1, *Parall.*, cap. 110.

S. FRANCIS. ASSISIAS. 37. Ubi est quies et meditatio, ibi nec sollicitudo, nec evagatio. In suis *Opusc.* in admonit. cap. 26.

GILLEBERT. ANGLUS. 38. Grata meditatio, quam suggerit charitas. Serm. 19, super *Cant.*

GLOSS. ORD. 39. Dilectio alicujus rei facit de illa re frequenter meditari. Super illud *Psalm.* CXVIII, *Meditabar in mandatis tuis.*

S. GREGOR. MAGNUS. 40. In electis eo fit uberior infusio supernæ gratiæ, quo mens fuerit purior per custodiam internæ meditationis. Lib. 2, in I *Regum*, cap. III, super illud : *Et vocavit Dominus Samuelem.*

41. Quanta sit cœlestis gloriæ felicitas, in meditatione pertractatur. *In Septem. Psalm. Pœnitent.* super *Psalm.* IV, vers. 18.

42. Si quis meditari cupit, prius abjiciendus est pulvis ex oculo, deinde oculus refovendus. *Prosec.*

43. Pulvis abjicitur, cum ab intentione mentis cuncta rerum corporearum phantasmata removentur.

44. Oculus autem refovetur, cum usu continuæ meditationis, eadem mentis intentio ad æterna sustollitur. Lib. 1, in I *Regum*, cap. 1.

S. HIERON. 45. Meditatio, animæ est pabulum. Epist. 6, *ad Florent.*

46. Quidquid quotidiana meditatio tribuere solet, hoc Spiritus sanctus suggerit. Epist. 1, *ad Paulin.*

47. Bona est diurna meditatio, sed efficacior nocturna : quia per diem necessitates variæ obstrepunt, et occupationes distrahunt mentem; nox autem quieta, nox secreta opportunam se præbet orantibus, et aptissimam. Epist. 36, *de Observatione vigiliar.*

48. Quotidiana meditatio solet magis labor mentis esse, quam carnis. In *Reg. monach.*, cap. 14, *de Contempl.*

49. Heu cor infelicissimum, mens infortunatissima, quæ non meditatur quotidie! si meditatur, fatuissimum est si appetit quidquam de sæculo, et pompis ejus. In *Regula monachar.*, cap. 31.

HUGO A S. VICTORE. 50. Inflammatur discretione meditatio, accenditur consideratione, illuminatur cogitatione. Lib. 2 *de Claustro animæ*, cap. 14.

51. Frustra accedit ad meditandum, qui non amat. Lib. 3 *de Anima*, cap. 9.

HUGO CARD. 52. Meditatio et oratio duæ sunt alæ charitatis. Super *Psalm.* LIV.

53. Ignescit anima in meditatione, sed flammam emittit et illuminatur cognitione. *Prosec.*

54. Cognitio in mente quasi fumus in igne, sed meditatio quasi ignis ardens, cum fumo tamen; delectatio vero quasi flamma ignis sine fumo. Super *Cant.*, cap. VIII.

JOAN. CASS. 55. Finis totius perfectionis est, ut eo usque extenuata mens ab omni situ carnali ad spiritalia quotidie sublimetur, donec omnis ejus conversatio, omnis volutatio cordis, una et jugis efficiatur oratio. Collat. 10. *Abbat. Isaac*, cap. 7.

S. JOANNES CHRYSOST. 56. Sicut corpus quod aeris puritate perfruitur, sanius fit : sic anima fit sapientior, meditationibus enutrita. Hom. 2, super *Matth. Oper. perf.*

JOAN. GERS. 57. Meditatio, si debite fiat, transit in contemplationem : sicut cogitatio in meditationem. *De Mystica theolog.*, considerat. 24.

58. Absque meditationis exercitio, nullus, secluso miraculo Dei speciali, ad perfectionem contemplationis dirigitur aut pervenit. *De Medit.*, consid. 7.

JOAN. TRIT. 59. Nihil in hoc mundo reperitur efficacius, nihil potentius, quam sedula vulnerum Christi meditatio. Lib. 1, homil. 16, *ad Monachos.*

60. Inter omnia exercitia nullum potest esse sanctius, nullum Deo acceptabilius, nullum salubrius, quam meditatio passionis Domini nostri Jesu Christi. *Ibid.*

61. Passionis Christi devota meditatio libidinem exterminat, luxuriam edomat, invidiam fugat, gulam refrænat, avaritiam sedat, acediam inflammat, iram mitigat, superbiam extirpat. *Ibid.*

S. ISID. HIS 62. Meditatio oratio cordis est, non labiorum. Lib. 3 *de Summo bono*, cap. 7, sent. 4.

63. Purgandus primum animus, atque a temporalium rerum cogitationibus segregandus; ut pura acies cordis ad Deum vere et simpliciter in meditatione dirigatur. *Ibid.*, sent. 10.

LACT. FIRM. 64. Plurimum proficit ad veniam consequendam, si abjectis humilibus terrenisque tam rebus, quam bonis, cœlestia et divina sempiterna meditemur. *De ira Dei*, cap. 23.

S. LAURENT JUSTIN. 65. Nihil in hac peregrinatione dulcius sentitur, nil dulcius sumitur, nil verius capitur, sicut verborum Dei assidua meditatio. *De Ligno vitæ*, tract. 9, *de Persever.*, cap. 4.

66. Nihil ita fructuose ad meditandum inexperto offertur novitio, sicut Christi vita, et potissimum ipsius passio gloriosa. *De Discipl. monast.*, conversat.

LUDOVICUS BLOSIUS. 67. Mentalis oratio rite peracta, Deo valde placet. In *Speculo spirit.*, cap. 10.

S. NILUS. 68. Meditatione mentem colito, extirpat enim malas cogitationes meditatio continue frequentata. *Parænes.* 46.

69. Loquere Deo multa, et hominibus pauca : legis vero meditatione utraque recte dispones. *Ibid.*, parænes. 194.

70. Quid excellentius, quam cum Deo colloqui, et usu ejus detineri ? *Ibid.*, *de Orat.*, cap. 32.

71. Si tempore orationis mens tua circumspicit, nondum intellexisti, te ut monachum orare : quin potius adhuc ex mundo es, et scenam extrinsecus ornas. *Ibid.*, cap. 41.

72. Ne quæras prorsus, ut forma aut figura ulla tibi inter orandum appareat. *Ibid.*, cap. 108.

73. Angelis efficitur similis monachus per veram orationem. *Ibid.*, cap. 107.

74. Beata mens est, quæ dum orat, omnibus formis omnino vacua est. *Ibid.*, cap. 111.

75. Beata mens, quæ expedite ac sine distractione orat, huic semper plus desiderii accedit. *Ibid.*, cap. 112.

76. Beata mens, quæ dum orat, omnino omnium sensuum usu vacua est. *Ibid.*, cap. 113.

77. Beata est mens, quæ tempore orationis nihil rerum habet, nihil psssidet. *Ibid.*, cap. 114.

78. Sacri eloquii assidua meditatio, animam mundo reddit extinctam. *Opusc.* 12, cap. 25. S. PETR. DAM.

79. Sancta quælibet anima, quæ cœlesti sponso in amore conjungitur, necesse est ut ei assiduis Scripturarum meditationibus, quasi quibusdam vinculis insolubiliter connectatur. *Opusc.* 32, cap. 6, grad. 27.

80. Meditatio, scientiæ nutrix est. Habet. apud *Div. Joan. Damasc.*, lib. 1. *Parallel.*, cap. 70. PHILO JUD.

81. Assidua meditationis exercitatio certam ac firmam scientiam efficit, quemadmodum contra, inexercitatio inscitiam parit. *Ibid.*

82. Meditatio passionis Christi, stimulos carnis mitigat, tentamenta inimici extinguit, in desperatione consolatur, delet peccata, mortificat vitia, roborat mentem, confert gratiam. Part. 2, super *Cant.* 38. RICHARDUS A S. VICTOR.

83. Ex frequenti meditatione ignis charitatis in corde accenditur. Super *Epist. ad Ephes.*, cap. 5, lect. 7. S. THOMAS AQUINAS.

84. Summum studium nostrum sit, in vita Jesu Christi meditari. Lib. 1 *de Imit. Chr.*, cap. 1. THOMAS A KEMPIS.

85. Taciturnitas et meditatio pariunt castitatem. Lib. 5, libell. 5 *de Fornicat.*, num. 25. IN VIT. PAT.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

86. Nullius rei meditatio tam necessaria est, quam sui finis. Epist. 70. SENECA.

87. Erit animus in cœlo etiam antequam hac custodia exsolvatur, cum vitia dejecerit, levis purusque in cogitationes divinas emicuerit. Epist. 79.

88. Subsilire in cœlum, ex angulo licet. Epist. 31.

89. Si contra mortem te præparaveris, faciet te firmum assidua meditatio. Epist. 82.

90. Omnis dies, omnis hora, quam nihil simus ostendit, et aliquo argumento recenti admonet fragilitatis oblitos, cum æterna meditantes, respicere cogit ad mortem. Epist. 10.

Vide etiam tit. *Amicita Dei,* sent 80; *Desiderium,* sent. 55; *Exaudire,* sent. 36; *Lectio,* sent. 32; *Mors,* sent. 107, 130, 131, 242; *Profectus.* sent. 591; *Spiritus,* sent. 26.

MEDIUM.

S. AUGUST. *Definitio.* Medium est in numeris, a quo ambo latera sibimet sunt æqualia. Lib. 1 *Musicæ,* cap. 12.

S. GREGOR. NYS. Medium est, quod cum æqualibus ab omni parte intervallis ab extremo abest. Hom. 12, super *Cant.*

HUGO CARD. Medium dicitur quidquid est inter extremo. Super *Abacuc.,* cap. III.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Facite vos dignos videri quorum in medio Christus sit; ubi enim pax, ibi Christus, quia pax Christus est. Lib. 1, epist 82 *ad Vercellensem Eccles.*

S. ANTONIN. 2. Medium in cunctis tene, ut possis comprehendere quæ sit latitudo et longitudo, sublimitas et profundum. *Prosec.*

3 Nam longitudo nimia, exterminium habere solet; latitudo incongrua, scissuram: sublimitas, ruinam: profundum, absorptionem. Part, 1, tit. III, cap. 7, § 1.

S. AUGUST. 4. Bono fine concludantur initia, ut principium medio, medium ne discrepet ultimo. Serm. 8 *ad Fratres in eremo.*

5. Omnia quanto clarius nota sunt, tanto magis in medio esse dicuntur. Epist. 120, cap. 17.

6. Quælibet rerum copulatio atque connexio, tunc maxime unum quiddam efficit, cum et media extremis, et mediis extrema consentiunt. Lib. 1 *Musicæ,* cap. 12.

S. BERNARD. 7. Timendum est periculum in via, scilicet in medio stare, aut residere. Serm. *de Tribus ordin.*

8. Virtutes medium tenent: si vel ultra, vel infra quam oportuerit fiat, a virtute disceditur. Serm. *de Donis Spirit. sanct.,* cap. 5.

9. Medium vitiorum virtus tenet, ac proinde sedula eget, non solum putatione, sed et circumcione. Serm. 58, super *Cant.*

10. Tene medium, si non vis perdere modum. Lib. 2 *de Consid. ad Eug. pap.*

11. Locus medius tutus est. *Ibid*

12. Medium sedes est modi, et modus virtus. *Ibid.*

13. Non est sapientis habitare in longo, quod ultra medium sit: nec in lato, quod extra sit: nec in alto vel imo, quod alterum supra, alterum infra sit. *Ibid.*

14. Virtus est medium vitiorum utrimque redactum. *Prosec.*

15. Est quoddam medium inter nimis comedere, et nimis abstinere, et illud medium est virtus. Quod si omnino tale medium servare non potest homo, tamen hoc cavere potest, ne nimis a medio recedatur. Lib. *de Passione Domini,* cap. 42.

16. Medium tene, ne sis nimis tristis vel hilaris, S. BONAV. nimis severus vel lenis, nimis socialis vel alienus, nimis tacitus vel verbosus, nimis dure loquens vel blande, nimis rigidus vel remissus. *De Sex alis Seraphin.,* cap. 7.

17. Verus amor nullum patitur medium inter se et objectum. *De Septem itineribus æternit.,* itin. 4, dist. 6.

18. Qui stetit in medio discipulorum, sedit in medio doctorum, suspensus est in medio latronum. Lib. 5, *Compend. Theolog. verit,,* cap. 35-

19. Natura in mediis delectatur, et per extrema corrumptitur. *Ilid.*

20. Medium est quidquid non eget rebus ne- CLEMENS ALEX. cessariis. Lib. 2. *Pædagogi,* cap. 1.

21. Plus amatur finis, quam medium. Super DIONOSIUS CARTHUS. I *ad Cor.,* cap. 9, art. 9.

22. Virtus semper vult medium: nimis diligere, S. EUSEBIUS CÆSAR. malum est; minus diligere, malum est: sed ut jus exigere, bonum est. Epist. *ad Damas. Pap. de morte de Hieronymi.*

23. Virtus est medium vitiorum; sed in omni- GLOSS. DEC. bus medium servare, ultra hominem est; ideoque summe virtuosus nemo discendus est. In *Decretis Gratiani.*

24. Nihil Salvator nisi medium amat. Epist. 19 S. HIERON. *Eustochium.*

25. Medium hominis, labor est. Super III *Re-* HUGO CARD. *gum,* cap. III.

26. Ea quæ natura sua bona sunt, non debent JOAN. CASS. propter ea quæ media sunt, exerceri: sed potius e converso, ea quæ media sunt, ad ea quæ principaliter bona sunt acquirenda, suscipi debent. Collat. 21, *Abbat. Teonæ,* cap. 15.

27. Medium virtutis iter tene: siquidem ipsius S. ISIDORUS PEL. excessus et defectus a recta via abducentes, in peccata disinunt. Lib. 3, epist. 320. *ad Asclepium episc.*

28. Omne medium moralis virtutis, est medium S. THOMAS AQUINAS. rationis; sed solius justitiæ medium, est rei et rationis. 1, 2, quœst. 64, art. 2.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

29. Cernimus in universis medium quidem lau- ARISTOTEL.

dabile esse, extrema vero neque recta, neque laudabilia, sed vituperabilia esse. Lib. 1 *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 7.

ARISTOTEL. 30. Eum, qui medium ipsum conjectat, primum quidem a magis contrario discedere oportet. *Ibid.* cap. 9.

31. Difficile est in unoquoque medium capere, ut circuli medium invenire, non cujuslibet, sed scientis est tantum. *Ibid.*

32. Cum consequi medium summe sit difficile, minima malorum sunt capienda : extremorum enim altero magis, altero minus delinquitur. *Ibid.*

33. Longe a delinquendo secedentes, ad ipsum tandem medium accedimus. *Ibid.*

34. Medium attingere consequive, difficile est, et in singulis maxime. *Ibid.*

35. Nimium et parum vituperabilia, quæ si non longe absunt a medio, leviter : si longius, graviter : si longissime, gravissime sunt vituperanda. Lib. 4 *Moral.*, cap. 5.

MELIOR, MELIUS.

S.ISID.HISP. *Etymologia.* Melior dicitur, quia mollior, non durus aut ferreus : nam melius, quasi mollius. Lib. 10. *Etymol.* verbo *Melior*,

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Nullus pudor est ad meliora transire. Lib. 5. epist. 31, *ad Valentinianum imperat.*

S. ANT. DE PADUA. 2. Felix est miseria, quæ ducit ad meliora : et felix nigredo, quæ candorem parit. Serm. *Dom.* 2. *post Trin.*

S. AUGUST. 3. Nemo securus esse debet in ista vita, quæ tota tentatio nominatur, ut qui fieri potuit ex deteriore melior, non fiat etiam ex meliore deterior. Lib. 10. *Confess.*, cap. 32.

4. Quanto melior, tanto esto mitior. Epist. 54 *ad Macedonium.*

5. Melior homo est, qui voluntate, quam qui necessitate bonus est. *De* LXXXIII *quæst. quæst.* 2.

6. Meliora sunt quædam singula, quam alia singula : sed meliora simul omnia, quam quælibet singula. *De bono viduitatis*, cap. 6.

7. Non ordo rectus aut ordo appellandus est omnino, ubi deterioribus meliora subjiciuntur. Lib. 1 *de Libero arbitrio.*

8. Felix est necessitas, quæ in meliora compellit. Epist. 45 *ad Arment.*

9. Fieri non potest ut res deterior te faciat meliorem : deterius est quidquid cupis, tu melior es, et utique vis melior esse, quam es. Super *Psalm*, XXXII, conc. 2.

10. Melior est, qui et bonis simul et malis bonus est, quam qui bonis tantum est. In *Manuali*, cap. 32.

11. Animus cum proficit, non dicitur major, sed melior. *De Quantit animæ.*, cap. 16.

12. Deteriora melioribus sunt subdenda. Lib. 2 *de Lib. arb.*, cap. 10.

13. Apud Deum melior est, qui majoribus et pluribus, quam qui minoribus et paucioribus donis Dei dives est. Epist. 32.

14. Tanto nobis melius est, quanto magis in Deum imus, quo nihil melius est. Epist. 52.

15. Ibi meliora, ubi veriora, ubi æterna et incommutabilia. Lib. 5 *de Genesi ad lit*,, cap. 15.

16. Ille est melior, qui bonum amplius quam alius habet. *De Conjug. bono*,cap. 23.

17. In melius nos erimus homines, si prius nos homines esse agnoscamus. Tract. 1 super *Joan.*

18. Melior est anima, quam corpus, sed melior quam ipsa Deus. *Ibid.*, tract. 9.

19 Convertamus nos ad meliora, dum in nostra sunt potestate remedia. Hom. 16, *ex Hom.* 53.

S. BASILIUS MAGNUS. 20 Unius cujusque diei opus considerans; adjice aliquid priori, et festina ut fias melior. Serm. 2 *Exercitam*·

S.BERNARD. 21. Quid perversius, quidve indignius, quam ut inde velis videri melior, unde videris deterior ? Serm. 16 super *Cant.*

22. Minime pro certo est bonus, qui melior esse non vult : et ubi incipis nolle fieri melior, ibi etiam desinis esse bonus. Epist. 91 *ad Abbates Suessione congregatos*.

23. Multo facilius reperies multos sæculares converti ad bonum, quam unum quempiam de religiosis transire ad melius. Epist. 96 *ad Richardum Fontanens. abbat.*

24. Felix necessitas, quæ cogit in melius. *De Præcept. et dispens.*

25. Qui ex spirituali dono putant se aliis meliores, aliosque contemnunt tanquam viliores se, peste illius Pharisæi premuntur. Lib. 1 *de Passione Dom.* cap., 29.

26. In nulla temporali causa eligas meliora, in transitoriis rebus meliora non quæras, in rebus mundi meliora non concupiscas. Serm. 17 *ad Sororem*.

BOETIUS. 27. Lex æterna sancit, quod melioribus animum si conformaveris, nihil opus est judice præmium deferente, tu te ipse excellentioribus addidisti : si autem studium ad pejora deflexeris extra ne quæsieris ultorem, tu te ipse in deteriora detrusisti. Lib. *de Consolat. Philosoph.*, prosa 4.

V. BEDA. 28. Apud Dominum non gradus elegantior, sed vitæ melioris actio comprobatur Lib.. 4 *Pharetræ*, cap. 4.

29. Quod est simpliciter melius, in casu est sæpe pejus, et pluribus periculosius. In *Fasciculario*, cap. 7.

30. Omne quod est melius, est etiam rarius in mundo. Lib. 2 *de Profectu relig.*, cap. 45.

CLEMENS ALEX. 31. Medicina corpus, philosophia vero animam reddit meliorem. Lib. 7 *Stromat.*

. CYRILLUS ALEX. 32. Præclarum est æmulari meliora. Hom. 2 *de Festis paschal.*

. DOROTH. 33. Impossibile est hominem in eodem statu semper permanere : sed aut pejor fit, aut melior. *Doctr.* 12.

EVAGRIUS. 34. Homines tum meliores efficiuntur, cum ad Deum appropinquant. *De Octo vitiosis cogitat.*

. EUCHER. 35. Vanitatem tanto magis fuge, quanto melior efficieris. In *Epist. paræn. ad Valerian.*

. EUSEBIUS EMISSEN. 36. Quotidie ad meliora tendamus : quantum nos addiderimus ad studium, tantum Deus apponet adjutorium. Hom. 3 *ad Manachos.*

37. Facilius inveniemus, qui ea quæ deteriora sunt, quam quæ meliora, sectentur. *Ibid.*, hom. 4.

GLOSS ORD. 38. Quanto meliora gerimus, vel agimus, et in optimis conversamur : tanto dæmonibus hæc graviora efficiuntur. Super *Josue.*, cap. XIX.

39. Nulli te de operibus meliorem præferas, qui de his quos intueris adhuc culpam per frigidos, quantos operatores justitiæ et defensores rectæ fidei sit Deus facturus, ignoras. Super. *Job*, cap. XXXVIII.

40. Dæmones tanto atrociores sunt, quanto melius homines agere sibi videntur. *Ibid.* cap. 41.

41. Sicut accepta contumelia bonus fit melior, ita malus de beneficio pejor. Super *Joan.*, cap. VIII.

. GREGOR. MAGNUS. 42. Consideratio meliorum multum proficit ad humilitatem justorum. Lib. 31 *Moral.*, cap. 23.

43. Meliora cæteris habere non prævalet, qui melior esse non studet. Lib. 4 in I *Reg.*, cap. IV.

. GREGOR. NAZ. 44. Ne hoc proeclare de te sentias. quod malis melior appareas, sed dole te bonis inferiorem esse. Habetur apud *D. Joan. Damasc.*, lib. 2 *Parall.*, cap. 43.

45. Melior esto, alienis malis emendatus. Habetur apud *Div. Joan. Damasc.*, lib. 3 *Parall.*, cap. 102.

S. HIERON. 46. Ubi bonum et melius est, ibi boni et melioris non unum præmium est. Epist. 2 *ad Pammach.*

47. Melius semper ad comparationem deterioris respicit, non ad simplicitatem incomparabilis per se boni. *Ibid.*

48. Omne tempus, in quo te non meliorem senseris, hoc æstima perdidisse. Epist. 4 *ad Mauritii filiam.*

49. Peccator vivens potest melior esse justo mortuo, si voluerit in ejus transire virtutes. Super *Ecclesiasten*, cap. IX, super illud : *Est confidentia.*

HUGO A S. VICTORE. 50. Nihil bonum est, quod melius tollit. Lib. 3 *Didasc.*, cap. 14.

HUGO CARD. 51. Quanto quis melior, magis tentatur. Super *Epist. ad Romanos*, cap. VIII.

52. Desidia pejores, timore autem meliores efficimur. Hom. 2 super I *Cor.* S. JOANNES CHRYSOST.

53. Nulla prætereat dies in qua unusquisque se melior non evaserit. Lib. 1 Hom. 1 *ad Monachos.* JOAN. TRIT.

54. Quanto quisque extitit melior, tanto erit procul dubio et humilior. *Prosec.*

55. Eo autem quo te meliorem æstimas deterior factus es : si bonus es, meliorem te reputando, jam desinis esse quod es. Lib. 2 *de Tent relig.*, cap. 4.

56. Non in eo quod dicitur, sed in eo quod est, melior ostendi debet. Lib. 2 *advers. Hæres.*, cap. 54. S. IRENÆUS.

57. Quisquis ex deteriore jam melior esse cœpit, caveat de acceptis extolli virtutibus ; ne gravius per vanam gloriam corruat, quam prius cum per lapsum vitiorum jacebat. Lib, 2 *de Summo bono.*, cap. 8. sent. 8. S. ISID. HISP.

58. Anima dum cibo et potu male tractatur, fit melior. Epist. *ad Diognetum.* S. JUSTIN. MART.

59. Ipse usus rerum, et quotidiana experientia, possunt docere quid sit verius et melius. Lib. 3 *de Divin. inst.*, cap. 7. LACT. FIRM.

60. Si altior, quam melior esse appetis, non præmium, sed præcipitium expectabis. Epist. 131 *ad quemdam Abbat.* PETR. BL.

61. Quanto melior es, tanto vigilantius caveas astutias Satanæ : qui non magnificit, si devoret simplices, cibus enim ejus electus est. *Ibid.*, epist. 137, *ad Alexand.*

62. Quanto fueris cautior, tanto eris melior. Lib. 6, epist. 14 *ad Eustach.* S. PETR. MAURIT. AB. CLUNIAC.

63. Statim ut quis melior esse tentaverit, deterioris abjectione ab aliis calcatur. Lib. 4 *de Gubernat. Dei.* SALVIANUS.

64. Ex hoc ipso barbaris deteriores sumus, si meliores non sumus, qui meliores esse debemus. *Ibid.*

65. Hoc ipso christiani deteriores sunt, qui meliores esse deberent, et non sunt. *Ibid.*

66. Indecorum hoc sanctæ menti est, ut bona sua crescere, malis arbitretur alienis, et meliorem se esse æstimet, comparatione pejorum. *Ibid.*, lib, 2, *ad Eccles. cathol.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

67. Semper id melius est, quod optimo propinquius est. Lib. 2, *de Cœlo*, cap. 12, text. 66. ARISTOTEL.

68. Natura omnibus in rebus, semper id quod melius est, expetit. Lib. 2 *de Generat. et interitu*, cap. 10, text. 59.

69. Quod a melioribus perficitur, melius est opus. Lib. 1, *Polit.*, cap. 3.

70. Consentaneum est ex melioribus ortos esse meliores. *Ibid.*, lib. 3, cap. 8.

71. Melior majora semper meretur, et optimus maxima. Lib. 4. *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 3.

PLATO. 72. Honor est meliora sequi, deteriora vero, quæ meliora fieri possunt, quam optime perficere. Sizygia 4, lib. 5 *de Legibus*.

PLIN. II. 73. Hoc tantum cæteris es major, quo melior. In *Panegyr. de Trajano augusto.*

74. Non videri potest optimus, nisi qui est omnibus optimis in sua cujusque laude præstantior. *Ibid.*

SENECA. 75. Qui se deteriorem facit, non sibi tantummodo nocet, sed etiam omnibus eis, quibus melior factus prodesse potuisset. *De Beata vita*, cap. 30.

76. Felix, qui ad meliora impetum dedit. Epist. 39.

77. Non faciunt meliorem equum aurei fræni. Epist. 41.

78. Bona mens omnibus patet. Epist. 44.

79. Omnia impedimenta dimitte, et vaca bonæ menti : nemo ad illam pervenit occupatus. Epist. 53.

80. Nulla sine Deo mens bona est. Epist. 73.

81. Non bonitas est, pessimis esse meliorem. Epist. 79.

82. Ad meliores transi. Epist. 104.

Vide etiam tit. *Amor proximi*, sent. 22; *Desperatio*, sent. 31; *Prælatio*, sent. 229; *Præmium*, sent. 45; *Taciturnitas*, sent. 62.

MEMORIA.

S. BASILIUS MAGNUS. *Definitio.* Memoria nihil aliud est, quam impressio cogitationum, velut in anima depicta. *De Virginit.*

S. BONAV. Memoria est repositorium præteritorum. Lib. 2 *Compendii theolog. veritatis*, cap. 40.

CASSIODOR. Memoria est per quam animus repetit quæ audita, visa, factaque cognoscit. Super *Psalm.* CII, vers. 19.

HUG. A S. VICTORE. Memoria est ad mentis intuitum imaginaria quædam repræsentatio præteritorum. *De fructu carnis et spirit.* cap. 12.

S. JOAN. DAM. Memoria est species atque imago ab aliquo sensu mentisque agitatione, quæ actu appareat, relicta. Lib. 2, *de Fide orthod.*, cap. 20.

Memoria est rei sensu et cogitatione perceptæ conservatio. *Ibid.*

S. THOMAS AQUINAS. Memoria est thesaurus intentionum sensibilium. Part. 1 *Summæ*, quæst. 78, art. 4.

CICERO. Memoria est firma animi rerum et verborum dispositionis perceptio. Lib. 1 *de Arte rhetor. ad Herenn.*

PLATO. Memoria est sensus conservatio. Sizygia 4 *de Voluptate.*

Memoria est affectio animæ, quæ conservat eam, quæ in ipsa est, veritatem. Sizigia 6, *de definit.*

S. GREG. NAZ. *Differentia.* Memoria et recordatio inter se differunt: memoria enim est conservatio rei receptæ, recordatio autem rei præteritæ est resumptio. Orat. 20 *de Modestia.*

S. ISID. HISP. Inter sensum et memoriam hoc interest; sensus rei cujusque et ad inventio, memoria vero rei inventæ recordatio : ille excogitata reperit, hæc reperta custodit. Lib. 2, *Differentiarum*. different. 20.

Inter memoriam, mentem, et cogitationem talis differentia est, quod memoria præterita retinet, mens futura prævidet, cogitatio præsentia complectitur. *Ibid.*, differ. 21.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Gravat conscientiam memoria delictorum, nisi medicina poscatur. Super. *Psalm.* XXXVII.

2. Memoriam mortis a mente rejiciunt impii, ne tristis cogitatio lætitiam cordis eorum perturbet. Super *Apocalypsim*, cap. XVIII.

S. ANTONIN. 3. Laudabilis memoria beneficiorum, et maxime memoria creationis, redemptionis, et justificationis. Part. 4, tit. 2. *de Prudent.*, cap. 2, § 4.

4. Virtus abstinentiæ memoriam nutrit. Part. 4, tit. IV. *de Temperantia*, cap. 4, § 1.

S. AUGUST. 5. Sensus res tradunt memoriæ. Lib. 10 *Conf.*, cap. 10.

6. Memoria quasi venter est animi; lætitia vero atque tristitia, quasi cibus dulcis et amarus, cum memoriæ commendatur. *Ibid.*, cap. 14.

7. Quod memoriæ meæ non memini, non est in memoria mea : nihil autem tam in memoria, quam ipsa memoria est. Lib. 10 *de Trinit.*, cap. 11.

8. Acies animi, quæ formatur ex memoria, cum recordando aliquid cogitamus, non ex ea specie procedit quam meminimus visam, quando quidem eorum meminisse non possemus, nisi vidissemus. *Ibid.*, lib. 11, cap. 7.

9. Memoria præteritorum est, non præsentium. *Ibid.*, lib. 14, cap. 11.

10. Memoriam etiam mens est, unde et immemores amentes dicuntur. *De Spiritu et anima*, cap. 34.

11. Omnium rerum thesaurus et custos est memoria, nec enarrari potest, tam grandis est ejus perplexitas, et animus ipsa est. *Ibid.*

12. Memoria consors et cooperatrix est rationis, quoniam sine ea ratio, nec ad incognita procedere, nec cognitorum scientiam retinere potest. *Ibid.*, cap. 37.

13. Memoria est vis animæ accepta retinens, præterita repetens, elapsa recolligens. *Ibid.*

14. Quanto tenacius et facilius puer meminit,

tanto est laudabilioris ingenii. Lib. 10, *de Trin.*, cap. 11.

15. Memoria infida custos est excogitatorum. Lib. 2 *contra Academicos*. cap. 9.

16 Memoria non solum cætera omnia quæ meminimus, comprehendit, sed etiam quod non obliviscimur nos habere memoriam : ipsa se memoria quodammodo tenet in nobis, quæ non solum aliorum, sed etiam sui meminit. Lib. 2, *de Lib. arb.*, cap. 19.

17. Memoria quasi lumen est temporalium spatiorum. Lib. 6 *de Musica*, cap. 8.

18. Nihil aliud agimus cum revocamus nos in memoriam, nisi quodammodo quod reposuimus, quærimus. *Ibid.*

19. Memoria dicitur magnum quoddam adjutorium in hujus vitæ negotiosissimis actibus. *Ibid.*, cap. 11.

20. Melius est habere bonam mentem, quam memoriam quantumlibet ingentem. *Prosec.*

21. Nemo enim malus es, qui bonam habet mentem, quidam vero pessimi memoria sunt mirabili ; tanto pejore squanto minus possunt quod male cogitant oblivisci. Lib. 7 *de Civ. Dei*, cap. 3.

22. Memoria et ratio sunt ante doctrinam, : sine his autem non potest esse ulla doctrina, ac per hoc nec virtus, quæ utique discitur. *Ibid.*, lib. 19., cap. 3.

23. Cum labore meminimus, sine labore obliviscimur. *Ibid.*, lib. 22, cap. 22.

24. Audire et legere, et quæ dicta sunt haurire memoria, quid est nisi bibere? Lib. *de Anima et orig.*, cap. 17.

25. Memoria inscrutabilis thesaurus est. *Ibid.*, lib. 4, cap. 7.

26. Memoria hominis sic est quomodo venter pecoris. Hom. 35 *ex Hom.*, 53.

S. BERNARD 27. Quid hoc infelicius casu potest æstimari, ubi pereunte memoria, ratione, voluntate, tota animæ substantia perimitur? Serm. 1 *Parvorum*.

GILLEBERT. ANGLUS. 28. Dulcis plane memoria, quam amor inducit. Serm. XIX, super *Cant.*

GLOSS. INT. 29. Nihil prodest vidisse et audisse, nisi commendes memoriæ. Super *Ezech.*, cap. 10.

S. GREGOR. MAGNUS. 30. Sicut mors interimit vitam, ita oblivio extinguit memoriam. Lib. 4 *Moral.*, cap. 10.

S. GREGOR. NAZ. 31. Magnum memoriæ incentivum est consuetudo etiam perbrevis, iis qui moribus præditi sunt gratiosis. Orat. 121 *de S. Cypriano*.

32. Memoria bona est jucundior animæ, quam oleum corpori. Super *Ecclesiasten*, cap. 7.

S. HIERON. 33. Memoriæ tenacitatem antiquior senecta dissolvit. Epist. 21 *ad Paulum Cordiensem*.

34. Memoria Dei excludit cuncta flagitia. Lib. 7. super. *Ezech.*, cap. XXII. sup. illud ; *Mei oblita es.*

35. Nihil prodest vidisse et audisse, nisi ea quæ videris, et audieris, in memoriæ reposueris thesauro. *Ibid.*, lib. 12, cap. 40 super illud ; *Vide oculis tuis.*

HUGO A S. VICTORE. 36. Memoria bonorum in tempore tribulationis, animum per spem erigit : memoria malorum in tempore prosperitatis, ad custodiam sui cautiorem facit. Super *Psalm.*. XXXVII, cap. 46.

37. Homo quandiu in hac vita est, debet anteacta mala assidue ad memoriam revocare. Supe, *Thren.*

S. JOANNES CHRYSOST. 38. Nullo pondere gravius premitur anima, nihil tam vehementer mentis restringit oculos, nihil magis dejicit ac prosternit, quam male actæ vitæ, ac peccatorum recordatio. Homil. 37, super *Matthæum*, *Oper. perfect.*

39. Jucunda bene actæ vitæ memoria, quasi tranquillitas post tempestatem veniens, conturbatam facile animam consolatur. *Ibid.*, hom. 54.

40. Duplex malum est, pertinax injuriæ memoria : tum quia nullam ipsa apud Deum meretur veniam, tum quia reliqua peccata, etsi condonata, denuo in integrum restituuntur. Hom. 20, ex. divers. in *Matth.*

41. Nihil profecto, nihil Deus ita aversatur ac odit, sicut hominem injuriæ memorem. *Ibid.*

42. Magnum quiddam operatur memoria De magnum autem etiam cum et nos ejus habemus memoriam. Hoc quippue facit eligere bona, illud autem impetrare, et ad effectum perducere. Hom. 26, sup. *Epist. ad Hebr.*

S. JOANNES DAMASCEN. 43. Vis illa, qua meminimus, est memoriæ ac recordationis origo ac promptuarium. Lib. 2, *de Fide orthodox.*, 20.

S. ISID. HISP. 44. Rerum omnium thesaurus, memoria est : ipsa est enim custos rebus inventis, ipsa cogitatis. Lib. 1, *de Summo bono*, cap. 13, sentent. 6.

ORIGEN. 45. Bonorum frequentius, quam malorum habenda est memoria. Homil. 6 in cap. VI, *Epist.*, *ad Rom.*

S. PETRUS DAMIANUS. 46. Infelix cor, quod evangelica tenere mysteria centies, perlecta non sufficit ; et semel tantum aspectæ mulieris formæ memoriam non amittit. Lib. 7, epist. 18, *ad Guillam Comitiss.*

PHILO JUD. 47. Memoria non quævis bona est, sed ea sola quæ rerum bonarum meminit : malarum enim non oblivisci nocet maxime. *De Agricult.*.

S. THOMAS. AQUINAS. 48. Ea, quæ magna æstimamus, magis memoriæ infigimus. 1, 2. quæst. 47, art. 2.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 49. Futura repeti memoria nequeunt, sed opinione potius comprehendi et spe præsumi possunt : memoria tamen ad præterita refertur. *De Memoria, et reminiscent.*

CICERO. 50. Rerum intelligendarum memoria non sine imaginum notis paratur. *Ibid.*

51. Memoria non solum a natura perficitur, sed etiam habet plurimum artis et industriæ. Lib. 4, *de Arte rhetor.*

52. Stulti malorum memoria torquentur, sapientes bona præterita grata recordatione renovata delectant. Lib. 1, *de Finib.*

53. Suavis est laborum præteritorum memoria. *Ibid.*

54. Manet memoria, modo permaneat studium et industria : memoria enim minuitur, nisi eam exerceas. *De Senect.*

SENECA. 55. Memoria est res ex omnibus partibus animi maxime delicata et fragilis. Lib. 1, *Controvers.*

56. Memoriæ minimum tribuit, quisquis spei plurimum. Lib. 3, *de Benefic.*, cap. 4.

57. Memoria beneficiorum facilis est, injuriarum tenax. *De Moribus.*

Vide etiam tit. *Homo*, sent. 47; *Mors*, sent. 99; *Peccatorum memoria*, per totum.

MENDACIUM.

S. AUGUST. *Definitio.* Mendacium est falsa significatio, cum voluntate fallendi. *Contra Mendacium*, cap. 12.

CASSIODOR. Mentiri est contra mentem loqui, et illud lingua promere, quod unumquemque constat in animo non habere. Super *Pslam.* XVII, vers. 46 : *Mentiti sunt mihi.*

JOAN. GERS. Mendacium est vitium oppositum veritati, quo quis inclinatur loqui falsum cum proximo suo cum intentione fallendi. Part. 4, *in Descript.*, *termin*, cap. *Justitia.*

S. THOMAS. AQUINAS. Mendacium est, cum aliquis exterius significat contrarium veritati. 2, 2, quæst. 93, art. 1.

S. AUGUST. *Differentia.* Ita discernitur mentiens a fallente, quod inest omni mentienti voluntas fallendi, etiam si non ei credatur : fallens autem esse non potest, qui non fallit. *De Vera religione*, cap. 33.

Interest inter mentientem atque mendacem; nam mentiens est etiam qui mentitur invitus : mendax vero amat mentiri, atque habitat animo in delectatione mentiendi. *De Mendacio*, cap. 11.

Aliud est mentiri, aliud est verum occultare, aliud et falsum dicere, aliud verum tacere : ut si quis forte ad istam visibilem mortem non vult hominem prodere, paratus esse debet occultare non falsum dicere, ut neque prodat, neque mentiatur, ne occidat animam suam pro corpore alterius. Super *Psalm.* V, vers. 6 : *Qui loquuntur mendacium.*

S. BONAV. Tres sunt mendacii differentiæ : mendacium perniciosum, quod nocet; mendacium officiosum, quod prodest; mendacium jocosum, quod delectat. Lib. 5 *Compendii theologicæ verit.*, cap. 67.

Inter falsitatem et mendacium hoc interest, quod falsitas fit ingenio, mendacium vero simplici verbo. *De Conflictu vitiorum et virtutum.* S. ISIDOR. HIEP.

Productio. Ex lapide ac ferro excutitur ignis, ex loquacitate vero ac jocosis, mendacium nascitur. *Gradu* 12. JOAN. CRIM.

Comparatio. Mendacium simile est veneficio. Lib. 4, *Controv.* 29. SENECA.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Impossibile est Deo mentiri : impossibile istud non infirmitatis est, sed virtutis et majestatis. Lib. 6, epist. 37, *ad Chromatium.* S. AMBROS.

2. Mentiri non virtutis, sed infirmitatis est. *Ibid.*

3. Quod non verum, mendax est : quod mentitur, occidit. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 18, vers. 6.

4. Mendacium valde gravissimum est, cum mentimur ea quæ promisimus. Super *Apoc.*, cap. XIV.

5. Mendaces faciunt ut vera dicentibus non credatur. Part. 2, tit. X, *de Mendacio*, cap. 1, § 3. S. ANTONIN.

6. Abolita est veritas, et mendacium in terris prævaluit. Serm. *de Vanitate mundi.* S. ANTONIUS ABBAS.

7. Ille mentitur, qui vult videri id quod non est : qui autem non volens aliud putat quam est, non mentitur. *De Vera religione*, cap. 33. S. AUGUS.

8. Non est mentiendum in doctrina pietatis, magnum enim scelus est, et primum genus detestabilis mendacii. *De Mendacio ad Consentium*, cap. 21.

9. Hic homines fallunt atque falluntur, miserioresque sunt cum mentiendo fallunt, quam cum mentientibus credendo falluntur. In *Enchirid.*, cap. 17.

10. Mihi videtur peccatum esse omne mendacium, sed multum interesse quo animo, et quibus de rebus quis mentiatur. *Prosec.*

11. Non enim sic peccat ille, qui consulendi, quomodo ille qui nocendi voluntate mentitur.

12. Haud vero tantum nocet, qui viatorem mentiendo in diversum iter mittit, quantum is, qui viam vitæ mendacio fallente depravat. *Ibid.*, cap. 18.

13. Nemo mentiens judicandus est, qui dicit falsum, quod putat verum : quoniam quantum in ipso est, non fallit ipse, sed fallitur. *Ibid.*

14. Non mendacii, sed aliquando temeritatis arguendus est, qui falsa incautius credita pro veris habet : potiusque e contrario, quantum in ipso est, mentitur ille, qui dicit verum, quod putat falsum. *Ibid.*

15. Veritate sunt cavenda, veritate capienda, veritate occidenda mendacia. *Contra mendacium*, cap. 6.

16. Non semper occultare veritatem, est mendacium : quamvis enim omnis qui mentitur velit celare quod verum est, non tamen omnis qui vult quod verum est celare, mentitur. *Contra Mendac.*, cap, 10.

17. Cavenda sunt mendacia recte agendo, aut confitenda sunt pœnitendo. *Ibid.*, cap. 21.

18. Non omne quod fingimus, mendacium est : sed quando id fingimus quod nihil significat, tunc est mendacium. *Prosec.*

19. Cum autem fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis. Lib. 2, *Quæst. evang.*, quæst. 51.

20. Licet vel dissertatori ac disputatori atque prædicatori rerum æternarum, vel narratori aut prænuntiatori rerum temporalium, occultare in tempore quidquid occultandum videtur : mentiri autem nunquam licet, ergo nec occultare mentiendo. *de Mendacio*, cap. 10.

21. Non illa sunt admittenda mendacia, quæ quamvis non obsint alteri, nulli tamen prosunt, et obsunt eis ipsis, qui gratis mentiuntur. *Ibid.*, cap. 11.

22. Quiquis dicit, pro periclitantis hominis salute temporali vel vita esse mentiendum, nimis ipse ab itinere exorbitat æternæ salutis et vitæ. *Contra Mendac.*, cap. 19.

23. Multa videntur pro salute aut commodo alicujus, non malitia sed benignitate mendacia; et ista non re, sed in dolo laudantur. Super *Psalm.* v, vers. 6 : *Qui loquuntur mendacium.*

24. Duo sunt genera mendaciorum, in quibus non magna culpa est, sed tamen non sunt sine culpa : cum aut jocamur, aut ut proximis proximus mentimur. *Ibid.*

25. Non artificioso ingenio, nec simplici verbo oportet decipere quemquam, quia quolibet artis modo mentiatur, os quod mentitur, occidit animam. *De Conflictu vitiorum et virtutum*, cap. 19.

26. Quomodo alter tuam calumniam devitabit, quando te tuæ linguæ mendacio reum facis? *De Verbis Apostoli*, serm. 29.

27. Cum humilitatis causa mentiris, si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris quod evitaveras. *Ibid.*

28. Diabolus primus est mentitus, et a quo peccatum, ab illo cœpit esse mendacium. Lib. 14, *de Civ. Dei*, cap. 3.

29. Si cuiquam videtur utile aliquando esse mendacium, potest videri utilem aliquando esse iniquitatem. Lib. 1, *de Doctrina christiana*, cap. 36.

30. A veritate quisquis aversus est, tenebratur mendacio. Lib. 2, *de Genesi contra Manich.* cap. 16.

31. Mendacium suum diabolus genuit, quod a nemine audivit : quomodo Deus Pater genuit Filium veritatem, sic diabolus lapsus genuit quasi filium mendacium. Tract. 42, super *Joan.*

32. Joci nunquam sunt putata mendacia : habent enim evidentissimam ex pronuntiatione, atque ipso jocantis affectu, significationem animi nequaquam fallentis, etsi non vera enuntiantis. *de Mendacio*, cap. 2.

33. Non est mendacium cum silendo si absconditur verum, sed cum loquendo pronuitur falsum. *Contra Mendac.*, cap. 10.

34. Qui dicit aliqua justa esse mendacia, dicit aliqua justa esse peccata. *Ibid.*, cap. 15.

35. Mendacium patronan sibi non adhibet veritatem : non enim adversario suo vincit, ut a seipsa vincatur. *Ibid.*, cap. 19.

36. Qui cognoscit, et dicit quod falsum est, ipse mentitur. Lib. 10 *Confess.*, cap. 3.

37. Non mentitur quisquam si aliis verbis dixerit quid ille voluerit, cujus verba non dicit. Lib. 2, *de Consensu evang.*, cap. 28.

38. Quidquid figurate fit aut dicitur, non est mendacium. *De Mendacio*, cap. 5.

30. Qui nocendi causa mentiri solet, si jam consulendi, vel proficiendi causa mentiatur, multum proficit. *Ibid.*

40. Cum mentiendo vita æterna amittitur, nunquam pro cujusquam temporali vita mentiendum est. *Ibid.*, cap. 6.

41. Nemo potest convincere aliquando esse mentiendum, nisi qui potuerit ostendere æternum aliquod bonum obtineri posse mendacio. *Ibid*, cap. 7.

42. Non est credendum ei, qui putat aliquando esse mentiendum. *Ibid.*, cap. 8.

43. Qui timendo mori mentitur, moritur antequam moriatur, qui ideo mentiebatur ut viveret. *Prosec.*

44. Mentiri vis ne moriaris; et mentiris et moreris : et cum vitas unam mortem, quam differre poteris, auferre non poteris, incidis in duas : ut prius in anima, postea in corpore moriaris. Super *Psalm.* xxx, concion. 1.

45. Mendacium negotiatorum, est sigillum Antichristi. Serm. 30, *Fer.* 5 *post Dom.* 4 *Quadragesimæ*, part. 1. S. BERNARD. SENENS.

46. Est qui dubie profert mendacium, nec mentitur : et est qui veritatem, quam nescit, affirmat, et mentitur : nam et ille non quidem quod non est esse, sed se quod credit credere dicit, et verum dicit, etiamsi hoc verum non sit quod credit : et is cum se certum unde non est certus dicit, verum non dicit, etiamsi verum sit de quo asserit. Serm. 17, sup. *Cant.* S. BERNARD.

47. Mentiens aut intendit prodesse, aut delectare, aut lædere. Secundum quod intendit pro- S. BONAV

desse, est mendacium officiosum : secundum quod intendit delectare, est mendacium jocosum : secundum quod intendit lædere, est mendacium perniciosum. Sup. lib. 3, *Sent.* dist. 38, art. 1, quæst. 5.

S. CÆSARIUS ARELAT. 48. Omnis mendax sine maligno spiritu esse non potest. Homil. 23.

DIONYSIUS. CARTHUS. 49. Qui in mendacium officiosum, seu jocosum non collapsus est, singularis est gratiæ. Super *Apoc.* cap. XIV.

S. EPHRÆM. 50. Miser atque infelix, qui semper mendaciis addictus est, quoniam in verbis suis omnem perdit auctoritatem, ab omnibus rejicitur, ab omnibus irridetur. *De Mendacio.*

FRANCISCUS TITELM. 51. Quomodo diabolus mendax est, paterque mendacii : sic et universos, quos possederit, vanos et mendaces facit. In *Annotat.* super *Psalm.* V.

GLOSS. ORD. 52. Sicut ædificium lapidibus, ita mendacium sermonibus fabricatur. Super. *Job.* cap. XIII, in illud : *Fabricatores mendacii.*

GLOSS. INT. 53. Mendacium facit, qui in mendaciis inveniendis delectatur. Super *Apoc*, cap. XXI, in illud : *Faciens mendacium.*

GLOSS. ORD. 54. Quidquid contrarium est veritati, atque ad deceptionem animarum pertinet, mendacium recte dici potest. *Ibid.*, cap. XXI.

S. GREGOR. MAG. 55. Plana veritatis via est, et grave iter mendacii. Lib. 12 *Moral.*, cap. 21, sup. illud *Job.* XV; *Terrebit eum tribulatio.*

56. Omne mendacium iniquitas, et omnis iniquitas mendacium : quia ab æquitate discrepat, quidquid a veritate discordat. *Ibid.*, lib. 18, cap. 4.

57. Nonunquam pejus est mendacium meditari, quam loqui : nam loqui plerumque præcipitationis est, meditari vero studiosæ pravitatis. *Ibid.*

58. Summopere cavendum est omne mendacium, quamvis nonnunquam sit aliquod mendacii genus culpæ levioris, si quisquam vitam præstando mentitur. *Ibid.*

59. Mendacii genus perfecti viri summopere fugiunt, ut nec vita cujuslibet per eorum fallaciam defendatur, ne suæ animæ noceant, dum præstare vitam carni nituntur alienæ, quanquan hoc ipsum peccati genus facillime credimus relaxari. *Ibid.*

60. Valde difficile est, ut qui multa loquitur, non etiam mentiatur. Homil. 12, super *Ezech.*

61. Sæpe mendacium perjurio tegitur, ut ante hominum judicia veletur. *Ibid.*

62. Incauti sunt homines, qui mendacio se illaqueant. Hab. in *Decret. Gratiani.*, part. 2, caus. 22, quæst. 2, can. *Incauti.*

RAYMO. 63. Nullum est mendacium, quod peccato careat. Super *Apoc.*, cap. XXI.

64. Multi mendacium faciunt, sed tamen non amant mendacium; quià studio atque amore peccandi non mentiuntur. *Ibid.*, cap. 22.

S. HIERON. 65. Mentiri virgo sacrilegium putet. Epist. 7, *ad Lætam.*

66. Mentiri et jurare, lingua tua prorsus ignoret, tantusque in te sit veritatis amor, ut quidquid dixeris, juratum putes. Epist. 14, *ad Celant.*

67. Mendaces faciunt, ut nec vera dicentibus credatur. Epist. 37, *ad Julian.*

68. Semper imitatur mendacium veritatem; et nisi habuerit aliquam similitudinem recti, decipere non potest innocentes. Lib. 4, super *Hierem*, cap., XXIII, super illud : *Propterea ecce ego.*

S. HILARIUS. 69. Cum hæretici stulte mentiantur, stultius tamen in defensione mendacii sui sapiunt. Lib. 8, *de Trin.*

HUGO CARD. 70. Mos adulatorum et proprium, est mentiri. Super II *Machab.*, cap. IX.

71. Mentiri diabolicum est. Super *Joan.*, cap. VIII.

S. JOANNES CHRYSOST. 72. Homo mendax neque præstat quod promisit, neque perficit quod proponit. *Explan.*, super *Psalm.* CXV, vers. 2.

73. Nihil mendacio imbecillius, etsi innumeris obtegatur operimentis. Hom. 28, super *Joan.*

74. Homines quando mentiuntur, mendacio non tanquam proprio, sed ut alieno utuntur : diabolus autem ut proprio, quia illo primus usus est. *Ibid.*, hom. 53.

75. Qui mentitur, non fatetur se mentiri : sed veritatem simulans decipit : non prædicat quod est, sed quod non est figurat. Serm. *de Fide et Lege.*

76. Qui mentitur, nusquam mendacium fatetur, sed veritatem memoriter simulans, fefellisse conatur. Serm. *de Virt. et vit.*

77. Concessum est diabolo interdum veritatem dicere, ut mendacium suum rara veritate commendet. Hom. 19, super *Matth. Oper. imperf.*

S. JOAN. CLIM. 78. Mendacium est charitatis exterminatio. *Grad.* 12.

S. JOAN. DAM. 79. Extrema improbitatis linea, est mendacium. Lib. 3, *Parallel.*, cap. 117.

80. Prolapsio a veritate, hallucinatio, et cæcitas mentis est. *Ibid.*

JOAN. TRITH. 81. Mentiri servile vitium est. In cap. 4 *Regul. S. Bened.*, verbo *Quia.*

S. ISIR. HISP. 82. Mendaces faciunt, ut nec vera dicentibus credatur : reddit enim sæpe hominem multa falsitas etiam in veritate suspectum. Lib. 2, *de Summo bono*, cap. 30, sent. 1.

83. Sæpe vera promittit, qui falsa dicturus est : ut cum primum acquisierit fidem, ad reliqua mendacia audientes credulos faciat. *Ibid.*

84. Nonnunquam pejus est mendacium meditari, quam loqui. Nam interdum quisque incau-

lus solet ex præcipitatione loqui mendacium : meditari autem non potest, nisi per studium. *Prosec.*

85. Gravius ergo ille ex studio mentiri perhibetur, quam is qui ex præcipitatione sola mentitur. *Ibid.*, sent. 6.

86. Summopere cavendum est omne mendacium, quamvis sit mendacii genus culpæ levioris : sicut si quisque pro salute hominum mentiatur. *Ibid.*, sent. 7.

87. Multa mentintur, multaque fingunt homines propter humanam laudem : sicque fit ut et isti mentiendo pereant et eos quos laudant, ad vanæ gloriæ ruinam perducant. *Ibid.*, sent 8.

88. Omne genus mendacii summopere fuge, nec casu, nec studio loquaris falsum. *Prosec.*

89. Cave mendacium in omnibus; mendacio enim fides tollitur, error inducitur, veritas aboletur.

90. Nullum justum mendacium, omne mendacium peccatum est : omne quod a veritate discordat, iniquitas est. Lib. *de Synon.*, cap. 10.

91. Refuge fallaciam, declina mendacium, cave falsitatem, parum loquere, nunquam mentiaris. *Prosec.*

92. Esto in verbo verax, neminem mentiendo fallax, neminem mentiendo in errorem inducas, neminem mendacio fallente decipias. *Ibid.*

93. Nec artificioso ingenio, nec simplici verbo oportet decipere quemquam : quia quolibet modo mentiatur quis, offendit. *De Conflictu vitior. et virtut.*

CT. FIRM. 94. Nunquam mentiendum est : quia mendacium semper aut fallit, aut nocet, *Prosec.*

95. Non est vir justus, qui non sine noxa, vitioso sermone mentitur. In *Epitome*, cap. *Superest.*

96. Mendacium specie placet aliena, quia per se corruptum evanescit ac defluit, nisi aliunde ornatu quæsito circumlitum fuerit ac politum. Lib, 3, *de Div. inst.*, cap. 1.

97. In justitiæ virtutumque omnium via, nullus mendacio locus est. *Ibid.*, lib. 6, cap. 18.

. LEO I. 98. Mens christiana, fugax mendacii est, discipula veritatis. Serm. 8 *Quadrag.*

RIGENES. 99. Qui loquitur mendacium, certum est quod diabolus aperiat os ejus, ut mendacium loquatur. Hom. 3, in cap. VII. *Exodi*,, super illud : *Ego aperiam os tuum.*

. PETR. DAM. 100. Quia mentiri, est contra mentem loqui, contingit aliquando ut idem sit et ex dicentis opinione verum, et ex ipsius rei qualitate mendacium. Lib. 4, epist. 9, *ad Olderic. episc. Firman.*

PROSPER. 101. Incredibile est hominem non mentiri, ne capiatur, qui mentitur ut capiat. Apud. *De Aug.*

BERTUS ELLARM. 102. Mendacium est primum ordinarie peccatum actuale, quod pueri committunt. Super *Psalm.* LVII, vers. 3.

103. Turpius est mendacium in ore, quam stercus, quod aufert officium linguæ. Serm. 5, *Fer.* 2 *Pasch.* S. VINCENT FERRAR.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

104. Per se mendacium improbum est, et vituperabile : verum autem probum, ac laudabile. Lib. 4 *Ethicorum ad Nicomach.*, cap. 7. ARISTOTEL.

105. Qui verum amat, ut urpe, mendacium fugiet, non enim mendacio gaudet. *Ibid.*

106. Iniquitatis est mentiri etiam ac pejerare. Lib. 1, *de Virtut.*, cap. 5,

107. Qui mentiri solet, pejerare consuevit. Orat. 3, *pro Roscio.* CICERO.

108. Tollendum est ex rebus contrahendis omne mendacium. Lib. 3, *de Officiis.*

109. Verum opinari pulchrum est : mentiri, turpe. Sizygia 2, *de Scientia.* PLATO.

110. Infidus est, qui sponte mentitur, et mendacium amat : qui vero invitus mentitur, amens est et vecors; quorum profecto neutrum optabile est. Sizygia 4 *de Legibus.*

111. Mentiri solemne et amantibus. Lib. 2, *Controv.* 10. SENECA.

112. Quæ dicipiunt nihil habent solidi : tenue est mendacium, perlucet, si diligenter inspexeris. Epist. 79.

113. Crebro faciem mendacii veritas retinet, crebro mendacium, specie veritatis occulitur. *De Quatuor virtutibus.*

114. Melius est vinci, vera dicentem, quam vincere mentientem. *Sent.* 155. SIXT. PHIL.

115, Nunquam potest anima bona mendacium diligere. *Ibid.*, sent. 159.

116. Mentiri in vita, decipere est, et decipi. *Ibid.*, sent. 380.

MENDICITAS.

Etymologia. Mendicus dicitur quia minus habet, unde vitam degat : sive manu dicens, quia mos erat apud antiquos egentium os claudere, et manum extendere, quasi manu dicere. Serm. *Dom.* 1 *post festum Trin.* 2. Et *Isidorus Hispal.* Lib. 10. *Etymol.* verbo *Mendicus.* S. ANT. DE PADUA. ET S. ISID. HISPAL.

Definitio. Mendicare est victum ostiatim quæritare. Mendici vocantur, qui ostiatim victui necessaria quærunt. Lib. 3, *de Claustro animæ*, cap. 10. COLLECTOR. HUG. A S. VICTORE.

Mendicitas est paupertas, qua pauperes improbos se exhibent divitibus pro eleemosynis obtinendis. Super *Matth.*, cap. V. HUGO CARD.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Causa humilitatis aliqui laudabiliter mendi- S. ANTONIN.

cant, quasi efficacissimam medicinam contra superbiam hoc sumentes, quam vel in seipsis, vel etiam in aliis per exemplum extinguere volunt. Part. 3, tit. 16, cap. 6, § 3.

2. Mendicare exercitium est humilitatis. *Ibid.*

3. Competit mendicare religiosis, ut Christum imitentur, qui dicit : *Ego autem mendicus sum. Ibid.*

4. Discrete oportet sumere mendicitatem ad humiliationem, ut inde notam cupiditatis non incurrant, vel cujuscumque alterius indecentiæ, qui mendicant. *Ibid.*

5. Mendicitas non reddit religiosis ipsos contemptibiles, si hoc ipsum moderate fiat ad necessitatem, non autem ad superfluitatem. *Prosec.*

6. Et quamvis mendicare, fiat quadam abjectione, cum necessarium est, ad sectandam perfectionem vitæ pauperis mendicare, ferre talem abjectionem, humilitatis est : assumere etiam abjecta, virtutis est. Part. 4, tit. 12, cap. 3, § 1.

S. AUGUST. 7. Eleemosyna datur ad supplendam necessitatem, non ad pascendam pigritiam. *De Opere monachorum*, cap. 16.

8. Quid est mendicare, nisi ad hominum misericordiam vivere? *Exposit.* 2, super *Psalm.* CVII, vers. 9.

9. Perfecta est misericordia, ut ante occurratur esurientibus, quam roget mendicus. Hom, 39, *ex Hom.* LIII.

S. BERNARD 10. Jesus cum factus esset annorum duodecim, quasi unus e turba pauperum stipem per ostia mendicabat. Hom, *infra oct. Epiphan.*

S. BONAV. 11. Cum summe honorificum sit dare, summa privatio honoris est constituere se in dandi impossibilitate, et necessitate mendicandi. *Super Reg. FF.Minor.*, cap. 6.

12. Inter omnium petitionum genera, verecundissima est mendicitas. *Ibid.*

13. Tripliciter contingit mendicare : primo, ex necessitate naturæ; secundo, ex vitiositate culpæ; tertio, ex supererogatione justitiæ. *De Paup. Christi contra Magistr. Guilel.* quæst. 1. art. 2, in resp. argum., verbo *Responsio.*

14. Fœdum est interius divitum instar affluere et exterius more pauperum mendicare. Epist. *ad quemdam Provincialem.*

15. Quintuplex est mendicitatis differentia : prima est, quam parit calamitas, et hæc est in personis miserabilibus et egenis; secunda est, quam parit cupiditas, et hæc est in pauperibus simulatis; tertia est, quam parit pigritia, et hæc est in pauperibus mendicantibus validis, et otiosis; quarta est, quam parit industria, et hæc est in pauperibus studiosis circa disciplinam scholasticam occupatis; quinta est, quam parit justitia, et hæc est in pauperibus voluntariis, immunibus ab amore temporalis lucri, et torpore temporalis quietis. In *Apologia pauper.*, resp. 4, cap. 3.

16. Hoc vere est quoddam genus rapinæ, cum aliquis ultra necessitatem veram mendicat, unde alter magis indigens detrimentum patitur. Lib. 2, *de Profectu relig.*, cap. 47.

17. Quid potest tam verecundum esse, quam in omnium christianorum misericordia se ponere? *In Regul. FF. Minorum*, cap. 6.

DIONYSIU CARTHUS. 18. Majoris perfectionis est in Religione mendicare, quam divitias proprias in sæculo erogare. Super *Acta Apostolorum*, cap. XX, art. 20.

S. FRANCIS ASSISINS. 19. Amorem Dei pro eleemosynis offere, nobilis est prodigalitas : et qui minus ipsum quam denarios reputant, judicarem ego esse stultissimos : nam solius divini amoris impretiabile pretium ad regnum comparandum sufficit. In suis *Opuscul.*, oraculo 2,

20. Mendicus divitem a quo eleemosynam efflagitat, obundantioribus afficit thesauris, et occultam subministrat fœnoris et lucri occasionem. In suis *Opusc.*, serm. 3.

21. Nolo dimittere regalem meam dignitatem, ire scilicet pro elleemosyna ostiatim. *Ibid.*, Apophthegm. 14.

22. Fratres, petite tantum victui et vestitui necessaria; ego de me fateor, et gratias ago Deo, quod nunquam fui fur aut latro eleemosynarum : semper enim minus accepi, quam me contingeret, ne alii pauperes sua sorte fraudarentur : quia contrarium facere, semper furtum reputavi. *Ibid.*, Apophthegm. 41.

23. Panis eleemosynæ, panis est et benedictus, quem sanctificat laus et amor. *Prosec.*

24. Cum enim frater eleemosynam petit, prius dicit : Laudatus et benedictus sit Dominus Deus; postea addit : Facite nobis eleemosynam pro amore Domini Dei : laus panem sanctificat, et amor Domini benedicit. *Ibid.*, colloquio 6.

25. Jucundum est sub Fratrum Minorum titulo mendicare, quem in retributione justorum evangelicæ veritatis magister ore suo tam signanter expressit, dicens : *Quandiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.* In suis *Opuscul.*, colloquio 37.

26. Ille est panis angelorum, qui pro Dei amore petitur, et beatis suggerentibus angelis pro ipsius charitate largitum sancta paupertas colligit ostiatim. *Ibid.*, colloquio 38.

RAYM 27. Mendicare confusionis est, maxime illo pessimo genere mendicandi, quo fatuas virgines legimus mendicasse. Serm. *Dom.* 10 *post. Pent.*

28. Mendicus fuit Christus, quærens ab aliis necessaria : et non tantum mendicus, sed et pauper. Super *Psalm.* XXXIX.

29. Multi sunt mendici, qui pauperes non sunt : sed mendicando divitias congregant. Super *Psalm.* XXXIX.

30. Multi sunt pauperes, qui mendicare erubescunt : et hi non sunt pauperes spiritu, sed re tantum. *Prosec.*

31. In Christo autem, et suis imitatoribus nec paupertas a mendicitate, nec mendicitas a paupertate, recedit. *Ibid.*

S. INNOC. III. 32. O miserabilis mendicantis conditio ! si petit, pudore confunditur : si non petit, egestate consumitur : sed ut mendicet, necessitate compellitur. Lib. 1 *de Contemptu mundi.*, cap. 14.

S. JOANNES CHRYSOST. 33. Quare mendicantes nullus trahit ad judicem? quare nullus cogit, nullus calumniatur? nonne quia in securiori loco habitant? *Prosec.*

34. Quam multis autem infelicissimum videtur, esse pauperem et mendicare ! Quid igitur ? est ne bonum mendicare ? bonum, inquam. Hom. 13, super *Acta Apost.*

S. LEO I. 35. Sunt qui palam poscere ea, quibus indigent, erubescunt : et malunt miseria tacitæ egestatis affligi, quam publica petitione confundi. Serm. 4, *de Collectis.*

S. PETRUS CHRYSOL. 36. Miserum ! quem ubertas sterilem, abundantia anxium, inhumanum copia, divitiæ fecere mendicum. Serm. 104.

S. PROSPER. 37. Mendicus est ille, qui nihil sibi tribuit, sed totum de misericordia Dei expectat. Super *Psalm.* CVI, vers. 41.

SALVIANUS. 38. Solus tantummodo Christus est, qui in omnium pauperum universitate mendicet. Lib. 4, *ad Eccles. catholic.*

S. THOMAS AQUINAS. 39. Cave ne Domino tuo (sc. Christo) mendicante, alienas divitias congeras, 2, 2, quæst. 187, argum. in contrar.

40. Non modo religiosis, sed omnibus ad humilitatis assumptionem, et exemplum, et communem utilitatem, mendicare licet, non autem ad otium fovendum, vel ad lucri cupiditatem. *Ibid.*

IN VIT. PATR. 41. Pauperes voluntate delectat mendicare cum Christo. Lib. 1 in *Vita sanctæ Eugeniæ*, cap. 1.

SENECA. 42. Nulla re charius constat, quam quæ precibus empta est. Lib. 2, *de Benefic.*, cap. 1.

MENS.

S. AUGUST. *Ethymologia.* Mens dicitur a μήνη : *mene* autem græce, latine dicitur *luna* : et sicut luna crescit et deficit, et varia vicissitudine commutatur, in id tamen quod fuit quadam perfecta novitate se restituit : sic mens nunc caput summis inserit, nunc decidit in infimis, nunc sese inferens sibi, veris falsa redarguit. *De Spirit. et anima,* cap. 11.

S. ANASTAS. *Definitio.* Mens rationalis est immortalis, et intellectualis animæ contemplandi facultas. In lib. *Viæ dulcis*, cap. *de Anima.*

Mens est visio, seu contemplatio incorporea per omnia absque laboris molestia discurrens. *Ibid.*

Mens est pars animæ quædam, per quam omnis ratio intelligentiaque percipitur. Serm. *Dominicæ* 13 *post Trinitatem.* S. ANT. DE PADUA.

Mens est vis quædam animæ, qua inhæremus Deo et fruimur. Lib. *de Natura et dignit. amoris*, cap. 10. S. BERNARD.

Mens nihil aliud est, quam purissima pars animæ : quod enim oculus in corpore, hoc mens est in anima. Lib. 2, *De Fide orthod.*, cap. 12. S. JOANNES DAMASCEN.

Differentia. Inter animam, animum, spiritum, et mentem hoc interest, quod anima est qua vivimus, animus quo regimur, spiritus quo spiramus, mens qua cogitamus. Lib. 1 *de Different.*, different. 177. S. ISID. HISP.

Inter mentem et rationem hoc differt : mens est animæ pars præstantior, a qua procedit intelligentia : ratio vero est motus quidam animi visum mentis acuens, veraque a falsis distinguens. *Ibid.* Lib., 2, differ. 19.

Inter memoriam, menten, et cogitationem talis differentia est, quod memoria prætertia retinet, mens futura prævidet, cogitatio præsentia complectitur. *Ibid.*, differ. 21.

Origo. Primam mentis originem aspicias, non ex terreno, et gravi concreta corpore, sed ex illo cœlesti spiritu descendit. *De Consolat. ad Helvidiam*, cap. 6. SENECA.

Comparatio. Quemadmodum oculus in corpore, sic mens in anima dominatur. *De Octo vitiosis cogitat.* EVAGRIUS.

Quemadmodum corporis regimen est penes oculos, mundi vero penes lucis naturam : eodem modo imperium in nos mens obtinet. Lib. *Quod Deus sit immutabilis.* PHILO JUD.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Ut mens nostra nullis repagulis corporalibus impediatur, tanquam lucernæ lux intus posita foris luceat. Lib. 2, *de Virginibus.* S. AMBROS.

2. Mens nihil sibi arroget ; quia se regere non potest, nisi divino favore suffulta sit. Lib. 2. *de Abraham.* cap. 8.

3. Omnis mens præterita spectat, nec naturæ quodam usu impeditur, nihil vacuum, nihil nudum suorum patitur esse gestorum. *De Noe et arca,* cap. 31.

4. Quando mens sibi recti est conscia, gratulatur, vel infusione quadam spiritali repletur animus gaudio. Lib. 2, *de Caïn et Abel.*

5. Mens eum se cognoscit, notitiam suam gignit, et est solo parens suæ notitiæ. Serm. *Dom.* 6, *post Pascha.* S. ANTONIUS DE PADUA.

6. Semper in mente habeto Deum : o! mens omni beato beatior, omni felici felicior, quæ habes Deum in mente. *Prosec.*

7. Quomodo te ergo in mente habere potero, o Deus? quid ego ut te habeam, dare debeo? Da, inquis, te mihi, et ego dabo me tibi, da mentem et habebis me in mente.

8. Vis Deum semper habere in mente? habe semper te coram te : ubi oculus, ibi rationes, habe semper oculum in te.

9. Deus est in mente, mens in oculo, oculus in te : si ergo vides te, habes Deum in te. Serm. *Dom.* 15, *post Trinit.*

S. ATHANAS. MAGNUS. 10. Mens princeps est, et dux corporis animalis. *De communi essentia.*

S. AUGUST. 11. Oculus animæ, mens est ab omni labe corporis pura, id est, a cupiditatibus rerum temporalium jam remota atque purgata. Lib. 1 *Soliloq.* cap. 6.

12. Nihil tam novit mens, quam id quod sibi præsto est : nec menti magis quidquam præsto est, quam ipsa sibi. Lib. 14, *de Trinit.*, cap. 4.

13. Mens sine oculis carnis humana est, oculi autem carnis sine mente belluini sunt. *Ibid.*, cap. 14.

14. Nusquam se melius regente dumtaxat fidei regula acies humanæ mentis exercet, quam in eo quod ipse homo in sua natura melius cæteris animalibus, melius etiam cæteris animæ suæ partibus habet, quod est ipsa mens. Lib. 15, *de Trinit.*, cap. 27.

15. Mens veritatis capax non est nisi vitiis libera. *De Agone christiano*, cap. 13.

16. Memoria etiam mens est, unde et immemores amentes dicuntur. *De Spiritu et anima*, cap. 34.

17. Cum anima in se agit se, et ex se, et per se, sola mens dici solet. *Ibid.*

18. Mens quando cogitatione se conspicit, intelligit se et recognoscit : quando contemplatione ad Deum ascendit, ut eum intelligat et diligat, imago Dei dicenda est : cogitando æterna, vir est : quando vero ea agit vel cogitat quæ sunt temporalia, mulier appellatur. *Ibid.*

19. Mens amare seipsam non potest, nisi etiam se noverit : nam quomodo amat quod nescit? Lib. 9, *de Trinit.*, cap. 3.

20. Tanto gloriosius mens ad superiora promovetur, quanto diligentius ab inferioribus concupiscentia cohibetur. *De opere monachor.*, cap. 2.

21. Multum lugenda est mens humana, si vincitur a corpore suo. *De Agone christiano*, cap. 19.

22. Mens universorum capax, et omnium rerum similitudine insignita, omnia esse dicitur naturali quadam potentia, et naturali dignitate. *De Spiritu et anima*, cap. 11.

23. Nihil tam novit mens, quam id quod sibi præsto est : nec magis menti quidquam præsto est, quam ipsa sibi. Nam cognoscit se vivere, se meminisse, se intelligere, se velle, cogitare, scire, judicare, hæc omnia novit in se. *Ibid.*, cap, 32.

24. Mens paradisus est, in qua cum cœlestia meditatur, quasi in paradiso voluptatis delectatur. *Ibid.*, cap. 37.

25. Ad majora mentem, nisi pietas puritasque non perducit. *De Moribus manich*, cap. 7.

26. Nihil potentius ista creatura, quæ mens dicitur rationalis, nihil hac creatura sublimius : quidquid supra istam est, creator est. Tract. 23, super. *Evang. Joan.*, cap. v.

27. Diabolus intrare non potest mentem, in qua pax dominatur. Serm. 2, *ad fratr. in eremo.*

28. Qualis est homo in mente, talem verbositas depingit in ore. *Ibid.*, serm. 3.

29. In mente arbitror esse summum hominis bonum. Lib. 3, *contra Academ.*, cap. 12.

30. Sensu nos multæ bestiæ superant, mente autem et ratione nos Deus illis præposuit. *De quantit. animæ*, cap. 28.

31. Si aliud ratio, aliud mens : constat certe nonnisi mentem uti ratione. Lib. 1, *de Lib. arb.*, cap. 9.

32. Non est homo perfectus, si animæ ipsi mens humana defuerit. Epist. 57, quæst. 1.

33. Mens Deo subdita, concupiscentiæ dominatur. *De Opere monachorum*, cap. 32.

34. Caro in terram cogit, mens sursum tendit : rapitur amore, sed tardatur pondere. *De Utilit. jejun.*, cap. 2.

35. Lux mentium supra mentes est, et excedit omnes mentes. Tract. 3, super *Joan.*

36. Quando quisque nascitur, antequam possit uti mente, non regitur nisi sensibus carnis. *Ibid.*, tract. 15.

37. Mens nostra, quæ est oculus animæ, nisi veritatis lumine radietur, nec ad sapientiam, nec ad justitiam poterit pervenire. *Ibid.*, tractatu 35.

38. A nullo malo abstinet mens mala, etiam clausis oculis. *Ibid.*, tract. 44.

39. Mutabilis est mens nostra, quæ percipit discendo quod nesciebat, et veri similitudine fallitur, ut pro vero approbet falsum; et obscuritate sua, quasi quibusdam tenebris impeditur ne perveniat ad verum. *Ibid.*, tract. 99.

40. Lamentari quisque sana mente mavult, quam lætari in amentia. Lib. 11, *de Civ. Dei*, cap. 27.

41. Parti carnali mens debet imperare, et eam ab illicitis operibus ratione cohibere. *Ibid.*, lib. 15, cap. 7.

42. Mens corporis atque vitiorum non potest

esse domina, Dei veri nescia, nec ejus imperio subjugata, sed vitiosissimis dæmonibus corrumpentibus prostituta. *Ibid.*, lib. 19, cap. 25.

43. Nisi bono ingenio pietas et pax quædam mentis accedat, de rebus divinis nihil prorsus intelligi potest. De *Utilitate cred.*, cap. 18.

44. Mens ipsa hominis, quæ dicitur rationalis, mutabilis est, non est id ipsum, modo vult, modo non vult : modo scit, modo non scit : modo meminit, modo obliviscitur. Super *Psalm.* CXXI.

S. BASIL. 45. Quorum mens ad mutationem propensa est, non est dissentaneum; quin eorum quoque vita non sit ordinata. Apud *D. Joan. Damasc.*, lib. 2. *Parall.*, cap. 1.

46. Janua cordis mens est. *De Substant.*

47. Variam dant otia mentem. In suis *Prov.* verbo *Variam.*

BERNARD. 48. Bona possessio mens bona; sepi hanc possessionem, et muni eam undique, ne irruant in eam et captivam ducant irrationabiles corporis passiones. *De Ordine vitæ.*

BOETIUS. 49. Si tibi mens bene conscia est, terreno carcere resoluta cœlum libera petit. Lib. 2, *de Consolat. philosoph.*, prosa 7.

S. BONAV. 50. Mentem tranquillitas pacificat, charitas lætificat, veritas rectificat, puritas scandalum eradicat. Expos. 2, super *Psalm.* CXVIII, cap. 11, vers. 5, art. 4.

51. Sicut homines diversas habent facies, sic diversas habent mentes. Super lib. 2 *Sentent.* dist. 3, parte 1, art. 2, quæst. 1.

S. EPIPHAN. 52. Mens nostra non ad peccandum data est, sed ad contemplandum. *Prosec.*

53. Mens enim verba discernit, mens videt; quia mens in nobis est visus, gustus, et discretio.

54. Itaque non assentitur mens his, quæ semper fiunt, si non voluerit homo. *Hæres* 77, *contra Dimæritas.*

GLOSS. INT. 55. Mens non revocatur, nisi timore. Super *Epist. ad Rom.*, cap. II.

56. Meliora sunt fercula mentis, quam dapes corporis. Super *Acta Apostolorum*, cap. VI.

S. GREGOR. MAGNUS. 57. Sicut caput corporis prima pars est, ita principale interioris hominis mens est. Lib. 14, *Moral.*, cap. 16.

58. Mens nisi in statu suo arcta custodiæ disciplina teneatur, semper in deteriora dilabitur. *Ibid.*, lib. 11, cap. 26.

59. Interna facies hominis mens est, in qua nimirum recognoscimur, ut ab auctore nostro diligamur. *Ibid.*, lib. 10, cap. 11.

60. In hoc mens justa ab injusta discernitur, quod omnipotentis Dei laudem et inter adversa confitetur, quod non cum rebus frangitur, non cum casu gloriæ exterioris cadit. *Ibid.*, lib. 11, cap. 17.

S. GREG. NAZ. 61. Sæpe quæ mens descripsit, hæc manus non perficit. Orat. 18 *de Statut episcopali.*

62. Mens cunctis hominibus lux est, penes quam est sentire, ac in quam est sensus. Orat. 20 *de Modestia.*

63. Cum mens in supernam respicit profunditatem, non habet ubi consistat, et in contemplationibus de Deo destituitur, tam infinitum illud est ac impenetrabile. Orat. I, *in Theophania.*

S. HIERON. 64. Pinguis venter non gignit mentem tenuem. Epist. 2, *ad Nepotian.*

65. Mens caput vocatur, quia sicut a capite reguntur membra, ita cogitationes mente disponuntur. Super *Psalm.* XXII, vers. 6.

HUG. A S. VICTORE. 66. Mens justi, sanctuarium Dei est. Super *Thren.* in illud : *In sanctuario.*

HUGO CARD. 67. Lubrica mens semen perversum, quod primum sine modestia concipit quasi parturiens postmodum sine pudicitia effundit. Super *Ecclesiasten*, cap. II.

68. Per signa exteriora sæpe dignoscitur dispositio mentis. *Ibid.*, cap. 8.

69. Justa corporis speciem, non æstimes qualitatem mentis. Super *Ecclesiastic.*, cap. XI.

S. JOANNES CHRYSOST. 70. Indicium mentis, operatio est hominis : quoniam factis ostenditur, quidquid cordis secreto concipitur. Hom. 11 ex divers. in *Matth.*

71. Mens humana facile labitur, et omnibus mutabilis sensus est. Hom. *de Prodit Judæ.*

72. Mente existente reproba, cuncta simul quemadmodum solet auriga corrupto, dissoluta sunt et perversa. Serm. 5, super *Epist. ad Rom.*

73. Mens barbara est, quæ dura et immitis est. *Ibid.*, serm. 6.

74. Omni penna levior, et sublimior mens est. Hom. 22, super *Epist. ad Hebr.*

S. JOANNES DAMASCEN. 75. Mens, quæ libere appetit, tum ratione, tum intelligenter, tum cupide et intelligit res, et quærit, et considerat, et deliberat, dijudicat, et gubernat. *De duabus Christi voluntat.*

JOAN. TRIT. 76. Mens justi in adversis erigitur, et in prosperis deprimitur : non ad vitium, sed ad virtutem. Super *Prolog. reg. S. Bened*, cap. 2, text. 23.

77. Nihil deterius incuria mentis. Parte 1 *de Regione claustral.*, tract. 1, reg. 1, art. 8.

S. ISID. HISP. 78. Mens nostra cœlestis est. Lib. 3 *De Summo bono*, cap. 7, sent. 7.

79. Mens soluta in diversis, catena charitatis non astringitur : et male laxata, male ad omnem occasionem movetur. *Ibid.*, cap. 40, sent. 2.

LACT. FIRM. 80. Quid ab homine desiderat Deus, nisi cultum mentis, qui est purus et sanctus? In *Epitome*, cap. *Nam.*

S. LAURENT. JUSTIN. 81. Nunquam Deo quis poterit esse subjectus,

qui menti suæ imperare nequiverit. Serm. de S. *Hieronymo.*

S. MACHAR. ÆGYP. SEN. 82. Mens nostra, thronus est divinitatis; et nostræ mentis thronus, est divinitas ac Spiritus sanctus. Hom. 6.

S. PETR. DAM. 83. Mens odiosa, cupida, curis tantummodo secularibus dedita, libidinis igne succensa, infernus est. Lib. 2, epist. 5, *ad Hildebrand, Cardinal.*

PHILO JUD. 84. Quemadmodum principalis pars corporis est facies : ita animæ pars principalis est mens; hanc solam inspirat Deus, alias hoc honore non dignatur. Lib. 1 *Legis allegor.*

85. Mens ipsa est oculorum oculus, et auris aurium, et in unoquoque sensu sensus sincerior. *De Congressu quærendæ eradit. gratia.*

86. Mens, quæ inest nostrum unicuique, cætera potest comprehendere, seipsam nosse non potest. *Prosec.*

87. Quemadmodum enim oculus alia videt, se ipsum non videt : sic et mens intelligit alia, seipsam non comprehendit. Lib. 1 *Legis allegor.*

88. Monitor sermonis mens est, sicut mentem Deus commovet : sermo interpres mentis est apud homines, sermonis vero mens apud Deum. *De Migrat. Abrahæ.*

89. Mens quando Deo pure sacrificat, non est humana, sed divina : cum autem ad aliquid humanum avertitur, descendens de cœlo, vel potius delapsa in terram, egreditur, etiamsi corpus intus maneat. Lib. *Quis rerum divinarum hæres sit.*

90. Mens est oculus animæ, illustratus splendore proprio, per quem dispelluntur altissimæ tenebræ offusæ a rerum ignorantia. Lib. *Quod Deus sit immutabilis.*

THALASSIUS. 91. Mens perturbationibus nudata, quotidie luculentior evadit, et ad res quæ vere sunt contemplandas illustratur. *Hecatontad.* 1, sent. 50.

92. Mensa perturbationibus libera, quæ considerat, sive invigilet, sive dormiat corpore, videt tenacius. *Ibid.*, sent. 54.

93. Non potest mens rei sensibili diu immorari, nisi omnino illa afficiatur. *Ibid.*, *Hecatontad.* 2, sent. 53.

94. Mentis cum sensibus amicitia, eam facit mancipium corporearum voluptatum. *Ibid.*, sent. 55.

95. Quando a virtutibus suis affectivæ vires moventur, tunc etiam mens a scientiæ suæ loco deturbatur. *Ibid.*, sent. 56.

96. Mens cui affectiones imperant, cogitat quæ non decent, quales autem cogitationes sint, produnt sermones et opera. *Prosec.*

97. Malæ cogitationis dux est affectio, affectionis auctor sensus : quo ut male utamur, in causa est mens. *Ibid.*, *Hecatontad.* 3, sentent. 4.

98. Magna equidem mens est, quæ ab affectionibus est libera, et sequestrata ab his quæ sunt, et in Deo versatur. *Ibid.*, sent. 27.

99. Mens continentis, templum est Spiritus sancti : gulosi autem mens, corvorum est domicilium. *Ibid.*, sent. 55.

100. Mens affectionibus referta, officina est malarum cogitationum. *Ibid.*, sent. 77

101. Ne putes mentem a carnis amicitia descivisse, cum adhuc in his quæ carnis sunt propria occupetur. *Ibid.*, *Hecatontad.* 4, sent. 2.

102. Mens alacris et serena, Spiritus sancti habitaculum est. Lib. 2, *de Vita Joannis.* IN VIT. PATR.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

103. Mens videt, mens audit. Sect. 11, *Problem. quæst.* 33. ARISTOTEL.

104. Ut est in corpore visus, sic est in anima mens. Lib. 1 *Ethicor. ad Nicomach.*, cap. 6.

105. Mens omnis id expetit, quod est optimum sibi, et probus obtemperat menti. *Ibid.*, lib. 9, cap. 8.

106. Mente nihil homini dedit ipse Deus divinius. Lib. 3, *de Offic.*, num. 14. CICERO.

107. Hominis mens discendo alitur, et cogitando semper aliquid aut inquirit, aut agi, videndique et audiendi oblectatione dicitur. Lib. 1, *de Offic.*

108. Quemadmodum in ambulando caves, ne clavum calces, pedemve distorqueas : sic in degenda vita cave ne gubernatricem actionum mentem tuam lædas. In suo *Enchirid.*, cap. 60. EPICTETUS.

109. Commota semel et concussa mens ei servit. a quo expellitur. Lib. 1, *de Ira*, cap. 7. SENECA.

110. Mobilis et inquieta mens homini data est : nunquam se tenet, spargitur, et cogitationes suas in omnia nota atque ignota dimittit; vaga, et quietis impatiens, et novitate rerum lætissima. *De Consolat. ad Helviam.*, cap. 6.

111. Bona mens nec commendatur, nec emitur : et puto, si venalis esset, non haberet emptorem : at mala quotidie emitur. Epist. 27.

112. Debemus aut curare mentem ægram, et vitiis liberare, aut vacantem quidem, sed ad pejora pronam præoccupare. Epist. 94.

113. Templum sanctum est Deo, mens pii : et altare est optimum ei, cor mundum, et sine peccato. Sent. 40. SIXT. PHIL.

114. Bona mens, chorus est Dei : mala mens, chorus est dæmonum. *Ibid.*, sent. 54.

115. Sapientis mentem Deus inhabitat. *Ibid.*, sent. 137.

116. Sapiens mens speculum est Dei. *Ibid.*, sent. 430

117. Mens in ratione, ratio in anima, anima in spiritu, spiritus in corpore. Lib. *de Potestate et sapientia Dei*, cui titulis *Pimander.*, cap. 10. TRISMEGIST.

118. Anima mentis præsentia destituta, nec agere quidquam, nec dicere potis est : nec audit, nec videt, sed animali similis est ratione carenti. *Ibid.*

Vide etiam tit. *Bonum*, sent. 54; *Charitas Dei*, sent. 32; *Cogitatio*, sent. 2; *Compunctio*, sent. 66; *Contemplatio*, sent. 112; *Deliciæ*, sent. 13; *Desiderium*, sent. 17; *Deus*, sent. 85; *Immunditia*, sent. 31; *Impudentia*, sent. 18; *Instabilitas*, sent. 14; *Meditatio*, sent. 13; *Memoria*, sent. 21; *Motus*, sent. 56; *Negligentia*, sent. 49; *Oblivio*, sent. 25; *Occupatio*, sent. 11; *Puritas*, sent. 12; *Spiritus sanctus*, sent. 3; *Tractio*, sent. 44.

MENTIS EVAGATIO.

Vide EVAGATIO.

MENSA.

HUGO CARD. *Divisio.* Est triplex mensa : mensa naturæ, mensa Scripturæ, mensa Eucharistiæ. Super *Ecclesiastic.*, cap. XXXI.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTON. 1. In principio mensæ debet fieri benedictio per eum, qui ibi est major, et in fine gratiarum actio, vel hymnus, exemplo Christi. Parte 3, tit. 13, cap. 3, § 3.

S. ANTON. DE PAD. 2. Mensa Domini est paupertas, mensa diaboli est prosperitas. Serm. *Dom.* 1 *post. Trinit.*

S. AUGUST. 3. Memento divertisse te ad refectionem, non ad defectionem. Super *Psalm.* XXXIV, conc. 1, vers. 5.

4. Cum manducas et bibis psalle, non intermiscendo sonorum suavitates ad aures aptas, sed modeste et frugaliter et temperanter manducando et bibendo. *Prosec.*

5. Si vero modum naturæ debitum immoderatione voracitatis excedas, et vinolentia te ingurgites, quantaslibet laudes Dei lingua tua sonet, vita blasphemat. Super *Psalm.* CXXXXVI.

6. Quisquis amat dictis absentum rodere famam,
Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.
Serm. 26, *ad Fratres in eremo.*

S. BASILIUS MAGNUS. 7. In omnibus necessaria est diligentia, et proba mensæ cura, ut nusquam necessitatis terminos transgrediamur. Quæst. 2.

S. BERNARD. 8. Inter prandendum quantum fauces dapibus, tantum aures pascuntur rumoribus. In *Apolog. ad Guillelm. abbat.*, cap. *Dicitur.*

9. Ad mensam non solum fauces cibum capiant, sed etiam aures exhauriant verbum Dei : non enim debet totus manducare, sed sic occupetur cor ad verbum Dei, ut solæ fauces sumant cibum, aures verbum. In *Speculo monachorum.*

10. Christianus semper ita surgat de mensa, ut adhuc habeat appetitum plura sumendi. Lib. *de Passione Domini*, cap. 42.

11. Si manducas, mensam tuam sobrietas perornet. Apud *De Anton.*, part. 4, tit. 4, cap. 4, § 2.

S. BONAV. 12. Loqui seu mussitare ad mensam, ubi silentium est servandum, turpe vitium est. In *Speculo discipl.*, parte 1, cap. 21.

13. Moram in mensa facere, religiosum non est. *Ibid.*, cap. 32.

CLEM. ALEX. 14. Mensa, in qua nulla Dei memoria adhibetur, à brutorum stabulo nil differt. Hab. apud *De Joan. Damasc.*, lib. 2, *Parall.*, cap. 5.

DIONYSIUS CARTHUS. 15. Dum manducas et bibis, cogitare non cesses qualiter Rex tuus pro te aceto et felle potatus est. *De Profess. monast.*, art. 19.

S. GREGOR. MAGNUS. 16. Requies mensæ, est refectio satietatis internæ. Lib. 26, *Moral.*, num. 32, cap. 24.

S. HIERON. 17. Mensam tuam pauperes et peregrini, et cum illis Christus conviva noverit. Epist. 2, *ad Nepotian.*

18. Nec cibi sumantur, nisi oratione præmissa : nec recedatur a mensa, nisi referatur Creatori gratia. Epist. 22, *ad Eustochium.*

19. Dum corpus saginatur cibo, saturetur anima lectione. In *Regula Monachar.*, cap. 37.

HUGO A S. VICTORE. 20. In mensa duplex est custodia disciplinæ : in habitu scilicet et in cibo : in habitu tribus modis, in disciplina tacendi, in disciplina videndi, in disciplina continendi sese. *Prosec.*

21. In cibo duplex est observatio : in eo quid sumat, in eo quantum sumat, in eo quomodo sumat : in prima, luxus arguitur; in secunda, curiositas; in tertia superstitio notatur. *De Inst. novit.*, cap. 19.

22. Mensa religionis, ordinata est : sufficiens. non superflua. Lib. 1, *de Claustro animæ*, cap. 11.

S. JOANNES CHRYSOST. 23. Mensa monachorum, formosæ mulieri quam nihil externum decorat, cum innata quadam pulchritudine splendeat, persimilis est. Hom. 71, super *Matth. Oper. perf.*

24. Tempus post mensam, agendi gratias tempus est : non decet autem agentem gratias ebrium esse, sed sobrium. Conc. 1, *de Lazaro mendico.*

25. Mensarum sumptuosarum, nullus alius proventus est, quam corruptio. Super *Epist. ad Galat.*, cap. VI.

26. Vilis tenuisque mensa sanitatem parit. Hom. 55, *ad Populum Antiochenum.*

27. Nihilo fiunt asinis meliores, animi mensarum delicias sectantes. *Ibid.*

28. Mensa ab oratione sumens initium, et in orationem desinens, nunquam deficiet, sed fonte largius afferet bona. *Ibid.* Hom. 79.

29. Mensa mediocris, plurimum jucunditatis habet et voluptatis. Hom. *Quod nemo læditur.*

30. Divitum mensæ execrabiles quidem et horridæ, ac morborum et contaminationis plenæ sunt. *Ibid.*

31. Extremæ dementiæ est fugere a mensa frugali, quæ habet voluptatem et suavitatem, et instruere aliam planam innumeris calamitatibus, insuavem, tristem et morbosam. Serm. *contra Luxum et crapulam.*

32. Frugalis et mediocris mensa laudanda est, quam non carpit Propheta, non arguit homo, non reprehendit Deus, non punit ignis, nullus adversatur, nullus odit, nullus invidet; sed probat Deus, commendant angeli, laudant homines, suscipit cœlum. *Ibid.*

33. Ex mensa continua, maligna quæque intercidentia solvuntur. Hom. 1, *de Patient. Job.*

34. Mensa hominis est terra. Serm. *de Jejun.*

35. Magni honoris est, recumbere cum potioribus. Serm. 1, super *Epist. ad Coloss.*

36. Omni jucunditate privata est divitum mensa : illa vero quæ pauperum est, quavis animi delectatione referta est. *Ibid.*

S. PETR. DAM. 37. Tenuis mensa, cibus asperior, simplicior potus, corpus firmant, confirmant animum, et utriusque hominis statum reddunt alacriorem. Serm. 56, *de S. Martino.*

38. Bonus mensæ administrator, sic dispensat necessaria corporum, ut saluti etiam consulat animarum : quia et parcendo sobrietatem nutrit, et largiendo murmurationis vitium ne oriatur, obsistit. *Opusc.* 13, cap. 19.

S. SYDONIUS EPISCOPUS. 39. Non dat tot pugna saucios, quot solet mensa convivas. Lib. 3, epist. 3, *ad Ecdicum.*

S. SYNESIUS EPISCOPUS. 40. Dum in mensa epularis, Dei memineris : ne corpus ipsum dum ex fœcundiori alimonia repletur, animus a sapientiæ studio revocetur. In *Concione panegyr.*

THOMAS A KEMPIS. * 41. Mensa egenorum in mœrore et fletu dolorum Christi versari debet, et Deo regratiari. In *Enchirid. monachor.*, cap. 1, sect. 2.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

PLATO. 42. Ad proborum hominum mensas probos non invitatos proficisci posse, consentaneum est. Sizygia 5, *de Convivio.*

MERCATURA.

Vide NEGOTIATIO.

MERCES.

Vide PRÆMIUM ET REMUNERATIO.

MERETRICIUM.

COLLECTOR. *Etymologia.* Meretrix a *merendo* dicta est, eo quod mercede suam exerceat malitiam.

S. AUGUST. Meretrices lupas vocabant, unde nunc etiam turpia loca earum lupanaria nuncupantur. Lib. 18, *de Civ. Dei.*, cap. 21.

GLOSS. ORD. Pellices dicuntur meretrices a pollutione, vel a pellis formositate, quæ incautos alliciunt atque pelliciunt. Super *Epist.* II, *B. Petri.* cap. II in illud; *Pellicientes animas.*

S. ISIDORUS HISPAL. Meretrix est dicta eo quod pretium libidinis mereatur. Lib. 10, *Etymol.*, verbo *Meretrix.*

COLLECTOR. *Definitio.* Meretrix est mulier, quæ sordidissimi quæstus gratia prostat, et cujus pulchritudo venalis est.

S. BONAV. Meretricium est commercium nefarium cum muliere, quæ multorum patet libidini. Parte 1, *Centiloquii.*, sect. 32.

S. HIERON. Meretrix est mulier, quæ multorum libidini patet. Epist. 6, *ad Fabiolam.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ALANUS DE RUPE. 1. Proh dolor! quantis hisce refertus est ORBIS : dulces sunt furiæ, inescant melle, vipereo sævius felle necant. Parte 3, serm. 2, cap. 20.

S. AMBROS. 2. Virgo est, quæ Deo nubit : meretrix, quæ deos fecit. Lib. 1, *de Virginibus,* cap. 9, num. 52.

3. Oculus meretricis, laqueus amatoris est. Lib. 1, *de Pœnit.*, cap. 14.

4. Sermo meretricis laqueus est, qui obdulcat ad tempus fauces tuas, et postea exasperat eas amaritudine conscientiæ peccatricis. *De Bono mortis.*, cap. 6.

5. Omnibus modis lascivæ mulieris vitandus occursus est. Lib. 2, *de Apologia David.*

6. Non est desidiosa petulantia meretricis, non otiosa lascivia, quæ facit juvenum volare corda, ut propriæ mentis nequeant tenere constantiam, et huc atque illuc fervido amore rapiantur. *Prosec.*

7. Cave hujusmodi mulierem, quæ pedibus non quiescit, foris errat, insidiatur per angulos, oculis ligat, verbis allicit, instititis lectum intexit suum. *Ibid.*

8. Facile capit oculos petulantis forma meretricis, nisi eos odia premant justa, et impuritatem indignatus avertat affectus Super *Psalm.* CXVIII, serm. 13, vers. 8.

S. ANTONI DE PAD. 9. Difficile lupi a cadavere, formicæ a grano, a melle muscæ, meretrices a prostibulo separantur. Serm. *Domin. infra octav. Nativit.*

S. ATHAN. MAGNUS. 10. Scortatio ita juventutem inflammat, et tamdiu impugnat, donec mentem ejus oculis privet. *De Definit.*

S. AUGU. 11. Quid sordidius, quid inanius, dedecoris et turpitudinis plenius, meretricibus, lenonibus, cæterisque hoc genus pestibus dici potest? *Prosec.*

12. Aufer tamen meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus. Lib. 2, *de Ordin.*, cap. 4.

13. Meretricum publice venalis est turpitudo. Lib. 5, *Quæst. super Deuteronom.*, quæst. 37.

14. Vehementius meretrix, quando casta esse voluerit, quam quæ semper fuit casta confligit : et tanto amplius in ea superanda voluntas laborabit, quanto majores ei consuetudo vires dedit. Lib. 6, *contra Julian.*

15. Velis, nolis, illa quæ præter uxorem tuam tecum dormit, meretrix est. Serm. 8, *in Octav. Paschæ.*

16. Pejus est alienum matrimonium violare, quam meretrici adærere. *De Conjug. bono*, cap. 8.

S. BASILIUS MAGNUS. 17. Absurdum est eum, qui intus a meretricis dominio detinetur, publicæ civitatis esse præfectum. Homil. 10, in *Hexamer.*

S. BERNARD. 18. Fœmina senex et meretrix, si lex permitteret viva sepelienda esset. Epist. *de Cura et regim. rei familiaris.*

S. BONAV. 19. Solent pecatrices mulieres in his quatuor maxime delinquere : scilicet in nutibus oculorum, in capillorum superflua præparatione, in voluptatibus osculorum et in suavitatibus unguentorum. Super *Luc.*, cap. VII.

20. Sicut amicus simulator, non amicum, sed dona sua amat : sic meretrix non amat virum, sed nummum. Serm. 10, *de SS. Apostolis.*

CLEMENS ALEX. 21. Pulchra meretrix et jucunda, dux venereorum est. Lib. 1, *Pœdag.*, cap. 9.

22. Qui fœminas, meretrices vocaverit, quæ ex vultibus suis personas faciunt, non aberravit. *Ibid.*, lib. 3, cap. 2.

GILLEBERT. ANGLUS. 23. Mulier meretrix ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas, garrula, vaga, nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulum insidiatur. Serm. 5, super *Cant. D. Bern'.*

GLOSS. INT. 24. De meretrice uxor facta pristinos mores non derelinquit. Super *Oseam*, cap. 2.

25. Quid turpius quam viros cultui meretricum copulari, et immolari hostias suæ libidini? *Ibid.*, cap. 4.

GLOSS. ORD. 26. Quanto Deus clementior, qui salutis viam post fornicationem ostendit ; tanto miserior meretrix, quæ non vult recipere sanitatem. Super *Hierem.*, cap. 3.

GRATIANUS 27. Cum in meretrice nulla spes fidei, nulla sit certitudo pudicitiæ, patet quod non est in conjugium ducenda. In *Decre.*, part. 2, causa 32. quæst. 1 can. *Integritas*, § *Cum ergo.*

S. HIERON. 28. Meretrix illa in Evangelio baptizata lacrymis suis, et crine quo multos ante deceperat, pedes Domini tergens, salvata est : non habuit crispantes mitras, nec stridentes calceolos, nec orbes stibio fulginatos ; quanto fœdior, tanto pulchrior. Epist. 10, *ad Furiam.*

29. Pudet dicere, et tamen dicendum est : nobile fœminæ, quæ nobiliores habueres neglectui procos, vilissimæ conditionis hominibus et servulis copulantur : ac sub nomine religionis, et umbra continentiæ, interdum deserunt viros Helenæ, sequuntur Alexandros, nec Menelaos pertimescunt. Epist. 12, *ad Gaudentium.*

30. Multæ meretrices sterilitatem præbent, et necdum nati hominis homicidium faciunt. *Prosec.*

31. Nonnullæ cum se senserint concepisse de scelere, abortii venena meditantur, et frequenter etiam ipsæ commortuæ trium criminum reæ ad inferos perducuntur : homicidæ sui, Christi adulteræ, necdum nati filii parricidæ. Epist. 22, *ad Eustoch.*

32. Inter concubinarum greges, palma vitiorum est, honesta polluere. *Ibid.*

33. Meretrices expolitæ, sunt libidinum victimæ. Epist. 1, *adversus Helvidium.*

34. Laïs Corinthia prærogativa pulchritudinis insignis, conata est Demostheni philosopho participare : cum jam Demosthenes blanditiis attractus emolliretur ad talamum, petivit ab eo Laïs centum talenta pro consensu : at ille suspiciens in cœlum, ait : Non emo tanti pœnitere. Epist. 51, *ad Rufinum, ne ducat uxorem.*

35. Quanto Deus clementior est, qui salutis post fornicationem ostendit viam : tanto miserior meretrix, quæ non vult post vulnera recipere sanitatem. Lib. 1. super *Hierem.*, cap. 3, super illud : *Frons mulieris meretricis.*

36. Callidæ meretrices sunt, quæ solent difficultate augere libidinis pretium, et ex hoc magis amatores ad insaniam provocare, Lib. 5, super *Ezech.*, cap. 16, super illud : *In quo mundabo cor tuum* ?

37. Meretrix auro ornatur et gemmis, ut placeat amatoribus suis : quidquid pulchritudinis non habet per naturam, arte conquirit. Lib. 1, super *Oseam*, cap. 2, super illud : *Et visitabo*, etc.

38. Meretricis præ nimiis fornicationibus laxantur ubera, rugosa efficitur frons ejus, genæ marcidæ, languentes et stupentes oculi, labia pallore obduca parent ; exsiccata cutis, virtus infracta, ipsis quoque postea amatoribus suis fit odiosa. In *Soliloquio de Arrha animæ.* HUG. A S. VICTORE.

39. In favo mellis duo sunt, scilicet mel et cera : sic in facie meretricis duo sunt, scilicet decor et gratia ; hoc est, pulchritudo oris, et dulcedo sermonis. *Prosec.*

40. Sicut cera succendi ignem, mel præbet dulcedinem : sic pulchritudo meretricis igne libidinis inflammat carnem, blandimento vero lenocinantis sermonis subvertit mentem.

41. Stillat mel ex cera, cum meretrix verba sua

mollit, et facit dulcia : hanc autem dulcedinem æternæ mortis amaritudo comitatur. *De nuptiis carnalibus*, lib. 1, cap. 2.

42. Diligit meretrix, ut decipiat, ut rapiat : amat quæ habes, non quod es. *Ibid.*

HUGO CARD.

43. Anima peccatrix meretrix est. Super *Psalm.* xxx.

44. Sicut stercus quanto plus calcatur, tanto amplius fœtet : ita meretrix quanto pluribus se exponit, tanto plus sordet. *Prosec.*

45. Et sicut stercus, quanto recentius, tanto fœtidius, ita est de meretrice. Super *Ecclesiastic.*, cap. 9.

46. Mulier si comessatrix est, meretrix est : si ebriosa est, et meretrix necessario. *Ibid.*, cap. 26.

S. JOANNES CHRYSOST.

47. Meretrix Magdalena Virgines ipsas castitate superavit. Homil. 6, super *Matth. Oper. perf.*

48. Non ita cœnum oculis noxium est, ut impudicus ille vultus, et nudatæ meretricis aspectus : meliusque est luto omnes suam decolorare fœdareque faciem, quam tale spectare flagitium. *Ibid.*

49. Sepulchra sunt meretricum diversoria: cum multo fœtore, multa putredine, multaque immunditia sint repleta. Homil. 29, super *Matth. Oper. perf.*

50. Mulieres omnes, quæ mercede corpus prostituunt, sceleratissimæ, pertinacissimæ sunt omnium, atque truculentissimæ. *Ibid.*, homil. 49.

51. Meretrix deformis, quamvis multo circumdetur fuco, non potest tamen deformitatem occulere, sed quo magis appropinquat, eo deformior videtur. *Ibid.*, hom. 71.

52. Meretrix atque infamis, nihil honestum admittit. *Ibid.*

53. Meretrix ad tempus guttur tuum melle impinguat, postea vero amarius felle invenies, et acutum magis ferro bipenni. *Ibid.*, hom. 74.

54. Multæ nunc mulieres meretricum sibi mores assumpserunt. *Ibid.*, homil. 74.

55. Meretrix uxor virum se fingit amare; vere autem amat adulterum, et in facie istius quidem est, in corde autem alterius. Hom. 30, super *Matth. Oper. imperf.*

56. Raab meretrix sanctificata est, ut meretricibus spes daretur. *Ibid.*, hom. 41

57. Nihil prodest meretrici, si nomen habeat castum. *Ibid.*, hom. 45.

58. Quid eo turpius, qui meretricios petit fornices? quid contumeliosius? Hom. 4, super *Joan.*

59. Qui meretricibus dat, ridiculus et infamis est, et multos sibi inimicos parat, et brevem voluptatem, vel nullam potius. *Prosec.*

60. Tunc cessat meretrix, cum omnibus rebus amantem spoliavit : imo nec tunc quidem, sed magis conviciatur et insultat jacenti, eumque majorem in modum ridet, et tot eum malis circumvenit, quæ nullo pacto narrari possent. *Ibid.*, hom. 86.

61. Scorta impudentia sunt, quia impudens peccatum est. Homil. 17, super *Acta Apost.*

62. Cum meretrici quis concubuerit, totus immundus est. Homil. 18, super I *Cor.*

63. Quid turpius, quam ad ostium meretriciæ domus hærere cantillantem, pugnis a scorto contundi, flere, lugere, seipsum deturpare? *Ibid.*, hom. 37.

64. Quantus pro meretrice potienda pecuniarum sumptus? periculum sæpe extremum, cum corrivalibus bellum, vulnera, plagæ. *Ibid.*, etc.

65. Qui in meretricia barathra deducti sunt, quovis servo serviliores, et miseriores effecti redeunt, et a multis corporibus infecti, morbos afferunt. Homil. 9, super II *Cor.*

66. Vehementer mulierem odit, qui cum ea scortatur : et vere mulierem diligit, qui a scelesto meretricio actu eam abducit. Homil. 4, super I *Thess.*

67. Quemadmodum porcus in cœno volutatus, quocumque ingressus fuerit, omnia fœtore replet : ita et scortatio malum est, quod difficile abluatur. *Ibid.*, hom. 50.

68. Qui scortari non didicerit, neque mœchari sciet : qui vero scortis fuerit involutus, mox et in adulterium quoque prolabitur. *Ibid.*

69. Meretrix amare nescit, sed insidiatur tantum, venenum habet ipsius osculum, et toxicum os pernitiosum. Homil. 14, *ad populum Antioch.*

70. Prostant in ædibus meretrices, et hoc est earum culmen : quia corpus suum venumdant pecuniæ causa. Homil. 15, super *Ep. ad Hebr.*

71. Hoc proprium est meretricum, quod ejus sint, qui aurum dat, sit quilibet. *Ibid.*

JOAN. GERS

72. Si alloqui blande cœperint, obsurdescas, syrenes sunt, suavi cantu sopiunt ut demergant. *Prosec.*

73. Si tuos petant amplexus, cito rejicias, latronum morem gerunt, amplexantur ut perimant.

74. Si blanda frons et suavis prætenditur, non confidas : arrident ut irrideant : si promissa promissis accumulent, non credas. In *Collat.* serm. *de Reliquis duab. domib.*

LACT. FIRM

75. Nulla vehementior discordiarum est causa, quam unius fœminæ a multis maribus appetitio. Lib. 3 *de Divin. inst.*, cap. 21.

76. Mulieres, quæ a multis habentur, prostitutæ ac meretrices sint necesse est. *Ibid.*, cap. 22.

ORIGEN.

77. Omnis mulier aut sub viro est, et subjecta legibus viri : aut meretrix est, et utitur libertate peccandi. Homil. 8. in caput xx *Exodi.*

S. PETRUS CHRYSOL.

78. Meretrix non est compta moribus, non mo-

nilibus ornata virtutum, non incessu gravis, non vere illo flammeo virginalis verecundiæ operta velamento : sed lasciva oculis, soluta gressibus, præventa illecebris, et tota dolis et simulationibus perfucata. Serm. 115.

S. PETR. DAM. 79. Meretrix pulpamentum est diaboli, projectio paradisi, virus mentium, gladius animarum, aconita bibentium, toxica convivarum, materia peccandi, occasio pereundi. *Opusc.* 18, cap. 7.

ROBERTUS BELLARM. 80. Omnes blanditiæ meretricum, sunt jacula, sive lanceæ : quæ cum delectant aures, feriunt corda. Super *Psalm.* LIV, vers. 4.

S. THEODOR 81. Meretricis formæ pulchritudo venalis est, et mercede conducitur. Lib. 1 *Eccles. histor.*, cap. 21.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 82. Necesse est mulierem, quæ suum corpus addixerit turpissimæ cupiditati, timere damnationem. Lib. 4, *de Arte Rhet.*

83. Si lenones tanquam leones vitasses, vitæ te tradidisses. *Ibid.*

DIOGENES. 84. Formosum scortum, lethale mulsum. In *Sent.* 7.

SENECA. 85. Meretrix ita inter multos se dividit ut nemo non aliquod signum familiaris animi ferat. Lib. 1 *de Benef.*, cap. 14.

Vide etiam tit. *Adulterium*, sent. 10, 11 ; *Confessio*, sent. 53 ; *Fucus*, sent. 53 ; *Maria*, sent. 203.

MERITUM.

S. BONAV. *Definitio.* Meritum est boni operis efficacia ad obtinendum id quod non habetur, vel habendum justius quod habetur. Lib. 3 *Compendii Theolog. verit.*, cap. 11.

JOAN. GERS. Meritum est actus laudabilis factus ad bonum alterius, pro quo exigitur præmium. Part. 4, in *Descript. terminor.*

S. LAURENT JUSTIN. *Productio.* Merita ex Dei gratia, hominisque arbitrio originem habent. Part. 1, in *Fasciculo amoris.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Deus iis quos elegit sine meritis, dat unde ornentur et meritis. Lib. 1, *de Vocat. gentium*, cap. 10.

2. Non clauditur locis quod diffunditur meritis. Serm. 93.

S. ANSELM. 3. Nullus Deum meritis antecessit, ut tenere eum quasi debitorem possit. Super *Epistolam ad Rom.*, cap. 11.

S. ANTONIN. 4. Quanto quis plus vivit, tanto plura merita acquirere potest. Part. I, tit. 5, cap. 1, §7.

5. Principalis causa meritorum, est gratia. Part. 2, tit. 3, cap. 2, § 2.

6. Nec somnus Sanctorum vacat a merito. Part. 4, tit. 9, cap. 1. § 2.

S. AUGUST. 7. Quisquis tibi enumerat vera merita sua, quid tibi enumerat, nisi munera tua. Lib. 9. *Confession.*, cap. 13.

8. Æterna lex incommutabili stabilitate firmavit, ut in voluntate meritum sit, in beatitate autem et miseria præmium, atque supplicium. Lib. 1, *de Libero arbitrio*, cap. 14.

9. Tanta est erga omnes homines bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona ; et pro his quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus. *De Ecclesiastic. dogmat.*, cap. 32.

10. Dona sua coronat Deus, non merita tua : si ergo Dei dona sunt bona merita tua, non Deus coronat merita tua, tanquam merita tua, sed tanquam dona sua. *De gratia et libero arbitrio*, cap. 6.

11. Ubi merita considerantur electio est, non sors. Super *Psalm.* XXX, concion. 2, vers. 16 : *In manibus tuis sortes meæ.*

12. Si vis alienus esse a gratia, jacta merita tua. Super *Psalm.* XXXI

13. Noveris non jactare te de meritis tuis. Super *Psalm.* XXXI, enarrat. 2, vers. 1.

14. Totum de misericordia : merita tua nusquam jactes, quia et ipsa tua merita, Dei dona sunt. Super *Psalm.* CXLIV, vers. 8.

15. Delevisti omnia mala merita mea, et prævenisti omnia bona merita mea. Lib. 13. *Confess.*, cap. 1.

16. Præmium non potest præcedere merita. *de Moribus Eccles.*, cap. 25.

17. Sunt merita justorum, sed ut justi fierent, merita non fuerunt. Epist. 105.

18. Nullum est ante gratiam, quo merito percipiat gratiam ; cum omne bonum meritum nostrum, non in nobis faciat nisi gratia : et cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat quam munera sua. *Ibid.*

19. Parvulos Deus discernit, quos merita nulla discernunt. Epist. 106.

20. Diversitate pœnarum, diversitas agnoscitur meritorum. Epist. 162.

21. Malum meritum prioris hominis, natura sequentis est : et bonum meritum sequentis, natura prioris est. Lib. 3, *de Lib. arb.*, cap. 20.

22. Deo deserente aliquis pro meritis it in malum, et Deo adjuvante sine meritis convertitur ad bonum. Lib. 1, *ad Bonifac.*, cap. 18.

23. Nullis hominum meritis dicimus gratiam antecedi. *Ibid.*, lib. 2, cap. 5,

24. Ne quis velut de suis meritis extollatur. *De correpl. et grat.*, cap. 10.

25. Credenti colligitur meritum, videnti redditur præmium. Tract. 68. Super *Joann.*

26. Humilitas claritatis est meritum, claritas humilitatis est præmium. *Ibid.*, tract. 104.

S. BERNARD. 27. Hoc totum hominis meritum, si totam spem suam ponat in eo, qui totum hominem salvum fecit. Serm. 15, super *Qui habitat.*

28. Sufficit ad meritum, scire, quod non sufficiant merita: sed ut ad meritum satis est de meritis non præsumere : sic carere meritis, satis ad judicium est. Serm. 68. super *Cant.*

29. Merita habere cures; habita, data noveris, et omne periculum evasisti. *Ibid.*

30. Pernitiosa paupertas, penuria meritorum : præsumptio autem spiritus, fallaces divitiæ meritorum. *Ibid.*

31. Felix, cui nec merita sine præsumptione, nec præsumptio absque meritis deest. Habet unde præsumat, sed non merita : habet merita, sed ad promerendum, non ad præsumendum. Ipsum non præsumere, promereri est : ergo eo præsumit securius, quo non præsumit. *Ibid.*

32. Rerum causa, non materia, nec exitus actuum; sed intentionis propositum culpas discernit et merita. Epist. 69, *ad Guidonem abb.*

33. Deus auctor est meriti, qui et voluntatem applicat operi, et opus explicat voluntati. *De Gratia et libero arbitrio.*

34. Merita cum gratia, spei quædam sunt seminaria, charitatis incentiva, occultæ prædestinationis indicia, futuræ felicitatis præsagia, via regni cœlestis. *Ibid.*

35. Totum meritum in bona voluntate est : quantum vis, tantum mereris. Quantum crescit voluntas tua bona, tantum crescit meritum tuum. *De inter. Domo,* cap. 8.

36. Sicut quædam medicina nihil valet sine scammonea, ita merita nostra nihil valent sine passione Christi. Expos. 1, super *Psalm.* CXVIII, in illud ; *Judica judicium meum, et redime me.*

S. BONAV. 37. Non bonum facere, sed bene facere, laudabile est : non enim verbis, sed adverbiis meremur. Unde versus :

38. In vitæ meritis præsunt adverbia verbis. Lib. 5 *Compend. Theolog. verit.*, cap. 12.

S. CÆSARIUS ARELAT. 39. Indumenta Christi, merita Sanctorum sunt. Homil. 6.

S. EUSEBIUS EMISSEN. 40. Augmenta meritorum, incitamenta debent esse profectuum. Hom. 3, *ad Monachos.*

41. Quotidie addamus ad merita, nec de nobis aliquid præsumamus, quia Dei est omne quod possumus. *Ibid.*

42. Deus novit de impiorum criminibus, merita augere justorum. *Ibid.*, hom. 4, *Epiphan.*

GILLBERT. ANGLUS. 43. Anxia vota suis nesciunt esee contenta meritis, ideo alienæ precis mendicant suffragia. Serm. 46, super *Cant.*

44. Perfecta humilitas de meritis semper alienis præsumit. *Ibid.*

GLOSS. INT. 45. Per adversa, virtutum merita patefiunt. Super *Job*, cap. 33.

S. GREGOR. MAGNUS. 46. Non res eadem semper est virtus, quia per momenta temporum sœpe merita mutantur actionum. Lib. 28, *Moral.*, cap. 6,

47. Cum vita justorum differtur, semper eis per augmentum temporum crescunt etiam lucra meritorum. *Ibid.*, lib. 35, cap. 10.

48. Præveniente gratia, et bona voluntate subsequente, hoc quod omnipotentis Dei donum est, fit meritum nostrum. Hom. 9, super *Ezech.* ; super illud : *Et ingressus est in me spiritus.*

49. Stultæ mentes hominum merita ex qualitate corporis metiuntur. Lib. 1, *Dialog.*, cap. 5. verbo *Quia.*

S. HIERON. 50. Periculosum est, de Sanctorum meritis disputare, et aliquid vel minus, vel plus disserere velle de eo, quem Dominus coronavit. Epist. 20 *ad Damas. pap.*

51. Nulli sapienti venire in dubium potest, eam rem majoris esse meriti, quæ sit amplioris laboris. Epist. 4, *ad Mauritii filiam.*

HUGO A S. VICTORE. 52. Temporale meritum debet esse dignum, sed non condignum æterno præmio : quia plus datur in præmio, quam fuerit in merito. In *Annot.* super *Epistolam ad Romanos,* in illud : *Non sunt condignæ passiones.*

HUGO CARD. 53. Meritum condigni, propie meritum est. Super I *Reg.* cap. 26.

54. Ome meritum a gratia est : unde opus factum extra charitatem, nullius est meritorium. Super IV *Reg,*, cap. 10.

55. Nisi præcedant merita, non est spes, sed præsumptio. Super *Psalm.* XV.

56. Triplex est meritum ; primum, est bonæ voluntatis ; secundum, est bonæ operationis ; tertium, est declinationis a malo. Super *Psalm.* XVII.

57. Quanta est charitas, tantum est meritum : pondus enim meriti, charitas est. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 1.

S. JOANNES CHRYSOST. 58. Sit licet excellens hominum meritum, sit naturæ jura conservans, sit legum jussis obtemperans, impleat fidem, justitiam teneat, virtutem exerceat, damnet vitia, semet exemplum imitantibus præbeat, parum est. *Prosec.*

59. Quidquid gesseris, parum est : quidquid feceris, minus. Omne enim meritum breve est comparatione donorum : numera beneficia, si potes, et tunc considera quid mereris.

60. Cum divinis muneribus actus proprios meditare, nec dignum te judicabis eo quo frueris, si intelligas quid mereris.

61. De beneficiis innumeris divina in te pietate collatis, elige quod libuerit unum, hinc tuum

compensari totum non poterit meritum? Serm. *Quomodo primus homo.*

62. Tanta est erga omnes bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona, et pro his quæ largitus est, æterna præmia sit daturus. Hom. *de Adam et Eva.*

63. Merita sanctorum non minuuntur morte, non retardantur die, non dissolvuntur in terra, nec nocte obscurantur, nec tenebris obumbrantur. Serm. *de Pentecost.*

64. Tutus meritorum penus, oblivio meritorum. Hom. 38, *ad Popul. Antioch.*

65. Vis vere magnum aliquid operari? nunquam te suspiceris tanquam magnorum meritorum. *Ibid.*

66. Si vis magnum ostendere meritum, noli altum sapere, et tunc hoc magis ostenderis : ne te putes aliquid magni effecisse, et totum feceris. *Ibid.*

.N. TRIT. 67. Quamdiu anima in hoc mortali corpore est, nobis quidquid voluerimus operari licet : egressa vero ipsa, nec promereri ultra possumus, nec demereri. Super *Proleg. Regulæ S. Bened.*, cap. 2, text. 7.

AURENT. STINIAN. 68. Cuncta Deus reliquit, incerta hominum merita, ut unus non intumescat præ alio. *De Casto connubio*, cap. 10.

69. Præcedit divina electio electorum merita : nam hominum merita temporalia sunt, sed electio sempiterna. In *Fasciculo amoris*, cap. 17.

70. Merita ex Dei gratia hominisque arbitrio originem habent. *Ibid.*

71. Non ex dignitatibus aut gradibus discernuntur merita, sed exercentur dona. *De Triumphali Christi agone*, cap. 26.

72. Nullum temporis momentum præterit, in quo merita non valeant cumulari æterna. Serm. *de Vita solit.*, cap. 10.

LEO I. 73. Æquatur plerumque merito, quod distat impendio : quia potest esse par animus, etiam ubi impar est census. Serm. 4, *de Jejunio decimi mensis.*

R. CELL. 74. Secundum altitudinem meritorum, surgit remuneratio præmiorum. Lib. 2, *de Mosaico tabernac.*

PROSPER. 75. Nihil potest quidquam de meritis suis perdere, quorum causas atque profectus non in se, sed in suo auctore constituit. Epist. *ad Demetriad.*

76. Suum constituere meritum, ubi divinum cessarit auxilium, hæc superbia est omni peccato nocentior, omni genere elationis insanior. *Ibid.*

RICHARD .VICTORE 77. Semper detrimenta meritorum, designant detrimenta præmiorum : nam quantum detrahitur merito, tantum semper detrahitur et præmio. Part. 1, lib. 1, *de Erud. hom. inter.*, cap. 1.

Vide etiam tit. *Crimen*, sent. 31, 32; *Debitum*, sent. 20; *Fructus*, sent 30; *Gratia Dei*, sent. 11, 64, 66, 148; *Lingua*, sent. 40; *Prædestinatio*, sent. 9, 58; *Voluntas*, in genere, sent. 86.

METUS

Vide TIMOR.

MILITIA.

Etymologia. Miles dictus est, quia mille erant ante in numero uno, vel quia unus est ex mille electus. Lib. 9 *Etymolog.*, cap. 3. S. ISID. HISP.

Malitia a *militibus* dicta est, aut a *multis*, quasi *multitia*, quasi negotium *multorum*, aut a *mole* rerum, quasi *moletia*. *Ibid.*

Divisio. Tria sunt militiæ genera : sacramentum, evocatio, conjuratio; sacramentum, in quo post electionem jurat unusquisque miles se non recessurum a militia, nisi post completa militiæ tempora; evocatio, dum ad subitum bellum, non solum milites, sed et cæteri evocantur; conjuratio, quæ fit tumultu, quando vicinum urbis periculum singulos jurare non patitur, sed repente colligitur multitudo, et tumultuosa in ira conflatur. Lib. 9 *Etym.*, cap. 3.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Habet bonam militiam castitas, quæ stipendiis militat sempiternis. Lib. 2, *de Virginibus.* S. AMBROS.

2. Præclara est militia, quæ regno cœlorum militat. Lib. 3, *de Virginibus.*

3. Miles terrenus ad quemcumque locum mittitur, paratus ac promptus est, multo magis miles Christi sine impedimento hujus sæculi imperatori suo Domino Jesu Christo debet obedire. *De salutar. docum.*, cap. 20. S. AUGUST.

4. Militare non est delictum, sed propter prædam militare, peccatum est. *Prosec.*

5. Militantibus sunt ideo stipendia constituta, ne dum sumptus quæritur, præda grassetur. *De Verb. Dom.*, serm. 19.

6. Quisquis militiæ cingulo utitur, dignitatis suæ miles ascribitur, et stipendia sibi publice decreta consequitur; si amplius quærit, tanquam concussor est. *Ibid.*

7. Miles in hoste interficiendo, minister est legis. Lib. 1, *de Libero arbitrio*, cap. 5.

8. Deus militem suum ita spectat dimicantem, ut adjuvet laborantem. *De Cataclysmo*, cap. 2.

9. Improvidus miles, fortem se in pace gloriatur. In suis *Prov.* verbo *Improvidus.* V. BEDA.

10. Militis cujuslibet fortitudo, non agnoscitur nisi in bello. *Ibid.*, verbo *Militis.*

11. Perfectus miles pensat sæpissime vires. *Ibid.*, verbo *Perfectus*

S. BERNARD. SEN. 12. Tales debent esse milites Christi, ut sint leves, non gravati pondere terrenorum; custodes et stabiles, non vagantes vanitatibus mundanorum. Serm. 16 *Fer.* 5 *post Dom.* 2 *Quadrag.*

S. BERNARD 13. Impavidus profecto miles, et omni ex parte securus, qui ut corpus ferro, sic animum fidei lorica induitur; utrisque nimirum munitus armis, nec dæmonem timet, nec hominem. Serm. *ad Milites templi*, cap. 1.

14. Quis finis fructusve sæcularis, non dico militiæ, sed malitiæ, si et occisor lethaliter peccat, et occisus æternaliter perit? *Prosec.*

15. Quis, o milites, hic tam stupendus error? quis furor hic tam non ferendus, tantis sumptibus ac laboribus militare; stipendiis vero nullis, nisi aut mortis, aut criminis? *Ibid.*, cap. 2.

16. Devotus miles non sentit sua, cum benigni ducis contuetur vulnera. Serm. 61, super *Cant.*

17. Quatuor sunt, quorum in hac vita obsequiis militamus, caro, mundus, diabolus, Deus. Carni militamus, gulæ illecebris serviendo, luxuriæ stimulis obsequendo: mundo militamus, avaritiæ æstibus anhelando, honoris altitudinem affectando; diabolo militamus, bonorum profectibus invidendo, et contra Deum superbiæ spiritus intumescendo; Deo militamus, pietatis operibus humiliter insistendo, potestates aereas virtute spiritus oppugnando. In suis *Sent.*, verbo *Quatuor.*

18. Ille recte militat, qui per militiam quam exercet in corpore, domum ædificat conscientiæ. *De inter. domo, in Prolog.*

S. BONAV. 19. Ad licitum usum militiæ oportet, quod concurrat conveniens persona et causa. *Prosec.*

20. Persona, sc. indicentis, bellum, in qua requiritur quod habeat potestatem: persona agentis, quæ debet esse laicus et sæcularis, non clericus vel religiosus: persona patientis, quæ talis sit insolentiæ, ut per bellum sit compescenda.

21. Causa autem conveniens est, cum est pro tutela patriæ, vel pacis, vel fidei. Quando hæc concurrunt, tunc licitum est militare; sed quando deficit aliquid horum, tunc est illicitum. Super *Luc.*, cap. 3, in illud; *Contenti estote stipendiis vestris*, 3.

22. Prudentis militis officium est, non solum bellum non fugere; sed et optare bellando victoriam, ut possit coronam accipere. Serm. 1, *de S. Lucia.*

23. Gloriosius et generosius est militi, stare in bello, quam in balneo: esse in campo, quam in lecto. Tit. 7 *Diætæ*, cap. 7.

24. Alacrius certat miles in acie, si ducem suum secum cernit laborem certaminis tolerare. *De sex alis Seraph.*, cap. 6.

25. Fortis Christi miles, quanto res difficilior quantoque ignominiosior, tanto ferventius et ardentius atque libentius aggreditur eam. *Ibid.*

S. CYPRIAN. 26. Idoneus non potest miles esse ad bellum, qui non exercitatus prius in campo fuerit. *De exhort. mart.*, in præf.

S. CYRILLUS ALEX. 27. Strenuum se præbet miles in bello, si ante pugnæ labores bellis studia prævisione meditetur. Homil. 16, *de Festis paschal.*

S. CYRILLUS HIEROSOL. 28. Miles expectans præmia, alacris est in bellum: nemo vero tam indiscreto regi militaverit, qui non soleat bravia laborum exhibere, ut frustra sit paratus mori. Cateches. 18.

S. EUSEBIUS EMISSENUS 29. Militia nostra hæc a nobis requirit, ut non contra alios, sed contra nosmeptisos quotidie dimicemus. Homil. 8, *ad Monach.*

GLOSS. DECR. 30. Militia, mercatio, vix sine peccato sit. In *Decret. Gratiani*,

GLOS. INT 31. Qui sub Jesu militat, non suscipit inimici jacula. Super *Josue*, cap. 10.

32. Non debet miles Christi otiosus esse, hoste intra patriam manente. Super. *Judith.*, cap. 15.

33. Improvidus miles est, qui fortem se in pace gloriatur, Lib. 23 *Moral.*, cap. 18.

S. GREGOR MAG. 34. Dux in prælio plus eum militem diligit, qui post fugam reversus, hostem fortiter premit, quam illum qui nunquam terga præbuit, et nunquam aliquid fortiter gessit. Homil. 24, sup. *Evang.*

35. Summa militiæ laus inter alia bona merita hæc est, obedientiam sanctæ Reipublicæ exhibere, quodque sibi utiliter imperatum fuerit obtemperare. Lib. 12, in *Registro*, indict. 7, cap. 24, epist 24, *ad Universos episcopos Neapolitanos.*

S. GREGOR NAZ. 36. Cur exercitum ducere quæris, cum inter milites adhuc censearis? Orat. 20, *de Modestia.*

S. HIERON 37. Quid facis in paterna domo delicate miles? ubi vallum? ubi fossa? ubi hyems acta sub pellibus? ecce de cœlo tuba canit. *Prosec.*

38. Tu de cubiculo ad aciem, tu de umbra egrederis ad solem: corpus assuetum tunicis, loricæ unus non fert: caput opertum linteo, galeam recusat: mollem otio manum, durus exasperat capulus. Epist. 1, *ad Heliodor.*

39. Cur, tam bene paratus ad bella, non militas? *Ibid.*

40. Christi miles, nec laude extollitur, nec vituperatione frangitur: non divitiis tumet, non contrahitur paupertate, et læta contemnit et tristia. *Ibid.* Epist. 2, *ad Nepotian.*

41. Nihil nocet militanti paludamentum, et balteus, et apparitorum catervæ, qui sub habitu alterius, alteri, scilicet Christo, militat. *Ibid.*, epist. 9, *ad Salvinam.*

42. Non debet miles revocari, aut pati formidinem, ubi sequitur palma victoriæ. Epist. 6, *ad amicum.*

43. Eum militem non sequitur felicitas præmiorum, qui sarcinam gestare non vult armorum. *Ibid.*

44. Militiæ convenit Christianæ, excuti calamitatibus, et probari. *Ibid.*

45. A fortissimo milite semper in acie standum est, et quærenda occasio, qua virtus enitescat excussa. *Ibid.*

46. Militiæ christianæ specimem est, lucidum per ardua componere gradum, per dura vectari et miseriarum duram duris viribus perferre censuram. *Ibid.*

47. Bona militia est, in qua contra diabolum et vitia militatur. Super I *ad Timoth.*, cap. 1.

O A S. TORE.

48. Miles duris gaudet, dura sustinet, fortis est, non cedit ictibus. Lib. 4, *de Propriet. rerum,* cap. 11.

OCARD.

49. Tria præcipue necessaria sunt militanti. Primum est, quod sciat pugnare; secundum est, quod habeat fortitudinem; tertium est, quod habeat arma. Super. *Psalm.* XXVI.

50. Miles in bello aut impetit, aut impetitur: qua igitur fortiorem se impetit, indiget adjutore, qui autem impetitur, indiget protectore, Super *Psalm.* CXIII.

51. Si compositus miles, compositam debet habere familiam: et quis magis compositus miles quam Christus? Super II. *Cor.* VI.

52. Non est bonus miles, qui se armat pro musca capienda, imo ignominiosus est. Sup. I. *Tim.*, cap. 1.

53. Hodie pauci sunt Josaphat, pauci sunt ministri militum. *Ibid.*

54. Miles Christi non carnis, non mundi, non diaboli est: sed contra hos militat pro Christo habendo. Sup. *Tim.* 2.

OANNES YSOST.

55. Miles nihil egregium absque præfecti ductu gerit. Homil. 3, super. *Genes.*

56. Miles in bellum proficiscens, non cogitat vulnera tantum, et cædes, et hostium insidias, et alias ærumnas, sed et victorias et triumphos sibi ipsi præsagiens, omni armatura, bona spe proposita, se munit. *Ibid.* homil. 25.

57. Melius est non militare, quam in militia curam et honorem regis negligere eum, qui a rege nutritur, pro rege autem non certare. Serm. *de Euchar.*

58. Nemo miles ab imperatore extraneo stipendium accipit, nisi illum cui militat, lædat. Serm. 1 *de Martyribus.*

59. Magna dignitas est esse militem Christi. Homil. 4, super II *Tim.*

60. Si laborare regii militis est, non laborare militis Christi non est: non itaque graviter aut moleste ferre militem labores decet, sed grate ac libenter, et tum magis dolere, cum non laborat. *Ibid.*

61. Non reprehenditur miles, cum de prælio revertitur vulneratus: sed reprehensibile magis ac semper turpe est, arma deponere, et fugiendo servitutis jugum subire captivum. Epist. 6, *ad Theodor. lapsum.*

S. JOAN. DAM.

62. Militem præter ea, quæ ad militiam spectant, nihil curiosius inquirere oportet. Lib. 3, *Parall.*, cap. 70.

JOAN. SARES.

63. Honestas idoneum militem reddit, et verecundia, dum prohibet fugere, sæpe facit victorem, Lib. 6, *de Nugis curial.* cap. 5.

JOAN. TRIT.

64. Ut semper in vigore fortitudinis maneat miles, necesse est ut otium caveat: quia nihil damnabilius in eo est, quam otium, per quod usus armorum dediscitur, nutritur pusillanimitas, vires fatiscunt, obrepit inertia, et ad immunditiæ actus animus occupatur. Super. *Prolog. reg. S. Bened.*, cap. 2, text. 28.

65. Miles summi Regis es, non licet tibi agonem illius deserere: nihil enim Christi milite felicius, cui promittuntur regna cœlorum: nihil laboriosius, qui quotidie de vita periclitatur; nihil fortius, qui vincit diabolum; nihil imbecillius, qui a carne superatur. *De inst. vitæ sacerd.* cap. 7.

66. Si milites sumus, quare non militamus? qui male militat, finem belli formidat. *De Vanit. et miser. hum, vitæ*, cap, 3.

S. LAURENT JUSTINI.

67. Quicunque Dei militiam agressus est, caveat ne repente se transferat ad exteriora. *De discipl. monast. conversat.*, cap. 21.

68. Generosi milites, quamvis non decertent actu, habitu tamen et desiderio semper sunt ad pugnam parati. *De Perfect. gradib.*, cap. 10.

S. LEO I.

69. Debet esse immunis ab aliis, qui divinæ militiæ fuerit aggregandus: ut a castris Dominicis (quibus nomen ejus adscribitur) nullis necessitatis vinculis abstrahatur. Epist. 1. cap, 1.

70. Non est liber a lequeis diaboli, qui se militia mundana voluerit implicare. Epist. 92. *ad Rustic. Narbonens. episc.*, cap. 11.

S. PAULINUS

71. Si in Christi inceperis comitiva militia militare, finis militiæ tuæ regnum, non terræ et temporis, sed æternitatis, et cœli. Epist. *ad Quemdam militem.*

PETR. BLES.

72. Ordo militum nunc est, ordinem non tenere: nam cujus os majore verborum spurcitia polluitur, qui detestabilius jurat, qui minus Deum timet, qui ministros Dei vilificat, qui Ecclesiam non veretur, esse hodie in cœtu militum fortior, et nominatior reputatur. Epist. 94. *ad Joan. Archidiac.*

73. Militari hodie disciplina, quam Vegetius,

Renatus ac plerique docuerunt, prorsus evanuit et se in quamdam delinquendi libertatem, et scurrilitatis speciem deformavit. *Ibid.*

74. Ex quo hodie militari cingulo tyrones decorantur, statim insurgunt in Christos Domini, et desæviunt in patrimonium crucifixi. *Prosec.*

75. Spoliant et prædantur subjectos Christi pauperes, et miserabiliter atque immisericorditer affligunt miseros, ut in doloribus alienis illicitos appetitus impleant voluptatum. *Ibid.*

76. Milites, qui contra inimicos Christi vires suas exercere debuerant, potibus et ebrietatibus pugnant. *Prosec.*

77. Vacant otio, marcent crapula, vitamque degenerem in immunditiis transigentes, nomen et officium militiæ dehonestant. *Ibid.*

78. Nihil damnabilius est in milite, quam otium; per quod usus armorum dediscitur, nutritur pusillanimitas, vires fatiscunt, obrepit inertia, et ad immunditiæ actus animus occupatur. *Ibid.*

79. Inutilis est omnino militiæ, nutritus tenere, et deliciis assuetus. *Ibid.*

0. Si milites nostros ire in expeditionem quandoque oporteat : summarii eorum non ferro, sed vino : non lanceis, sed caseis : non ensibus, sed utribus : non hastis, sed verubus onerantur. *Prosec.*

81. Credas eos ire ad domum convivii, non ad bellum : clypeos deferunt optime deauratos, prædam potius hostium cupientes, quam certamen ab hostibus et eos referunt, ut ita loquar, virgines et intactos. *Ibid.*

82. Militia regularis, arma spiritualia exigit : quia sine tentationibus, vix hora dimidia claustralis vita transigitur. *Ibid.*, epist. 134. *ad Vuilhelm. Electum.*

S. PETRUS CHRYSOLOG. 83. Verus miles est, qui non concutit, sed defendit : qui calumniam non ingerit, sed repellit : qui currit ad regis stipendia, non ad prædam. Serm. 132.

84. Devoti militis est, regis sui tacere fugam, referre constantiam, virtutes loqui, timores silere, aperire fortia, infirma reticere, adversa delere, prædicare victorias. *Ibid.* Serm. 150.

S. PETR. DAM. 85. Insuperabilis miles est, cui virtus ex vulneribus crescit : ex minarum terroribus, animositas surgit. Serm. 32, *de S. Apollinare.*

86. Pudeat te, o miles Christi! peritura in hoc sæculo facultate ditescere : ne in futuro cogaris nudus et inops perpetuo mendicare. *Prosec.*

87. In talis quippe militiæ arma jurasti, quæ nudos et agiles expetit bellarores ; onustos autem atque adeo segnes, a castrorum excubiis donativi arcet immunes.

88. Abjurat illa militia sarcinis prægravatum, et turpiter ante tempus merito subrogat expeditum.

89. Non licet illic marsupia pendere nummorum, ubi thecæ tantummodo vibrantium cernuntur armorum.

90. In bellicosa scilicet acie, inerti pecuniæ non tuto servitur, ubi constipatis cuneis assidua dimicatione confligitur. Opusc. 12, cap. 5.

91. Sæcularis militia, quia cœlestia non habet, terrena strenue militantibus præstat. Lib, 2, *de Vita contemp.*, cap. 10. S. PROSPE

92. Quid aliud omnium militantium vita, quam rapina. Lib. 3, *de Gubernatione Dei.* SALVIANU

93. Nulla deliciosis militibus virtutum patet janua. Homil. 2, *de Arcta vita.* S. VALER EPISCOPU

94. Miles es, attente tibi, ut non militans Deo implices te negotiis sæcularibus, ut placeas ei, qui te probavit : sed collabora Evangelio, ut milites in illis bonam militiam. Serm. *de Præcepto.* S. ZENO EPISCOPU ET MART.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

95. Rei militaris virtus præstat cæteris omnibus. *Oratione pro Murœna.* CICERO.

96. Militia invidiosa est, periculosa est. Lib. 1 *Controvers.* 8. SENECA.

97. Gloriæ causa aliquis militat ? consecutus est gloriam : vacationis causa ? consecutus est præmium. Lib. 1 *Controvers.* 8.

98. Militares viri gloriantur vulneribus, læti fluentem meliori casu sanguinem ostentant. *De Divina providentia.* cap. 4.

99. Ad suspicionem vulneris tyro pallescit. audacter veteranus cruorem suum spectat, qui scit se sæpe vicisse post sanguinem. *Ibid.*

100. Erit utilis miles, qui scit parere consilio. Lib. 1, *de Ira*, cap. 9.

101. Lex a quinquagesimo anno militem non cogit. *De Brevit. vitæ*, cap. 20.

102. Non potest quisquam eodem tempore et bonum virum, et bonum militem agere. Lib. 4, *deBenef.*, cap. 37.

103. Nobis militandum est, et quidem genere militiæ, quo nunquam quies, nunquam otium datur : debellandæ sunt in primis voluptates, quæ sæva ad se ingenia rapuerunt. Epist. 51.

104. Nullum laborem recusant manus, quæ ad arma ab aratro transferuntur. Epist. 51.

105. Malus miles est, qui imperatorem gemens sequitur. Epist. 105.

Vide etiam tit. *Certamen*, sent. 35, 36, 37 ; *Discipulus*, sent. 28 ; *Familia*, sent. 8; *Martyrium*, sent. 137 ; *Negotium*, sent. 21 ; *Religio* seu *Congreg.*, sent. 17 ; *Virtus*, sent. 215.

MIRACULUM.

Ethymologia. Miraculum dicitur, quasi admira- S. THOM AQUIN.

tione plenum. Part. 1 *Summæ*, quæst. 105, art. 7.

S. AUGUST. *Definitio.* Miraculum voco quidquid arduum aut insolitum supra spem vel facultatem mirantis apparet. *De Util. credendi.*, cap. 16.

HUGO CARD. Miraculum proprie dicitur, quod præter naturæ cursum evenit. *Prosec.*

Interdum tamen miraculum dicitur quodlibet insuetum, vel inusitatum, licet præter naturam non eveniat. Super *Luc.*, cap. 6.

S. THOMAS AQUINAS. Miraculum proprie est, cum aliquid fit præter ordinem naturæ. Part. 1 *Summæ*, quæst. 110, art. 4.

S. BONAV. *Productio.* Apparitio miraculi parit admirationem, admiratio cognitionem, sive inquisitionem. In caput. 1 *Luc*, in illud : *Apertum est os ejus.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Signa incredulis, fides credentibus; et ideo cessant miracula. Lib. 2. *de Sacram.*, cap. 2.

S. AUGUST. 2. Cum Ecclesia catholica per totum orbem diffusa atque fundata sit, nec miracula illa visibilia in nostra tempora durare permissa sunt, ne animus semper visibilia quæreret, et eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum novitate flagravit. *De Vera Relig.*, cap. 25.

3. Aliter Magi faciunt miracula, aliter boni christiani, aliter mali christiani. *Prosec.*

4. Magi per privatos contractus, boni christiani per publicam justitiam, mali christiani per signa publicæ justitiæ. *De* LXXXIII *Quæst.* quæst. 79.

5. Quamvis miracula visibilium naturarum videndi assiduitate viluerunt, tamen cum ea sapienter intuemur, inusitatissimis rarissimisque majora sunt. *Prosec.*

6. Omni miraculo quod fit per hominem, majus miraculum est homo. Lib. 10 *de Civ. Dei*, cap. 12.

7. Majus miraculum est gubernatio totius mundi, quam saturatio quinque millium hominum de quinque panibus, et tamen hæc nemo miratur, illud mirantur homines, non quia majus est, sed quia rarum est. Tract. 24 super *Evang. Joan.* de cap. VII.

8. Non tantum miracula propter miracula faciebat Christus : sed ut illa quæ faciebat, mira essent videntibus, vera essent intelligentibus. *De Verb. Dom.* serm. 44, cap. 1.

9. Opus est homines ad invisibilium fidem, visibilibus miraculis excitari. Epist. 122.

10. Miracula, Dei cultum religionemque commendant. *De Civitate Dei*, lib. 10, cap. 12.

11. Christus ut in se commendaret Deum, miracula multa fecit. *Ibid.*, lib. 18, cap. 46.

12. Sicut non impossibile fuit Deo, quas voluit instituere naturas; sic ei non est impossibile in quidquid voluerit, quas instituit mutare naturas : unde miraculorum multitudo silvescit. *Ibid.*, lib. 21, cap. 8.

13. Deus in hoc mundo magna et parva miracula fecit, eademque ipso mundo uno, atque omnium maximo miraculo inclusit. *Ibid.*, cap. 9.

14. Christus miraculis conciliavit auctoritatem. *De Utilit. cred.*, cap. 14.

15. Miracula sentiendi assiduitate contemnimus. *Ibid.*, cap. 16.

16. Dei miracula, magica non sunt. Lib. 29, *contra Faust.*, cap. 2.

17. Quotidiana miracula Dei, non facilitate, sed assiduitate viluerunt. Homil. 32, *ex Quinquag. Hom.*, cap. 2.

CASSIODOR. 18. Illa vere nequeunt dici miracula, quæ ad nullam utilitatem simulata, deceptis oculis blandiuntur. Super *Psalm.* LXXXV, vers. 9.

S. EUSEBIUS. EMISSENUS. 19. Non te confundat, nec trepidum faciat rerum novitas, sed sufficiat tibi omnipotens auctoritas. Serm. 1. *de Symbolo.*

GLOS. ORD. 20. Maxime cavendum est ab his, qui propter nomen Christi etiam miracula habent, quæ cum propter infideles Dominus fecerit, monuit tamen ne a talibus decipiamur : putantes ibi esse invisibilem sapientiam, ubi est visibile miraculum. Super *Matth.*, cap. 7.

S. GREGOR. MAGNUS. 21. Divina miracula semper debent considerari per studium, et nunquam discuti per intellectum. Lib. 6. *Moral.*, cap. 8.

22. Magnum est omne hoc miraculum, quod videri nunc potest : sed illud de internis miraculum est mirabilius quod nunc videri non potest. *Ibid.*, lib. 9., cap. 6.

23. Vera virtus in amore est, non autem in ostensione miraculi : quia veros Dei famulos non miracula, sed sola charitas probat. *Ibid.*, lib. 20, cap. 9.

24. Miracula cum electi faciunt longe dissimiliter a reprobis fiunt : quia quod electi ex charitate, hoc reprobi student agere per elationem. Homil. 17., super *Ezechiel.*

25. Sola est in miraculis ratio potentia facientis. *Ibid.*, homil. 20, super illud I *Cor.* IX : *Sic currite ut comprehendatis.*

26. Ad hoc visibilia miracula coruscant, ut corda videntium ad fidem invisibilium pertrahant : ut per hoc quod mirum foris agitur, hoc quod intus set longe mirabilius esse sentiatur. Homil. 4, super *Evang.*

27. Frustra miraculum foris ostenditur, si deest quod intus operetur. *Ibid.*

28. Miracula ex assiduitate vilescunt. *Ibid.*, hom. 26.

29. Miracula in exordio Ecclesiæ necessaria fuerunt : ut enim ad fidem cresceret multitudo credentium, miraculis erat nutrienda. *Ibid.*, homil. 29.

30. Miracula tanto majora sunt, quanto spiritualia : tanto spiritualia sunt, quanto per hæc non corpora, sed animæ suscitantur. *Ibid.*

31. Charitatis atque pietatis miracula amate, quæ tanto securiora sunt, quanto et occulta, et de quibus apud Dominum eo major fit retributio, quo apud homines minor est gloria. *Ibid.*

32. Quoties præter quotidianum usum nova quædam accidunt, quæ carnales ac simplices admirantur, miraculum fieri dicitur. Lib. 5. in I *Regum*, cap. 4, super illud : *Et factum est miraculum.*

33. Valde premendus est animus inter miracula, ne fortassis in his propriam gloriam quærat, et privato suæ exultationis gaudio exultet. Lib. 9 in *Registro*, indict. 4, cap. 58, epist. 58, *ad Aug. episc. Anglor.*

34. Hi qui Omnipotenti Deo familiarius serviunt, aliquando miracula facere, etiam ex potestate possunt. Lib. 2 *Dialogi.*, cap. 31.

35. Sic Omnipotens Deus, contra elatas carnalium mentes potentiæ suæ miracula per despectos operatur, ut qui superbe contra præcepta veritatis se elevant, eorum cervicem veritas per humiles premat. *Ibid.* lib. 3, cap. 12.

36. Majus miraculum est, intimo sonitu insensibilem mentem concutere, quam collisis per ventum nubibus tonitruum insonare. Lib. 5 in I *Reg.*, cap. 2.

HAYMO. 37. Postquam in fide firmiter radicata est Ecclesia, exteriora miracula cessaverunt. Serm. 2. *Pent.*

S. HIERON. 38. Prophetare, et virtutes facere, et dæmonia ejicere, interdum non ejus meriti est, qui operatur : sed vel invocatione nominis Christi hoc agit, vel ob condemnationem eorum qui invocant, et utilitatem eorum qui vident, et audiunt, conceditur. Lib. 1 super *Matth.*, cap. 7, num. 60, super illud : *Multi dicent mihi in illa die, etc.*

HUGO CARD. 39. Quanto miraculum famosius, tanto gloriosius. Super *Lucam*, cap. 7.

S. JOANNES CHRYSOST. 40. Absque nobilitate morum, nihil signa valent neque miracula. Homil. 33 super *Matth. oper perf.*

S. ISID. HISP. 41. Nunc in Ecclesia plus est bene vivere, quam signa facere. *Prosec.*

42. Quod nunc Ecclesia non ea miracula faciat, quæ sub Apostolis faciebat, ea causa est, quia tunc oportebat mundum miraculis credere : nunc vero jam credentem oportet bonis operibus coruscare.

43. Nam ideo tunc signa fiebant exterius, ut interius fides roboraretur : jam in fide miracula quicumque requirit, vanam gloriam, ut laudetur, quærit. Lib. 1, *de Summo dono*, cap. 24, sent. 1.

44. Miracula in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus : non fidelibus, qui jam crediderunt, sed infidelibus ut convertantur. *Prosec.*

45. Noveris igitur miracula pro incredulis, non pro fidelibus fieri. *Ibid.* sent. 3.

S. ISID. PE[L]. 46. Ubi quod quæritur, supervacaneum est : illic quoque miracula edere, prorsus intempestivum est. Lib. 1, epist. 76, *ad Joann. Eremit.*

S. MAXIM[US] EP. TAURI[N]. 47. Inane est omne miraculum, quod utilitati salutis non operatur humanæ. Homil. 1 *Quadrag.*

S. THOMA[S] AQUINAS. 48. Miracula Christi cum humanas vires superarent, et propria Christi virtute fierent, divinitatem ejus abunde comprobabant. Part. 3, quæst. 43, art. 4.

Vide etiam tit. *Apostolus*, sent. 57 ; *Discordia*, sent. 27 ; *Divinatio*, sent. 14 ; *Innocentia*, sent. 31 ; *Prædicatio*, sent. 144 ; *Unitas*, sent. 31.

MIRATIO, MIRABILE.

S. BERNAR[D]. SENENS. *Definitio.* Mirabile est quidquid arduum supra spem, vel facultatem mirantis apparet. Serm. 1. *Dominica quinquag.*, art. 2, cap. 4.

S. THOMA[S] AQUINAS. Admiratio est desiderium quoddam sciendi, quod in homine contingit ex hoc, quod causa talis effectus excedit cognitionem aut facultatem ipsius. 1, 2, quæst. 32, art. 8.

Admiratio est species timoris, consequens apprehensionem alicujus rei excidentis nostram facultatem. 2, 2, quæst. 180, art. 3.

Differentia. Inter admirationem et stuporem hoc interest : quod admiratio est principium philosophandi : sed stupor est philosophicæ considerationis impedimentum. 1, 2, quæst. 41, art. 4, ad 5.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Tantum habet virginitas admirationis, ut eam etiam leones mirentur. Lib. 2, *de Virginib.*

2. Quod mirabile fit, mira quidem res est, sed in viro sancto miranda non est. Serm. 87, *de S. Elisæo.*

S. ANTON. 3. Mirari solent homines, cum audiunt aliquem bonum cadere in peccata, cum tamen continue sit in pugna : sed potius mirandum est, si aliquando non cadat. Part. 4, tit. v, *de Justitia.*, cap. 12, § 2.

S. AUGUS[T]. 4. Eunt homines admirari alta montium, et ingentes fluctus maris, et latissimos lapsus fluminum, et oceani ambitum, et gyros siderum, et relinquunt seipsos, nec mirantur. Lib. 10 *Conf.*, cap. 8.

5. Si ratio quæritur, non erit mirabile : in

rebus mirabilibus tota ratio facti est potentia facientis. Epist. 3, *ad Volusian.*

6. Istæ causæ sunt admirationis, cum vel ratio cujusque rei latet, vel eadem res usitata non est, quod aut singularis, aut rara est. Epist. 101, *ad Evodium.*

7. Mira societas carnis et animæ, spiritus vitæ et limi terræ : nec minus mirabile fuit, quod limo nostro Deus seipsum conjunxit, ut sibi invicem unirentur Deus et limus, tanta sublimitas, et tanta vilitas. *Prosec.*

8. Mirabilis fuit conjunctio prima, mirabilis fuit secunda, nec minus mirabilis erit tertia, cum homo Angelus et Deus, unus erit spiritus. *de Spirit. et anima*. cap. 14.

9. Quidquid mirabile fit in hic mundo, profecto minus quam totus hic mundus, id est, cœlum et terra, et omnia quæ in eis sunt. Lib. 10, *de Civ. Dei*, cap. 12.

10. Quid mirabilius inter Dei mirabilia quam mortuos suscitare? Super *Psalm.* LXX, vers. 18.

11. Mortuos resurrexit, mirati sunt homines; tot quotidie nascuntur, et nemo miratur si consideremus prudentius, majoris miraculi est esse qui non erat, quam reviviscere qui erat. Tract. 8, super *Evang, Joan.*, de cap. 2.

12. Illud mirantur homines, non quia majus est sed quia rarum est. *Ibid.*, tract. 24, de cap. 6.

13. Beati spiritus in cœlo admirantes diligunt, et diligentes admirantur, ut inextinguibiliter per admirationem ardeat dilectio et suaviter in dilectione ferveat admiratio. Super *Magnificat.* vers. 2.

14. Mirabilia assiduitate vilescunt : assiduitas experiendi paulatim subtrahit admirationis incitamentum. Lib. 2, *de Civitate Dei*, cap. 4.

15. Quæ sunt rara admiramur. *Ibid.*, cap. 8.

16. Omnium mirabilium vincit admirationem, quod homo divinam potuit invenire naturam, eamque efficere. *Ibid.*, lib. 8, cap. 24.

17. Illa plus habent admirationis, quæ molis minimum. *Ibid.*, lib. 22, cap. 24.

18. Ignorantia est mater admirationis. Lib. 13. *Conf.*, cap. 21.

19. Multi sunt qui plus tenentur admiratione rerum, quam cognitione causarum. Epist. 222.

20. Admiratio de rebus insperatis nasci solet. Lib. 1 *de Genesi; contra Manich.*, cap. 8.

21. Miracula quotidiana assiduitate, amiserunt admirationem. Tract. 8, super *Joan.*

22. Licet in cunctis operibus tuis sis mirabilis, mirabilior tamen crederis esse in operibus pietatis. Lib. *Medit.*, cap. 2.

23. Multi per cupiditatem mundi, multa mira faciunt. Tract. 6, super *Epist. Joan.*

24. Rationalis creatura eo magis miratur insolita, quo minus cernit futura. Lib. 26, *contra Faust.*, cap. 3, ante fin, tom. 6.

25. Non movent quæ mira non sunt, at si solita essent, mira non essent. *de utilit. cred.*, cap. 16.

S. BERNARD.

26. Mirabilem te apparere, et contemptibilem reputare, hoc ego ipsis virtutibus mirabilibus judico. Serm. 13, super *Cant.*

S. CYPRIAN.

27. Dejicit se de culmine generositatis suæ, qui admirari aliquid post Deum potest. *de Spectacul.* cap. 7.

S. EUSEBIUS EMISSEN.

28. Divinis rebus admiratio adhibenda est, non credulitas abneganda. Homil. 2, *de Symbolo*,

GLOS. ORD.

29. Illa quæ rara sunt mirantur homines, et non consueta. Super *Ecclesiastic.*, cap. 31.

S. GREG. MAG.

30. Mira quæ ex fide credenda sunt, perscrutanda per rationem non sunt : quia si hæc oculis ratio expenderet, mira non essent. Lib. 6, *Moral.*, cap, 8.

31. Divina operatio, si ratione comprehenditur, non est admirabilis : nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Hom. 26, super *Evang.*

32. Mirabilia Spiritus sancti ab infirmis veneranda sunt, non imitanda. Lib. 1 *Dialogi*, cap. 1.

HUG. A S. VICTORE.

33. Non quod foris est, mirabile est; sed quod intus est, mirabile est : intus ergo vide, et non miraberis quidquid apparet. Super *Psalm.* LXVII, cap. 59.

HUGO CARD.

34. Mirabile est ignem tangere et non uri, spinas colligere et non pungi, lapides supportare et non lædi. Super *Eccless iastic.*, cap. 31.

35. Mirabile opus fuit creatio mundi, mirabilius fuit recreatio mundi, mirabilissimum erit glorificatio mundi. *Ibid.*, cap. 38.

S. JOANNES CHRYSOST.

36. Satius et expetibilius est, cœlo non terræ, Deo non hominibus admirabilem apparere. Homil. 41. super *Joan.*

37. Sunt graculis haud absimiles, et asinis pejores, qui præsentia admirantur. *Ibid.*, hom. 75,

38. Donec anima terena miratur, necessario cœlestia spernit ac despicit. Lib. 2, *de Compunctione cordis.*

S. ISID. HISP

39. Cuncta quæ sunt et facta sunt, mira valde sunt ; sed consuetudine viluerunt. Lib. 1, *de Summo bono*, cap. 8, sent. 19.

40. Homo, qui miraris siderum altitudinem, et maris profunditatem, animi tui abyssum intra, et mirare si potes. *Ibid.*, cap. 13, sent 4.

LACT. FIRM.

41. Multo præclarius est, et homine dignius, hoc pulcherimum opus, scilicet cœlum, intermicantibus astrorum luminibus, tanquam floribus adornatum, quam picta et ficta et gemnis distincta mirari. Lib. 6, *de Divin. inst.*, cap. 20.

S. PROSPER.

42. Multa possunt in homine reperire miranda, quæ sine charitatis medullis, habent quidem pie-

tatis simulitudinem, sed non habent veritatem. Epist. *ad Rufin. de Lib. arbitr.*, cap. 1.

43. Quæ sunt mirabilia, eadem sunt terribilia : nulla quippe est admiratio sine formidine. Super *Psalm.* cv, vers. 22.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 44. Causarum ignoratio in re nova, mirationem facit. Lib. 2, *de Divinat.*

SENECA. 45. Adeo naturale est, magis nova quam magna mirari. Lib. 7 *Quæst.*, cap. 1.

46. Cogita in te præter animum, nihil esse mirabile, cui magno nihil magnum est. Epist. 8.

47. Nihil habent ista magnificum, quæ æstimamus quo mentes in se nostras trahant, præter hoc, quod mirari illa consuevimus. Epist. 81.

MISERIA.

S. GREG. NYSS. *Definitio.* Miseria est in acerbis et tristibus, nostraque voluntate non accidentibus casibus, et calamitatibus ærumna. Orat. 1, *de Beatitud.*

S. THOMAS AQUINAS. Miseria est defectus rationalis naturæ (quam contigit esse felicem) oppositus felicitati. Part. 1 *Summæ*, quæst. 21, art. 4.

HUGO CARD. *Descriptio.* Miseria in præsenti est deformitas sine pulchritudine, gravitas sine agilitate, imbecillitas sine potestate, infirmitas sine sanitate, servitus sine libertate, anxietas sine voluptate; mors sine vita, ignorantia sine doctrina, inimicitia sine charitate, discordia sine pace, dedecus sine honore, invaliditas sine fortitudine, timor sine securitate, tristitia sine gaudio. Super *Psalm.* CXLIX.

S. ANSELM. *Divisio.* Partes miseriæ, sunt turpitudo, ponderositas imbecillitas, servitus, infirmitas, anxietas, vitæ brevitas, insipientia, inimicitia, discordia, dedecus, impotentia, timor et tristitia. *De similitudinibus*, cap. 49.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Quid nobis miserius, qui tanquam spoliati et nudi projicimur in hanc vitam, corpore fragili, corde lubrico, imbecillo animo, anxii ad sollicitudinem, desidiosi ad laborem, proni ad voluptates? Orat. *de fide Resurect.*

S. ANTONIUS DE PADUA. 2. Felix est miseria, quæ ducit ad meliora, et felix nigredo, quæ candorem parit. Serm. *Dominicæ* 2 *post Trinitatem.*

S. ATHANAS. MAGNUS. 3. Nemo est mortalium, qui non laboret miseriis in ista misera vita : sive sit inops, sive sit opulentus, sive servus, sive liber, sive peccator, sive justus, omnes æque laborant. *De Virginit.*

S. AUGUST. 4. Quid miserius misero non miserante seipsum? Lib. 1 *Conf.*, cap. 13.

5. Duobus modis nocet homo, quantum in ipso est, aut faciendo miserum, aut deserendo miserum : tu non vis ab alio fieri miser, et non vis deseri ab alio, si miser fueris quare alios facis miseros? Super *Psalm.* c, vers. 3.

6. Malitiæ individua comes, miseria est. *Prosec.*

7. Perversi enim non solum mali esse volunt, et miseri nolunt (quod fieri non potest), sed ideo volunt mali esse, ne miseri sint : ergo ne miser sit, malus est, et ideo miserior est, quia malus est. Super *Psalm.* XXXII, vers. 12.

8. Tota miseria est in mundo, dolor ubique, ubique metus, ubique necessitas, ubique labores. Super *Psalm.* CXXXVIII, vers. 11.

9. In luctu nascimur, in labore vivimus, et in dolore morimur. Serm. 65, *ad Fratr. in Eremo.*

10. Homines quamdiu mortales sunt, etiam miseri sunt necesse est. Lib. 9, *de Civ. Dei.*

11. Miseri in quantum miseri sunt, utique in pace non sunt : verumtamen quia juste miseri sunt, in ea quoque ipsa sua miseria præter ordinem esse non possunt. *Ibid.*, lib. 19, cap. 13.

12. Nihil prodest alicui misero, si felix aut fortunatus vocetur. Lib. 22, *contra Faust.*, cap. 22.

13. In miseria generis humani laudatur justitia punientis. Lib. 22, *de Civit. Dei*, cap. 24.

14. Homo invitus est miser. Lib. 3, *de Lib. arbit.*, cap. 6.

S. BERNARD 15. In sordibus generamur, in tenebris confovemur, in doloribus parturimur. *Prosec.*

16. Ante exitum miseras oneramus matres, in exitu more vipereo laceramus, mirum quod non ipsi pariter laceramur. Serm. *fer.* 4 *Hebdom. pœnosæ.*

17. Homo natus de muliere quo nihil abjectius, repletur multis et multiplicibus miseriis, miseriis corporis, miseriis cordis, miseriis cum dormit, miseriis cum vigilat, miseriis quoquoversum se vertat. Serm. *feriæ* 4 *Hebdom. pœnosæ.*

18. Si diligenter consideres quid per os et nares, cæterosque corporis meatus egrediatur, vilius sterquilinium nunquam vidisti. Lib. *Medit.*, cap. 3.

19. Miseri nos et miserabiliter nati, quibus datum est nasci in mœrore, vivere in labore, in dolore mori : de peccatore peccatores, de debitore debitores, de corrupto corrupti, de subabto subacti. Serm. *de Quinque negotiationibus.*

S. BOETIU[S] 20. Omne mortalium genus in miseriam, mortis fine, labitur. Lib. *de Consolat. philosoph.*, prosa 4.

S. BONA[V.] 21. Miseriæ deliciis, et deliciæ miseriis commutantur. Serm. 1, *Dom.* 1, *post Epiph.*

S. CÆSARI[US] ARELAT. 22. Infelix solatium est turba miserorum. Hom. 15.

DIONISIU[S] CARTHUS. 23. Tanto fit miseris miseria sua gravior, quanto prius fuit felicitas major. *De Perfect. charit.*, art. 38.

USEBIUS ISSENUS. 24. Nemo miser putetur, qui in fide, vel in animi virtute non læditur. Hom. in *Litaniis.*

SS. INT. 25. Hujus sæculi miseriis impatientes deficiunt, quas boni patienter transeunt. Super *Psalm.* CXXXIX, in illud; *In miseriis non subsistent.*

GREGOR. AGNUS. 26. Omne quod hic agitur, pœna et miseria est. Lib. 11 *Moral.*, cap. 26, super illud *Job* 14 : *Brev. vivens tempore.*

GREGOR. NAZ. 27. Calamitas inventrix est ingeniosa. Orat. 9, *in Funere patris sui.*

GREGOR. NYSS. 28. In miseria omnia eumdem honoris gradum inter se obtinent, omnia tenent in malorum excellentias, omnia parem præbent luctus occasionem. *Prosec.*

29. Quid enim miseriæ magis deflebis, et qua ex parte magis quereris de natura, vitæ brevitatem et laborem incipere a lacrymis, et desinere in lacrymas?

30. Quid plura? miserabilem infantiam, juventutis inconstantiam, senectutis delirium. Hom. 6, super *Ecclesiasten.*

O CARD. 31. Recte miseriæ hujus vitæ aquis prætereuntibus comparantur, quia mentes electorum calamitas transitoria non subvertit, sed abluit. Super *Job*, cap. XI.

32. Revera non erunt socii in gloria, qui noluerunt esse socii in miseria. Super I *ad Cor.*, cap. I.

NNOC. III 33. O vilis conditionis humanæ indignitas! o indigna vilitatis humanæ conditio! herbas et arbores investiga. *Prosec.*

34. Illæ de se producunt flores, et frondes, et fructus; et tu de te lentes, et pediculos, et lumbricos.

35. Illæ de se fundunt oleum, vinum, et balsamum : et tu de te sputum, urinam, et stercus.

36. Illæ de se spirant suavitatem odoris, et tu de te reddis abominationem fœtoris. Lib. 1, *de Contemptu mundi*, cap. 8.

JOANNES RYSOST. 37. Non parva sunt, ex summa felicitate ad miserorum societatem transire, et sui unius calamitatibus reliquis securitatem ac honorem conciliare. *Prosec.*

38. Nam etsi magnum sit bona malis proximi gratia permutare, tamen non parum affert consolationis, si calamitatis socii habeantur.

39. Quis autem quispiam velit solus miser esse, ut alii bonis fruantur? id multo præstantioris animi est. Homil. 25, super I *Cor.*

AN. SAR. 40. Miseris nihil utilius est, quam utcumque finire miseriam. Lib. 5, *de Nugis curial.*, cap. 7.

N. TRIT. 41. In omni statu miseria est, et quanto quisque excellentius super omnes sublimatus cernitur, tanto abundantius miseria repletur. *De Vanitate et miser. humanæ vitæ*, cap. 7.

42. Non quisquam alienum se a miseria hujus mundi existimet : quoniam tunc vere quisque miser est, cum se putat esse felicem. *Prosec.*

43. Ab infantia usque ad senium nemo miseria caret : in omni ætate miseria est, quanquam se miseros esse multi non intelligunt. *Ibid.*

44. Ubi major putatur esse felicitas, ibi miseria copiosior exuberat. *Ibid.*

45. Impossibile est, ut homo sis, et non gustes miserias et angustias : dolor et tristitia omnibus communia sunt. *Prosec.* S. ISID. HISP.

46. Nemo in perpetuum expers mali est, nemo est, qui in hoc sæculo non doleat, nullus est qui in hac vita positus non suspiret.

47. Vita ista lacrymis plena est, vita ista a fletibus inchoat : qui nascitur, a fletu incipit vivere, flentes projicimur in hanc miseram vitam, ipse ortus sequentium dolorum est gemitus. Lib. 1, *de Synonym.*

48. Conturbari repentino malo, aut clamare, aut angi et dolere, admodum miseri est animi. *Epistola ad Zenam.* S. JUSTIN. MART.

49. Calamitas sæpius disciplina virtutis est, ærumnis suis inclyti floruerunt. In suo *Octavio.* MIN. FELIX.

50. Christianus miser videri potest, non potest inveniri. *Ibid.*

51. Infelicior est illa miseria, qua anima interficitur; quam miseria, qua corpus exacerbatur. In prolog. *de Conscient.* PETR. CELL.

52. Miseri mercedem miseriarum amamus, et ipsas execramur. Serm. 59, *de S. Nicol.* S. PETR. DAM.

53. Sancti quamlibet videantur ignorantibus esse miseri, non possunt tamen esse aliud quam beati. *Prosec.* SALVIANUS.

54. Superfluum est, ut eos quispiam vel infirmitate, vel paupertate, vel aliis istiusmodi rebus existimet esse miseros quibus se illi confidunt esse felices.

55. Nemo enim aliorum sensu miser est, sed suo : et ideo non possunt cujusquam falso judicio esse miseri, qui sunt vere sua conscientia beati. Lib. 1, *de Gubernatione Dei.*

56. Miser es, ubicumque fueris, et quocumque te verteris, nisi ad Deum te convertas. Lib. 1, *de Imit. Christi*, cap. 22. THOMAS. A KEMPIS.

57. Comedere, bibere, vigilare, dormire, quiescere, laborare, et cæteris necessitatibus naturæ subjacere, vere magna miseria est. *Ibid.*, cap. 22, sent. 2.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

58. Nemo beatorum erit miser; miser nunquam erit ipse felix. Lib. 1 *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 10. ARISTOTEL.

59. Ea lege nati sumus, ut nemo in perpetuum esse possit expers mali : nam mortalis nemo est, CICERO.

quem non attingit dolor morbusque. Lib. 3 *Tusc. quæst.*

60. Miserum te judico, quod nunquam fuisti miser : transisti sine adversario vitam. *De div. Provid.* cap. 4.

61. Calamitas, virtutis occasio est. *Ibid.*

SENECA. 62. Illos merito quis dixerit miseros, qui nimia felicitate torpescunt, quos velut in mari lento tranquillitas iners detinet? *Ibid.*

63. Nihil tam miserum est, quam quod in naturam consuetudo perduxit. *Ibid.*

64. Ignis aurum probat, miseria fortes viros. *Ibid.*, cap. 5.

65. Malevoli solatii genus est, turba miserorum. *De Consolat. ad Marciam.*, cap. 12.

66. Licet totius mundi quis dominus sit, tamen miser est, qui se beatissimum non judicat, licet imperet mundo. Epist. 9.

67. Bono loco res humanæ sunt, quod nemo nisi vitio suo miser est. Epist. 70.

68. Miser esse, qui virtutem habet, non potest, si potest virtus efficere ne miser aliquis sit; facilius efficiet, ut beatissimus sit. Epist. 92.

69. Calamitosus est animus futuri anxius, et ante miserias miser, qui sollicitus est. Epist. 98.

70. Nihil puto viro miserum, nisi aliquid esse in rerum natura putet miserum. Epist. 91.

Vide etiam tit. *Cadere*, sent. 7; *Deliciæ*, sent. 33; *Dolor*, sent. 18, 43; *Intercessio*, sent. 40; *Malitia*, sent. 25; *Nativitas humana*, sent. 14; *Virtus in genere*, sent. 136.

MISERICORDIA IN GENERE.

S. ANTONIUS DE PADUA. *Etymologia.* Dicitur misericordia, quasi miserum cor donans, vel quasi seorsum mittens rigorem cordis, vel quasi mira suavitas rigans corda. Serm. 22, *post Trinit.*

S. THOMAS AQUINAS. Dicitur misericordia ex eo quod aliquis habet miserum cor super miseria alterius. 2, 2, quæst. 30, art. 1.

S. AUGUST. *Definitio.* Quid est misericordia, nisi alienæ miseriæ quædam in corde compassio, qua utique, si possimus, subvenire compellimur? Lib. 9, *de Civ. Dei*, cap. 5.

S. BONAV. Misericordia est virtus, per quam animus super calamitate afflictorum movetur. Parte 3 *Centiloquii*, sect. 44.

S. GREG. NYS. Misericordia est voluntaria tristitia, quæ conflatur ob incommoda aliena. Orat. 5, *de Beatitud.*

HUGO A S. VICTORE. Misericordia est clemens et æqualis in omnes dignatio, et in afflictos compassibilis animi inclinatio. *De fructib. carnis et spirit.*, cap. 18.

HUGO CARD. Misericordia est miseria cordis de alieno malo. Super *Prov.*, cap. 11.

S. THOMAS AQUINAS. Misericordia est tristitia quædam super apparenti malo corruptivo, vel contristativo. 2, 2, quæst. 30, art. 1.

CICERO. Misericordia est ægritudo ex miseria alterius, injuria laborantis. Lib. 4, *Tuscul. quæst.*

SENECA. Misericordia est ægritudo animi ob alienarum miseriarum speciem. *Prosec.*

Aut tristitia ex alienis malis concepta, quæ accidere immerentibus creditur. Lib. 2, *de Clementia ad Neronem*, cap. 5.

HUGO CARD. *Divisio.* Triplex est hominis misericordia : propria, fraterna, paterna. Propria, est hominis ad seipsum per contritionem; fraterna, est fratris ad proximum per compassionem; paterna, est patris ad filium per correctionem. Super *Matth.*, cap. 5.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ALBERTUS MAGNUS. 1. Misericordia vera consistit in tribus : in dando, in condonando, in supererogando. *De Paradiso animæ*, part. 1; *de Virtut.*, cap. 14.

S. AMBROS. 2. Nihil tam commendat christianam animam, quam misericordia. Lib. 1 *Offic.*, cap. 11.

3. Ubi causa manifestatur, persona cognoscitur, tempus urget, largius se debet profundere misericordia. *Ibid.*, cap. 30.

4. Videndus est ille, qui te non videt : requirendus ille, qui erubescit videri. *Prosec.*

5. Ille etiam clausus in carcere occurrat tibi, ille affectus ægritudine mentem tuam personet, qui aures non habet. Lib. 2 *Offic.*, cap. 16.

6. Non habes charitatem, cum tibi in proximum desit humanitas, desit misericordia; quid te egestuosius, quidve mendicius? Serm. 81.

7. Qui misericordiam defert, mercedem amittit, nisi mundo corde misereatur : nam si jactantiam quærat, nullus est fructus. Lib. 5, super *Lucam*, cap. VI, in illud; *Beati pauperes*, etc.

S. ANTONIN. 8. Tanto misericordia est gratior, quanto pœna proximior est, ad quam quis paratur. Part. 4, tit. 5, *de Justitia*, cap. 12, § 2.

S. ANTONIUS DE PADUA. 9. Tria facit misericordia. Purificat animam a vitiis; locupletat charismatum divitiis; accumulat cœlestium gaudiorum deliciis. Serm. *Dominica* 22, *post Trinit.*

S. AUGUST. 10. Quid tam opus habens misericordia, quam miser? et quid tam indignum misericordia, quam superbus miser? Lib. 3, *de Lib. arbit.*, cap. 10.

11. Qui emendat verbere in quem potestas datur, vel coercet aliqua disciplina, misericordiam præstat. In *Enchirid.*, cap. 72.

12. Officia misericordiæ mali implere non possunt. Lib. 1, *Quæst. Evang.*, quæst. 10.

13. Nihil ad misericordiam sic inclinat, quam proprii periculi cogitatio. Exposit. super *Epist. ad Galat.*, cap. VI.

14. Nulla de virtutibus tuis, nec admirabilior, nec gratior misericordia est. Lib. 9, *de Civitate Dei*, cap. 5.

15. Pascit esurientem charitas, pascit et superbia : charitas ut Deus laudetur, superbia ut ipsa laudetur. *Prosec.*

16. Vestit nudum charitas, vestit et superbia : jejunat charitas, jejunat et superbia : sepelit mortuum charitas, sepelit et superbia. Omnia opera bona, quæ vult facere charitas et facit, cogitat contra superbia. Tract. 8, super *Epist. Joan.* de cap. IV.

17. De misericordia parva, magna nascitur copia. *De verbis Dom.*, serm. 25.

18. Perfecta est misericordia, ut ante occurratur esurientibus, quam roget mendicus : non enim est perfecta misericordia, quæ precibus extorquetur. Homil. 39, *ex Quinquaginta Homiliis.*

19. Ante fores gehennæ stat misericordia, et neminem permittit in carcerem mitti, qui misericordiam fecerit, et quicumque misertus fuerit, miserebitur ei : et si quis non fuerit misertus, non miserebitur ei. *Ibid.*

20. Sola misericordia ad Deum dirigit hominem, sola ad Deum deducit hominem, sola Deum deducit ad hominem. *Prosec.*

21. Hæc est sola mediatrix, aversos consolans, hæc disjunctos copulat, hæc sola Deum humilians nos sublimat. Serm. 6, *ad Fratr. in eremo.*

22. Si clauseris viscera misericordiæ indigenti, omnino claudetur tibi janua Christi. *Ibid.*

23. Qui esurientem pane verbi reficit, qui sitientem potu sapientiæ refrigerat, qui errantem in domum patris revocat, qui innocentem protegit, qui infirmum fide et patientia instruit, qui in tribulatione oppresso consolando subvenit, hic verus misericors est. *Ibid.*

24. Misericordia est salutis præsidium, fidei ornamentum, propitiatio peccatorum. *Ibid.*

25. Nulli homini claudenda est misericordia. Habetur in *Decretis Gratiani*, part. 2, causa 23, quæst. 4, can. *Duo*, § *Ita.*

26. Homini nihil obest nomen misericordiæ, cum abest miseria. *De Morib. Eccles.*, cap. 27.

27. Cum miserum neminem esse libeat, libet tamen esse misericordem. Lib. 3 *Confess.*, cap. 2.

28. Plures per misericordiam colliguntur, sed qui misericordiam præstiterunt. Epist. 29.

29. Bono misericordiæ non caret qui non invenit miseros, quibus possit misericorditer subvenire. *De conjug. bono*, cap. 23.

30. Non opus est misericordia, ubi nulla est miseria. Lib. 1, *Oper. imperfect. contra Julian*, num. 38.

31. Non optare debemus esse miseros, ut possimus exercere opera misericordiæ. Tract. 8, super *Epist. Joan.*

32. Iterata iniquitas, concessam misericordiam exinanivit. Lib. *Medit.*, cap. 4.

S. BASILIUS MAGNUS.

33. Qui pauperis miseretur, Deo ad usuram tradit. Super *Psalm.* XIV, vers. 6.

34. Sive peregrinos susceperis, sive egenos refeceris, sive ob dolentes fleveris, sive in necessitate ac calamitate constitutis manum porrexeris, sive infirmis inservieris, omnia in seipsum Christus recipit. In *Constitution.*, cap. 1.

S. BERNARD.

35. Sunt aliqui misericordes de his quæ ad ipsos non pertinent, qui scandalizantur si non datur omnibus abundanter, sic tamen ut ipsi ne in modico quidem graventur : qui si misericordes essent, de suo facere deberent misericordiam. Serm. 4, *Advent.*

36. Vera misericordia non judicat, sed afficit : non nititur discussione, occasione contenta. Epist. 12, *ad Carthus.*

37. Nulla nisi cum justitiæ periculo, misericordiæ occasio relinquatur. Epist. 37, *ad Comitem Theobaldum.*

38. Misericordia affectio est, quæ nec voluntate coercetur, nec rationi subjicitur : quando non eam in se quisque pertrahit voluntario nutu, sed ipsas pias mentes ad compassionem dolentium necessario cogit affectu ; ita ut etiam si peccatum esset misereri, non possem non misereri, etsi multum vellem. Epist. 70, *ad Guidonem Abbat.*

39. Ubi non erit miseriæ locus, aut misericordiæ tempus, nullus esse poterit miserationis affectus. Tract. *de Diligendo Deo*, cap. *Sed.*

S. BONAV.

40. Non est misericordia, ubi non est benevolentia. Serm. 14, *ad Sororem.*

41. Omni homini misericordiam impendas, si vis vere esse misericors. Super *Luc.*, cap. X, in illud : *Vade et tu fac similiter.*

42. Misericordia primo liberat a peccato, secundo locupletat in merito, tertio beatificat in præmio. Serm. 1, *Dom. 1, post. Pent.*

43. Sicut cito per usuram locupletatur homo divitiis temporalibus, sic per misericordiam divitiis spiritualibus. *Ibid.*

44. Misericordia nihil humanum a se alienum putat, aliorum damna vel commoda, sua æstimat. In *Centiloq.* part. 3, sect. 44.

45. Misericordia est interna Christi passio, prima Christi lectio, optima Christi unctio. Tit. 7, *Diætæ*, cap. 4.

46. Misericordia decenter conversatur, prudenter negotiatur, abundanter remuneratur. *Ibid.*

47. Misericordia de malis aliorum melioratur, de sordibus lavatur, de paupertate ditatur, de infirmitate sanatur, de onere alleviatur. *Ibid.*

48. Vir pius et misericors, benedicitur a Deo, placet proximo, et natat in oleo. *Ibid.*

49. Misericordia omnibus compatitur, omnium onera portare nititur : et quanto plus onera assumit, tanto plus lucratur, et velocius currit. *Ibid.*

50. Misericordia est virtus, quæ cunctas superat; modus, qui reum liberat; clavis, quæ cœlum reserat. *Ibid.*

51. Ubi major miseria, ibi clarior misericordia apparet. *De sex alis Seraphin.*, cap. 4.

S. CÆSARIUS ARELAT.

52. Quidquid misericordia humana largitur in via, misericordia divina reddit in patria. Hom. 22.

CASSIODOR.

53. Talium Dominus miseretur, qui misericordiæ momenta non negligunt. Super *Psalm.* VI, vers. ult.

54. Nullus hominum est, qui sibi misereri non egeat. Super *Psalm.* XXIII, vers. 5.

DIONISIUS CARTHUS.

55. Quanto unicuique major misericordia a Deo impensa est, tanto proximis suis misericordior esse debet. Super *Epistolam Jacobi*, cap. 2, art. 4.

S. EUSEBIUS CÆSARIUS.

56. Frustra petit misericordiam, qui aliis denegat misericordiam. Epist. *ad Damas. pap. de Morte div. Hieron.*

57. Qui misericordia caret, christianus non est. *Ibid.*

GLOSSA. DECR.

58. Excedendum est potius circa misericordiam, quam circa severitatem. In *Decret. Gratiani.*

GLOSSA. INT

59. Misericordia redimitur iniquitas peccatoris, cum dat et dimittit aliis. Super *Proverb.*, cap. XVI.

S. GREGOR. MAGNUS.

60. Magnæ misericordiæ ista sunt opera : Liberare vociferantem pauperem, pupillo adjutorium ministrare, periturum eripere, cor viduæ consolari. Lib. 19 *Moral.* cap. 12, super illud *Job.* 29. *Cor viduæ consolatus sum.*

61. Qui omnino dimittit et non dat, etsi non plane operatus est, meliorem tamen partem misericordiæ tenuit. *Prosec.*

62. Qui dat et minime dimittit, omnino misericordiam nullam facit. *Ibid.* lib. 22, cap. 8.

63. Per olivam misericordes accipimus, quia græce ἔλα, ώς, misericordia vocatur : et quasi olivæ liquor ante omnipotentis Dei oculos, misericordiæ fructus lucet. Homil. 20. super *Evang.*

S. GREG. NAZ.

64. Indigentiam infirmi, tu qui sanus es : et inopis, qui dives es, subleva : tu qui non collapsus es, jacenti subveni : qui lætus es, contristato : qui dextra polles, illi qui sinistra languet. Orat. 17. *de Paupert.*

65. Fias infortunato Deus, misericordiam Dei imitando : nihil enim adeo divinum habet homo, quam bene facere, quamvis ille plus hic vero minus bene facit. *Ibid.*

66. Nulla re ex omnibus perinde ac misericordia Deus colitur : quoniam nihil aliud tam peculiare est Deo, quam misericordia. *Ibid.*

67. Qui miseretur cum alacritate, bonum animi promptitudine duplicatur : quod enim ex tristitia, aut ex necessitate datur, ingratum est et indecorum : beneficentia cum lætitia, et non cum mœstitia est adornanda. *Ibid.*

S. GREG. NYS.

68. Misericordia est benevolentiæ mater, dilectionis pignus, vinculum amicæ affectionis. Orat. 5, *de Beatitud.*

69. Misericordia est pauperum mater, magistra divitum, bona pupillorum nutrix, conservatrix senum, egentium penus, miserorum portus, omnium ætatum curatrix, in omnibus ærumnis consiliatrix. Orat. I. *de Paup. amandis.*

S. HIERON.

70. Misericordia artem non habet : nemo melius erogat, quam qui sibi nihil reservat. Epist. 51, *de Vita Hilarionis.*

71. Qui clementiam non habet, nec indutus est viscera misericordiæ; quamvis spiritualis sit, non adimplevit legem Christi. In *Regula Monachorum.*, cap. 28, *de Charitate.*

72. Contra justitiæ regulam interdum misericordia inclinatur. Super *Epist. ad Rom.* cap. II.

HUGO A S. VICTORE.

73. Si vis misericordiam accipere, misericordiam exhibe. *De Allegor., super Matth.*, lib. 2, cap. I, in illud : *Beati misericordes*, etc.

HUGO CARD

74. Merito talis sine misericordia cruciatur et affligitur, qui noluit ipse cum posset, indigenti pauperi misereri. Super *Lucam*, cap. XVI.

S. JOANNE CHRYSOST.

75. Ubi misericordia flagitatur, interrogatio cessat : ubi misericordia postulatur, judicium non sævit; ubi misericordia petitur, pœna locus non est. Homil. 2, super *Psalm* L.

76. Ars quædam liberalis misericordia est. Quid hac arte utilius, atque præstantius ? hæc post hanc vitam maxime fulget, in cœlis habet officinam ; et non hominem, sed Deum magistrum possidet. Homil. 53. super *Matt. Oper. perfect.*

77. Misericors non est, qui curat quem vulneravit, sed qui aliunde vulneratis medetur. *Ibid.*

78. Non sic oleum corpus hominis roborat, sicut animam misericordia stabilit, adeoque confirmat, ut superari a diabolo nequeat. *Ibid.* Homil. 65.

79. Ille verus misericors est, quia animico proprio miseretur, et benefacit ei. Homil. 9, super *Matth. Oper. imperfect.*

80. Sicut qui desideranti misericordiam denegat, crudelis est; sic qui non desideranti misericordiam præstat, injustus est. Homil. 46, super *Matth Oper. imp.*

81. Qui totus est misericors, miseretur omnium tum peccatorum, tum amicorum, Homil. 2, super I *Cor.*

82. Ex dilectione nascitur misericordia. Serm. 4 super *Epist. ad Philipp.*

83. Nihil ita exprimit Christum, sicut misericordia. Homil. 32. super *Ep. ad Hebr.*

84. Vis misericordiam consequi? miserere proximi. Homil. 13. *ad Populum Antiochenum.*

85. Misericordia est salutis præsidium, fidei ornamentum, propitiato peccatorum. Hæc est quæ justos probat, sanctos roborat, Dei cultores ostentat. Homil. 3. *de Misericord.*

86. Nihil humanitate potentius. Homil. 3, *de David et Saül.*

87. Humanitas quavis stola magnificentior est. *Ibid.*, homil. 2.

88. Nemo natura strenuus est, nemo natura vanæ gloriæ studio caret, nemo natura zelo atque æmulatione superior est : misereri vero natura est omnibus inditum. Serm. 4, super *Ep. ad Philipp.*

89. Nulla est venia ei, qui misericordiam non exhibet exigenti. *Ibid.*, homil. 31.

ISID. HISP. 90. Misericordia a compatiendo alienæ miseriæ vocabulum sortita est. *Prosec.*

91. Nullus autem in alio misericors esse potest, qui prave vivendo in se misericors non est. Lib. 3 *de Summo bono*, cap. 60, sent. 5.

92. Quod habes, habeto ad misericordiam, suffragetur virtus tua egeni inopiam. *Prosec.*

93. Si quem positum in necessitate cognoveris, si quem ad inopiam redactum, si quem oppressum, si quem humiliatum, nullum contemnas, nullum spernas, nullum despicias, vacuum nullum dimittas, nullus a te tristis abeat, nemo a te confusus abscedat.

94. Omnibus communica, omnibus tribue, omnibus præbe : non eligas cujus miserearis, ne forte prætereas eum qui mereatur accipere.

95. Quidquid tribuis, cum affectu tribue : quidquid largiris, cum hilaritate largire, præbe misericordiam sine murmuratione.

96. Major sit benevolentia, quam quod datur : major gratia, quam quod impenditur.

97. Tale erit opus tuum, qualis fuerit intentio tua : quod enim affectu bono dispensatur, hoc accipiet Deus.

98. Qui cum tædio dat, mercedem perdit : qui cum tristitia largitur, remunerationis non percipit fructum.

99. Non est enim misericordia, ubi non est benevolentia.

100. De tuis justis laboribus ministra pauperibus : non auferas alteri, unde tribuas alteri, non te misericordem ostendas alieno spolio.

101. Nihil enim prodest, si alterum inde reficis, unde inanem alium facis : contemnitur ista miseratio, et non propitiatur : talis misericordia peccata non purgat, sed ampliat. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 17.

102. Bonum quod facis, misericordiæ causa, non jactantiæ facito : nihilque studeas propter laudem, nihil propter temporalem opinionem, nihil propter famam, sed propter vitam æternam facere. *Ibid.*

103. Divina res est commiseratio. Lib. 1, epist. 191 *ad Calliopum.* S. ISID. PEL.

104. Magna est misericordiæ merces, cui Deus pollicetur peccata se omnia remissurum. *Prosec.* LACT. FIRM.

105. Si audieris, inquit, preces supplicis tui, et audiam ego tuas : si misertus laborantium fueris, et ego in tuo labore miserebor. Si autem non respexeris, nec adjuveris; et ego animum contra te geram, tuisque te legibus judicabo. Lib. 6, *de Div. inst.*, cap. 12.

106. In homine præclarum et excellens bonum est misericordia, idque divinis testimoniis, et bonorum malorumque consensu optimum judicatur. *Ibid.*, cap. 14.

107. Nemo clarissimus, nisi qui opera misericordiæ largiter fecerit. *Ibid.*, lib. 5, cap. 15.

108. Misericordiæ virtus tanta est, ut sine illa cæteræ, et si sint, prodesse non possint. Serm. 5 *de Collectis.* S. LEO I.

109. Quamvis quis fidelis sit, et castus, et sobrius, et aliis moribus ornatus insignibus : misericors tamen si non est, misericordiam non meretur. *Ibid.*

110. Quidquid in cibos pauperum, in curationes debilium, in pretia captivorum, et in quælibet opera pietatis impenditur, non minuitur, sed augetur. *Prosec.*

111. Nec unquam apud Deum perire poterit, quod fidelis benignitas erogarit : dum quodcumque tribuit ad subsidium, id sibi recondit ad præmium. Serm. 1 *de Jejun. Pent.*

112. Ex affectibus piorum, benignitatis mensura taxatur, et nunquam eum miserendi efficacia deserit, in quo misericordia ipsa non deficit. Serm. 4 *Quadrag.*

113. Ubi Deus curam misericordiæ invenit, ibi imaginem suæ pietatis agnoscit. *Ibid.*, serm. 10.

114. Nihil validius contra diaboli dolos, quam benignitas misericordiæ, et largitas. Serm. 2, *de Ascens.*

S. PELAG. PAL. 115. Qui negant misericordiam faciendam necessitatem patientibus, ipsum Christum, qui est misericordia, negant. Epist. *ad Benign. archiep.* et habetur in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 7, quæst. 1, can. *Omnis.*

PETR. BLES. 116. Sibi apud Deum pietatis januam claudit, qui viscera misericordiæ proximo mendicanti non aperit. Epist. 91 *ad Radulph. Lexoviens.*, *episcop.*

117. Clamat Deus : misericordiam volo; qui S. PETRUS.

CHRYSOL. quod vult Deus, Deo negat, a Deo sibi quod desiderat, vult negari. *Prosec*

118. *Misericordiam volo;* homo, petit Deus, sed tibi, non sibi : misericordiam volo : humanam misericordiam petit, ut largiatur divinam.

119. Est enim in cœlis misericordia, ad quam per terrenas misericordias pervenitur. Serm. 8.

120. Qui facit misericordiam, currit ad præmium : qui non facit misericordiam, decurrit ad pœnam. *Ibid.*

121. In die mala illi Deus liberaliter assistet, qui a malis pauperem liberarit. *Prosec.*

122. In angustiis illum Deus clamantem audiet, qui pauperem cum clamaret audivit.

123. Non videbit diem malum, qui dies bonos habere pauperem fecit : videbit diem malum, qui diem judicii sine advocatione pauperis intraverit.

124. Sine causa accusant peccata, quem pauper excusat : excusari non potest, quem fames pauperis accusarit. *Ibid.*, serm. 14.

125. Clamat Deus, misericordiam volo. Homo, da Deo quod vult, si vis tibi dari a Deo quod vis. *Prosec.*

126. Misericordiam volo : Dei vox est; Deus a nobis misericordiam petit : si dederimus, quid dicturus est? Venite benedicti, percipite regnum. *Ibid.*, serm. 41.

127. Lacrymæ pauperis cœlum rigant : ergo sitit cœlum, et expectat de ploratu pauperum vicem roris. *Prosec.*

128. Quia misericordia arat cœli campos, sulcos ducit pietatis per superna : Illic misericordia seminat, quia quæ susceperit manus pauperis, ibi metit; ibi segetem colligit qui semen suum pauperi commiserit hic serendum. *Ibid.*, serm. 42.

129. Homo, esto tibi misericordiæ forma : sic quomodo vis, quantumvis, quam cito vis misericordiam tibi fieri, tam cito alii, tantum, taliter ipse miserere. Serm. 43.

S. PETR. DAM. 130. Qui sibi a Deo fieri misericordiam postulat, ipse quoque misericordiæ viscera proximis indigentibus clementer impendat. Serm. 20, *de S. Bonifac.*

131. Misericordia est speciosum humanæ naturæ ornamentum, cujus expers male degenerat, et hominem diffitetur. Serm. 55, *in festo Omnium Sanctorum.*

132. Vera misericordia est, cum superexaltatur misericordia judicio, cum vel largitate substantiæ, vel bona voluntate, vel doctrina verbi, vel exemplo facti, proximi corpus et anima refoventur. *Ibid.*

SALVIANUS. 133. Salvator ipse ac Deus noster, nihil tutius ac salubrius omni homini esse dixit, quam rem suam atque substantiam in usu misericordiæ collocare. Lib. 5, *de Gub. Dei.*

134. Qui heri misericors fuit, etiam si hodie inops sit, ab omnibus misericordiam consequetur, et alibi multo majorem a Deo. Super *Matth.*, cap. v, in illud; *Beati misericordes*, etc. THEOPHYL.

135. Ille ad Christum dives vadit, qui misericordiæ fructus congregat. Hom. 6, *de Otiosis verbis.* S. VALER. EPISCOPUS.

136. Ipsum scias esse Christum quem videris nudum, quem aspexeris cæcum, quem offenderis claudicantem, quem pannis involutum, quem videris sordida veste contectum. *Ibid.*, hom. 7, *de Misericord.*

137. Multi sunt, qui cum nullum exhibeant misericordiæ fructum, misericordiæ tamen mentiuntur affectum. *Ibid.*

138. Deo tanta est cura infelicium, ut sibi datum judicet, quidquid inopem aut vestit, aut reficit. *Ibid.*, hom. 8.

139. Parum profecto sibi prospicit, qui non causæ alienæ necessitatis intendit. *Ibid.*

140. Vestisse pauperem, corporis sui est operuisse nuditatem : lucrum autem magnum est, refecisse mendicum. *Ibid.*, hom. 9.

141. Satis ille impius est, quem non ad misericordiam provocat aut infelicitas desolationis, aut infirmitas senectutis. *Ibid.*

142. Qui pauperi miseretur, Deo fœneratur. *Ibid.*

143. Gloriosum est quidem indigentem fratrem pascere, sed fortius est inimico in necessitate posito subvenire. *Ibid.*, hom. 12.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

144. Nulla de virtutibus nec gratior, nec admirabilior misericordia est. Orat. 41, *pro Ligario.* CICERO.

145. Utilis est misericordia ad opem ferendam, et calamitates hominum indignorum sublevandas. Lib. 4, *Tusc. quæst.*

146. Homo qui in homine calamitoso est misericors, meminit sui. In suis *Sent.*, sent. 160. MINUS PUBL.

147. Homo es, non vis ali hominem? civis es, non vis ali civem? amicus es, non vis ali amicum? propinquus es, non vis ali propinquum? Lib. 1 *Controvers.* 1. SENECA.

148. Sæpe qui misereri potuit, et non fecit, misericordiam rogat. Lib. 4 *Controvers.*

149. Misericordia vicina est miseriæ, habet enim aliquid trahitque ex ea. Lib. 2, *de Clement ad Neron.*, cap. 6.

150. Sententiam, quæ misericordiam vetat, non solum non tenere, sed audire refuge. Sent. 328. SIXTUS PHILOSOP

Vide etiam titul., *Correctio*, sentent. 52; *Differentiæ*, sent. 25, 30, 34; *Eleemosyna*, sent. 100; *Intercessio*, sent. 41; *Judicium* in genere, sent. 46; *Monachus*, sent. 64; *Negotiatio*, sent. 56; *Pa-*

tientia in genere, sent. 23; *Peccatorum remissio*, sent. 90; *Reddere rat.*, sent. 102; *Religio Christ.*, sentent. 24; *Sacerdos*, sent. 56; *Sententia*, sentent. 30, 33.

MISERICORDIA DEI.

DIONYSIUS CARTHUS. *Definitio*. Misericordia Dei est, quæ miseris, et aliunde seductis clementer subvenit. Super *Epist. ad Hebræos*, cap. II.

URBANUS IV Misericordia Dei, miserorum est chorda, qua de lacu fæcis et miseriæ extrahuntur. Super *Psalm.* L, vers. 1.

S. BONAV. *Divisio*. Misericordia Dei triplex est, liberans, adjuvans, et coronans. Exposit. 2, super *Psalm.* CXVIII, cap. 5, vers. 12.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Ad misericordiam promptior est, quam ad severitatem Spiritus Dei. Lib. *de Pœnit.*, cap. 2.

2. Manifestum est justam Dei misericordiam, misericordemque justitiam, nec alendis unquam corporibus hominum, nec docendis, juvandisque eorum mentibus defuisse. Lib. 2, *de Vocat. gent.*, cap. 3.

3. Magna est misericordia Dei, quæ non solum remissionem tribuit peccatorum, sed etiam certantibus adhibet exhortationis calcaria, ne suscepti certaminis passiones in belli formidine derelinquant. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 10, vers. 4.

4. Misericordia Domini tam perspicua est, ut nullus homo sanam mentem possidens, hanc ignorare valeat. Super *Apoc.*, cap. IV.

5. Nihil prodest nobis clementiam Dei verbis implorare, et operibus irritare. *Ibid.*, cap. 8.

S. ANSELM. 6. Vobis lapsis non est desperandum, nec confessio dimittenda, quia non habemus pontificem austerum, vel dedignantem, sed misericordem; non a nobis remotum, sed naturæ nostræ participem. Super *Epist. ad Hebræos*, cap. IV, in illud : *Non habemus Pontificem*, etc.

S. AUGUST. 7. Non solum cum agitur pœnitentia, verum etiam ut agatur, Dei misericordia necessaria est. In *Enchiridio*, cap. 82.

8. Nullum potest esse momentum, quo homo non fruatur Dei bonitate et misericordia. *De Spiritu et anima*, cap. 35.

9. Misericordia Dei nolentem prævenit, ut velit : volentem subsequitur, ne frustra velit. In *Enchiridio*, cap. 32.

10. Nihil ita Deum inclinat ad pietatem et misericordiam, quemadmodum purus mentis affectus. *De Spiritu et anima*, cap. 50.

11. Nemo de Dei pietate dissidat, quoniam major est ejus misericordia, quam nostra miseria. *De Spiritu et anima*, cap. 6.

12. Cui magna Dei misericordia necessaria est, nisi magnæ humanæ miseriæ? Lib. 19, *de Civ. Dei*, cap. 9.

13. Nulla de virtutibus tuis, nec admirabilior, nec gratior misericordia est. *Ibid.*, lib. 6 : cap. 5.

14. Non putet aliquis futuram in se esse misericordiam Dei, si est ipse immisericors. *Prosec.*

15. Satiari vis bonis Dei? satiata sit in te misericordia Dei : plena misericordia, ipsa est perfecta misericordia. Super *Psalm.* CII, vers. 6. *Faciens misericordias Dominus.*

16. Multum interest inter descendere et cadere; nam quia cecidit Adam, ideo descendit Christus. Ille cecidit, iste descendit : ille cecidit superbia, iste descendit misericordia. Super *Psalm.* CXIX.

17. Quid tam longanimum? quid tam multum in misericordia? peccatur et vivitur, accedunt peccata, augetur vita. Sed observa ne longitudine misericordiæ Dei male utendo, tu tibi thesaurizes iram in die iræ. Super *Psalm.* CII, *Misericors et miserator Dominus.*

18. Noveris Deum misericorditer dare, cum dat, misericorditer auferre cum tollit, nec te credas a misericordia ejus derelinqui, qui tibi aut blanditur dando ne deficias, aut corripit exultantem ne pereas. Super *Psalm.* CXLIV, vers. 2.

19. O dives bonarum dapum, supernæ satietatis opulentissime largitor Deus, da lasso cibum, collige dispersum, libera captivum, et reintegra scissum. In *Manuali*, cap. 4.

20. Misericors est Deus, quia totus et summe bonus est. In *Manuali*, cap. 32.

21. Parce per clementiam, ne ulciscaris per justitiam. *Ibid.*, cap. 33.

22. Taceat laudes tuas, qui miserationes tuas non considerat. Lib. 6 *Confess.*, cap. 7.

23. Misericordia Dei non habet compatientis miserum cor, sed misericordia Dei est bonitas opitulantis. Lib. 1, *contra Adversarios legis*, cap. 20.

24. Deus quem vult illuminat, et quem vult excæcat : illuminat misericordia, excæcat judicio, utique æquissimo etsi occultissimo. *Ibid.*, lib. 2, cap. 8.

25. Miseri negant esse misericordem Deum, ne miserum cor habere credatur : at potest esse in Deo misericordia, sine cordis miseria. *Contra Adimant.*, cap. 11.

26. Miseratio Dei, altitudo Dei est. Tract. 14, super *Joan.*

27. Deus prærogat misericordiam in præsenti sæculo, et minatur judicium in futuro : gaudeamus ad misericordiam Dei, sed timeamus ad judicium Dei. *De Decem chordis*, cap. 1.

28. Misericordia Dei fovendos amplectitur bonos, sicut severitas Dei puniendos corripit malos. Lib. 1, *de Civit. Dei*, cap. 8.

29. Deus hominem peccantem nec impunitum esse permisit, nec sine misericordia dereliquit. *Ibid.*, lib. 5, cap. 11.

30. Magna Dei misericordia necessaria est magnæ humanæ miseriæ. *Ibid.*, lib. 19, cap. 9.

31. Misericordia Dei non deserit eos, qui ex ejus fide vivunt, eumque pie colunt. Epist. 3.

32. Inest Deo et misericordia judicanti, et judicium miseranti. Epist. 29.

33. Non obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam. Epist. 105.

34. Amplectantur homines in præsenti vita misericordem Deum, et timeant in futura veracem. Lib. 2, *de Baptismo contra Donatist.*, cap. 10.

35. Deus extendit pontem misericordiæ suæ, ut tu transire posses : hoc vis ut jam subducat, ne alius transeat. Homil. 6, *ex Quinquag. Homil.*

S. BERNARD. 36. Quam dives in misericordia, quam magnificus in justitia, quam munificus, Domine Deus! non est qui similis sit tibi, munerator copiosissime, remunerator æquissime, piissime liberator. Serm. 3, *Annunt. B. Mariæ.*

37. Sicut sunt peccata nimia, sunt mediocria, sunt et magna : sic est misericordia Dei parva, mediocris, et magna. Serm. *de Triplici misericordia.*

38. Magnæ misericordiæ sunt quatuor filiæ, sc. immissio amaritudinis, subtractio opportunitatis, virtus resistendi et sanitas affectionis. *Ibid.*

39. Nullo alio modo Deus citius ad misericordiam flectitur, quam si animus deprecantis ad eum toto devotionis affectu convertatur. *De Inter. domo*, cap. 48.

S. BONAV. 40. Deus miseretur homini tribus modis : Peccantem expectat, desperantem consolatur, congaudet pœnitenti. Super *Psalm.* VI.

41. Duæ sunt alæ Dei, misericordia et veritas : per misericordiam peccatores protegit, per veritatem justos. Super *Psalm.* XVI.

42. Deus est misericors in remittendo, multum misericors in remissionem iterando, maxime misericors in glorificando. Super *Psalm.* L.

43. O summa et inenarrabilis pietas Domini Dei nostri! peccat anima nec uno tantum, nec pluribus peccatis, sed modis innumeris, cum mundo, carne, et diabolo : et statim si redeat, statim eam recipit, et omnia peccata condonat; immo, quod majus est, nolentem redire vocat, ut redeat; et ut revertatur, revocare non cessat. Serm. 1, *de S. Matth.*

44. Misericordia est interna Christi passio, prima Christi lectio, optima Christi unctio. Tit. 7, *Diætæ*, cap. 4.

45. Ex misericordia Deus patienter expectat peccatores, benigne revocat, ulcisci dissimulat, de multis periculis liberat, gratiam liberaliter donat, datam multiplicat, multiplicatam conservat, conservatam in cœlo præmiat. Lib. 1 *Compend. Theolog. verit.*, cap. 34.

46. Ex misericordia Deus peccatorem ad se redeuntem hilariter suscipit, ad pœnitentiam cor emollit, offensam cito remittit, injuriæ post remissionem non meminit. *Ibid.*

47. Ex misericordia Deus dat adversa, ut peccatum purget; dat prospera, ut ad amorem provocet; dat sacramenta, ut meritum cumulet; dat præcepta, ut præmio ditet. *Ibid.*

48. Ex misericordia Deus errantes ad se reducit, euntes ad se conducit, cadentes erigit, stantes tenere non desinit, pervenientes in gloriam introducit. *Ibid.*

49. Quidquid misericordia humana largitur in via, misericordia divina reddit in patria. Homil. 22. ARELAT.

50. In misericordia divina dum fixa spes ponitur, venia facilius impetratur. Super *Psalm.* VI, vers. 4. CASSIODOR.

51. Talium Dominus miseretur, qui misericordiæ momenta non negligunt. *Ibid.*, vers. ult.

52. Quis justitiam evaderet tuam, nisi præmissa pietas subveniret? Super *Psalm.* VII, in conclus.

53. Ante omnia quæ in Deo considerantur, essentialis ejus bonitas incedit. Habet. apud div Joan. Damasc. lib. 3, *Parall.*, cap. 100. DYDIM. ALEX.

54. Tanta est bonitas atque benignitas Dei, ut justum sit eum, etiam indignis et impiis misereri ac parcere. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 1, art. 4. DIONYSIUS CARTHUS.

55. Nullus homo potest Dei misericordiam promereri, qui charitatis præcepta contemnit, aut inimicis ex toto corde non vult indulgere. Homil. 8. S. ELIGIUS.

56. Peccator dum labitur in peccatum, de misericordia Dei præsumat, apud quem nullas patitur veniæ moras vera confessio. *Ibid.*, homil. 9.

57. Neque misericordiam Dei mereri poterit, qui misericors non fuerit : aut impetrabit de divina pietate aliquid in precibus, qui ad precem pauperis non fuerit humanus. *Ibid.*, homil. 11.

58. O veneranda pietas Dei! peccavimus et parcit, deliquimus et ignoscit, offendimus et adhuc placatus existit. *Ibid.*

59. Misericordia Dei prævenit impium, ut fiat justus; subsequitur justum, ne fiat impius. *Prosec.* S. FULGENT.

60. Prævenit cæcum, ut lumen quod non invenit donet : subsequitur videntem, ut lumen quod contulit, servet.

61. Prævenit elisum, ut surgat : subsequitur elevatum, ne cadat.

62. Prævenit donans homini bonam voluntatem; subsequitur benevolentem, operando in illo boni operis facultatem.

63. Hoc igitur ista misericordia Dei in homine subsequitur, quod præveniens ipsa largitur. Lib. 1, *ad Monimum*, cap. 16.

SSA INT. 64. Gratuita et spontanea est omnibus Dei misericordia : cum enim miseretur, gratia est; cum indurari permittit, justum judicium est, quamvis occultum. Super *Exod.*, cap. XXXIII, in illud : *Miserebor cui voluero.*

OS. ORD. 65. Qui secundum magnam misericordiam se quærit salvari, non temporalis, sed æternæ vitæ salutem inquirit. *Prosec.*

66. Equidem misericordiam pertinere ad hanc vitam æstimo temporalem : magnam autem misericordiam, remunerationi concurrere sempiternæ. Super *Orat. Manass.* in illud : *Secundum magnam misericordiam.*

67. Quanto major culpa, tanto in peccatores amplior Dei clementia. Super *Hierem.*, cap. 32.

68. Magna sunt delicta, sed magna misericordia : multæ iniquitates, sed et multæ miserationes. Unde nulli diffidendum, cum fons misericordiæ non siccatur, nisi prius fuerit exsiccatus. Super *Thren.*, cap. III, in illud : *Non defecerunt miserationes ejus.*

TIANUS. 69. Deus bonus est omnibus, et aperta sunt viscera ejus omni homini pœnitenti. In *Decret.*, part. 2, caus. 1, quæst. 7, can. *Si quis*, § *Episcop.*

GREG. MAG. 70. Omnipotentis Dei misericordia oblivisci ejus dicitur, qui omnipotentis Dei justitiæ fuerit oblitus. *Prosec.*

71. Quia quisquis eum nunc justum non timet, postea invenire non valet misericordem. Lib. 16 *Moral.*, cap. 28.

72. Divinam misericordiam non intelligit, qui suæ misericordiæ memor non est. Homil. 18, super *Ezech.*

73. Fons divinæ misericordiæ ad hoc patet ut lavet, ad hoc fluit ut lætificet, ad hoc redundat ut purget. Super *septem Psalm. Pœnit.* in *Psalm.* VI, vers. 7.

74. Tunc misericordiæ Dei mirificantur, cum ad memoriam miseriæ revocantur. Homil. 18, super *Ezech.*, super illud *Psalm.* XVI : *Mirifica*
HIERON. *misericordias tuas*, etc.

75. Deus differt iram, ut præbeat misericordiam. Lib. 9, super *Isaiam*, cap. XXVIII, super illud : *Quem docebit scientiam?*

76. Quanto major culpa peccantium, tanto amplior in peccatores clementia Creatoris. Lib. 6, super *Hierem.*, cap. 32, super illud : *Et factum est*
GO A S. CTORE. *verbum Domini*, etc.

77. Duas alas habet Deus, misericordiam et charitatem : per misericordiam peccatores protegit, per charitatem justos. Super *Psalm.* XXI, cap. 22.

78. Nemo de Dei pietate diffidat : quoniam major est ejus misericordia, quam nostra miseria. Lib. 2, *de Anima*, cap. 3.

79. Misericordia Dei nos facit eum amare : HUGO CARD. veritas ejus nos facit eum timere. Super *Proverb.*, cap. XX.

80. Non est voluntatis Dei mors nostra, sed salus : quia ejus proprium est misereri, et coactus punit. Super *Ezech.*, cap. XVIII.

81. Misericordia Dei in tribus consistit erga peccatores : primo in largiendo eis beneficia, secundo in non patiendo, tertio in expectando eos. Super *Epist. ad Rom.*, cap. II.

82. In hoc aparet misericordia Dei, cum videt malos persequi amicos suos, et tamen eos non punit. *Ibid.*

83. Misericordia inæstimabilis est, sine fine est, S. JOANNES quæ comprehendi non potest, superans omnem CHRYSOST. sensum omnemque cogitationem. Homil. 2, super *Psalm.* L, vers. 3.

84. Sicut qui desideranti misericordiam Dei denegat, crudelis est : sic qui non desideranti misericordiam præstat, injustus est. Homil. 46, super *Matthæum, Operis imperf.*

85. Ille desiderat misericordiam Dei, qui timet iram ejus : qui autem non timet, non desiderat ejus misericordiam. Hom. 46, super *Matth. Oper. imperf.*

86. Misericordia Dei dignos requirit, nec temere obtingit quibuslibet, nec offertur iis, qui brutis sunt affectibus, et non se sentiunt egere misericordia. Homil. 2, super II *Cor.*

87. Dei Regis humanitatem non excedit gestorum iniquitas, etiamsi gravia sint patrata. Homil. 17, *ad Populum Antiochenum.*

88. Sedes gratiæ nunc est, non sedes judicii ; propterea accedamus cum fiducia, ut accipiamus misericordiam qualem quærimus. Homil. 7, super *Epist. ad Hebr.*

89. Deus miseretur ei, quem viderit misericor- LACT. FIRM. dem : inexorabilis est autem ei, quem peccantibus cernit immitem. In *Epitome*, cap. *Dixi.*

90. Causa reparationis nostræ non est, nisi mi- S. LEO I. sericordia Dei. Serm. 1, *de Jejun. decimi mensis.*

91. Nulli Deus misericordiam suam denegat : cum indiscrete universis bona multa largitur, eosque quos merito subderet pœnis, magis vult invitare beneficiis. Serm. 5, *de Epiphan.*

92. Non tua malitia tanta esse potest, ut mise- LUDOV. ricordiam Dei superet, quæ modum et terminos BLOS. non novit. in *Canon. vitæ spiritualis*, cap. 1.

93. Notandum est misericordiam Dei quamdam PETR. BLES magnam, quamdam majorem, quamdam maximam. Magna, est in patientia; major, in disciplina; maxima, in justificatione. In patientia, expectat ad emendationem ; in disciplina, corripit

ad justitiam; in justificatione, sublevat ad palmam. Serm. 17, in *Cœna Dom.*

S. PETRUS CHRYSOLOG. 94. Misericordia Dei et peccatores liberat, et restituit sanctos : quia nisi affuisset misericordia, etiam David, cum adulterat, amiserat prophetiam; et Petrus cum negat, apostolici ordinis perdiderat principatum : et Paulus cum blasphemat, remanserat persecutor. Serm. 8.

S. PETR. DAM. 95. Aspice misericordiam Dei, licet peccaveris, licet neglexeris, et provocaveris patientiam ejus, paratus est tamen misereri, cum volueris, et reverti ad revertentem, oblivisci et tegere peccata tua, et projicere in profundum maris. *Prosec.*

96. Nec erit mora inter confitentem et remittentem, inter gementem et gemitus exaudientem, quia misericors est.

97. Sunt homines mundi faciles ad iram, difficiles ad misericordiam : Deus autem est ad irascendum difficilis, et facilis ad miserendum. Serm. 56, *de S. Martino.*

98. Offensus, te clementem promittis, pœnitentem admittis, punire prætermittis. *Ibid.*

99. Major est pietas Dei, quam quævis iniquitas. Serm. 58, *de S. Andræa.*

S. PROSPER. 100. Sive Deus justificet impium, sive arguat pigrum, sive expectet adversum, sive deserat puniendum, semper misericors est, semper justus, semper omnipotens. Super *Psalm.* CX, vers. 2.

SALVIANUS. 101. Indulgentissimus Dominus propensiorem se semper miserationi præstat, quam ultioni. Lib. 1, *de Gubern. Dei.*

102. Tanta est misericordia Dei, ut etsi nos pati vult aliqua de piaculis nostris, nolit tamen cuncta tolerare : quia castigat malos non re mala, et agnoscere non peccata nostra mavult, quam sustinere. *Ibid.*, lib. 5.

S. THOMAS AQUINAS. 103. Magis proprium est Deo misereri et parcere, quam punire, propter ejus infinitam bonitatem. 2, 2, quæst. 21, art. 2.

S. VALERIA. EPISCOPUS. 104. Nullus profecto adhuc pœnæ finis esset, nisi Christus cruentis legibus oleum misericordiæ miscuisset. Homil. 13.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 105. Perierat totus orbis, nisi iram finisset misericordia. Lib. 1, *Controvers.* 1.

Vide etiam tit. *Adventus*, sent. 75; *Cadere*, sent. 77; *Conversio*, sent. 46; *Desperatio*, sent. 3, 17, 43; *Exaudire*, sent. 31; *Flagellum Dei*, sent. 158; *Gratia Dei*, sent. 152; *Jesus*, sent. 6; *Ira Dei*, sent. 1, 19, 63; *Judicium extrem.*, sent. 45, 119; *Justitia Dei*, sent. 24, 25; *Misericordia in genere*, sent. 66; *Oblivio*, sent. 15; *Resurrectio a peccato*, sent. 72; *Voluntas in genere*, sent. 8.

MODESTIA.

S. ANTONIUS DE PADUA. *Etymologia*. Modestia dicta est, eo quod teneat in omnibus. Serm. *Dom.* 3, *Advent.*

S. ISID. HISP. Modestus a *modo* dictus et temperie, nec plus quidquam, nec minus agens. Libro 10, *Etymol.*, verbo *Modestus.*

S. BERNARD. *Definitio*. Modestia est modus vitæ in omni verbo et opere. *De ordine vitæ.*

S. BONAV. Modestia est, quæ facit cultum, et motum, et omnem occupationem ultra defectum et citra excessum sistere. Part. 3 *Centiloquii*, sect. 42.

DIONYSIUS CARTHUS. Modestia est moderatio in verbis, et actibus. Super *Epist. ad Galat.*, cap. V.

HUGO A S. VICTORE. Modestia est pudici et honesti habitus de laudabili profectu verecundia. *De fructu carnis et spiritus*, cap. 17.

HUGO CARD. Modestia est virtus quæ modum in dictis vel factis servat. Super *Epist. ad Galat.*, cap. V.

Modestia proprie est virtus modificans verba. Super I, *B. Petri*, cap. III.

Modestia est virtus, qua omnes motus illicitos omnium membrorum corporis refrænamus. *Ibid.*

JOAN. GERS. Modestia est virtus, qua refrænatur appetitus inordinatus cujuslibet inquietudinis vitiosæ. Parte 4, *de Descrip. terminor.*, cap. *Temperentia.*

S. THOMAS AQUINAS. Modestia est virtus, per quam aliquis in omnibus exterioribus modum tenet, ut non offendat cujusquam aspectum. Super *Epist. ad Titum*, cap. III, lect. 1.

CICERO. Modestia est in animo continens moderatio cupiditatum. Lib. 3, *de Arte rhetor.*, *ad Herennium.*

Modestia est, per quam pudor honestus, claram et stabilem comparat auctoritatem. Lib. 2, *de Inventione rhetor.*

Modestia est scientia earum rerum, quæ aguntur, aut dicuntur, loco suo collocandarum. Lib. 1, *de Officiis.*

PLATO. Modestia est bona circa corporis motum compositio. Sizygia 6, *de Definit.*

S. ANTONI. DE PADU. *Divisio*. Modestia est in duobus maxime; sc. in pace mentis, et honestate corporis. Serm. *Dom.* 3, *Advent.*

S. HIERON. *Differentia*. Inter modestiam et continentiam hoc interest, quod modestia in viris perfectis est, consummatæque virtutis : continentia vero in via quidem virtutis est, sed necdum pervenit ad calcem. Lib. 3, super *Epist. ad Galat.*, cap. V.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBR. 1. Ipsum vocis sonum libret modestia, ne cujusquam offendat aurem vox fortior. Lib. 1 *Offic.*, cap. 18.

2. Magna est modestia, quæ cum sit etiam sui juris remissior, nihil sibi usurpans, nihil vindi-

cans, et quodammodo intra vires suas contractior, dives est apud Deum, quia portio Dei est. Lib. 1, *Offic.*, cap. IX.

3. In modestia maxime tranquillitas animi, studium mansuetudinis, moderationis gratia, honesti cura, decoris consideratio spectatur. *Ibid.*, cap. 43.

ANTONIN. 4. Modestia componit hominem in vestitu, incessu, et usu sensuum. Part. 1, tit. 1, cap. 3, § 2.

5. Modestia indecentiam cavet in verbo, in risu, in motu corporis, in membrorum situ, in occupatione vel actu, in habitu. Part. 4, tit. 4, *de Temperantia*, cap. 10, § 1.

AUGUST. 6. In omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cujusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem. Regula 3, *ad Clericos*.

7. Sit actus corporis purus, modestus, totius expers insolentiæ et lasciviæ, levitatis et ignaviæ. *Prosec.*

8. Sit sermo rarior, vultus hilarior, aspectus verecundior, incessus modestior. *De Spiritu et anima*, cap. 62.

9. Incompositio corporis, inæqualitatem indicat mentis. Habetur in *Decret. Gratiani*, dist. 41, canon. *Clericus.*

BERNARD. 10. Nihil tam idoneum homini, nihil tam congruum christiano, maximeque monachum nihil adeo decet, quam modestia. Serm. *de Duodecim prærogativis* B. V. Mariæ, ex verbis Apocal. : *Signum magnum apparuit*, n. 11.

11. Modestia animi probat sapientem. Serm. 85, super *Cant.*

12. Modestus moderatur curas, temperat a superfluis, non deest necessariis. Lib. 2, *de Consider. ad Eugen. pap.*

13. Magna est modestia, individua verecundiæ socia, quæ cum sit sui juris remissior, nihil usurpans, nihil vendicans, et quodammodo intra vires suas contractior, dives est apud Deum. *De ordine vitæ.*

14. Verecunda modestia, et modesta verecundia est, quæ nulli insidias machinatur, læsa non irascitur, et cunctos simpliciter respiciens, de nullo sinistrum aliquid suspicatur. *Ibid.*

15. Sit tibi gravitas in incessu, in sermone pondus, et in verbis modus, hæc si custodieris, eris modestus. *Ibid.*

16. Ipsum somnum vocis libret modestia, ne cujusquam offendat aurem vox incomposita. *Ibid.*

17. Modestia sobrietatis et verecundiæ comes est; humilitatis regulam custodit, tranquillitatem animi servat, continentiam et castitatem diligit, fovet decus et honestatem, restringit ratione appetitum, iram contemnit, nec rependit contumeliam. *Ibid.*

18. Sit gravis aspectus, ac motus honestus, et decorus gestus. Lib. 2, *Pædag.*, cap. 7. CLEM. ALEX.

19. Modestum ac gravem te gere : modestia enim et gravitas, pacificum ac tranquillum vitæ statum parit. *Ad Monach.*, paræn. 46. S. EPHRÆM.

20. Nec situs, nec tardus debet incessus esse. Epist. 15, *ad Marcellam.* S. HIERON.

21. Quo virginis verecundior est sexus, animus debet esse modestior. Epist. 14, *ad Mauriti filiam.*

22. Nihil sit scurrilitatis, aut vanitatis : sed magis quidquid est gravitatis et modestiæ; quia Christiani vita in speculo posita est. Epist. 53, *ad Ocean. de Perferendis opprobriis.*

23. Gestus hominis in omni actu esse debet gratiosus sine mollitie, quietus sine dissolutione, gravis sine tarditate, alacer sine inquietudine, maturus sine protervia, et sine turbulentia severus. *De inst. novit.*, cap. 12. HUGO A S VICTORE

24. Gestus modestiæ demonstrantur ex habitu conscientiæ, ut talis appareat foris, qualis est intus. Lib. 3, *de Claustro animæ*, cap. 22.

25. Modestia esse debet sermonis, in judicando, in ordinando, in orando, in prædicando, in corrigendo. Super *Ecclesiastic.*, cap. XX. HUGO CARD.

26. Nihil magis gratiosum reddit hominem, quam modestia. *Ibid.*, cap. XLII.

27. Vera modestia est, quando ceditur iis, qui videntur esse minores, et illi venerantur, qui videntur esse aliis indigniores. Homil. 33, super *Gen.* S. JOANNES CHRYSOST.

28. Magna animi modestia, ubi non est damnosum, condescendit. Homil. 6, super *Acta Apost.*

29. Gravis et modestus vir, ne in magnis quidem rebus intumescit, cum suam non ignoret imbecillitatem. Homil. 1, super I *Cor.*

30. Nunquam eris modestus, neque tum quando modestus es, si pro mercede facis; nihil æstimas modestiæ virtutem, si non ipsam amas. Homil. 13, super *Epist. ad Hebr.*

31. Pudore oculos attollere erubesce, incede deposita facie, perculso corde, lugubri veste. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 5. S. ISID. HISP

32. Religiosorum modestia non sit mœsta, sed sancta. Serm. 4, *Quadrag.* S. LEO I.

33. Non sis fastuosus in vultu, non vultuosus in verbis, non minis exasperans, non superfluus in victu, non notabilis in vestitu. Epist. 132, *ad quemdam Abb.* PETR. BLES

34. Modestiam cum religiosa hilaritate, prout tibi congruit, moribus ostende. *De exercit. spirit.*, cap. 5, sect. 4. THOMAS A KEMPIS.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

35. Nec vestimentorum nitor, nec excellentia formæ, nec auri magnitudo tantum valet ad mu- ARISTOTEL

lieris laudem, quantum modestia in rebus, ac studium honeste decoreque vivendi. Lib. 2, *Œconomic.*, cap. 1.

SENECA. 36. Modestus incessus, et compositus; probus vultus, ac gestus, conveniunt prudenti viro. Epist. 66.

37. Sales tui sint sine dente, joci sine vilitate, risus sine cachinno, vox sine clamore, incessus sine tumultu. *De quatuor virtut.*

Vide etiam tit. *Aspectus*, sent. 104; *Mansuetudo*, sent. 28; *Motus*, sent. 63.

MODUS.

S. THOMAS AQUINAS. *Definitio*. Modus est quem unicuique rei propria mensura præfigit. 2, 2, quæst. 27, art. 6, argum. 3.

PLATO. Modus est medium excessus, et defectus. Sizygia 6, *de Definit.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Habeat caput in omnibus rationem, et finis modum. Lib. 1, *Offic.*, cap. 22.

2. Modum nescit ponere voluptas. Lib. 6, *Hexameron*, cap. 8.

S. AUGUST. 3. Mensura omni rei modum præfigit. Lib. 4, *de Genesi ad litter.*, cap. 3.

4. Modus pater est ordinis. Lib. 2, *de Ordine*, cap. 19.

5. Ubi modus est, nec plus est quidquam, nec minus. *De beata vita*, in disput. tertiæ diei.

6. Quod evenit ultra quam satis est, ibi desideratur modus : et res quæ nimia est, modo eget. *Ibid.*

7. A modo et plus et minus aliena sunt. *Ibid.*

8. Modus animi, sapientia est. *Ibid.*

9. Modus ubique servandus est, ubique amandus. *Ibid.*

10. Modum in omni re dominari decet. *De Moribus Manich.*, cap. 16.

11. Non erat omnino quod responderem veritate convictus. Modo, ecce modo, sine paululum, sed modo et modo non habebant modum. Lib. 8, *Confess.*, cap. 5.

12. Quæ non semper, nec eodem modo sunt, eodem modo semper nosti omnia. *Ibid.*, cap. 3.

13. Non possumus dicere bene moveri aliquid, si modum non servat. Lib. 1, *Musicæ*, cap. 2.

14. Deus habere modum dicendus non est, ne finis ejus dici putetur : nec ideo tamen immoderatus est, a quo modus omnibus tribuitur rebus. *De natura boni*, cap. 22.

15. Omnis modus in quantum modus est, bonus est : unde omnia moderata, modesta, modificata, dici sine laude non possunt. *Ibid.*

16. A Deo est omnis modus, species et ordo. *Ibid.*, cap. 3 et lib. 11, *de Civ. Dei*, cap 15.

17. Si custodiant omnes naturæ modum, nullum erit malum. *Ibid.*, cap. 37.

S. BERNARD. 18. Tene medium, si non vis perdere modum. Lib. 2, *de Consid. ad Eugen. Pap.*

19. Medium sedes est modi, et modus virtus. *Ibid.*

20. Omnem extra modum habitationem, sapiens exilium reputat. *Ibid.*

21. Modus diligendi Deum, sine modo diligere est. Tractatu *de Diligendo Deo.*

22. In omnibus modus eligendus est melior. Lib. 3, *de Consid. ad Eugen. pap.*

S. BONAV. 23. Virtus non est aliud quam modus; hunc modum prudentia invenit, ut in omnibus non excedas, sed circa centrum consistas. Serm. 6, in *Hexam.*

24. Deus creavit omnia in modo, nec aliquid voluit esse sine modo. Serm. 4, *de uno Mart.*

25. Modus in gestu, et sono considerari debet. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 20.

S. HIERON. 26. Modum adhibeas in dolore, memor illius sententiæ : Ne quid nimis. Epist. 3, *ad Heliodor.*

27. Impatientia nescit modum. Epist. 17, *ad Marcellam.*

28. Difficile est modum tenere in omnibus : modus virtus est, vitium nimietas reputatur. Epist. 27, *ad Eustoch.*

29. Optimus est in omni re modus, et laudabilis ubique mensura. Epist. 1, *ad Demetriad.*

30. In bonis rebus quidquid modum excesserit, vitium est. *Ibid.*

31. Quidquid supra modum est, in vitio est. Lib. 9, super *Isaiam*, cap. xxx, super illud : *Numer.* 20 : *Nec ac dexteram*, etc.

HUGO A S. VICTOR. 32. Tenendus in omnibus modus : quod enim excedit modum, excedit et vires. Lib. 1, *de Claustro anim.*, cap. 14.

33. Modus servat rem incolumem, quam immoderatio confundit. *Ibid.*

34. Modus æqua lance librat onera fortiorum, sicut debilium : ne graventur fortiores, aut debiles opprimantur sub onere. *Ibid.*

S. JOANNES CHRYSOST. 35. Modus ubique bonus est. Homil. 51, super *Gen.*

36. Quod modum non servat, injucundum est. Homil. 16.

JOAN. TRIT. 37. Modus est pulcherrima virtus, sine quo omnis virtus vitium reputatur. In cap. 2 *Regul. S. Benedict.*, verbo *Magna.*

38. Difficile est modum omnibus adhibere factis. *De ruina Monast. Ordin.*, cap. 7.

S. ISID. HISP. 39. Tene modum in omni opere, in omni re tene temperamentum. *Prosec.*

40. Nihil intemperantius agas, nec minus, nec nimium aliquid, nec ultra quam oportet, nec infra.

41. Etiam in bonis immoderatum esse non decet, bona immoderato usu noxia efficiuntur.

42. Nimietas enim omnis, in vitio deputatur : omne autem quod cum modo fit, salubriter fit.

43. Perspice quoque quid cui aptum sit tempori : quid, ubi, quando, qualiter, quamdiu facere debeas. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 16.

ISIDORUS LUSTOTA. 44. Virtutis labor moderatus sit, ne immoderatus mutationis modus existat. Lib. 2, epist. 45, *ad Monachos*.

. NILUS. 45. Nihil tutum est, quod modum excedit, quem servare convenit. Parænes. 75.

CHARD. A VICTOR. 46. Quid durius, quid difficilius, quam nil faciendum negligere, et in omni suo facto numquam modum perturbare, numquam mensuram excedere ? *Prosec.*

47. Crede mihi, nihil a se animus difficilius extorquet, quam ut in omni affectione sua modum servet. Part. 1, *de Benjamin minore*, cap. 69.

IOMAS A KEMPIS. 48. Quidquid modum excedit ; et discretionem non tenet, nec Deo placet, nec diu durare solet. *De discipl. Claustr.*, cap. 9, sect. 2.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ISTOTEL. 49. Omnis modum superans vitiositas, vel ferina est, vel morbosa. Lib. 7, *Moral.*, cap. 5.

ICERO. 50. Modus est optimus, decus ipsum tenere, nec progredi longius. Lib. 1, *de Officiis*.

51. Modum rerum fingere non possumus, animorum modum tenere possumus. *De paradox.*, cap. 4.

ICTETUS. 52. Modus pecuniæ, corpus est unicuique, ut calcei pes : si igitur in eo institeris, modum servabis : sin præterieris, jam velut per præceps referri necesse erit ; ejus enim quod semel transierit modum, nullus est terminus. In suo *Enchiridio*, cap. 61, per totum.

INIUS II. 53. Optimus modus est, servare modum : sed non magis servat modum, qui infra rem quam qui supra. Lib. epist. 20, *ad Cornelium Tacitum*.

ENECA. 54. Mota semel multitudo, modum non servat. Lib. 5, *Declamat.*, controvers. 8.

55. Modum tenere in eo difficile est, quod bonum esse credideris. Epist. 23.

56. Nunquam pernitiosa servant modum. Epist. 85.

MOLESTIA.

ICERO. *Definitio.* Molestia est ægritudo animi permanens. Lib. 4, *Tuscul. quæst.*

SENTENTIÆ PATRUM.

AMBROS. 1. Quælibet jacula justo nocere non possunt, cui Deus lux est. *De Nabuthe.*, cap. 14.

2. Quam deforme est, pro beneficio ei, qui te adjuvit, rependere molestiam ! *De Tobia*, cap. 2,

3. Nisi correptis hæreditatem Deus dare disponeret, erudire eos per molestias non curaret. Part. 4, tit. 3, cap. 7, § 9. S. ANTONIN.

4. Appetere voluptates corporis, et vitare molestias, ferinæ vitæ omnis actio est. Lib. 1, *de Liberio arbitrio*, cap. 8. S. AUGUST.

5. Si vos aliqua molestia temporalis exagitat, ipsa vos magis admonere debet, quemadmodum de illa vita cogitare debeatis, ubi sine aliquo labore vivatis, evadentes non molestas angustias temporis parvi, sed horrendas pœnas ignis æterni. Epist. 138, *ad Clerum*.

6. Verius atque jucundius est gaudere hominem de bona conscientia inter molestias, quam de mala inter delicias. *De Catechizand. rudibus*, cap. 16.

7. Nemo frangitur adversarum rerum molestia, qui prosperarum dilectione non capitur. *De Serm. Dom. in monte*, lib. 2.

8. Molestiis exercitata vita justorum, splendidius enitet. *De natura et gratia*, cap. 23.

9. Brevis est molestia tua, æterna erit beatitudo tua : ad modicum doles, sine fine gaudebis. Super *Psalm.* XXXVI, vers. 18.

10. Premunt nos, sed non opprimunt : urgent nos, sed non demergunt. Super *Psalm.* III, vers. 8 : *In diluvio aquarum multarum.*

11. Ubi nulla adversitas tubat, ibi nulla molestia inquietat. *De conflictu vitior., et virt.*, cap. 26.

12. Cui molesta sunt tempora, si homines sibi non sint molesti ? *De verb. Apost.*, serm. 4.

13. Melius est post paucas angustias ad æternam beatitudinem pervenire, quam post brevem lætitiam ad inferni profunda descendere. Serm. 1, *vigiliæ Ascens.*, super illud *Matth.* V : *Beati qui lugent*, etc.

14. Ubique majus gaudium, molestia majori præceditur. Lib. 8, *Confess.*, cap. 3.

15. Molestias corporales absit ut dicamus necessitatem habere peccandi. *De nat. et grat.*, cap. 23.

16. Diffunderis animo cum delectaris, contraheris animo cum molestaris. Tract. 46, in *Joan.*

17. Quod tibi adversum est, sit mihi molestum. Lib. *Medit.*, cap. 7.

18. Sufficit ad salutem, corporis molestias patienter ferre : sed cumulus est, etiam libenter in fervore spiritus eas amplecti. Serm. *de Tribus ordin.* S. BERNARD.

19. Quemadmodum fieri nequit, ut aliquis super terram effugiat hunc aerem : ita impossibile est homini, quamdiu in hoc sæculo est, tribulationibus atque molestiis non tentari. Adhort. 4. S. EPHRÆM.

20. Cum inde quisque molestias invenit, unde vitare molestias quæsivit, sauciatus de ipso suo medicamine languescit. Lib. 8, *Moral.*, cap. 20. S. GREGOR. MAGNUS.

21. Molestia corporalis, salus est cordis. Part. 3, *Pastoral.*, cap. 1, admonit. 13.

22. Studendum summopere est, ut res aspera fiat mercedis occasio. Lib. 8, *in Registro*, indict. 3, cap. 37, epist. 37, *ad Innocent. episc.*

23. Molestia corporalis, admissa peccata diluit, et ea quæ admitti poterant, compescit. Part. 3, *Pastoral.*, cap. 1, admonit. 13.

S. GREG. NAZ. — 24. Nihil veritatem obscurat, quod molestia afficitur. Epist. 17, *ad Eusebium episc. Cæsariens.*

25. Quod invite fit, statim molestiam affert. Et hab. apud D. Joan. Damasc., lib. 1, *Parall.*, cap. 58.

HESYCHIUS. — 26. Gravem molestiam internus homo contrahit ab externis sensibus. Centuria. 2, sententia 70.

HUGO CARD. — 27. Justi quanto amplius impetuntur, tanto gloriosius coronantur. Super *Hierem.*, cap. 39.

S. JOANNES CHRYSOST. — 28. Monachorum et crucifixorum vita, quæ onerosior ac molestior hominibus solet videri, multo hac sæculari tenera molli, et flexibili jucundior est. Homil. 69, super *Matth. Oper. perfect.*

29. Forum, urbes, et tumultus platearum Monachi fugientes, in montibus vivere malunt, ubi nihil sibi cum his sæcularibus rebus commune est, ubi nihil humanarum rerum perturbat, non mœstitia, non dolor, non acerbior cura, non pericula, non livor, non turpis amor, non aliud hujusmodi, sed quæ sunt futuri regni meditantur. *Ibid.*

30. Monachi illico postquam lectulo splendentes et læti surrexerunt, in choro constituto integra conscientia, omnes quasi ab uno consonanter ore, hymnis diligenter Deum laudant. *Ibid.*

31. Non afflictio, non insidiæ, non alia res ulla molestiam afferre potest animo recte sapienti. Homil. 1, super *Epist.* II *Cor.*

32. Nihil enim aliud molestum est quam Deum habere offensum. *Ibid.*

JOAN. SARESD. — 33. Rerum subitæ mutationes solent afferre molestias. Epist. 161.

LUDOLICUS BLOSIUS. — 34. Oculus cordis tui illum respiciat, qui molestiis exercere te sinit, magis quam eos, qui tibi molesti sunt. In *Canone vitæ spirit.*, cap. 9.

35. Etiam exigua molestia propter Deum æquanimiter tolerata, incomparabiliter præstantior est, quam sint multa et grandia bonorum operum exercitia. *De Inst. spirit.*, cap. 8.

36. Molesta quæque animam vel corpus gravantia, quomodocumque, aut undecumque adveniant, non aliunde, quam de manu Domini suscipias. In *Brevi regula tyronis*, verbo *Adversa.*

S. PETR. DAM. — 37. Felix commercium nunc subjacere molestiis, et ad angelicæ postmodum transferri gloriam dignitatis. Lib. 8, epist. 6.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. — 38. Voluptates repudiandæ sunt, et molestiæ non recusandæ. Lib. 1, *de Finibus.*

SIXTUS PHILOSOPH. — 39. Corpus animæ molestum, non natura, sed peccatum fecit. Sent. 131.

MONACHUS.

S. ISID. HISP. — *Etymologia.* Monachus, græca etymologia vocatur, eo quod sit singularis : μόνας enim græce, singularitas latine dicitur. Ergo si solitarius interpretatur vocabulum *Monachi*, quid facit in turba, qui solus est? Lib. 7, *Etymolog.*, cap. 13.

S. JOAN. CLIM. — *Descriptio.* Monachus est ordo et status angelicus in corpore materiali et sordido consummatus. *Prosec.*

Monachus est, qui solum ad Deum acie mentis intentus, illum semper orat in omni tempore, et loco, et re.

Monachus, est perpetua naturæ violentia, sensuumque vigilantissima, ac indefessa custodia.

Monachus, est castificatum corpus, expiatum os, animusque semper divino lumine irradiatus.

Monachus, est afflictus et mœrens animus, qui jugi mortis memoria, sive vigilans, sive obdormiens, seipsum semper exercet. Gradu 1.

S. MAXIMUS MART. — Monachus est, qui mentem suam a rerum terrenarum amore segregatam habet, ut per assiduitatem in Deo amando et colendo perduret Centuria 2, *de Charit.*, cap. 54.

S. NILUS. — Monachus is est, qui in perpetuo mentis excussu, ac vitæ mœrore versatur. Orat. 8, *de Superbia.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ALBERTUS MAGNUS. — 1. Decet monachum esse alienum ab omni creatura, ut soli Deo intra se nude, et expedite intendat, vacet, et adhæreat. *De adhærendo Deo*, cap. 10.

S. ANSELM. — 2. Melius esset ut Deo quis sine professione serviret spontaneus, quam in monasterio professione se alligans servire cogeretur invitus. *De similitud.*, cap. 21.

3. Si monachus pœnitentiam non egerit, majori quam laïcus damnationi subjacebit. *Ibid.*, cap. 82.

4. Monachus ut vere monachus esse reputetur, pura ejus debet esse obedientia, stabile propositum ejus, et perseverantia firma. *Ibid.*, cap. 9.

5. Nihil cuiquam prodest habitum monachi exteriorem habere, si non studuerit et interiorem. retinere. *Ibid.*

6. Gravius irascitur Deus peccanti monacho, quam alii, quia de proposito altiori cadit : sed benignius et familiarius suscepit Deus monachum pœnitentem, si ad suum propositum redit, quam

non monachum, qui ad idem propositum non venit. Epist. 3, *ad Henricum.*

7. Cum diabolus monachum vitæ, quam professus est, odio nequit obruere, nititur eum conversationis in qua est subruere fastidio. Epist. 7. *ad Lauronem monach.*

TONIUS 8. Monachus debet claustro esse contentus; quia sicut piscis sine aqua caret vita, ita sine monasterio monachus. Part. 1, tit. 3, cap. 7, § 1.

9. Nulla pejor bestia malo monacho, et ideo si se non corrigit, separandus est, Part. 2, tit. 2, cap. 1. § 4.

10. Monachus non debet se qualibuscumque negotiis implicare, sit claustro suo contentus. *Prosec.*

11. Quia sicut piscis sine aqua, caret vita: ita et Monachus sine monasterio. *Ibid.*

UGUST. 12. Qui aliquid habebant in sæculo quando ingressi sunt monasterium, libenter velint illud esse commune : qui autem non habebant, non ea quærant in monasterio, quæ nec foris habere potuerunt : sed tamen eorum infirmitati quod opus est, tribuatur, etiam si paupertas eorum, quando foris erant, nec ipsa necessaria poterat invenire. Regula 3, *ad Clericos.*

13. Non ideo se putent esse felices, quia invenerunt victum et tegumentum, quale foris invenire non poterant : nec erigant cervicem, quia sociantur eis, ad quos foris accedere non audebant : sed sursum cor habeant, et terrena vana non quærant, ne incipiant esse monasteria divitibus utilia, non pauperibus, si divites illic humiliantur, et pauperes illic inflantur. *Ibid.*

14. Nimis dolendum, si ad tam ruinosam superbiam monachos surrigamus, et tam gravi contumelia clericos dignos putemus, cum aliquando etiam bonus monachus vix bonum clericum faciat : ita ipsi vulgares de nobis jocabuntur, dicentes; Malus monachus bonus clericus est. Epist. 76, *ad Aurelium.*

15. Cur volatilia cœli non vobis sunt exemplo ad nihil reservandum et vultis ut sint exemplo ad nihil operandum? *De Opere monachor.*, cap. 24.

16. Tam multos hypocritas sub habitu monachorum usquequaque dispersit calidissimus hostis, circumeuntes provincias, nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes. *Ibid.*, cap. 28.

17. Hæc sunt, quæ excæcant monachum, et conversum efficiunt perversum : velox ad mensam, tardus ad Ecclesiam; potens ad potandum, sed æger ad psallendum; pervigil ad fabulas, somnolentus ad vigilias; procax ad loquendum, sed mutus ad canendum; promptus ad iram et detractionem, piger vero ad orationem; invidiæ amator, pauperum Christi persecutor; festucam in alio oculo respiciens, sed trabem in oculo suo non considerans; alios vituperans, seipsum laudans; malitiæ inventor, disciplinæ destructor; amicus vitiorum, hostis virtutum. *De speculo peccatoris*, cap. 8.

18. Qui non custodit linguam suam, monachus non est : qui autem moderatur linguam suam, prudentissimus est, verusque monachus. Serm. 3 *ad Fratr. in eremo.*

19. Ama, o monache, solitudinem, fuge multitudinem, nec comprehendaris in verbo, ne confundaris in facto. *Ibid.*

20. O monache, nisi in proposito tuo perseveraveris, morieris! si incœpisti ædificare, perfice : si non incœpisti, incipe. *Prosec.*

21. Si obtulisti florem juventutis tuæ diabolo, saltem fæcem senectutis tuæ immolare non differas Christo. *Ibid.*, serm. 8.

22. Monachus qui patiens non est, monachus non est. Serm. 16 *ad Fratres in eremo.*

23. Oportet monachum præ omnibus vitam inopem possidere, corporis quietem, habitus honestatem, vocem moderatam, sermonem ordinatum, cibum et potum temperatum. Serm. 3, *Exercitamentor.* S. BASILIUS MAGNUS.

24. Oportet monachum coram senioribus tacere, coram sapientioribus audire, erga æquales charitatem habere, erga inferiores amicum consilium tenere, a malis et carnalibus secedere, plura cogitare, pauca loqui, non facilem esse ad risum, verecundia ornari, oculos deorsum habere, animam sursum levare, obedientem esse, manibus laborare, semper extremorum meminisse, spe gaudere, afflictionem sufferre, indesinenter orare, in omnibus gratias agere, humilem esse, arrogantiam odisse, sobrium esse. *Ibid.*

25. Altior professio virtutis, altiorem debet ritum tenere vivendi. *De Templo Salomonis*, cap. 7. V. BEDA.

26. Puta te monachum esse, non medicum; nec complexione judicandum, sed de professione. Serm. 30, super *Cant.* S.BERNARD.

27. Monachus habitu mentiens, frontosus est ad verecundiam, insensatus ad metum, inflexibilis ad pietatem, ad iram præceps, audax ad facinus, pronus ad injurias. Epist. 198, *ad Innocent. pap.*

28. Monachus non habet docentis, sed plangentis officium : quippe cui oppidum carcer esse debet, et solitudo paradisus. Epist. 323, *ad Henric. Mogunt. archiep.*

29. O quantum distamus ab his, qui in diebus Antonii extitere monachi! In *Apologia ad Guillelm. Abbat.*, verbo *Dicitur.*

30. Ecce ipse habitus noster (quod et dolens dico) qui humilitatis esse solebat insigne, a monachis temporis nostri in signum gestatur superbiæ. *Ibid.*

31. Qui linguam suam et ventrem custodire non potest, monachus non est. *De inter. domo,* cap. 50.

32. Summa virtus monachi, humilitas est : et summum vitium ejus, superbia est. *Prosec.*

33. Superbiendo, contendendo, dimicando, murmurando, detrahendo, susurrando, negligendo, contemnendo, et proprias voluntates faciend › infinitas monachi culpas incurrunt. *De ordine vit.*

34. Ille qui se pro Deo duritiæ tradit monachorum, assiduus debet esse in orationibus, lacrymas suas Deo, non hominibus offerre : jejunia in aurigæ modum pro lassitudine et viribus corporis temperare. *Ibid.*

35. Hoc solum attende quod monachus factus es, et ideo ea age quæ monachi sunt. *Ibid.*

36. Sic in cunctis se habeat monachus, ut ædificet videntes, ut nemo dubitet cum vel viderit eum vel audierit, quin vere sit monachus. In *Sp culo monachorum.*

37. Sit monachus quasi Melchisedech, sine patre, sine matre, sine genealogia. *Ibid.*

38. Qui propter ipsum Christum seipsum odit, et super omnia illum diligit, vero monachus est : et qui talis non est, licet sit cucullosus, licet sit pannosus, sive abrasus, sive tonsuratus : habeat quidquid vis, est imago vel pictura monachi, et non est monachus. Serm. 15 *de Cœna Domini.*

39. Quanti sunt monachi corpore claustrales, mente sæculares : pigri ad lectionem, tardi ad orationem : in choro dormientes, in refectorio vigilantes. *Ibid.,* serm. 3.

40. Nemo se decipiat, nemo se seducat, nemo in gloriosa veste confidat : non enim vestis religiosa, sed mentium munditia monachum facit : non capitis abrasio, sed Christi dilectio probatum monachum reddit. *Ibid.,* serm. 11.

S. BONAV. 41. Qui querulosus est, monachus non est. *Prosec.*

42. Qui malitiam in corde tenuerit, monachus non est.

43. Qui iracundus est, monachus non est.

44. Qui elatus et verbosus est, monachus non est.

45. Qui vere monachus est, semper est mansuetus, humilis, et charitate plenus. In *Octo collat.,* collat. 8.

CONCILIUM TRIDENT. 46. Et si habitus non facit monachum, oportet tamen monachos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant. Session. 14, decret. *de Reformat.,* cap. 6.

S. CYPRIAN. 47. Non locus desertus, saccus pro veste, legumen pro cibo, neque jejunia, neque chameuniæ simpliciter, monachum absolvunt. *De duplici martyrio,* cap. 14

S. EPHRÆM. 48. Sumus habitu monachi, sed moribus crudeles; habitu humiles, et moribus pestiferi; habitu religiosi, et moribus exitiosi; habitu amici, et moribus inimici; habitu gratiosi, et moribus odiosi; habitu exercitatores seduli, moribus athletæ ignavi; habitu sobrii, moribus prædones; habitu pudici, animo adulteri; habitu modesti, moribus vagabundi; habitu mites, moribus arrogantes; habitu consolatores, moribus destructores; habitu consiliarii, moribus obtrectatores; habitu simplices, moribus duplices; habitu defensores, moribus proditores. *Adversus vitiose viventes.*

49. Monachus citra diligentiam ac patientiam, ad perfectionem religionis pervenire non poterit. *De recta vivendi rat.,* cap. 45.

50. Monachum non tonsura commendat, seu habitus : sed cœleste desiderium, divinumque vivendi institutum, quibus optima declaratur vita. *De Vita spiritu,* cap. 69.

51. Bellum militum breve, sed monachi pugna, quoad usque emigret ad Dominum, durat. *De Adhort. ad pietatem.*

52. Fugere oportet monachum, et tacere, atque abstinere : fugere hæreticos et homines perniciosos, tacere vetita, Deoque non placentia, abstinere a turbis rebusque mundanis. Adhortat. 1.

53. Considera habitum, quo indutus es, o monache, et cerne quantum sit inter hunc, sæcularemque discrimen. *De Virtute,* cap. 9.

54. Monachus strenuus, cruce Christi laqueos fugat diabolicos : monachus autem terrena sapiens ac spectans, omnibus est satanicus. *Ad Monachos.* Parænes. 1.

55. Qui cupit fieri monachus, nec potest contumelias, ac contemptus, et pœnas sufferre, nequit esse monachus. *De Humilit. comparanda,* cap. 7.

56. Vita monachorum Angelis similis, eorumque institutum divino mysterio plenum est. *De Perfect. monachi.*

57. Multis difficultatibus est exposita monachorum vita : nam si remissior sit, decipitur; si minus sincera sit, cito instar vini aqua mixti pervertitur; et acescens non amplius in pretio est, sed vilescit : non amplius usui, sed damno : nec oblectamento, sed nauseæ. *Ibid.*

58. Multi habitu monachi, sed pauci certatores : tempore enim tentationis probatio apparet monachi. In prolog.

59. Melior est monachus pauper, vitam quietam

degens cum humilitate, quam dives monachus superbia et elatione animi tumens. *De Timore Dei.*

60. Monachus superbus, velut aquila, est absque pennis : monachus humilis, levis et celer est cursor, et tanquam sagittarius jaculandi peritus. *Ibid.*

61. Monachus piger, nec sibi est utilis, nec proximo. *Ibid.*

USEDIUS SARIENS. 62. Monachus id est unus : non decet monachum velle habere et nolle, nisi in non peccando. *Prosec.*

63. Idcirco sicut unum est nomen monachi, ita sit unum velle et unum nolle. Epist. *ad Damas. Pap. de Morte. S. Hieron.*

64. Monachus sine misericordia, navis est in medio pelagi undique perforata. *Ibid.*

65. Non vestimentis et ordine solum quis est monachus, sed vita : parum prodest differentem esse vestimentis a sæcularibus, et concordem vita. *Ibid.*

66. Nulla certe in mundo tam crudelis bestia, quam malus monachus. *Ibid.*

ILLEBER-S ANGL. 67. Monachorum est non colloquium, sed silentium : non quæstiones, sed quietem sectari. Serm. 7, super *Cant.*

OSS. ORD. 68. Veri monachi sunt, qui omnibus mundi negotiis spretis, spiritu subito protegente præmium æternum districta vita, voluptate mortificata quærunt : qui pompam mundi calcantes, humilia amplectentes, soli Deo placere cupiunt. Super *Num.*, cap. 1.

GREGOR. IAGNUS. 69. Monachus, qui in terra possessiones quærit, monachus non est. Lib. 3, *Dialogi.*, cap. 14.

70. Quid est habitus monachi, nisi contemptus mundi? quomodo igitur mundum despiciunt, qui in monasterio positi, aurum quærunt? Lib. 10, in *Registro*, cap. 22, epist. 22, *ad Joan. Subdiac.*

71. Monachus reverentiam sui habitus in actu, in locutione, in cogitatione semper circumspiciat, et ea quæ mundi sunt perfecte deserat. *Prosec.*

72. Quod ostendit humanis oculis habitu, hoc ante Dei oculos, moribus prætendat. Hom. 17, super *Evang.*

73. Monachorum quidem species tenetur, multa vero sub sanctitatis habitu sæcularia aguntur. Lib. 6, in *Registro*, ind. 15, cap. 193, epist. 29.

SYCHIUS. 74. Hic profecto verus est monachus, qui recte temperantiam diligit et hic vere temperans est, qui monachus est animo. Centur. 2, sent. 57.

HIERO-NYM. 75. Tu si monachus esse vis, non videri : habeto curam non rei familiaris (cui renuntiando hoc esse cœpisti), sed animæ tuæ. Epist. 4, *ad Rustic.*

76. Quem monachum senseris tibi aut semper, aut crebro de nummis loquentem (excepta eleemosyna, quæ indifferenter omnibus patet) institorem potius habeto, quam monachum. Epist. 13, *ad Paulin.*

77. Ipsa ambitio videri et videre, salutari et salutare, laudare et detrahere, vel audire, vel proloqui, a proposito monachorum et quiete aliena sunt. Epist. 17, *ad Marcellam.*

78. Prima virtus monachi est contemnere hominum judicia. Epist. 26, *ad Pammach.*

79. Noli inter sæculares esse monachus, et inter monachos sæcularis. Epist. 34, *ad Julian.*

80. Parcat sibi, parcat mihi, parcat nomini christiano; monachum se esse non loquendo et discursando, sed tacendo et sedendo noverit. Epist. 3, *ad Domnionem.*

81. Monachus non doctoris, sed plangentis habet officium; qui vel se vel mundum lugeat, et Domini pavidus præstoletur adventum. Epist. 6, *adversus Vigilant.*

82. Monachus in tantum castigator sui sit, ut etiam quæ tuta sunt pertimescat. *Ibid.*

83. Monachus semper contemnat, quod semel contempsit : nam summæ stultitiæ est, renuntiare sæculo, patriam deserere, monachum profiteri, et inter populos conversari. In *Regula Monachorum*, cap. 7, *de Solitudine.*

84. Monachum solititudo facit, non publicum. Epist. 54, *ad Ocean. de Vita clericor.*

85. Monachus, qui non vigilat, sed dormit, non custodit se. Super *Psalm.* LXXVI, vers. 4.

86. Monachi dicimur, et licet non simus quales esse debemus, tamen dicimur. Super *Psalm.* CXLIX, vers. penult.

87. Si vis esse monachus curialis, laudas quod non debes, defendis quod non expedit, operaris quod non licet, loqueris quod non decet. Lib. 2, *de Claustr. anim.*, cap. 16. HUGO A S. VICTORE.

88. Sit honestas in habitu, mediocritas in victu, in claustro assidui, ad curiam rari : ut non sint curiales, sed claustrales. *Ibid.*, cap. 23.

89. Is qui de sæculo ad monasterium aliquid de proprio attulit, remissior in labore, paratior in habitu, delicatior in victu, honoratior præ cæteris esse vult. *Ibid.*, lib. 3, cap. 23.

90. Si monachus est, quid facis in turba? si amas silentium, cur declamantibus assidue interesse delectaris? tu semper jejuniis et fletibus insistere debes, et tu philosophari quæris. *Prosec.*

91. Simplicitas monachi, philosophia ejus est. Sed docere, inquis, alios volo. Non est tuum docere, sed plangere.

92. Si tamen doctor esse desideras, audi quid facias : vilitas habitus tui, et simplicitas vultus,

innocentia vitæ, et sanctitas conversationis tuæ docere debent homines.

93. Melius fugiendo mundum doces, quam sequendo : considera ubi sis, et quid agere debeas, facile agnosces. Lib. 4, *Didasc.*, cap. 8.

HUGO CARD. 94. Monacho qui libenter in curiis commoratur, non placet observantia regularis, neque vita claustralis. Super 4, *Regul.*, cap. 9.

95. Derisor est monachus causidicus et litigiosus, qui exterius nomine et habitu militat Deo, interius corde, ore, et opere militat diabolo. *Prosec.*

96. Qui mortuus est et litigat : qui sepultus, et discurrit ubique portans sudarium suum, quæ major derisio ista? Super *Prov.*, cap. 22.

97. Multi sunt, qui jam diu monachum gestaverunt, et adhuc non possunt parere. Super *Ecclesiasten*, cap. 3.

98. Quando monachus incipit esse malus, nullus pejor : quando bonus, nullus melior. Super *Apocal.*, cap. 2.

JOAN. CASS. 99. Monachum ut militem Christi in procinctu semper belli positum, accinctis lumbis jugiter oportet incedere. *De Cœnob. inst.*, lib. 1, *de Habitu.*, cap. 2.

100. Vestis sit monachi, quæ corpus contegat tantum, et repellat nuditatis verecundiam, et frigoris retundat injuriam : non quæ seminaria vanitatis, aut elationis enutriat. *Ibid.*, cap. 3.

101. Monachus spiritalia mella condere cupiens, velut apis prudentissima debet unamquamque virtutem ab his, qui eam familiarius possident deflorare, et in sui pectoris vase diligenter recondere : nec quid minus aliquis habeat discutere, sed hoc tantum quid virtutis habeat contemplari, studioseque decerpere. *Ibid.*, lib. 5, cap. 4.

102. Ita debet monachus jejuniis operam dare. quasi centum annis in corpore commoraturus : ita motus animi refrænare, et injuriarum oblivisci, tristitiasque respuere, dolores quoque ac detrimenta contemnere, tanquam quotidie moriturus. *Ibid.*, cap. 41.

103. Hæc est apud Ægyptum ab antiquis sancita sententia, operantem monachum dæmone uno pulsari; otiosum vero innumeris spiritibus devastari. *Ibid.*, lib. 10, cap. 23.

104. Probatum est sine opere manuum nec in loco posse monachum perdurare, nec ad perfectionis culmen aliquando conscendere. *Ibid.*, cap. 24.

105. Cum monachus elatione cordis in perniciosissimum teporem noxiumque corruerit : nec verus monachus, nec sæcularis effectus est. *Ibid.*, lib. 12, cap. 30.

106. Monachus ad perfectionem tendens, et agonem spiritalem legitime cupiens decertare, ab omni iræ furorisque vitio alienus existat. *Ibid.*, lib. 8, cap. 5.

107. Omnis monachi finis, cordisque perfectio, ad jugem atque indiruptam orationis perseverantiam tendit, et (quantum humanæ fragilitati conceditur) ad immobilem tranquillitatem mentis, ac perpetuam nititur puritatem. Collat. 9, *Abbat. Isaac*, cap. 2.

108. Si comparare volueris quietem securitatemque monachorum, periculis et ærumnis quibus mundi hujus homines implicantur, paupertatis requiem edacibus divitum tristitiis, et pervigilibus curis, suavissimum jugum Christi onusque levissimum facile comprobabis. Collat. 24, *Abbat. Abrahæ.*, cap. 25.

109. Monachi soli perpetuæ conjunctionis retinent unitatem, atque indiscrete possident universa, qui omnia sua esse quæ fratrum, omnia fratrum credunt esse, quæ sua sunt. *Ibid.*, cap. 26.

110. Considerate monachi dignitatem vestram : Joannes princeps vestri est dogmatis, ipse monachus statim ut natus est, in eremo vivit, in eremo nutritur, Christumque expectat in solitudine. Hom. *de Joan. Baptist.* S. JOANN CHRYSOS

111. Monachi homines pauperes sunt, pallio et habitu nihil habentes vilius, viventes in paupertate, nihil esse apparentes. Hom. 17, *ad Populum Antioch.*

112. Idonea civitatis morum demonstratio, monachorum est testimonium. *Ibid.*

113. Monachorum certamen ingens, ac labor multus est. Lib. *de Sacerd.*

114. Monachus, qui injuriarum servat in semetipso memoriam, aspis nidificans est, lethale virus secum ubique circumferens. Gradu 9. S. JOAN CLIM.

115. Pervigil monachus, fornicationis inimicus : somniculosus vero, contubernalis ejus est. *Ibid.*, gradu 19.

116. Monachus proprie est animi oculus omni elatione carens, immobilisque corporis sensus; jugis excessus mentis, ac mœror vitæ; lux cordis, oculos jugiter irradians; humilitatis abyssus, spiritum omnem præcipitans et suffocans. *Ibid.*, gradu 22.

117. Monachus simplex, rationale jumentum est obediens, quod onus suum ductori suo perfecte deposuit, trahentem sequitur ut vult, donec mactetur, contradicere non novit. *Ibid.*, grad. 24.

118. Monachorum quidem lux, angeli sunt : cunctorum autem mortalium lux, monastica disciplina. *Ibid.*, grad. 26.

119. Qui suo arbitrio monasticam viam pergit,

etiamsi in omni mundana sapientia fuerit instructus, facillime perit. *De Sacerd.*

120. Verus monachus profecto non erit, qui tu monachus alteri monacho non sit per charitatem, sc. adjunctus. *Ibid.*, grad. 27.

121. Patiens monachus ante monumentum mortuus est : sepulchrum enim cellulam suam fecit. *Ibid.*

122. Nulla vita fidelior, nulla simplicior, nulla felicior, quam eorum, qui in claustris fideliter degunt. Lib. 7, *de Nugis curial.*

123. Cappa non facit monachum, sed vita religiosa, et a mundi vanitatibus aliena. *Prosec.*

124. Qui autem cupiditatibus extenditur, qui mundi negotiis implicatur, qui divitias sectatur atque honores, monachi vocabulo indignus est. Lib. 3, *de Vir. illustr. ord. S. Bened.*, cap. 338.

125. Si verus monachus esse desideras, fuge homines, ama secretum cellæ, otium vita, habeto charitatem. *Ibid.*, cap. 339.

126. Tota vita monachi debet esse pœnitentialis, etiamsi culpis videatur esse immunis. *Ibid.*, in fine, etc.

127. Sic vivamus monachi, ut non timeamus mori : bona enim vita, non est morti obnoxia. *Ibid.*

128. Nostri monachi, eheu! tunc se religiosos æstimant, si mundi divitiis studiosius intendant. *Prosec.*

129. Paucos nunc invenies, qui contemplationi vacent, qui orationibus insistant, qui divinis Scripturis invigilent.

130. Multi autem terrena sapiunt, divitias quærunt, honores ambiunt, solitudinem fugiunt, in urbibus conversantur. *Ibid.*, cap. 338.

131. Quid monastica vita in terra invenitur jucundius? Monachi enim sancti cum apostolis non solum verbo, sed et exemplo prædicant.

132. Cum martyribus corpora sua per abstinentiam macerant.

133. Cum Christi confessoribus Deo semper in orationibus confitentur.

134. Cum sanctis virginibus, mentis puritatem cum corporis castitate servant.

135. Cum angelis, Deum jugiter laudant : quia sive vigilent, sive dormiant, omnia ad laudem Dei faciunt. Lib. 1, *de Regim. claustral.*

136. Monachus puriori splendere debet conscientia : nihil quippe monachum decentius ornat, quam cor mundum et conscientia pura. Super *Prolog. regulæ S. Bened.*, cap. 2, text. 16.

137. Officium monachi est planctus et pœnitentia. In cap. 1 *Regulæ S. Bened.*, verbo *Monachorum*

138. Maxima virtus monachi, humilitas : et maximum vitium ejusdem, superbia est. *Ibid.*, in cap. 2, verbo *Non.*

139. Pompa sæculi monachos non decet. *Ibid.*, verbo *Divitiæ.*

140. Quid est monachus delicias quærens, nisi fomes delicti? Vitam monachi abstinentia ornat, obedientia decorat, patientia approbat. *Ibid.*

141. Qui querulosus est, monachus non est. *Ibid.*, in cap. 4, verbo *Charitas.*

142. Sunt quatuor exercitia monachi : oratio, lectio, meditatio, Labor. Oratio mundat, lectio instruit, meditatio conservat, labor recreat. *Ibid.*, verbo *Sacras.*

143. Talis debet esse monachi vita, ut omnis actio ejus oratio sit. *Ibid.*, verbo *Hinc.*

144. Monachus loquax et clamosus, instrumentum artis diabolicæ est. *Ibid.*, in cap. 7, gradu 11.

145. O quam bonum est monachum mori! tunc nullus dolebit se fuisse monachum, quando poterit monachus mori. *Prosec.*

146. Ecce monachus vis mori, et non vis monachus vivere, cum vita mortem commendet, non mors vitam : qualis vis mori, talis vive, *Ibid.*, grad. 12.

147. Monachus, qui aliquid habet præter Christum, non potest esse perfectus. Lib. 1, homil. 1, *ad Monachos.*

148. Nihil certe bono monacho felicius, nihil laboriosius, nihil fortius. *Ibid.*, homil. 2.

149. Mox ut monachus de securitate præsumpserit, jam sine dubio ad interitum tendit. *Ibid.*

150. Integritas observantiæ regularis abundantiam peperit rerum temporalium, sed paulatim divitiæ monachorum, puritatem ordinis funditus extinxerunt. *Ibid.*, homil. 7.

151. Monachus, quia miles est regis æterni, nunquam debet esse otiosus. *Ibid.*

152. Qui verus est monachus, nec laudibus extollitur, nec vituperatione frangitur, non intumescit necessariarum rerum affluentia, nec contrahitur paupertate, læta simul contemnit et tristia. *Ibid.*, homil. 18.

153. Humilitas monachum facit, superbia destruit et corrumpit. *Ibid.*, homil. 19.

154. Monachus incontinens, apostata est. *Ibid.*, homil. 21.

155. Nulla in ornatu monastico gemma pretiosior obedientia et humilitate. *Orat.* 1, in conventu abbat. habita.

156. Via sine offendiculo, vita monachi est sine cupiditatis et timoris impedimento. Lib. 3, *de Summo bono*, cap. 17, sent. 3. S. ISIDORUS HISPAL.

157. Ille perfectus est monachus, qui huic sæculo et corpore et corde discretus est. *Ibid.*, sent. 4.

158. Monachi adversa vitæ hujus appetunt,

prospera contemnunt : ut dum ab eis hæc vita despicitur, futura inveniatur. *Ibid.*, sent. 5, etc.

159. Qui non rigida intentione monachi professionem sectantur, quanto superni amoris propositum dissolute appetunt, tanto proclivius ad mundi amorem denuo reducuntur. *Prosec.*

160. Nam perfectio non perfecta, præsentis vitæ repetit desideria : in quibus etsi nondum monachus se alliget opere, jam tamen alligat cogitationis amore.

161. Longe quippe a Deo est animus, cui hæc adhuc vita dulcis est : ipse enim quid de supernis appetat, quidve de infimis fugiat, nescit. *Ibid.*, cap. 20, sent. 1.

162. Summa virtus monachi, humilitas : summum vitium ejus, superbia est. *Ibid.*, cap. 19, sent. 1.

163. Tunc se quisque monachum judicet, quando se minimum existimaverit, etiam cum majora virtutum opera gesserit. *Ibid.*, etc.

164. Monachi, qui mundum deserunt, et tamen virtutes præceptorum sine cordis humilitate sequuntur, isti quasi de excelso gravius corruunt : quia deterius per virtutum elationem dejiciuntur, quam per vitia prolabi potuerunt. *Ibid.*, sent. 2.

165. Tales nequaquam monachi vocitandi sunt, qui Deo sola professione, non actione conjunguntur. Lib. 2, *de Offic. Eccles.*, cap. 15.

S. ISID. PEL. 166. Secessionis monasticæ cupiditas, non est in urbibus ac tumultibus immoratio. Lib. 1, epist. 220, *ad Pelusiot. monach.*

167. Si probus monachus fieri studes, ne tuo ipsius arbitrio vivas, ac mores tuos tibi uni probatos esse velis. *Ibid.*, epist. 260, *ad Lucam. monach.*

168. Bellum et existima et crede esse monasticæ vitæ studium, gravioribus ac periculosioribus, quam sint ii gladii, qui in sensum cadunt, spiritualibus telis undique cinctum. *Ibid.*, epist. 308, *ad Abraham.*


169. Monasticam vitam colere cupis? linguæ celeritatem fræno coerce. *Ibid.*, epist. 325, *ad Cyrum.*

LUDOV. BLOS. 170. Monachus diceris, vide ut vere sis quod diceris, et opus fac monachi. In *Speculo monachorum.*

S. MAXIMUS MART. 171. Nemo te decipiat, monache, quod liceat te servari, voluptatibus aut inani gloriæ servientem. Centuria 2 *de Charit.*, cap. 63.

172. Mundanorum officia, monachorum lapsus sunt : et monachorum officia, sunt lapsus mundanorum. *Prosec.*

173. Mundanorum officia, sunt divitiæ, et gloria, et præfecturæ, et deliciæ, et corpus carnosum, numerosa liberorum soboles, et reliqua hæc consequuntur; ad quæ si monachus pervenerit, perit.



174. Officia autem, in quibus monacho elaborandum est, paupertas, ignominia, imbecillitas, continentia, malorum tolerantia, et quæ his sunt similia : in quæ si mundi studiosus et amans inciderit, præter animi propositum, ingentem lapsum esse existimet. Centur. 3, *de Charit.*, cap. 84.

S. NI... 175. Beatus monachus, qui se omnium peripsema, id est abjectissimum reputat. *Parænes.*

176. Apud mundanos radix malorum, avaritia est : apud monachos autem, gula. Orat. 1, *de Gula.*

177. Monachus dives ac copiosus, onusta navis est, atque in tempestate facile pessum iens. *Ibid.*, orat. 3, *de Avarit.*

178. Monachus ita paratus esse debet, tanquam crastino die moriturus : ac non ita corpus delinire, tanquam diu victurus. Orat. 6, *de Acedia.*

PETR. 179. Vir claustralis, vir compeditus. Serm. 50.

S. PE... DAMI. 180. Pedes illoti, manus neglectæ, inculta cæsaries, quasi quædam anchora est monachi in cella jugiter permanendi : accurata vero delicati corporis compositio, fomes est et occasio in publicum prodeundi. *Opuscul.* 12, cap. 25.

181. Apud sæculares absentis monachi auctoritas gravis est; si autem præsens affuerit, nullius judicatur esse momenti. *Opuscul.* 12, cap. 26.

182. Errat, qui confidit se simul et monachum esse, et curiæ deservire. *Prosec.*

183. Quam male mercatur, qui monachorum præsumit claustra deserere, ut mundi valeat malitiam bajulare! Undis erutus sanus est piscis : non ut sibi vivat, sed ut alios pascat. *Opuscul.* 36, cap. 1.

184. Heu! quam perniciosa res, spiritus contumax et litigiosus in monacho! *Opuscul.* 51, cap. 12.

RUPE... 185. Ordinem habitumque monachicum, secundum baptismum dicere sancti Patres non dubitaverunt. Lib. 8, *de Spiritu sancto.*, cap. 8.

THAL... 186. Accelera, ut monachum te ostendas, non exteriorem hominem, sed interiorem ab affectionibus alienando. *Hecatontad.* 3, sent. 22.

THE... LA... 187. Si illi nec patrem sepelire licuit, væ his qui monasticen professi, ad mundana regrediuntur negotia. Super *Matth.*, cap. VIII, in illud : *Sine mortuos sepelire mortuos*, etc.

THO... KE... 188. Cito obedire, frequenter orare, devote meditari, diligenter laborare, libenter studere, discursus vitare, solitudinem diligere, devotum faciunt monachum. *In Hortulo rosar.*, cap. 9.

189. Vere vita boni monachi crux est, et dux paradisi : inceptum est, retro abire non licet, nec relinquere oportet. Lib. 3, *de Imit. Chr.*, cap. 56, sect. 5.

VIT. TR. 190. Monachus si fidem habet, auro non indiget : si autem auro eget, fidem non habet, et servus Dei iste monachus non est. Lib. 1, *in Vita S. Joan. Eleemosynar*, cap. 23.

191. Nefas est, ut monachum quis reprehendat in modico, vel in maximo, irreprehensibilis enim esse debet. Lib. 1, *in Vita S. Pachomii*, cap. 8, regul. 13.

192. Non decet monachum causa pecuniæ esse mercatorem, sed cœlestium bonorum lucra mercantem. *Ibid.*, cap. 8, regul. 19.

193. Monachorum vita, angelicæ vitæ imitatio est. Lib. 1, *in Vita SS. Barlaam et Josaphat.*, cap. 1.

194. Hoc vere monastici ordinis munus est, nunquam a spirituali opere vacuum inveniri. *Ibid.*, cap. 38.

195. Nisi quis fuerit conculcatus, monachus esse non potest. Lib. 3, num. 86.

196. Ille vere est monachus, qui se in omnibus vincit. *Ibid.*, num. 87.

197. Vita monachi hæc est, scilicet opera, obedientia, meditatio, ut non judicet, non obloquatur, non murmuret. Lib. 5, libello 1, num. 22.

198. Sicut leo terribilis est onagris, sic monachus probatus cogitationibus concupicentiæ. Lib. 5, libel. 4, *de Continent.*, num. 45.

199. Monachus, qui non retinet linguam in tempore furoris, neque passionum corporalium retentor erit. *Ibid.*, num. 49, etc.

200. Monachus, qui querulosus est, monachus non est : qui malum pro malo reddit, monachus non est : qui iracundus est, monachus non est. Lib. 5, libell. 10, *de Discret.*, num. 54.

201. Debet monachus totus oculus esse, sicut Cherubin et Seraphin. Lib. 5, libell. 11, num. 7.

202. Nihil ita Deo monachos familiares efficit, ut pulchra et honesta, et gratissima castitas. Lib. 10, cap. 152.

203. Voluntaria paupertas; tribulatio cum patientia, et discretio, instrumenta sunt monachi. *In sent.*, sent. 8.

204. Si facta est monacho despectio quasi laus, et paupertas sicut divitiæ, et esuries sicut epulæ, nunquam moritur. *Ibid.*, sent. 23.

205. Oportet monachum cor forte habere ad singula, ut salvetur. *Ibid.*, sent. 74.

Vide etiam tit. *Concordia*, sent. 6; *Convivium*, sent. 82; *Differentiæ*, sent. 19; *Dispensatio*, sent. 21; *Dormire*, sent. 25, 35, 46, 58; *Egredi*, fere per totum, *Examen*, sent. 114; *Familiaritas*, fere per totum. *Firmitas*, sent. 10; *Gloria vana*, sent. 177; *Hypocrisis*, sent. 15; *Jejunium*, sent. 68; *Locus*, sent. 47; *Martyrium*, sent. 67; *Meditatio*, sent. 71, 73; *Monialis*, sent. 83; *Mortificatio*, 150; *Ornatus*, sent. 176; *Parentes*, sent, 138; *Pax*, sent. 119; *Pœnitentia*, sent. 272, 274; *Possessio*, sent. 44; *Proprietas*, fere per totum. *Regula*, sent. 1, 34; *Renuntiatio* in genere, sent. 29; *Res*, sent. 88; *Risus*, sent. 35; *Sæculum*, sent. 51; *Singularitas*, sent. 27; *Superbia*, sent. 87; *Tentatio*, sent. 275; *Tepiditas*, sent. 70; *Voluntas propria*, sent. 75, 76, 77, 79, 81.

MONASTERIUM.

Etymologia. Monasterium dicitur, a *μόνος*, quod est unum : quia maxime debet ibi unitas reperiri. Part. 1, tit. 6, cap. 2, § 5. S. ANTONIN.

Definitio et Differentia. Licet a nonnullis soleant indifferenter monasteria pro cœnobiis appellari, tamen hoc interest, quod monasterium nomen est diversorii, nihil amplius quam locum, idest, habitaculum significans monachorum. *Prosec.* JOAN. CASS.

Cœnobium vero etiam professionis ipsius qualitatem, disciplinamque designat.

Monasterium potest etiam unius monachi habitatio nominari : cœnobium autem appellari non potest nisi ubi plurimorum cohabitantium degit unita communio. Collat. 18, *Abbat. Piammonis*, cap. 10, per totum.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. In monasterio ubi minima districte custodiuntur, ibi vigor monachorum inviolabilis permanet, ibi pax inter fratres, et omnia conquiescunt : ubi vero minimi excessus negliguntur, ibi totus ordo paulatim dissipatur et destruitur. Epist. 6, *ad Monach. Cistrenses.* S. ANSELM.

2. Infelix et maledictum illud claustrum, in quo arbor hypocrisis et vanæ gloriæ plantatur, et concrescit. Serm. *Dominicæ* 2 *Adventus.* S. ANTONIUS DE PADUA.

3. In quocumque monasterio sunt scissuræ charitatis, ibi lis est in capitulo, dissolutio in choro, murmuratio in claustro, gula in refectorio, carnis petulantia in dormitorio. Serm. *Sexages.*

4. Simpliciter fateor, ex quo Deo servire cœpi, quomodo difficile sum expertus meliores, quam qui in monasteriis profecerunt : ita non sum expertus pejores, quam qui in monasteriis ceciderunt. Epist. 137, *ad Clerum.* S. AUGUST.

5. Quantumlibet vigilet disciplina domus meæ, homo sum et inter homines vivo : nec mihi arrogare audeo, ut domus mea melior sit, quam Arca Noe, ubi tamen inter octo homines, reprobus unus inventus est. *Prosec.*

6. Aut melior sit quam domus Abrahæ, ubi dictum est : Ejice ancillam, et filium ejus.

7. Aut melior sit quam domus Isaac, cui de duobus geminis dictum est : Jacob dilexi, Esaü odio habui.

8. Aut melior quam cohabitatio ipsius Domini

Christi, in qua undecim boni perfidum et furem Judam toleraverunt.

9. Aut melior sit postremo, quam cœlum, unde Angeli ceciderunt. Epist. 137, *ad Clerum.*

10. Nemo positus in monasterio frater, recedat de monasterio : mementote uxoris Loth, liberata est a Sodomis, et in via posita retrorsum respexit : ubi respexit, ibi remansit. Super *Psalm.* LXXV, versu penultimo; *Vovete et reddite.*

S. BERNARD. 11. Minus damnabile est in sæculo perire, quam in monasterio. Serm. 2, *de S. Michaele.*

12. Merito stagnis monasteria comparantur, ubi quodammodo incarcerati pisces evagandi non habeant libertatem; quo videlicet parati sint semper ad epulas spirituales, dicentes singuli intra se; quando veniet, qui me deferat? Serm. 1, *de S. Andræa.*

13. In monasteriis omnes recipimus spe meliorandi; at curia bonos facile recipere magis quam facere consuevit. Lib. 4, *de Considerat. ad Eugen. pap.*

14. Civitas parva et juxta, id est, non a sæculo, in qua Loth ardente Sodoma salvatur, monasterium est. Serm. *de Virgin.*

15. Non venisti ad monasterium ut divitias terrenas habeas, sed ut virtutes spirituales acquiras, ut in simplicitate Deo servias, ut in humilitate Deo placeas, et ut voluntati alienæ obedias. Serm. 17, *ad Sororem.*

16. In monasterio est vita contemplativa, vita sancta, vita spiritualis, vita cœlestis, vita quieta, vita pacifica, vita tranquilla, vita angelica, vita casta, vita perfecta, vita plena virtutibus, vita sanctitatis. *Ibid.*, serm. 20.

S. CÆSARIUS ARELAT. 17. In monasterio servire venisti, non imperare : obedire, potius quam jubere. Homil. 18.

18. Monasterium velut portus quietis, et quasi paradisi est. *Ibid.*, hom. 36.

S. CYRILLUS HIEROSOL. 19. Quod aqua piscibus, hoc idem monachis monasterium operatur. Epist. *ad Aug. de miraculis D. Hieron.*

DIONYSIUS CARTHUS. 20. Cœnobium est cœlum terrenum : ideo sicut angeli sancti in cœlo deserviunt Deo cum omni charitatis ardore, puritate ac reverentia : sic religiosus (quantum sibi possibile est) Deo servire debet in monasterio cum omni custodia, reverentia, et fervore. *De Profess. Monast.*, art. 19.

21. Recludi in claustro est sibi ipsi occasionem recidivandi, aditum quoque mundanæ vanitatis amputare. *De mortificat. vivifica.*, art. 5.

S. EPHRÆM. 22. Beatum monasterium, quod a temperantibus administratur. Væ autem monasterio, quod ab intemperantibus regitur : nam monasterium desolabitur ob ignaviam administrantium. *De virtute*, cap. 1.

23. Magnum in monasterio periculum est puerulus, nisi regatur atque instituatur. *De timore Dei.*

S. HIERON. 24. Ægyptiorum monasteria hunc morem tenent, ut nullum absque operis labore suscipiant; non tam propter victus necessitatem, quam propter animæ salutem. Epist. 4, *ad Rustic.*

25. Præpositum monasterii timeas ut dominum, diligas ut parentem : credas tibi salutare, quidquid ille præceperit. *Ibid.*

26. Ita age et vive in monasterio, ut clericus esse merearis. *Ibid.*

27. Quod inter sæculi homines vel leve putatur, vel nihil; hoc in monasteriis gravissimum delictum est. Epist. 27. *ad Eustochium.*

28. Hæc charitas religiosos facit, hæc monachos : sine hac monasteria sunt tartara, habitatores sunt dæmones : cum hac vero sunt paradisus in terris, et in eis degentes sunt Angeli. *In Regula monacharum*, cap. 1, *de Charitate.*

29. In monasteriis sicut unum propositum, unus et animus est. Super *Psalm.* CXXXII, vers. 1, *Ecce quam bonum*, etc.

38. In monasteriis, et maxime in cœnobiis rixæ esse solent : non erubescimus, non dolemus. *Prosec.*

31. Dimisimus patres, dimisimus matres, dimisimus fratres, dimisimus sorores, dimisimus uxores, dimisimus filios, dimisimus patrias nostras, dimisimus domos : venimus in monasterium, et propter hæc dimisimus omnia, et propter rem frivolam cum fratribus rixam facimus in monasterio.

32. Dimisimus possessionem, dimisimus patriam, dimisimus sæculum, et propter calamum rixam facimus in monasterio. Super *Psalm.* CXIX, vers. ultimo. *Cum his qui oderunt pacem*, etc.

HUGO A S. VICTORE. 33. Si superbis Angelis non fuit utile cœlum, constat quia superbis religiosis non est utile monasterium. Super *Regul. D. August.*, cap. 2.

34. Utilia sunt humilibus monasteria. *Ibid.*

35. Monachi faciunt sibi claustra, quibus homo exterior teneri possit : sed utinam claustra facerent, quibus homo interior ordinate teneretur. Lib. 1, *de Claustro animæ*, cap. 1.

36. Tutius est claustrum, quam castrum. Lib. 1, *de Claustro animæ*, cap. 11.

37. Locus aliquando placet, aliquando displicet : placet quibusdam, non quia abundet fratribus, sed piscibus : placet, quia abundat fabulis; placet, quia cuncta possidet. *Ibid.*, lib. 2, cap. 13.

38. Claustrum carcer est spontaneus, clericorum locus quietis : securum efficit de externis, lætum de internis, certum de æternis : si corpus

compescit, tamen mentem exhilarat. Lib. 4, *de Propriet. rerum*, cap. 3.

39. Ædificia fratrum non superflua sint, sed humilia : non voluptuosa, sed honesta. Lib. 2, *de Claustro animæ*, cap 4.

UGO CARD. 40. Quot sunt claustra religiosorum, tot sunt greges ovium Christi : tutius autem est ovem esse in grege, et hominem in conventu, quam singularem; quia dispersas, et singulares oves lupus rapit, et ad dispergendum eas semper laborat. Super *Psalm.* LXXVII.

41. Claustrum est domus sapientiæ, cujus fundamentum est paupertas, parietes obedientia et continentia, altitudo humilitas, tectum vero est amator fraternitatis. *Prosec.*

42. Septem columnæ sunt septem observantiæ regulares, sc. cibi ariditas, vestis austeritas, jejuniorum continuatio, vigiliarum protractio, manuum labor, disciplinæ rigor et orationum instantia. Super *Prov.*, cap. 9.

JOANNES CHRYSOST. 43. Qui servit in monasterio Christo, Imperatori suo servit, signatus est cauterio regis sui. Habet scutum jejunium, habet galeam fidem, habet gladium sermonem Dei, habet loricam vestimentum Jesum in baptismate. Homil. 18, ex *Divers. in Matth.*

44. Vere domus luctus monasteria sunt, ubi cinis atque cilicium, ubi solitudo, ubi risus nullus, nullus negotiorum sæcularium strepitus, ubi jejunia, ubi terrenorum duritia lectulorum, ubi munda sunt omnia. *Prosec.*

45. Nullus ibi nidoribus locus, absunt procul sanguinis rivi, perturbationes, curæ, tumultus : tranquillo in portu ibi navigant monachi, ac veluti luminaria sunt, sublimi de loco navigantibus fulgore suo iter aperientes.

46. Mundus est locus ille, alta ibi quies atque silentium est : meum et tuum inde prorsus eliminatum est.

47. Neque vero nudos illic dormire fas est; inde ubi resurrexere, divinis laudibus in choro constituto instant, hymnosque propheticos canunt magno suavique concentu, et canticis numerosis : non fistula, non cithara, non ullum aliud instrumentum musicum sustinentes : sed illorum cantica convenientissima sunt, et amorem Dei, divinarumque rerum studium spirant. Homil. 14, super I *Tim.*

48. Sicut a terra in cœlum, sic est ad viri sancti confugere monasterium. Homil. 59, *ad Popul. Antioch.*

JOAN. TRITH. 49. Difficile ad monasterium convertitur, quem blandiens sæculi fortuna semel tenuerit in sua potestate. Epist. 14, *ad Nicol. presbyt. Mernicens.*

S.ISID.HISP. 50. Villa sane longe remota debet esse a monasterio, ne vicinius posita, aut labis inferat periculum, aut famam inficiat dignitatis In *Regula monachor.*, cap. 1.

S.LAURENT. JUSTIN. 51. Deo inspirante erecta sunt monasteria, et cœnobia constructa : ut in illis spreto lethali luxu carnalium voluptatum, atque abdicato usu temporalium cupiditatum, mentes aptius contra se, et ferventius contra vitia dimicarent. *De discipl. monast.*, cap. 1.

52. Non minus vituperabile, quam ridiculosum est, mundo solo corpore, et hominum aspectibus renuntiasse, atque in monasterio otiosam ducere vitam. *Prosec.*

53. Non autem putes te esse securum, quia ad monasterium confugisti : quid prodest æquoris evasisse procellas, et in portu præ negligentia periclitari? *Ibid.*, cap. 7.

54. Claustrum est, hortus conclusus, paradisus deliciarum, thalamus nuptialis, cubile immaculatum, virtutum schola, tabernaculum fœderis, reclinatorium sponsi, bellatorum statio, sanctitatis domus, castitatis custos, pudicitiæ firmamentum, religionis magisterium, obedientiæ sanctæ speculum. *De Obedient.*, cap. 18.

55. Quid aliud monasteria, quam robustorum virorum adversus seipsos dimicantium nuncupaverim castra? *Ibid.*, cap. 19.

56. In monasteriis contra malignos spiritus implacabile geritur bellum : ibi vitiorum germinantium eradicantur sentes, ibi virtutum omnium institutio patet : non tamen in cunctis reperitur monasteriis, sed solum in illis, in quibus sacræ religionis perficiuntur vota. *Prosec.*

57. Sunt quippe multa cœnobia, quæ non sanctorum habitacula, sed latronum sunt dicenda speluncæ, spectacula dæmonum, et officinæ vitiorum. *Ibid.*

PETR. BLES. 58. Claustrum semel ingressus, clausisti te, et Christi vinculis alligasti : clausisti sane et alligasti te per obedientiæ jugum, per disciplinæ observantiam, per timoris et reverentiæ ligaturam. Epist. 13, *ad Monach. Novit.*

59. Video in claustris cœlestes homines, aut potius angelos terrestres : quorum conversatio est in cœlis, qui quadam nobili superbia despiciunt honores et divitias hujus mundi. *Ibid.*, epist. 102, *ad Radingens. Abbat.*

60. Habes in claustro secretum solitudinis, locum pœnitentiæ, pacem animæ, contemplationis arcanum, gaudium in Spiritu sancto, consilium in hæsitatione, in tentatione remedium, in omnibus efficax beneficium medicinæ. *Ibid.*, *Invectiva contra depravator.*

61. Ibi virtutum schola est, summus ibi mo-

destiæ usus, morum regularitas, legendi libertas, fraternitatis affectio, omnium communicatio.

62. Ibi disciplinæ vigor, lex obedientiæ, vinculum charitatis. et mutua obsequela. *Ibid.*

S. PETRUS DAMIANUS. 63. Vere claustrum paradisus est : hic prata virentia scripturarum, præterfluens lacrymarum undositas, quam de purissimis affectibus amor ille cœlestis eliquat. Serm. 59, *de S. Nicolao.*

64. Claustrum monasterii, vinarium est animarum. *Opusc.* 52, cap. 2.

Vide etiam tit. *Egredi*, sent. 83, 85. 86; *Paradisus*, sent. 40, 41; *Simonia*, sent. 94.

MONIALIS.

S. INNOC. III. *Definitio.* Monialis est, quæ professa est se velle vivere secundum regulam beati Benedicti, vel beati Basilii, aut Augustini, aut aliorum. Et habetur in *Decretis Gratiani*, part. 2, causa 18, quæst. 2, can. *Perniciosum.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Pulchritudinem quis potest majorem existimare decore ejus, quæ amatur a rege, probatur a judice, dicatur Domino, consecratur Deo? Lib. 1, *de Virgin.*

2. Aiunt plerique, maturioris ætatis virgines esse velandas, neque ego abnuo sacerdotis esse cautionis debere, ut non temere puella veletur. *Prosec.*

3. Spectet plane, spectet ætatem sacerdos, sed fidei vel pudoris.

4. Spectet et maturitatem verecundiæ, examinet gravitatis canitiem, morum senectam, pudicitiæ annos, animos castitatis. Lib. 3, *de Virgin.*

S. ATHANAS. MAGNUS. 5. Væ virgini, quæ non subest regulæ, est enim tanquam navis gubernatore destituta ; rupto siquidem cacumine mali jactatur a fluctibus horsum illorsum (cum ducem non habeat) donec offendat in scopulos, et statim pereat. *Prosec.*

6. Contra, beata est virgo, quæ sub regula est : est enim tanquam vitis fœcunda in horto, ad quam veniens cultor ejus, palmites ipsius putat, illamque irrigat, et putridas herbas circumcirca evellit. *De Virgin.*

S. AUGUST. 7. Sacratæ virginitati nuptias coæquare, non hoc Christiani, sed Joviniani est. In *Enchiridio.*, cap. 68.

8. Virginali et viduali continentia expetita et electa, et voti debito oblata, jam non solum capessere nuptias, sed etiamsi non nubatur, nubere velle damnabile est. *De bono viduit.*, cap. 9.

9. Si vel spernentibus vel tardantibus sponsis, vel peregrinantibus maritis, carnalis concupiscentia potuit contineri, ne stuprum aut adulterium committeretur; cur contineri non potest, ne sacrilegium committatur? *Prosec.*

10. Si repressa est, cum ferveret dilatata : cur non opprimitur, cum friguerit amputata?

11. Plus ardentem ferunt libidinem, quæ non desperant ejusdem voluptatem : quæ autem innuptarum castitatem Deo vovent, ipsam spem subtrahunt, quæ fomes amoris est. *De bono viduit.*, cap. 29.

12. Non ipsa, quia virginitas est, sed quia Deo dicata est, honoratur. *De sancta Virginit.*, cap. 8.

13. Pergite, puellæ, pergite perseveranter in finem : laudate Dominum dulcius, quem cogitatis uberius : sperate felicius, cui servitis instantius : amate ardentius, cui placetis attentius. *Ibid.*, cap. 27.

14. Gaudium est virginum Christi de Christo, in Christum, cum Christo, post Christum, per Christum, propter Christum. *Prosec.*

15. Gaudia propria sunt virginum Christi : non sunt eadem non virginum, quamvis Christi. *Ibid.*

16. Hæ, quas pœnitet professionis, nubere volunt : et ideo non nubunt, quia impune non possunt. *Ibid.*, *tract.* 34.

17. Virgo est castimonialis, jam dicata Deo, habens cætera quæ vere ornant ipsam virginitatem, et sine quibus ipsa virginitas turpis est; quid prodest si sit corpore integra, mente corrupta? Super *Psalm.* LXXV, versu penultimo. *Vovete et reddite.*

18. Altior professio virtutis, altiorem debet ritum tenere vivendi. *De Templo Salomonis*, cap. 7. V. BEDA.

19. Ut quid hactenus Nonna et sanctimonialis vocitata es, quæ sub sanctitatis nomine, non tamen sancte conversaris? *Prosec.* S. BERNARD.

20. Cur velum in capite mentitur reverentiam, et sub velo petulans oculus exhibet impudentiam?

21. Caput geris velatum, sed elatum : sub signo verecundiæ sermo resonat inverecundus; risus immoderatior, incessus lascivior, vestis ornatior, uni inflatæ magis quam velatæ congruerent. Epist. 114, *ad Sanctimonialem quamdam.*

22. Sanctimonialis quæ cum Christo desiderat intrare ad nuptias, non debet hominibus dare sudariola, pectines, corrigias vel specula, aut fascias. Serm. 61, *ad Sororem.*

23. Sanctimonialis quæ cum hominibus in vanis delectatur, magna vanitate decipitur, et signum demonstrat meretricis. *Ibid.*

24. Si in mente sanctimonialis sanctus amor esset, dona vanitatis et superfluitatis ab hominibus non acciperet. *Ibid.*

25. Mens casta et religiosa non desiderat a sæ-

cularibus amicis accipere dona, sed a Christo, pro cujus amore contempsit omnia terrena dona. *Ibid.*

26. Sanctimonialis quæ Christum perfecte diligit, amplius adulterinum amorem non recipit, id est, non amplius in malo homines diligit. *Ibid.*

27. Sanctimonialis quæ Christum perfecte diligit, delectabilia et superflua dona ab hominibus non recipit, quia Christum omnibus donis anteponit. *Ibid.*

28. Cum sis Christo desponsata, si ante oculos hominum vis apparere, non es casta, sed adultera. *Ibid.*, serm. 64.

29. Sanctimonialis fœmina, quæ cum viro sola loqui desiderat, stultitia in mente ejus regnat. *Ibid.*, serm. 59.

30. Religiosa fœmina, quæ plus diligit hominem quam Christum, non est casta, sed adultera : quia Christum contemnit, cui fuerat desponsata. *Ibid.*, serm. 61.

ONAV. 31. Nihil prodest corpus velare, et mentem vitiorum portentis maculare. *Prosec.*

32. Quid prodest nigris vestibus indui, et a detractione linguam non cohibere? Lib. 1. *Pharetræ*, cap. 37.

33. In monasterio positæ non otio torpescant, non detractionibus, non obscœnis confabulationibus incumbant : sed aut psalmorum modulationibus, aut manuum operationibus insistant. *Ibid.*

34. Minores natu eas, quæ provectæ sunt ætatis, obsequio sanctitatis venerentur. *Ibid.*

35. Provectæ annis, juniores dictis et exemplis ad bene vivendum informent. *Prosec.*

36. Nobiles genere nequaquam ignobilibus se præferant : quia personarum acceptor non est Deus. *Ibid.*

37. Religiosam quampiam non oportet, non decet, non expedit parentum suorum multis obligationibus implicari, aut quorumlibet extraneorum perniciosa familiaritate constringi. *Ibid.*

38. Pomposa vestimenta, quæ non utilitati, sed vanitati serviunt, fastidite atque contemnite, virgines, Christi sponsæ. *Prosec.*

89. Multæ quod in moribus diligunt, hoc et in vestibus et in operibus suis ostendunt. *Ibid.*

YPRIAN. 40. Computari jam non potes inter puellas et virgines Christi, quæ sic vivis, ut possis adamari. *De Discipl. et habitu Virgin.*, cap. 5.

41. Vince vestem, quæ virgo es, quæ Deo servis : vince aurum, quæ carnem vincis et sæculum. *Ibid.*, cap. 9.

42. Servate, virgines, servate quod esse cœpistis, servate quod eritis : magna vos merces manet, præmium grande virtutis, munus maximum castitatis. *Ibid.*

43. Pejus est quam mœchari, continentiam ducere criminosam, et infamem ferre sanctimoniam. *De Singular. cleric.*, cap. 5.

44. Religiosæ personæ impatientes, contentiosæ, discordes, et proximis suis non ignoscentes; non religiosam, sed diabolicam ducunt vitam : nec dignæ sunt ponsæ Christi vocari, sed adulteræ sunt diaboli. *Prosec.* DIONYSIUS CARTHUS.

45. Et quæ per impiæ voluntatis conformitatem, ac pravæ mentis consensum, cum diabolo spiritualiter fornicantur, adulteræ sunt diaboli. *De profess. monast.*, art. 2.

46. Si quæratur cui monialis magis obedire teneatur, suæ abbatissæ, seu matri spirituali, an confessori? Respondetur quod quantum ad ecclesiastica sacramenta, magis obedire tenetur rectori et confessori : in his vero quæ ad observantiam pertinent regularem, magis adstricta est matri spirituali, cui et obedientiam vovit. *Ibid.*, art. 14.

47. Moniales jubentur et obligantur esse reclusæ, ut omnis occasio incontinentiæ eis penitus auferatur, et tanto purius ac libentius serviant et inhæreant sponso cœlesti, quanto plus separatæ sunt ab humanis aspectibus ac mundanis consortiis. *Prosec.*

48. Non est dubium quin religiosæ personæ suam clausuram fideliter conservantes tanto jucundius post hanc vitam volabunt per longitudinem latitudinemque cœli empyræi, quanto nunc propter Deum in strictiori se continent loco.

49. Parum aut nihil confert clausura exterior corporalis, nisi mens clausa sit a cogitationibus vanis et vilibus, ab imaginationibus fœdis, a vitiosis affectibus, ab inquietudine passionum, a sollicitudine mundanorum, a sæcularibus occupationibus, curiositatibus, fabulationibus, atque seculi rumoribus. *Ibid.*, art. 15.

50. Speciali modo puellæ et fœminæ religionem ingressæ, continentiamque professæ, dicendæ sunt Christi sponsæ, quatenus sponso immortali casto corpore puroque corde semper adhærere valeant. *De Mortificatione vivifica.*, art. 14.

51. Refrænatio linguæ tanto plus necessaria est monialibus, quanto communiter solent esse magis pronæ ad loquacitatem. *De Profectu spirit.*, art. 5.

52. Felix est anima illa, quæ dum in congregatione versatur, multorum est gaudium, et plurimi ex ea ædificantur, vel illuminantur. Homil. 7, *ad Monachos*. S. EUSEBIUS EMISSENUS.

53. Dilectio claustri quasi murus est, antemurale regularis districtio : illa cogitationes sanctas in affectus dulces includit, hæc occasiones delinquendi repellit et excludit. *Prosec.* GILLEBERTUS ANG.

54. Ille murus gratus est, antemuralis necessa-

rius : ille te cœlestes inter delicias claudit, iste proscribit mundanas.

55. Si tibi votivum est cor tuum, velut hortum deliciarum præstare Christo, non ægre feras hoc antemurali si concludaris.

56. Delicias perdere vult, quas habet (si tamen habet) quæ de munitione claustri submurmurat.

57. Hortus nescit esse, qui non vult esse conclusus. Serm. 35, super *Cant.*, apud. *D. Bernard.*

GLOSS. DECR. 58. Moniales velle non habent; quod mulieri ab insidiis nequissimi hostis (qui rapinam meditatur) inducitur. In *Decretis Gratiani.*

S. HIERONYM. 59. Virgo in monasterio inter virginum choros vivat angelice, sit in carne sine carne, omne hominum genus sui simile putet. Epist. 7, *ad Lætam.*

60. Solent miseri parentes, et non plenæ fidei christiani, deformes et aliquo membro debiles filias virginitati tradere : et quæ religiosiores sibi videntur, parvo sumptu (et qui vix ad alimenta sufficiat) eis dato, omnem censum sæcularibus liberis largiuntur. *Ibid.*, epist. 8, *ad Demetriad.*

61. Contra naturam, immo ultra naturam est, non exercere quod nata sis interficere in te radicem tuam, et sola virginitatis poma decerpere : nescire thorum, omnem virorum horrere contactum, et in corpore vivere sine corpore. *Ibid.*

62. Monialis jejunia pro ludo habet, orationem pro deliciis. Epist. 10, *ad Furiam.*

63. Nulli te unquam de generis nobilitate præponas : neque obscuriores quasque, et humiliore loco natas, te inferiores putes. *Prosec.*

64. Nescit religio personas accipere, nec conditiones hominum : sed animos inspicit singulorum, servum et nobilem de moribus pronuntiat. Epist. 14, *ad Celantiam.*

65. Quotiescumque te vana sæculi delectaverit ambitio, quoties in mundo aliquid videris gloriosum, ad paradisum mente transgredere, esse incipe quod futura es. Epist. 22, *ad Eustoch.*

66. Non satis religiosa velis videri, nec plus humilis quam necesse est, ne gloriam fugiendo quæras. *Ibid.*

67. Si quis te carpit quod sis christiana, quod sis virgo : non cures quod ideo dimiseris matrem, ut in monasterio inter virgines viveres, talis detractio laus tua. *Prosec.*

68. Ubi non luxuria in puella Dei, sed duritia carpitur, crudelitas ista pietas est : illum enim præfers matri, quem præferre juberis et animæ tuæ. Epist. 47, *de Vitando suspecto contubernio.*

69. Huic mundo mortua esto, et nihil aliud, nisi de cœlestibus cogitans, loquere ad sponsum tuum. Epist. 18, *ad Principiam.*

70. O Virgo, cognosce statum tuum, agnosce locum, agnosce propositum : Christi sponsa diceris, vide ne quid indignum ei, cui desponsata esse videris, admittas : cito scribit repudium, si in te vel unum videat adulterium. Epist. 14, *ad Mauritii filiam.*

71. De Dei virgine facta es corruptio Satanæ, de sponsa Christi facta es scortum execrabile, de templo Domini fanum immunditiæ, de habitaculo Spiritus sancti tugurium diaboli. Epist. 22, *ad Susannam lapsam.*

72. Quæ se spopondit Christo, et sacrum velamen accepit, jam nupsit, jam immortali juncta est viro, et jam si voluerit nubere communi lege conjugii, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur. *Ibid.* S. HIERON.

73. Non extollatur, nec improperet cæteris se tantum ex suis facultatibus attulisse : plus enim attulit soror paupercula. si ingrediens affectum habendi dimisit, quam quæ multa afferens dona, superbiam tulit. In *Regula Monachar.*, cap. 5, *de Simonia.*

74. Nondum Deo vivit, nondum religionis semitam Christique nuptias attigit, quæ non efficitur ita simplex et pura, ut quidquid sibi mandatum fuerit per præpositam matrem, angelico putet ore transmissum. *Ibid.*, cap. 9, *de Correct.*

75. Dicam audacter, proh dolor! Dei templa, Spiritus sancti vasa, et Deo dicata ædificia, nisi diligenti serventur custodia, prostibula fiunt. *Ibid.*, cap. 18.

76. Cœli et Angelorum Dominum induta es, et terrenis adhuc immoraris? Serm. 1, super *Epist. ad Coloss.* S. JOANNES CHRYSOST.

77. Moniales illæ sunt fortunatiores, quæ ad sobrietatem sustinendam sunt fortiores. *De Sanctimonial.* JOAN. GERS.

78. Si oporteat alloqui personam sæcularem, tunc specialissime ori suo adhibeat monialis custodiam, ne omnino quidquam dicat, quod audientem non ædificet. *Prosec.*

79. Se taliter in omnibus habeat, ne ullus, qui eam viderit, vel audierit ipsam sanctam monialem non reputet. *Ibid.*

80. Monialis in omnibus rebus fugere debet singularitatis, ut admirationis notam : hoc est, non debet facere aliter, quam aliæ, ut vanam habeat gloriam : nec debet loqui quidquam ob quod possit judicari aut multum sapiens, aut multum religiosa. *Ibid.*

81. Si familiaritas mulierum religiosis prohibita est, multo magis monialibus virorum facies seu gestus. *Ibid.*

82. Eas sponsalitio amore sibi libentissime fœderat Deus, quas sæculum non fœdavit. Epist. 36, *ad Christianam sanctimonialem.* PETR. BLES.

83. Monachum, sive monacham facit propria professio, vel paterna devotio. *Ibid.*, epist. 54, *ad Pictaviens. archid.*

84. Beata es, quæ spretis filiis hominum, filium Altissimi tibi elegisti in sponsum. *Prosec.*

85. Tanto eris acceptior sponso tuo Christo, quanto fueris in veste vilior : quanto in cultu corporis tui abjectior, in sermone rarior, in vultu dejectior, in aspectu verecundior, in incessu maturior. Epist. 55, *ad Adelitiam monialem.*

TERTULLIAN. 86. Nupsisti Christo, illi tradidisti carnem tuam, illi sponsasti maturitatem tuam : incede ergo secundum sponsi tui voluntatem, quia sponsas suas velari jubet. *De virginib. velandis*, cap. 16.

S. THOMAS A VILLA NOVA. 87. Monialis quæ curis sæcularibus implicatur, spiritus suavitatem ignorat. *De S. Dorothœa.*

Vide etiam tit. *Conjugium*, sent. 31, 42; *Epistola*, sent. 3; *Innocentia*, sent. 28; *Martyrium*, sent. 67; *Nobilitas*, sent. 25, 26, 27, 28; *Officium divinum*, sent. 28; *Sæculum*, sent. 51; *Sequi Christum*, sent. 79; *Simonia*, sent. 29.

MORES.

S. ANTONINUS. *Definitio.* Mores proprie dicuntur actus humani, qui conveniunt rationi : actus autem humani, qui discordant a ratione, non mores boni, sed mali dici debent. Part. 1, tit. 14, *de Lege Mosaica*, cap. 3, § 2.

S. ANSELM. *Divisio.* Mores alii boni sunt, alii vero mali : boni virtutes dicuntur, mali autem vitia. *De similitudinibus*, cap. 133.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROSIUS. 1. Non placet Deo, quem non suorum gravitas morum probat. Lib. 1, epist. 64, *ad Syagrium Vernensem episcop.*

2. Graviores inimici sunt pravi mores, quam hostes infesti. *Prosec.*

3. Facilius enim pravitas hostium vinci potest, quam morum. Serm. 87, *de Elisœo.*

4. Grandis morum est assuefacienda maturitas, quæ vincat naturam. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 18, vers. 5.

S. ANSELM. 5. Non tunc mores dicuntur, cum cito adveniunt, citoque recedunt, sed cum in anima stabiles existunt. *De Similitudinib.*, cap. 132.

S. AUGUST. 6. Hi mores sunt optimi, per quos nobis etiam ipsa provenit (ad quam omni studio rapimur) agnitio veritatis. *De Moribus Eccles.*, cap. 28.

7. Mores nostri, non ex eo quod quisque novit, sed ex eo quod quisque diligit, dijudicari solent, nec faciunt bonos vel malos mores, nisi boni vel mali amores. Epist. 52, *ad Macedonium.*

8. Ornet mores tuos pudicitia, ornet sobrietas, et frugalitas. Epist. 182, *ad Bonifac.*

9. Pravorum morum quasi contrariis flatibus a cœlesti patria repercutiuntur homines. Lib. 1, *de Doctrina christ.*, cap. 9.

10. Si bonis moribus propinquatur Deo, malis moribus receditur a Deo. Super *Psalm.* XCIV.

11. Noli bonæ cantilenæ tuæ obstrepere moribus malis. Super *Psalm.* CXLVI, vers. 1.

12. Si sint boni mores, delectent : si sunt mali, emendentur et corrigantur. Tract. 1, super *Epist. Joan.*, de cap. 4.

13. Boni mores requirantur, omnibus vitam donavit, qui bonos mores instituit. *De Cataclysmo*, cap. 6.

14. Ambula moribus, non pedibus : multi enim ambulant bene pedibus, et male ambulant moribus. *De Verbis Domini*, serm. 55.

15. Nonnullis errare profuit aliquando ; sed in via pedum, non in via morum. In *Enchirid.*, cap. 17.

16. Ad eum qui ubique præsens est, non locis movemur, sed bonis moribus. Lib. 1, *de Doct. christ.*, cap. 10.

17. Amicitia similibus moribus confit. *De Gen. ad lit. imperfect. oper.*, cap. 16.

18. Non in pravis moribus naturæ dona culpanda sunt. Lib. 10, *de Genesi ad lit.*, cap. 13.

19. Non quisquam efficitur amicus Dei, nisi purgatis moribus. Lib. 52, *de Genesi contra Manich.*, cap. 2.

20. Ad eum qui ubique præsens est, non pedibus ire licet, sed moribus. Epist. 52, *ad Macedonium.*

21. Morum corrigendorum, nullus alius quam in hac vita locus est. Epist. 54.

22. Verus ornatus christianorum, mores boni sunt. Epist. 73.

23. Fuge per immobilem fidem ad mores bonos. *De Catechiz rudib.*, cap. 25.

24. Non malis convertentium moribus aliquis ad bonos mores convertendus est. *De Mendac.*, cap. 21.

25. Multi sunt intus, qui corda pie viventium suis perditis moribus cruciant. Lib. 18, *de Civ. Dei*, cap. 51.

26. Boni mores vitam bonorum, malorumque discernunt, et ad diversa perducunt. Lib. 3, *contra Crescon.*, cap. 4.

27. Nolite nos contristare malis moribus vestris. Tract. 18, super *Joan.*

28. Tenebræ metuendæ sunt morum, non oculorum. *Ibid.*, tract. 35, circa init.

29. Boni mores delectent, mali corrigantur. Tract. 7, super *Epist. Joan.*

30. Quis in via morum errare timebit duce sapientia? Serm. *ad Milites templi*, cap. 11. S. BERNARD.

31. Ad mores honestandos, vel corrigendos, per-

necessaria est (cum multa quidem diligentia) disciplinæ censura. Serm. 76, super *Cant.*

32. Mores hominis lingua pandit, et qualis sermo ostenditur, talis animus comprobatur. *De inter. domo*, cap. 43.

BOETIUS. 33. Probos mores sua præmia non relinquunt : quantumlibet igitur sæviant mali, sapienti tamen coronà non decidet, non arescet. Lib. 4, *de Consolat. philos.*, prosa 3.

S. BONAV. 34. Quid in hac vita bonis moribus melius? nonne ad componendos mores omnis nobis scriptura est tradita, et omnis moralis philosophia? Serm. 2, *de S. Laurent.*

35. Modicis paulatim per incuriam subrepentibus maculis, tota morum congeries inquinatur. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 24.

36. Uniformitas morum, uniformitatem juvat et indicat animorum. *Ibid.*, cap. 29.

S. CYPRIANUS. 37. Popularis existimatio solet dominorum mores ex servorum moribus æstimare. *De duplici mart.*, cap. 2.

S. CYRILLUS ALEX. 38. Mores scelesti, voluntasque, quæ ad turpissima quæque præceps rapitur, merito puniuntur. Homil. 15, *de Festis paschal.*

39. Molles atque effœminati mores Sanctis haud congruunt. *Ibid.*, homil. 22.

S. DIADOCH. 40. Mali mores, honestis moribus usu virtutis facti obedientes, intereunt. *De perfect. spirit.*, cap. 93.

S. DOROTH. 41. Nihil pejus pravis moribus cum mala consuetudine. Doctrina 12.

S. EDMUNDUS. 42. Ille homo magna dignus est confusione, qui non vult vivere secundum suum gradum et conditionem. In *Speculo Eccles.*, cap. 6.

S. GREGOR. MAGNUS. 43. Arbitrantur se despici, qui bonorum mores despicere consueverunt. Lib. 14 *Moral.*, cap. 2, super illud Job XVIII : *Quare reputati sumus?*

44. Existunt qualitates morum, quæ certis vitiis sunt vicinæ : nam mores asperi, aut crudelitati, aut superbiæ solent esse conjuncti : mores autem blandi, et quam decet paulo amplius lætiores, nonnunquam luxuriæ et dissolutioni. *Ibid.*, cap. 7.

45. Quanto morum vita a rerum distat substantia, tanto gravior calumniator est, qui male vivendo vim infert alienis moribus. *Ibid.*, lib. 26, cap. 10.

46. Mirum valde est, cum in cordibus sublimium regnat humilitas morum. *Ibid.*, cap. 19.

47. Non verbis quæro prosperari, sed moribus. Lib. 7, in *registr.* indict. 1, cap. 30, epist. 30, *ad Eulogium episc. Alexandr.*

S. GREG. NAZ. 48. Moderati morès probandi sunt, non elati et fastuosi. Super *Eccles.*, cap. 7.

S. GREG NYS. 49. Cum natura hominis diviniorem adepta sit statum, ex moribus quisque suis effingitur. *De mortuis.*

S. HIERONYM. 50. Mores magis eligantur, quam vultuum elegantia. Epist. 8, *ad Demetriad.*

51. Mores dominarum plerumque ex ancillarum, et comitum moribus judicantur. *Ibid.*

52. Optimi sunt ad institutionem morum primi quique anni : habent in se lentum quiddam et molle, quod facile formari queat, atque ad arbitrium volentis trahi. Epist. 1, *ad Demetriad.*

53. Ad omnem morum perfectionem, mentis aciem intende, et ad cœleste præmium, cœlestem vitam para. *Ibid.*

54. Omne studium, omnisque cura, in ornandis moribus exhibenda est. Epist. 1, *ad Demetriad.*

55. Mores mutare, singulasque virtutes animi formare in se, atque perficere, grandis studii est, et longæ consuetudinis. *Ibid.*

HUGO A S. VICTORE. 56. Quod animus firmiter conservat, puritas mentis per bonos mores fideliter ordinat : quod moribus non convenit, discretio vera separat, removet, et expellit. *De animæ medicina*, cap. 8.

57. Morigerationis est, servata propria virtute, se juste pieque moribus secum commorantium contemperare. *De fructib. carnis et spiritus*, cap. 15.

HUGO CARD. 58. Mores boni bonum faciunt, mores mali malum reddunt. Super *Josue*, cap. 22.

59. Correctio morum in quinque consistit : In modestia verborum, in ordine gestuum exteriorum, in maturitate incessus, in verecundia vultus, in humilitate habitus. Super *Ecclesiastic.*, cap. 2.

60. Animi boni humores, boni mores sunt. Super *Epist. ad Titum.*, cap. 1.

61. Mores sæculares sub habitu religioso retinere satis turpe est, et monstro simile. *Prosec.*

62. Tales interius vivunt mundo, exterius mortui sunt, exterius lucent, interius fœtent : exterius sunt oves, interius sunt lupi rapaces. Super *Gen.*, cap. 31.

S. JOANNES CHRYSOST. 63. Multum valent virtus, et morum suavitas. Homil. 53, super *Gen.*

64. Hoc supremum philosophiæ culmen est, et Angelorum vita, ut cum prudens sis, nihil ficti, nihil simulati in tuis moribus adsciscas. Homil. 63, super *Matth. Oper. perf.*

JOAN. SARESB. 65. Longe præstantius est, moribus splendere, quam rebus. Lib. 5, *de Nugis curial.*, cap. 17.

JOAN. TRITH. 66. Difficile est senem mores suos corrigere : enimvero senectus mores habet, non accipit. *De Instit. vitæ sacerd.*, cap. 2.

67. Habet unaquæque gens mores suos, nec omnium est inter barbaros non barbare vivere. *Orat.* 5, in conventu Abbat. habita.

68. Mores longa consuetudine roborati, vix unquam mutantur. Epist. 10, *ad Nicol. presbyt. Mernicens.*

S. ISIDORUS HISPAL. 69. Sicut mali mores in bono colloquio corriguntur : ita bonos mores turpia colloquia corrumpunt. Lib. 2, *de Summo bono.*, cap. 29, sent. 5.

70. Deteriores sunt, qui sive doctrinis, seu exemplis, vitam moresque bonorum corrumpunt, his qui substantias aliorum prædiaque diripiunt. *Prosec.*

71. Hi enim ea quæ extra nos sunt, sed tamen nostra auferunt : corruptores vero morum, proprie nos ipsos diripiunt; quoniam divitiæ justorum, mores eorum sunt.

S. ISID. PEL. 72. Multum ergo distant damna morum, a damnis temporalium rerum : cum ista extra nos sint, mores vero in nobis. *Ibid.*, lib. 3, cap. 38, sent. 5.

73. Morum cum prudentia conjuncta tranquillitas, gravis atque constantis animi maximum argumentum est. Lib. 3, epist. 190, *ad Zenon. presbyt.*

S. LAURENT. JUSTNIAN. 74. Gratia indigent non mediocri, qui inveteratos cupiunt et volunt abolere mores. *De Casto connub.*, cap. 7.

PETR. BLES. 75. Mores a convictu trahuntur. Epist. 107, *ad Amic. suum.*

76. Melius est tibi domum tuam augere moribus, quam possessionibus. *Ibid.*, epist. 134, *ad Vuilhelm. electum.*

S. PETRUS CHRYSOLOG. 77. Si amicos morum facit imitatio, morum similitudo conjungit. Serm. 101.

S. PROSPER. 78. Mores ejus verecundia custos integritatis ornet, ut ei placeat quod ante sordebat, quando sordidus erat : et sordeat quod ante placebat, quando ipse bonis omnibus displicebat. Lib. 2, *de Vita contemplat.*, cap. 5.

SALVIANUS. 79. Pessimum hoc est, quod libentius omnes deteriora sectantur; et facilius mala institutio depravat bonos, quam bona emendet malos. *Ibid.*, lib. 7.

S. SIDONIUS EPISCOPUS. 80. Non sanctum est, ut de moribus amici cito perperam sentias, Lib. 1, epist. 11, *ad Montium.*

S. SYNESIUS EPISCOPUS. 81. Nulli æque mores Deo execrabiles sunt, ac famigeratoris, qui ex obscuro vulnus infligit. Epist. 44, *ad Joan.*

THALASSIUS 82. Similitudo morum vel bonorum, vel malorum, filios facit vel Dei, vel Satanæ. *Hecatontad.* 2, sent. 58.

S. THOMAS AQUINAS. 83. Illi mores dicuntur boni, qui rationi congruunt : mali autem, qui a ratione discordant. 1, 2, quæst. 100, art. 1.

THOMAS A KEMPIS. 84. Multi judicantur stulti, quia moribus sunt inculti. *In Hortulo Rosarum.*, cap. 9.

IN VIT. PATR. 85. Mores in animo vehementer corroborati, ægre expugnari atque obliterari possunt, verborumque potius blanditiis, quam vi commutantur. Lib. 1, *in Vita sanctorum Barlaam et Josaphat.*, cap. 33.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 86. Modicus situs, nota morum est optimorum. Lib. 1, *de Historia animal.*, cap. 10.

87. Mores hominum, corporum motionibus discernuntur. Lib. 4, *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 8.

88. Mores honestos aut pravos elucere necessum est in persecutione. Lib. 2, *Ethic. ad Eudomium.*

SENECA. 89. Pudeat cum animalibus permutasse mores. Lib. 2, *de Ira.*, cap. 31.

90. Sumuntur a conversantibus mores. Ebriosus convictores in amorem vini trahit; impudicorum cœtus fortem quoque et siliceum virum emollit; avaritia in proximos virus suum transfert. Lib. 3, *de Ira.*, cap. 7.

91. Civitatis mores magis corrigit parcitas animadversionum. Lib. 1, *de Clement. ad Neronem.*, cap. 21.

92. In mores fortuna jus non habet. Epist. 36.

93. Hoc habent inter cætera boni mores, placent sibi et permanent. Epist. 47.

94. Definit esse remedio locus, ubi quæ fuerant vitia, mores sunt. Epist. 39.

95. Non quidquid morale est, bonos mores facit. Epist. 121.

96. Mores alia aliter attingunt, quædam illos corrigunt et ordinant, quædam naturam eorum et originem scrutantur. *Ibid.*

97. Quomodo scies, qui mores habendi sunt, nisi quid homini sit optimum, inveneris; nisi naturam ejus inspexeris? *Ibid.*

SIXTUS PHILOSOPH. 98. Ut sunt mores tui, talis et vita tua. Sent. 317.

Vide etiam tit. *Derisio*, sent. 6; *Discordia*, sent 22; *Honor*, sent. 103, 105; *Juventus*, sent. 19; *Locutio*, sent. 130; *Mutatio*, sent. 53; *Nobilitas*, sent. 83; *Passio Christi*, sent. 77; *Persona*, sent. 11; *Pudicitia*, sent. 50; *Religiosus*, sent. 113; *Sanctitas*, sent. 86; *Sequi Christum*, sent. 108; *Tristitia*, sent. 25.

MORS in genere.

S. ANTONIUS DE PADUA. *Etymologia.* Mors est dicta a morsu primi hominis, quia vetitæ arboris pomum mordens, mortem incurrit. Serm. *Dom.* 5, *in Passione.*

HUGO CARD. *Definitio.* Mors bonorum non est, nisi acceleratio glorificationis, diruptio carceris, finis peregrinationis, portus navigationis, contritio laquei, depositio vetustæ vestis, induitio novæ, depositio ponderis, dejectio atrocissimi hostis, solutio debiti naturalis. Super *Prov.*, cap. III.

IDIOTA. Mors nihil aliud est, quam finis et defectus vitæ, quæ tamen non est aliquid positivum, sed privativum. Lib. 5, *Contempl. de morte*, cap. 1.

LACT. FIRM. Mors est naturæ animantium dissolutio. *De Divinis instit.*, lib. 2, *de Origine erroris*, cap. 13.

PETR. BLES. Mors nihil aliud est, quam peregrinationis terminus, finis miseriæ, laborum meta, exilii limes, janua patriæ, nativitas vitæ, principium beatitudinis, primitiæ præmiorum. Epist. 177, *ad Reginam quamdam.*

CICERO. Nihil aliud est mors (scilicet justorum) quam migratio ad cœlestes superasque sedes. *De Cons.*

PLATO. Mors est solutio et separatio animi a corpore. Sizygia 1, *in Dialogo Phædonis.*

SENECA. Mors omnium dolorum, et solutio est, et finis. *De Cons. ad Marciam.*, cap. 19.

S. AMBROS. *Divisio.* Triplex est mors : Una spiritualis, alia naturalis, tertia pœnalis; Una, cum morimur peccato, vivimus Deo; alia, est vitæ excessus; tertia, qua non solum caro, sed etiam anima moritur. In orat. *de Fide resurr.*

DIONYSIUS CARTHUS. Sicut triplex est vita, ut pote, vita naturæ, vita gratiæ, vitaque gloriæ : ita est triplex mors huic triplici vitæ opposita, videlicet, mors naturæ, mors culpæ, mors infernalis miseriæ. Super *Hymnos in Adventu. Dom. ad vesperas.* In illud : *Donans reis remedium.*

S.ISID.HISP. Tria sunt genera mortis : acerba, immatura, naturalis; acerba, infantium; immatura, juvenum; naturalis, senum. Lib. 11, *Etymolog.*, cap. 2.

PHILO JUD. Dicendum duplicem esse mortem; alteram hominis, alteram animæ. *Prosec.*

Hominis mors est, animæ e corpore separatio : animæ vero mors, corruptio virtutis, et assumptio vitii. Lib. 1, *Allegoriar.*

S. EUCHERIUS. *Comparatio.* Velut ex alto undarum jactus, aliis atque aliis supervenientibus, in littoris extrema franguntur; ita in terminum mortis succiduæ alliduntur ætates. *In Epist. Parænes. ad Valerian.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S.ALBERTUS MAGNUS. 1. Æstima te jam mortuum, quem non ambigis de necessitate moriturum. *De adhærendo Deo*, cap. 15.

S. AMBROSIUS. 2. Moriar innocens, ne moriar nocens. Lib. 3, *de Virgin.*

3. Justis mors, quietis est portus : nocentibus naufragium putatur. *De bono mortis*, cap. 8.

4. Mors est vitæ testimonium, stipendiorum plenitudo, summa mercedis, gratia missionis. *Ibid.*

5. Quis dubitet de bono mortis, cum id quod inquietum, id quod erubescendum, id quod inimicum nobis est, in quod violentum, id quod procellosum, et ad omnia vitia illecebrosum conquiescat et taceat, et quasi fervida cavea claudatur sepulchri? *Ibid.*, cap. 9,

6. Mors æqualis est omnibus, indiscreta pauperibus, inexcepta divitibus. In Orat. *de Fide resurr.*

7. Quam multi vitam solo mortis stimulo consecrarunt! quantos vivere puduit, mori profuit! *Ibid.*

8. Mors remedium est, non pœna : non enim peremptoria est, per quam non adimitur vita, sed ad meliora transfertur. Lib. 2, *de Caïn et Abel*, cap. 10.

9. Mors honesta, redemptio vitæ est, etiam decoloris, aut innoxiæ firmamentum. Super *Psalm.* XXXVII.

10. Mortuus præfertur viventi, quia peccare desinit : mortuo præfertur qui natus non est, quia peccare nescivit. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 18.

11. Sola virtus comes est defunctorum, sola sequitur misericordia. Lib. 7, super *Lucam*, cap. 12, in illud : *Hominis cujusdam divitis.*

12. Memoriam mortis a mente rejiciunt impii, ne tristis cogitatio lætitiam cordis eorum perturbet. Super *Apocalips.*, cap. 18.

S. ANSELM. 13. Hominem invitum mori, miserum est. Lib. 1, *Cur Deus*, cap. 9.

S. ANTONIN. 14. Apud mortem non est acceptio personarum, nec miseretur pupillo, nec defert seniori, nec timet potentem, nec veretur nobilem, nec horret pauperem, aut ignobilem : nec dimittit divitem, aut potentem : nec contemnit infirmum, aut debilem : nec evitat fortem, nec parcit sapienti, nec insipienti. Part. 4, tit. 14, cap. 8, § 1.

S. ANTONIUS DE PAD. 15. Mors justi est finis noctis, et initium diei, finis miseriæ et ingressus beatitudinis. Serm. *Dom.* 6, *post Pascha.*

S. ATHANAS. MAGNUS. 16. Non est justis mors, sed translatio : quippe qui transferuntur ex hoc mundo in vitam æternam. *De Virginit.*

S. AUGUST. 17. Certum est, quia morieris, sed incertum quomodo, vel quando, vel ubi : quoniam mors ubique te expectat, et tu si sapiens fueris, ubique eam expectabis. *De Spiritu et anima*, cap. 51.

18. Mors sicut nec sibi a quoquam sponte, nec cuiquam sponte inferenda est : ita Deo jubente recusanda non est, cujus constitutione quocumque tempore obeunda est. Lib. 7, super *Judic.*, quæst. 49.

19. Non illos amisimus, sed præmisimus, qui ex hac vita migrantes recesserunt. Epist. 6, *ad Italicam viduam.*

20. Quid interest quo mortis genere vita ista finiatur, quando ille cui finitur iterum mori non cogitur? Lib. 1, *de Civitate Dei*, cap. 11.

21. Mala mors putanda non est, quam bona vita præcesserit : neque enim facit malam mortem, nisi quod sequitur mortem. *Ibid.*

22. Non multum curandum est eis, qui necessario morituri sunt, quid accidat, ut moriantur, sed moriendo quo ire cogantur. *Ibid.*

23. Horrenda illa in genera mortium, quid mortuis obfuerunt, qui bene vixerunt? *Ibid.*

24. Mors illa in inferno potius æterna dicenda est, quam vita : nulla quippe major et pejor est mors, quam ubi non moritur mors. Lib. 6 *de Civit. Dei*, cap. 12.

25. Nunquam erit homini pejus in morte, quam ubi erit mors ipsa sine morte. *Ibid.*, lib. 13, cap. 11.

26. Tantum Deus fidei præstitit gratiam, ut mors (quam vitæ constat esse contrariam) instrumentum fieret, per quod transiretur ad vitam. *Ibid.*, cap. 4.

27. Quid hic certum est, nisi mors? quid sis hodie, hodie scis; quid futurus sis crastino, nescis. *Prosec.*

28. Quocumque te verteris, incerta omnia, sola mors certa. Pauper es, incertum est an ditescas. Indoctus, incertum est an erudiaris. Imbecillis, incertum est an convalescas. Natus es, certum est quia morieris; et in hoc ipso quia mors certa est, dies mortis incertus est : itaque hæc incerta. Ubi sola mors est certa, cujus etiam hora incerta, et sola multum cavetur, quæ nullo modo devitatur. Super *Psalm.* XXXVIII, vers 15 : *Verumtamen vane conturbatur.*

29. Nihil tam ad mortem amarum, quod morte Christi non sanetur. In *Manuali*, cap. 22.

30. Importuna mors mille modis quotidie miseros homines rapit : hunc necat febribus, illum opprimit doloribus; hunc consumit fame, illum siti extinguit; hunc suffocat aquis, illum interimit laqueo; illum perimit flammis, alium dentibus bestiarum ferocium vorat; hunc trucidat ferro; illum veneno corrumpit, alterum repentino terrore miseram vitam finire compellit. Lib. *Soliloq. animæ*, cap. 2.

31. Non potest male mori, qui bene vixerit. *De Disciplina christiana*, cap. 2.

32. Naufragio perire, gladio percuti, a bestiis laniari, mors mala tibi esse videtur : nonne has mortes Martyres subierunt? *Ibid.*

33. Disces bene mori, si didiceris bene vivere. *Ibid.*

34. Vocantur ante tempus boni, ne diutius vexentur a noxiis : mali vero et impii tolluntur, ne bonos diutius persequantur. *De Vita christiana*, cap. 5.

35. Male mori, Christianorum non est : bene autem mori, cum Christo vivere est. *Prosec.*

36. Mors enim finis malorum est, nutrix initiumque futuræ felicitatis est. Lib. 1, *de Visit. infirm.*, cap. 6.

37. Nulla doctrina sic superat superbiam, nec sic vincit malitiam, nec sic extinguit libidinem, nec sic mundi calcat vanitatem, sicut hominis horrendæ mortis recordatio. *De Speculo peccator.*, cap. 5.

38. Nemo potest stare, sed omnes cogimur transire : nolentes imus, inviti eximus, quia mali sumus. *De Verbis Dom.*, serm. 25.

39. Si tanta cura inest hominibus, ut quotidianis magnis perpetuisque laboribus cupiant ut tardius moriantur, quanta cura agendum est, ut nunquam moriantur. *Ibid.*, serm. 39.

40. Morere ut vivas, sepelire ut resurgas. *De Verbis Apostoli.*, serm. 15.

41. Quidquid egeris, quantumcumque invigilaveris, quocumque fugeris, quælibet munimenta quæsieris, quibuslibet divitiis te redemeris, quibuslibet calliditatibus hostem fefelleris, non fallis mortis febrem : nihil enim aliud agis, ut non cito ab hoste moriaris, nisi ut serius aliquando a febre moriaris. *Prosec.*

42. Habes quod agas ut nunquam moriaris : si times mortem, ama vitam; vita tua Deus est, vita tua Christus, vita tua Spiritus sanctus est. *Ibid.*, serm. 18.

43. Deus diem mortis incertum salubriter constituit, ut diem ultimum suum quisque salubriter cogitet. *Prosec.*

44. Misericordia Dei est, quia nescit homo quando moriatur : latet enim ultimus dies, ut observentur omnes dies. Homil. 13, *ex Quinquag. Hom.*

45. A regula mortis non etiam parcitur diviti. Serm. 48, *ad Fratres in eremo.*

46. Non voluntate vivimus aut morimur, sed necessitate. Lib. 3, *de Libero arbitrio*, cap. 3.

47. Diem mortis omnes quidem affuturum sciunt, et eum tamen omnes, aut pene omnes differre conantur; etiam qui post mortem se beatius credunt esse victuros. Epist. 120, cap. 6.

48. Ex quo incipit homo vivere, ex illo utique jam mori potest. In *Enchirid.*, cap. 86.

49. Mors hominis indicat eum sine morte futurum fuisse nisi peccasset. Lib. 6, *de Genesi ad lit.*, cap. 21, et 23.

50. Omnibus morientibus aperiuntur portæ mortis. *Annotat. in Job.*, cap. 38.

51. Nullus est moriens, nisi vivens : qui enim nondum anima caruit, adhuc vivit. *Prosec.*

52. Homo antequam mors veniat, non est moriens, sed vivens : cum vero mors venerit, mortuus erit, non moriens. Lib. 13, *de Civit. Dei*, cap. 9, et 11.

53. Cadunt corpora moriendo : nam a cadendo cadavera nuncupantur. *Ibid.*, lib. 20, cap. 10.

54. Prima immortalitas fuit, posse non mori; novissima erit, non posse mori. *Ibid.*, lib. 22, cap. 30.

55. Mors est pœna peccati. *Ibid.*, lib. 13, cap. 3.

56. Nihil est aliud tempus vitæ hujus, nisi cursus ad mortem. *Ibid.*, cap. 10.

57. Corporis mors bonis bona est, malis mala : mors vero animæ, sicut nullorum bonorum est, ita nulli bona. *Ibid.*, cap. 2.

58. Cras moriemur, sed non omnimodo moriemur, manet enim post mortem quod sequitur mortem : comes morienti, aut vita erit, aut pœna. *De Epicur. et Stoicis.*, cap. 6.

59. Damnatis sine fine mors est, non posse in cruciatibus mori. *De catechiz. rud.*, cap. 25.

60. Non est injustum homini justo optare mortem, quando amarissima est vita. Lib. 1, *contra Gaudentium*, cap. 30.

61. Mors peccatum sequitur, non præcedit. Lib. 2, *contra Julian. oper. imperfect.*, num. ultimo.

62. Mors cum sit supplicium peccatoris, bono mali usu accedente sit meritum martyris. Lib. 6, *contra Julianum*, cap. 18.

63. Laborat ne moriatur homo moriturus; et cum laborat ne moriatur, sine causa laborat : id enim agit ut multum mors differatur, non ut evadatur. Tractatu 49 super *Joann.*

64. Requiem, quæ continuo post motem datur, si ea dignus est, tunc accipit quisque cum moritur. *Ibid.*

65. Infirmitatis affectus, quo nemo vult mori, naturalis est. *Ibid.*, tractatu 123.

66. Quantumlibet diu mors differatur, veniet quod differtur. *Ibid.*, tractatu 43.

67. Ut mors evitetur, mors ipsa suscipitur. Homil. 50, *ex Quinquaginta Homiliis.*

S. BASILIUS MAGNUS. 68. Exitus et hinc decessus pretiosus est et illustris, non omnium hominum, sed eorum qui sancte et juste vitam hanc transegerunt. Super *Psalm.* CXV, conc. 17, vers. 5.

69. Vitam lucrari est, in dies cunctos mori. Apud *D. Joann. Damasc.*, lib. 3. *Parall.*, cap. 19.

S. BASILIUS SELEUC. 70. Mors viventes furatur, neque legem sibi præstitutam novit. Orat. 27.

S. BENEDIC. 71. Quis unquam exceptus est a conditione moriendi, qui non est exceptus a conditione nascendi? Serm. *de Morte S. Placidi.*

S. BERNARD. 72. Dura est conditio mortis, et idcirco rarus est qui velit mori. Serm. *ad Clerum Rhemens.*

73. Si moriturum aliquo modo vivificare valeas et negligis, procul dubio ejus mortis reus teneris. Serm. 4, super *Salve Regina.*

74. Nihil congruentius esse potest, quam ut mors operata sit mortem : spiritualis corporalem, culpabilis pœnalem, voluntaria necessariam, Serm. *ad Milites templi.*, cap. 11.

75. Quid in rebus humanis certius morte? quid hora mortis incertius invenitur? non miseretur inopiæ, non divitias reveretur, non generi cujuslibet, non moribus, non ipsi denique parcit ætati. Serm. *de Convers. ad Clericos*, cap. 14.

76. Senibus mors est in januis, adolescentibus in insidiis. *Ibid.*

77. Mors peccatorum mala est in amissione mundi, pejor in dissolutione carnis, pessima in tormentis inferni. Serm. 41, *de Parvis, serm.*

78. Mors bonorum optima, quoniam fit quis a labore, fit jucunditas de novitate, fit securitas de æternitate. *Ibid.*

79. Vita perversa, mors periculosa, et post mortem restat mors gravior, mors secunda. Serm. 2 *Pent.*

80. Quidni similiter exeat, qui similiter vixit? more bestiali incubuit terrenis, morte bestiali excedet terris. Serm. 82, super *Cant.*

81. Nil mortalibus vel morte certius, vel incertius hora mortis : justus mortem etsi non cavet, tamen non pavet. Epist. 105, *ad Romanæ curiæ subdiacon.*

82. Bona est mors justi propter requiem, melior propter novitatem, optima propter securitatem. *Ibid.*

83. Mala est mors peccatorum in mundi amissione, pejor in carnis separatione, pessima in vermis ignisque duplici contritione. *Ibid.*

84. Bona mors, si peccato moriaris, ut justitiæ vivas : hæc mors necesse est ut præcurrat, ut sequatur illa secura. *Ibid.*

85. Moritur quidem justus, sed secure; quippe cujus mors, ut præsentis est exitus vitæ, ita introitus melioris. *Ibid.*

86. Dum vivis in carne, morere mundo, ut post mortem carnis, Deo vivere incipias. *Ibid.*

87. Succedit bene morientibus jucunditas de novitate, ac de æternitate securitas. *Ibid.*

88. Certum est quod morieris, et incertum est quando, aut quomodo, aut ubi, quoniam ubique te mors expectat, tu quoque si sapiens fueris ubique eam expectabis. Lib. *Medit.*, cap. 3.

89. Summa philosophia est, assidua mortis meditatio. In *Speculo monachorum.*

90. Ideo Dominus voluit nobis horam ultimam esse incognitam, ut semper vigilantes simus suspensi : ut dum illam videre non possumus, quotidie nos ad illam præparemus. Serm. 55, *ad Sororem.*

91. Si diem mortis tuæ ad memoriam reduxeris, felix eris. *Ibid.*

92. Venturi exitus ignorantia hominibus est incerta : et dum quisque mori non arbitratur, confestim moritur. *Ibid.*, serm. 69.

93. Diabolis quos viventes accendit ad vitia, morientes subito nititur pertrahere ad tormenta. *Ibid.*

94. Dæmones suscipiunt animas malorum hominum in die mortis eorum, ut ipsi sint tortores in pœnis, qui fuerunt suasores in vitiis. *Ibid.*

95. Iniquus post mortem ducitur cruciandus, justus vero post laborem quiescit securus. *Ibid.*

ETIUS. 96. Omne mortalium genus in miseriam, mortis fine, labitur. Lib. 2, *de Consolat. philos.*, prosa 4.

BONAV. 97. Mori nos vult Deus, ut vivamus : quia viximus, ut moreremur. Collat. 27, super caput VI *Joannis,* in illud : *Quando mortui audient,* etc.

98. Animæ perfectorum statim post mortem evolant ad cœlum : animæ reproborum statim descendunt ad infernum. Serm. *de Animabus.*

99. Nihil tantum movet peccatorem ad emendandum suos defectus, et corrigendum peccata sua, quantum memoria mortis. Serm. 2 *Dom.* 11 *post Pent.*

100. Memoria mortis facit peccata fugere, mundum contemnere, seipsum despicere, vitam recte regere. Tit. 7 *diætæ,* cap. 1.

101. Raro accidit ut in morte mereatur divinam obtinere indulgentiam, qui dum sanus est et validus, Deum offendere non formidat. In collat., *de Contemptu sæculi.*

102. Considera frequenter, volve et revolve diligenter, quod mors non potest declinari, quod hora mortis non potest investigari, quod tempus a Deo præordinatum non potest immutari. In *Soliloquio,* cap. 3.

103. Incipiens peccator criminosus, moriendo mortem incipit; sed sapiens et virtuosus, moriendo mortem vincit. *Ibid.*

104. Bonorum mors est beata, mors vero peccatorum, infelix et misera. *Ibid.*

YPRIAN. 105. Non dignus est in morte accipere solatium, qui se in vita non cogitavit moriturum. Epist. *ad Antonianum.*

IADOCH. 106. Anima, quæ in sua erga Deum charitate hora mortis exultat, supra omnes acies dæmonum cum Angelis pacis sublimius fertur, veluti pennata spirituali charitate. *De perfect. spirit.*, cap. 100.

PHRÆM. 107. Mortem meditari bonum est ac utile, et anxie atque sollicite die nocteque cogitare, necessarium : qui enim semper mortis recordatur, raro aut nunquam peccabit. *De compunct. animi.*

EUCHERIUS. 108. Nihil ita quotidie homines ut mortem vident, nihil ita obliviscuntur ut mortem. In *Epist. parænetica ad Valerian.*

109. Non multum refert quando finiant vitam temporariam, qui transeunt in æternam. *Ibid.*

SEBIUS ARIENS. 110. Perrarum est, ut hominis, cujus semper mala fuit vita, bona sit mors. Epist. *ad Damas. pap. de Morte D. Hieron.*

111. Paratos nos inveniat extrema necessitas, quæ sæpe prævenit imparatos. *Prosec.* S. EUSEBIUS EMISSENUS.

112. Certam nobis imponat sollicitudinem, incerta conditio.

113. Quotidianus sit illius periculi metus, cujus nescitur incursus. Homil. 1, *ad Monach.*

114. Prima mors animæ, quam sibi homo intulit, secundæ mortis est causa : et secunda mors, quam Deus homini reddidit, primæ mortis est pœna. *Prosec.* S.FULGENT.

115. Et quia illam sibi homo injustus injuste intulit, illam a justo judice juste percepit. Lib. 1, *ad Monimum,* cap. 27.

116. Melius est miseræ vitæ tormenta et tribulationes et labores moriendo evadere, quam ad hæc nasci et sustinere. Super *Ecclesiasten,* cap. VII, in illud : *Melius est dies mortis.* GLOS. ORD.

117. Nulli ætati parcitur, quia mortis serpens callidissimus nec pueris miseretur, nec juvenes veretur, nec parcit senibus, omnem ætatem et dignitatem involvit. Super *Thren.*, cap. 5.

118. Dura mente abesse mors longe creditur, etiam cum sentitur. Lib. 8 *Moral.*, cap. 12, super illud *Job* 7 : *Et consumpti sunt.* S. GREGOR. MAGNUS.

119. Quamvis diu homo hic stare desideret, ipso tamen cursu mortalis vitæ impellitur, ut egrediatur. *Ibid.*, lib. 11, cap. 26, num. 11.

120. Facies hominis immutatur, cum ejus species morte atteritur. *Ibid.*, lib. 12, cap. 14, super illud *Job* 14 : *Immutabis faciem ejus.*

121. Qui considerat qualis erit in morte, semper fit timidus in operatione : atque unde in oculis suis jam quasi non vivit, inde veraciter in oculis sui Conditoris vivit. *Ibid.*, lib. 13, cap. 10, super illud *Job* 17 : *Dies mei breviabuntur.*

122. Perfecta vita est mortis meditatio, quam cum justi sollicite peragunt, culparum laqueos evadunt. *Ibid.*

123. Mors justorum, bonis est in adjutorium, malis in testimonium : ut inde perversi sine excusatione pereant, unde electi exemplum capiunt ut vivant. Homil. 35, super *Evang.*

124. Cogitandum valde est, quantum erit terribilis resolutionis hora, quis pavor mentis, quanta tunc omnium malorum memoria, quæ oblivio transactæ felicitatis, quæ formido et consideratio judicis. *Ibid.*, hom. 39.

125. Plerumque genus mortis, in alterius mortis consideratione levamen est. Lib. 8, in *registr.*, indict. 3, cap. 41, epist. 41, *ad Dominic. episc. Carthagin.*

126. Nihil homini facilius est quam mori : quot enim bellum consumpsit, terræ motus absorpsit, aut mare hausit, aut fera rapuit, aut S. GREG. NAZ.

ægritudo perdidit, aut mica strangulavit vilissima? Orat. 3, *de S. Lavacro.*

S. GREGOR. TAUMAT. 127. Nulla ars omnino et astutia invenietur, quæ mortis tempus repellat, ac velut exceptione submoveat. Super *Ecclesiasten*, cap. 8.

HESYCHIUS. 128. Optimus corporis et animæ pædagogus est, indelebilis memoria mortis. Centur. 1, sent. 94.

S. HIERONYM. 129. O mors! quæ fratres dividis, et amore sociatos, crudelis ac dura, dissocias. Epist. 3, *ad Heliodor.*

130. Platonis sententia est, omnem sapientium vitam meditationem esse mortis. *Prosec.*

131. Debemus igitur et nos animo præmeditari, quod aliquando futuri sumus, et quod velimus nolimus, abesse longius non potest. Epist. 3, *ad Heliodor.*

132. Aliud est conari, aliud agere, aliud vivere moriturum, aliud mori victurum : ille moriturus est ex gloria, iste moritur semper ad gloriam. *Ibid.*

133. Sentis ne quando robustæ ætatis, quando senex factus sis? quotidie morimur, quotidie commutamur, et tamen æternos nos esse credimus. *Prosec.*

134. Hoc ipsum quod dico, quod scribo, quod relego, quod emendo, de vita mea tollitur : quot puncta notarii, tot meorum damna sunt temporum. *Ibid.*

135. Juvenis quidem potest cito mori; sed senex diu vivere non potest. Epist. 16, *ad Principiam.*

136. Sciant omnes hominem Christo deditum posse mori, non posse superari. Epist. 52, *de Vita Malchi.*

137. Multo gravior expectata, quam illata mors est. *Ibid.*

138. Qui se recordatur quotidie esse moriturum, contemnit præsentia, et ad futura festinat. Epist. 17, *ad Cyprian.*

S. HILARIUS. 139. Cum pro Christo mori sit vita, quid ipse in mortis sacramento doluisse existimandus est, qui pro se morientibus vitam rependit? Lib. 10, *de Trinit.*

HUGO A S. VICTORE. 140. Tres sunt nuntii mortis : casus, infirmitas, senectus; casus dubia, infirmitas gravia; senectus certa denuntiat; casus mortem denuntiat latentem; infirmitas appetentem; senectus præsentem. Lib. 2, *de Claustro anim.*, cap. 15.

141. Mors nullius miseretur, nulli compatitur, omnibus æquatur, insperata venit, nulli parcit, corpus et animam separat, finis est laborum. Lib. 4, *de Propriet. rer.*, cap. 11.

HUGO CARD. 142. Triplex est mors, naturæ, culpæ, et gratiæ : in prima moritur caro, in secunda moritur anima, in tertia moritur totus homo. *Prosec.*

143. Prima separat animam a carne, secunda dividit gratiam a mente, tertia sejungit totum hominem a curis sæculi.

144. Prima est omnium, secunda malorum, tertia bonorum.

145. Mortui prima morte sepeliuntur in mundo, secundi in inferno, tertii in cœlo. Super *Gen.*, cap. 23.

146. Juvenes mortem habent a tergo, et senes ante oculos. *Ibid.*, cap. 27.

147. Mors nulli parcit, omnia domat, a nemine superatur, dilectos separat, et ab omnibus timetur. Super lib. *Judic.*, cap. 16.

148. Homo non tam cito incipit vivere, quam incipit mori. Super *Psalm.* LXXXIX.

149. Mors nihil aliud est, quam exitus de carcere, finis exilii, laboris consummatio, ad portum applicatio, peregrinationis finitio, oneris gravissimi, scilicet corporis, depositio, de equo furioso, id est de carne, descensio, de ruinosa domo liberatio, omnium ægritudinum terminatio, omnium periculorum evasio, omnium malorum consumptio, omnium vinculorum diruptio, debiti naturalis solutio, reditus ad patriam, ingressus ad gloriam. Super *Ecclesiasten*, cap. 7.

150. Mortis modus est subitus et imperceptibilis, nihilque certius est morte : hora autem mortis ac loco et modo nihil incertius. *Prosec.* IDIOTA.

151. Nescit enim homo finem suum, nec quantum ad tempus, nec quantum ad locum, nec quantum ad modum. Lib. 5, *Contemplat. de morte*, cap. 3.

152. Nihil tam revocat a peccato, quam frequens mortis cogitatio. *Ibid.*, cap. 4.

153. Nihil tantum valet ad domanda desideria, quantum cogitare qualis sit ipsa futura mors. *Ibid.*, cap. 4.

154. Prævidenda est mors, ne præoccupemur : bonorum, ut ad bonum animemur : malorum, ut in nostris affectibus temperemur. *Prosec.*

155. Si enim mortem cogitando prævideremus, minus sua percussio, cum ipsa venerit, nos gravabit. *Ibid.*, cap. 5.

156. Lucrum est mori homini, qui bona morte moritur : nam per bonam mortem commutat homo timorem in securitatem. *Ibid.*, cap. 6.

157. Semper morimur, semper ultimus dies primus et nunquam primus, dies ultimus deputatur, cum tamen semper ita vivere deceat, tanquam mori semper oporteat. *Prosec.* S. INNOC.

158. Tempus præterit, et mors appropinquat : semper enim futura nascuntur, semper præsentia moriuntur : et quidquid est præteritum, est mortuum totum.

159. Morimur ergo, dum vivimus semper; et

tunc tantum desinimus mori, cum desinimus vivere.

160. Melius est ergo mori vitæ, quam vivere morti : quia nihil est vita mortalis, nisi mors vivens.

161. Vita velociter fugit, et retineri non potest : mors autem instanter occurrit, et impediri non valet.

162. Hoc est ergo illud mirabile, quia quanto plus crescit, tanto magis decrescit : quia quanto plus vita procedit, tanto magis ad finem accedit. Lib. 1, *de Contemptu mundi*, cap. 22.

AN. CASS. 163. Necessitati subitæ mortis, vana spes immaturæ non præjudicat ætatis : quippe quæ infantes, pueros, adolescentes, pari ut senes sorte præripit. Collat. 21, *Abbat Theonæ*, cap. 8.

JOANNES
IRYSOST. 164. Est mors his, qui bene vivunt, translatio quædam ad meliora, a momentanea vita ad perpetuam et immortalem, finemque non habentem. Hom. 26, super *Gen.*

165. Mors nihil est, quam somnus et peregrinatio et transmigratio a deterioribus ad meliora. *Ibid.*, homil. 45.

166. Qui in peccatis moritur, miser est : etiamsi super lectum, etiamsi præsentibus amicis omnibus spiritum exhalet, semper miser est. *Prosec.*

167. Etiamsi domi suæ quispiam moriatur, et uxore et filiis præsentibus, et familiaribus et notis adstantibus, virtute autem careat, mala hujus mors est.

168. Etsi in aliena terra est, etsi humi jacens, etiamsi in latrones incidat, etiamsi a bestiis devoretur ; virtute autem præditus sit, pretiosa ejus mors erit. *Ibid.*, hom. 66.

169. Multo melius est mortem omnino despicere, quam eam effugere. Hom. 35, super *Matth. Oper. perfect.*

170. Pœna mortis quanto major fuerit, tanto illustriorem reddit patientem. *Ibid.*

171. Mori non est malum, sed male mori pessimum. *Ibid.*, hom. 36.

172. Sunt multi homines sic effecti, quasi nunquam morituri. Hom. 47, super *Acta Apost.*

173. Mors requies est, studiorum et curarum ad vitam pertinentium vacuitas. Hom. 1, in *dictum Apost. De dormientibus nolo vos*, etc.

174. Mortis tyrannis, et mors revera est illa, quando nunquam permittitur mortuus ad vitam reverti : quando vero post mortem vivendum erit, et vitam meliorem, non est mors illa, sed dormitio. Hom. 17, super *Epist. ad Hebr.*

175. Nihil aliud est mors, quam somnus, et migratio, et translatio, et requies, et tranquillus portus, et perturbationis liberatio, et a vitæ curis absolutio. Hom. 7, *ad populum Antiochenum.*

176. Mors indifferens est, et media. Non enim malum est mors, sed malum, si mortuus tormentis tradatur : neque est bonum mors, sed bonum, si defunctus sæculo cum Domino vivat. *Ibid.*, hom. 69.

177. Mors tranquillus est portus, vita præsens plena malis. *Ibid.*

178. Memoria mortis tecum semper quiescat, S. JOAN. CL.
tecumque simul evigilet. Grad. 15.

179. Mortis meditatio est continentiæ mater, pudicitiæ adjutrix, solitudinis quies, incentivorum confractio vitiorum, cogitationum turpium adversatrix, contritio animæ. *Ibid.*, grad. 26.

180. Cogitare debes, si jam mori deberes et JOAN. GERS.
occumbere, anne istud faceres, et an auderes mori in eo in quo te sentis statu ? *De sanctimonialib.*

181. Periculosum est in tali statu vivere, in JOAN. TRITH.
quo quis mori non velit. In cap. 4 *Regul. S. Bened.*, verbo *Ira.*

182. Qualis vis mori, talis vive : qualis vis inveniri in morte, talis esto in vita : nec in eo statu vivere præsumas, in quo mori non audes. *Ibid.*, in caput 7, gradu 12.

183. Scitote, quia mors quotidie properat, et singulis momentis pars vitæ non amplius reversura extinguitur. Lib. 1, hom. 7, *ad Monachos.*

184. Qualis mori vis, talis nunc vive : quia mala mors esse non poterit. quam vitæ bonæ integritas præcessit. *Ibid.*, homil. 25.

185. Secure moritur, cujus vita nullis hujus mundi voluptatibus inquinatur. *Ibid.*

186. Male non moritur, qui bene vixit : et raro bene moritur, qui semper male vixisse demonstratur. *Ibid.*

187. Secure moritur, qui bene vivit. *De vanit. et miser. hum. vitæ*, cap. 3.

188. Mors senibus in aperto imminet, juvenibus in insidiis latet. *Ibid.*, cap. 5.

189. Qualis inveniri, o homo, in mortis hora desideras, talis vivere omni tempore non omittas. *Ibid.*, cap. 6.

190. Omnis homo miser ; mors ergo felices facit ? Non facit, sed discernit : discernit inter felicem et miserum. *Ibid.*, cap. 7.

191. Quid si dives, si potens, si nobilis fuerit homo ? mors auctoritatem terrenæ potestatis non metuit, divitias non attendit, nobilitatem generis non pavescit. *Prosec.*

192. Pari in omnes fertur vindicta, rapere omnes sine personarum acceptione didicit, parcere nulli novit. *Ibid.*, cap. 8.

193. Quanto quisque diutius in mundo vixerit, tanto minus ad moriendum voluntarius erit. *Ibid.*

194. Nihil morte certius, nihil in humanis durius, nihil horribilius. *Ibid.*, cap. 9.

195. Mors honores non metuit, divitias non attendit, ætatem non discernit : una est omnibus, nemini parcit, neminem reveretur, voluntatem hominis non requirit, necessitatem omnibus indicit. *Prosec.*

196. Nulla ætas de morte secura est, nullum tempus tutum, locus nullus sub cœlo immunis : ætas hominem moriturum non excusat, tempus non liberat, locus non præservat. *Ibid.*, cap. 10.

S. ISID. HISP.

197. Venturi exitus ignorantia incerta est, et dum quisque mori non existimat, tollitur. *Prosec.*

198. Unde unusquisque festinet, ne in iniquitatibus suis rapiatur, simulque finiatur vita cum culpa. Lib. 3, *de Summo bono*, cap. 62, sent. 4.

199. Sæpe iniquus moriens, qui imitatione sua multos ad culpam traxerat delectatione peccati, multos a culpa revocat terrore tormenti. *Ibid.*, sentent. 7.

200. Quotidie dies ultimus appropinquat, quotidie ad finem tendimus, quotidie viam vitæ transimus. *Prosec.*

201. Ad mortem quotidie properamus, ad vitæ terminum quotidie tendimus, momentis decurrentibus ad finem ducimur.

202. Finis noster absconditus est nobis, venturi exitus ignorantia nobis incerta est : improvisus est mortis occursus, incertus eventus et finis omnium.

203. Dum nescimus, repente mors venit : dum non æstimamus, improvisi tollimur : dum ignoramus, repente subtrahimur. Lib. 1, *de Synonym.*

S. ISID. PEL.

204. Mors, viro requies. Lib. 3, epist. 12, *ad Theoctistum.*

205. Proborum virorum mortis somnus, molestiarum quidem finis est, malorum autem initium. *Ibid.*, epist. 311, *ad Danielem.*

LACT. FIRM.

206. Qualitas mortis ex vitæ ratione pendet : nam sicut ipsa vita bonum est, si cum virtute vivitur, malum si cum scelere : ita et mors ex præteritis vitæ actibus ponderanda est. Lib. 3, *de Divin. inst.*, cap. 19.

207. Nihil in morte nobiscum ferre possumus, nisi vitam bene atque innocenter actam. *Ibid.*, lib. 7, cap. 27.

S. LAURENT. JUSTINIAN.

208. Tot passibus quisque tendit ad mortem, quot diebus et horis vegetatur ad vitam. A qua profecto lege nullus cujuscumque sit dignitatis atque conditionis, excipitur. *De Regimine prælat.*, cap. 15.

209. Æquissime percutitur hac animadversione peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui dum viveret oblitus est Dei. *De contempt. mundi*, cap. 15.

S. LEO I.

210. Nunquam mors est morituro improvisa, nec in inordinatum incidit finem, qui se novit esse mortalem. Serm. 5, *de Jejun. septimi mensis.*

S. MACHAR. ÆGYPT. SENIOR.

211. Qui revera et strenue Christiani sunt, confidunt et gaudent migrantes e corpore. Homil. 5.

MINUT. FEL.

212. Quid post mortem impendeat, miseri dum adhuc vivitis considerate. In suo *Octavio.*

PETR. BLES.

213. Sit cogitatio vestra dies mortis : mors enim, quæ in insidiis junioribus est, vobis senioribus est in januis. Epist. 6, *Ad quemdam ludi magistr.*

214. Dulce est in amicorum amplexibus mori, charorum lachrymis excipi, cum suis progenitoribus sepeliri. *Ibid.*, epist. 46, *ad Richard. episc. Syracusan.*

215. Quanto recessimus longius a die nativitatis nostræ, tanto propinquiores mortis termino facti sumus. *Ibid.*, epist. 141, *ad Gualter. Rothomag. episc.*

216. Omnes morimur, et sicut aquæ, quæ non revertuntur, dilabimur. *Ibid.*, epist. 172, *ad Auditores.*

217. Mirabilis est ista regula mortalium, nunquam fallitur, et omnes fallit, fallacia videlicet veridica. *Ibid.*, epist. 173, *ad Quosdam.*

218. Nulla facundia, mortis imperio resistit. *Ibid.*

219. Habet humanæ conditionis fragilitas debita solvere certa morti. Hinc nescit importunæ mortis exactio quidquam debitum humanæ relinquere sorti, sine differentia, discretionis illud extorquens. *Ibid.*, epist. 178, *ad Reginam quamdam.*

220. Mortalitas et si pœna sit homini, tamen verius attendenti misericordia est. *Ibid.*, serm. 20 in *Litan.*

221. Cujus vita moritur in culpa, ejus mors vivet in pœna. Serm. 45.

222. Bonum est, bene vivere ; sed longe melius, bene mori : non tamen bene moritur, qui bene non vixerit. *Ibid.*, super *Job*, cap. 42.

PETR. CELL.

223. Naturalis homo subjacet mortalitati : non ex infirmitate creationis, sed ex pœna transgressionis. *Prosec.*

224. Nam posse non mori, habuit ex creatione : mori vero inevitabiliter, habet ex prævaricatione. *De Panibus.*, cap. 17.

S. PETRUS CHRYSOL.

225. Mori naturæ est, necesse est deperire. Mors antequam veniat, non est : cum autem venerit, venisse nescitur. Serm. 101.

226. Mors est desperationis domina, incredulitatis mater, germana corruptionis, inferni parens, diaboli conjunx, omnium malorum regina. Serm. 118.

227. Mors captivat, vastat, interficit omnes, quos natura præsentem perducit ad vitam. *Prosec.*

228. Ducit reges, trahit populos, gentes impellit, non divitiis redimi, non flecti precibus, non chrymis molliri, non viribus unquam potuit ista perari. *Ibid.*

. PETRUS AMIANUS. 229. O quam beate moritur, qui moriendo oritur : quam feliciter temporalem vitam finit, qui vivere perpetualiter incipit. Serm. 17, *De S. Vitale mart.*

230. Mors licet aliis sit incerta, procul dubio tamen senibus est propinqua. Opusc. 33.

HILO JUD. 231. Dicendum est duplicem esse mortem : alteram hominis, alteram animæ. Hominis mors, est animæ a corpore separatio; animæ vero mors, est corruptio virtutis, et assumptio vitii. Lib. 1, *legis Allegoric.*

232. Mors mala, quo diuturnior, eo gravior. *De præmiis et pœnis.*

233. Bonum virum non mori, sed abire, perspicuum est. Lib. *Quis rerum divinarum hæres sit.*

234. Est mors naturalis, et pœnalis. Naturalis est per quam anima separatur a corpore; pœnalis vero est cum anima e virtutis vita emoritur, et vivit in vita vitii. Lib. 1, *legis Allegoric.*

RUDENTIUS. 235. Nihil est pretiosius pro te, Christe, mori. In *Peristephano. De hymno sancti Quirini Martyr.*

ERTULLIAN. 236. Profectio est, quam putas mortem : non est lugendus, qui antecedit, sed plane desiderandus : cur enim immoderate fers abiisse, quem mox subsequeris? *De patient.*, cap. 9.

HOMAS KEMPIS. 237. Sic te in omni facto et cogitatu deberes tenere, quasi hodie esses moriturus. Lib. 1, *de Imit. Chr.*, cap. 23.

238. Si hodie mori non es paratus, quomodo cras eris? Cras est dies incerta, et quid scis si crastinum habebis. *Ibid.*

239. Quam felix et prudens, qui talis nunc nititur esse in vita, qualis optat inveniri in morte. *Ibid.*, sect. 4.

VALER. PISCOP. 240. Multos porta mortis recipit : quia ubi liberius pergitur, facilius pervenitur. Homil. 2, *de Arcta vita.*

241. Quid pretiosius esse potest illa morte, quæ in conflictu pugnæ hostilibus telis nescit cedere? *Ibid.*, homil. 15, *de Bono martyrii.*

242. Hoc est vere eximiæ virtutis indicium, persecutionis tempore, plus morti favere, quam vitæ. *Ibid.*

243. Nihil profecto liceret morti, si scirent miseri causas vitare pereundi. *Ibid.*, homil. 19.

BANUS IV PAPA. 244. Mors æterna, mors est sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu : quia mors illa semper vivit, et finis semper incipit, et defectus deficere nescit. Super *Psalm.* L, vers. 4.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

245. Omnium rerum nihil horribilius est morte, nam omnium rerum est extremum. Lib. 3, *Moral.*, cap. 6. ARISTOTEL.

246. Morte repentina noli gaudere malorum : CATO POET.
Felices obeunt, quorum sine crimine vita est.
Lib. 4, *Distich.*, metr. 93.

247. Vive memor mortis ut sis memor et salutis. In dictis *Sapient.*, ex Ausonio., dict. 2. CHILO LACEDÆMON.

248. Neque gravis mors forti viro potest accidere, neque immatura consulari, neque misera sapienti. Orat. 4, *pro Catilina.* CICERO.

249. Omnium rerum extremum, mors est. Lib. 6, epist. 21, *ad Toranium.*

250. Quasi poma ex arboribus cruda si sint, avelluntur : si matura et decocta, decidunt; sic vitam adolescentibus vis aufert, senibus maturitas. *De Senect.*

251. Non censeo lugendam esse mortem, quam immortalitas consequitur. *Ibid.*

252. Sine mortis meditatione tranquillo animo esse nemo potest. *Ibid.*

253. Moriendum certum est, et id incertum an hoc ipso die. *Ibid.*

254. Nihil morti similius, quam somnus. *Ibid.*

255. Sapientissimus quisque æquo animo moritur, stultissimus iniquissimo. *Ibid.*

256. Non me vixisse pœnitet, quoniam ita vixi, ut non frustra me natum existimem : et e vita ita discedo tanquam ex hospitio, non tanquam e domo : commorandi enim natura diversorium nobis, non habitandi dedit. *Ibid.*

257. Moriendum est omnibus, quæ enim nobis in vita potest esse jucunditas, cum dies et noctes cogitandum sit, jam jam esse moriendum. Lib. 1, *Tuscul. quæst.*

258. Quam optabiliter illud mortis iter jucundum esse debet, quo confecto nulla reliqua cura, nulla sollicitudo sit futura! *Ibid.*

259. Non miserabiliter vir clarus emoritur. *Ibid.*

260. Teneamus nullum esse malum, quod sit a natura datum hominibus, intelligamusque si mors malum sit, esse malum sempiternum : nam vitæ miseræ mors finis esse videtur, mors si est misera, finis nullus esse potest. *Ibid.*

261. Quanquam sensus abierit, tamen summis bonis laudis et gloriæ (quamvis non sentiant mortui) non carebunt. *Ibid.*

262. Non tam cumulus bonorum jucundus esse potest, quam molesta decessio. *Ibid.*

263. Cum supremus ille dies mortis non extinctionem, sed commutationem affert loci, quid illo optabilius? *Ibid.*

MIMUS PUBL. 264. Bis mori est, alterius arbitrio mori. In suis *sent.* sent. 41.

265. Cujus mortem amici expectant, vitam oderunt. *Ibid.*, sent. 74.

266. Est honesta turpitudo, pro bona causa mori. *Ibid.*, sent. 161.

267. Mori necesse est, sed non quoties volueris. *Ibid.*, sent. 229.

PLATO. 268. Mors est omnium bonorum maximum, et tamen mortem pertimescunt homines, quasi recte nossent illam omnium malorum esse maximum. Sizygia 1, in *Apolog.*

269. Difficile est mortem effugere, sed sane difficilius est ejus improbitatem evitare. *Ibid.*

270. Non prius mortem sibi consciscere oportet, quam necessitatem aliquam Deus immiserit. Sizygia 1, in *Dialogo Phædonis.*

271. Post mortem longe melius est bonis, quam malis. *Ibid.*

272. Qui philosophiæ studium recte amplexi sunt, se hanc unam in rem omni animi intentione tota vita incumbunt, ut de morte cogitent : cum vero mors ipsa accesserit, absurdum est omnino hac de re eos indignari. *Ibid.*

273. Idoneum argumentum est, eum quem moriturum indignantem conspexeris, minime esse φιλόσοφον sed φιλοσώματον: id est non sapientiæ, sed corporis studio teneri. *Ibid.*

274. Si purus animus decesserit, nihil a corporis contagione secum trahens, ad divinum quoddam et immortale proficiscitur, quo cum pervenerit, omnino felix evadit. *Ibid.*

275. Cum ex humilibus magnos et insignès viros evasisse conspicatus es, eos in morte e miseria in magnam felicitatem conscendisse putes. Sizygia 4, lib. 10, *de Legibus.*

276. A malis mors abducit, non a bonis. Sizygia 6, in *Dialogo Axiochi.*

PLIN. II. 277. Magni viri mortalitas magis finita, quam vita est : vivit enim, vivetque semper. Lib. 2, epist. 1 *ad Rom.*

278. Mihi videtur acerba semper, et immatura mors eorum, qui immortale aliquid parant. Lib. 5, epist. 5, *ad Maxim.*

279. Qui posteros cogitant, et memoriam suis operibus extendunt, his nulla mors repentina est. *Ibid.*

280. Dum suppetit vita enitamur, ut mors quam paucissima, quæ abolere possit, inveniat. *Ibid.*

SENECA. 281. Nulli natura in æternum spiritum dedit, statutaque nascentibus in finem vitæ dies est. *Suasor.* 2.

282. Omne tempus, omnis vos locus doceat, quam facile sit renuntiare naturæ. *De divina Provid.*, cap. 6.

283. Nulla res magis proderit, quam cogitatio mortalitatis. Lib. 3, *de Ira.*, cap. 42.

284. Ultimum malorum est, ex vivorum numero exire, antequam moriaris. *De tranquill. animi*, cap. 3.

285. Male vivet, quisquis nesciet bene mori. *Ibid.*, cap. 11.

286. Vivere tota vita discendum est; et quod magis fortasse miraberis, tota vita discendum est mori. *De Brevit. vitæ.*, cap. 7.

287. Tu occupatus es, vita festinat : mors interim aderit, cui, velis nolis, vacandum est. *Ibid.*

288. Erras, non perdidit lucem frater tuus, sed securiorem sortitus est : non reliquit ille nos, sed antecessit. *De Consolat. ad Polybium*, cap. 28.

289. Quid est novi hominem mori, cujus tota vita nihil aliud, quam ad mortem iter est? *Ibid.*, cap. 30.

290. Quisquis ad vitam editur, ad mortem destinatur. *Ibid.*

291. Nihil de hodierna die promittitur, nihil de hac hora : instat a tergo mors, quæ rapina rerum omnium est. *De Consolat. ad Marciam.*, cap. 10.

292. Nemo nimis cito moritur, qui victurus diutius, quam vixit, non fuit. *Prosec.*

293. Fixus est cuique terminus, manebit semper ubi positus est; nec ullum ulterius diligentia aut gratia promovebit. *Ibid.*, cap. 20.

294. Infantiam in se pueritia convertit, pueritiam pubertas, juventutem senectus, senectutem mors abstulit. *Ibid.*, cap. 20.

295. Nunquam magnis ingeniis chara in corpore mora est : exire atque erumpere gestiunt, ægre has angustias ferunt, vagi per omne sublime, et ex alto assueti humana despicere. *Ibid.*, cap. 23.

296. Si quid te vetat bene vivere, bene mori non vetat. Epist. 17.

297. Pejores morimur, quam nascimur. Epist. 22.

198. Percepit sapientiam, si quis tam securus moritur, quam nascitur. *Ibid.*

299. Quid est turpius, quam in ipso limine securitatis esse sollicitum? causa autem hæc est, quod inanes omnium bonorum sumus, quorum in fine vitæ desiderio laboramus. *Ibid.*

300. Non potest stare paratus ad mortem, qui modo incipit vivere, et non incipit mori. Epist. 13.

301. Si moriar, desinam ægrotare posse, desinam alligari posse, desinam mori posse. Epist. 24.

302. Mors nos aut consumit, aut emittit. *Ibid.*

303. Quotidie morimur; quotidie enim demitur aliqua pars vitæ : et tunc quoque cum crescimus, vita decrescit : infantiam amisimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam, usque ad hes-

ternum quidquid transit temporis, perit : hunc ipsum, quem agimus diem, cum morte dividimus. *Ibid.*

304. Vir fortis ac sapiens non fugere debet e vita, sed exire. *Ibid.*

305. Incertum est, quo te loco mors expectet, itaque tu illam omni loco expecta. Epist. 26.

306. Meditare mortem. Egregia res est, mortem condiscere : supervacuum forsitan putas, id discere quo semel utendum est? *Prosec.*

307. Hoc est ipsum, quare meditari debeamus : semper discendum est, quod an sciamus, experiri non possumus. *Ibid.*

308. Hoc tibi ante diem mortis præsta, ut moriantur in te vitia. Epist. 27.

309. Nihil habet quod speret, quem senectus ducit ad mortem. Epist. 30.

310. Puto fortiorem eum esse, qui in ipsa morte est, quam qui circa mortem est. *Ibid.*

311. Mortem venientem nemo hilaris excipit, nisi qui se ad illam diu composuerit. *Ibid.*

312. Mors me sequitur, fugit vita. Epist. 49.

313. In omni loco æque tenue intervallum est, ubique se mors tam prope ostendit, ubique tam prope est. Epist. 49.

314. Ante senectutem curavi, ut bene viverem : in senectute curo, ut bene moriar. *Prosec.*

315. Bene autem mori, est libenter mori. Epist. 61.

316. Nescio quo hinc iturus sim, quæ sedes expectet animam solutam legibus servitutis humanæ. Epist. 65.

317. Nihil est clausum, cui non mors aperta non sit. Epist. 66.

318. Meditare mortem. Bella res est, mori sua morte : illud tecum cogites, nemo nisi suo die moritur : nihil perdis ex tuo tempore, nam quod relinquis, alienum est. Epist. 69.

319. Citius mori, vel tardius, ad rem non pertinet : bene mori aut male, ad rem pertinet. *Prosec.*

320. Bene autem mori est effugere male vivendi periculum. Epist. 70.

321. Nihil melius æterna lex fecit, quam quod unum, introitum nobis ad vitam dedit, exitus multos. *Ibid.*

322. Quid stultius, quam fastidiose mori? *Ibid.*

323. Ubicumque desines, si bene desinis, sed et fortiter desinendum : non est res magna vivere (omnes servi tui vivunt, omnia animalia), sed magnum est honeste mori, prudenter, fortiter. Epist. 77.

324. Vita, si moriendi virtus abest, servitus est. *Ibid.*

325. Sæpe debemus mori, nec volumus : morimur, nec volumus. *Ibid.*

326. Nemo tam imperitus est, ut nesciat sibi quandoque moriendum : tamen cum prope accesserit, tergiversatur, tremit, plorat. *Prosec.*

327. Nonne tibi videbitur stultissimus omnium, qui fleverit quod ante annos mille non vixerat? æque stultus est, qui flet quod post annos mille non vivet.

328. Hæc paria sunt : non eris, nec fuisti, utrumque tempus alienum est. In hoc punctum conjectus es ; quod ut extendas, quousque extendes? quid fles? quid optas? perdis operam : rata et fixa sunt, atque magna et æterna necessitate ducuntur eo ibis, quo omnia eunt.

329. Quod tibi novum est? ad hanc legem natus es : hoc patri tuo accidit hoc matri, hoc majoribus, hoc omnibus ante te, hoc omnibus post te. *Ibid.*

330. Non morbi hunc mortis esse, sed naturæ metum credas : morieris, non quia ægrotas, sed quia vivis. Epist. 78.

331. Si contra mortem te præparaveris, faciet te firmum assidua meditatio. Epist. 82.

332. Mors non est gloriosa, sed fortiter mori, gloriosum est. Epist. 82.

333. Magna exercitatione durandus est animus, ut conspectum mortis, accessumque patiatur : mors contemni debet, magis quam solet. *Ibid.*

334. Æquat omnes cinis, impares nascimur, pares morimur. Epist. 91.

335. Quid interest, quam cito exeas, unde utique exeundum est? non ut diu vivamus curamus, sed ut satis. Epist. 92.

336. Ille obiit viridis, sed officis boni quod executus est : in nulla parte cessavit, licet ejus ætas imperfecta sit, vita perfecta est. Epist. 92.

337. Mors per omnes it : qui occidit, sequitur occisum : quid ad rem pertinet, quamdiu vites, quod evitare non possis? *Ibid.*

338. Cui nasci contingit, mori restat : intervallis distinguimur, exitu æquamur. Epist. 99.

339. Semper ad latus mors est; et nemo scit, quam prope versetur. Epist. 101.

340. Effugere mortem non potes, contemnere potes : contemnes autem, si sæpe cogitaveris. Epist. 107.

341. Sic vivamus, sic loquamur, ut paratos nos inveniat atque impigros fatum. *Ibid.*

342. Quidquid facies, respice ad mortem. Epist. 114.

343. Nihil mihi videtur turpius, quam optare mortem. Epist. 117.

344. Scit quo exiturus sit, qui unde venerit meminit. Epist. 120.

345. Mors malum non est, quid quereris? sola jus æquumque generis humani. Epist. 123.

346. Multos vitam differentes, mors juncta prævenit : itaque omnis dies velut ultimus judicetur. *De Moribus.*

347. Mors omnia abscindit : alia nos torquent, mors omnia devorat. *De remediis fortuitor.*

348. Si fortuna tibi palam mortem minetur, omnes terriculas ejus deludas. *Ibid.*

349. Morieris. Ista hominis natura est, non pœna. *Prosec.*

350. Morieris. Hac conditione intrasti, ut exires.

351. Morieris. Gentium jus est, quod acceperis reddere.

352. Morieris. Peregrinatio est vita; multum cum deambulaveris, demum redeundum est.

353. Morieris. Nascenti tibi natura protinus hunc posuit terminum.

354. Morieris. Stultum est timere, quod vitare non possis : istud non effugit, etiam qui distulit.

355. Morieris. Nec primus, nec ultimus : multi te antecesserunt, omnes sequentur.

356. Morieris. Hic est humani officii finis, ad hanc conditionem cuncta gignuntur.

357. Morieris. Nihil grave est, quod semel est.

358. Morieris. Nemo hac re melius mortalibus minari potest. *De remediis fortuitor.*

359. Mori est felicis, antequam mortem invocet. In suis *Proverb.*

SIXTUS PHILOSOPH. 360. Beatus vir, cujus animam nemo reprehendit, ad Deum euntem. Sent. 35.

361. Mortis quidem ipse tibi causa non fias : si quis autem vult te corpore exuere, ne indigneris. *Ibid.*, sent. 312.

362. Animam mors non perdit, sed mala vita. *Ibid.*, sent. 384.

363. Mors religiosi, facit vitam beatam. *Ibid.* sent. 317.

THALES PHILOSOPH. 364. Vita perit, mortis gloria non moritur. In *dictis sapient.*, ex Ausonio, dict. 2.

TRISMEGIST. 365. Digni morte sunt ii, qui in morte jacent. *De potest. et sap. Dei,* cui titulus *Pimander,* cap. 1.

366. Mors efficitur dissolutione corporis : moritur enim corpus, quando hominis vitalia ferre posse destiterit : est ergo mors corporis dissolutio, et corporis sensus interitus. *De volunt. divina,* cui tit. *Asclepius.*, cap. 10.

VALERIUS MAXIMUS. 367. Sicut certum est, mori neminem solere, qui non vixerit : ita nec vivere aliquem posse, qui non sit moriturus. Lib. 5, *Dictor. memorabil.*, cap. 10.

Vide etiam tit. *Anima,* sent. 239; *Consideratio in genere,* sent. 29; *Detractio,* sent. 97; *Dilatio,* sent. 14, 15; *Fatum,* sent. 71; *Felicitas,* sent. 98; *Martyrium,* sent. 28, 33, 44, 106; *Meditatio,* sent. 86, 90; *Monachus,* sent. 145; *Motus,* 72; *Necessitas,* sent. 11; *Nocumentum,* sent. 2; *Peccatum in genere,* sent. 11, 12; *Sanctitas,* sent. 16, 18; *Superbia,* sent. 83; *Timor mortis,* per totum; *Virorum encomia,* sent. 71; *Vita humana,* sent. 75.

MORS CHRISTI.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Passio Christi nostra redemptio est, mors Christi vita nostra est. Serm. 56, *de Cruce Christi.* S. AMBROSIUS.

2. Christus mortis malo, quo nos exuere vellet, indutus est. *De Moribus Eccles.*, cap. 2. S. AUGUST.

3. Nos immortalitate male usi sumus, ut moreremur : Christus mortalitate bene usus est, ut viveremus. Lib. 1, *de Doctrina christ.*, cap. 14.

4. Christus in cruce mortuus est, ne quisquam aliquod genus mortis, quod homines ignominiosum arbitrantur, horreret. *De fide et symbolo,* cap. 5.

5. Christus resurrexit nunquam moriturus, ne ab illo quisquam sic disceret mortem contemnere, quasi nunquam victurus. *De catechiz. rudib.*, cap. 22.

6. Christus mortuus est, qui mortuos suscitavit. *Ibid.*

7. Non habebat Christus quare moreretur, et mortuus est : tu habes quare, et mori dedignaris. Tract. 3, super *Joan.*

8. Vita æterna mori voluit, sed de tuo, non de suo : accepit a te ubi moreretur pro te. *Ibid.*, tract. 26.

9. Morte Christi pejus nihil fuit, inter omnia genera mortium : mors protendebatur, ne dolor citius finiretur. *Ibid.*, tract. 36.

10. Passurus Christus exitia, præmisit obsequia, non solum eis pro quibus erat subiturus mortem, sed etiam illi qui eum fuerat traditurus ad mortem. *Ibid.*, tract. 55.

11. Non est mors Christi nostrorum gloria meritorum, sed medicina morborum. *Ibid.*, tract. 110.

12. Dignare æquo animo pati per meritum tuum, quod Christus pati dignatus est, ut te a sempiterna morte liberaret. *Ibid.*, tract. 3.

13. Assumpsit vita mortem, ut vita occideret mortem. *Ibid.*, tract. 26.

14. Christus mortem nostram moriendo destruxit, et vitam resurgendo reparavit. Lib. *Medit.*, cap. 15.

15. Nihil tam ad mortem amarum, quod morte Christi non sanetur. In *Manuali,* cap. 22.

16. Occiditur ad tempus vita, ut in perpetuum a vita occideretur mors. *De quatuor virt. charit.*

17. Extremum moriendi genus elegit Christus, ut nullam mortem martyres formidarent. Apud divum Bonavent. Serm. 6, in *Parasc.*

18. Ecce pro mendace veritas necatur, addicitur innocentia pro reo, moritur vita pro mortuo. Serm. 1, *Dom. in Ramis*.

19. Triumphavit Christus de morte, quam diabolus propinaverat per astutias suas homini : sed ut occideret mortem, vestitus est morte; non potuit mors mori, nisi in vita. Homil. 35, *Ex quinquag. homil.*, cap. 3.

20. Illi sunt a mortis vinculo liberi, pro quibus mortuus est inter mortuos liber. Lib. 6, *contra Julian.*, cap. 15.

21. Nolite timere cruces et mortem, quia si nocerent homini, non ea pateretur homo, quem suscepit Filius Dei. *De Agone christiano*, cap. 11.

22. Mors Christi non diminutio est divinitatis, sed depositio corporis : non defectio Deitatis ipsius, sed separatio carnis ipsius. *Contra serm. Arian.*, cap. 9.

23. Christus commendans dilectionem suam in eos, quibus erat daturus indebitam vitam, pati pro eis voluit indebitam mortem. Lib. 4, *ad Bonifac.*, cap. 4.

24. Christus humilitate nostræ mortalitatis indutus, et a peccatoribus et pro peccatoribus mortuus est. *De catechiz. rud.*, cap. 17.

25. Christus ideo solvere potuit moriendo peccata, quia mortuus est et non pro suo peccato. Lib. 10, *de Civit. Dei*, cap. 24.

26. Christus habuit pro nobis moriendi non necessitatem, sed potestatem. *Ibid.*, lib. 13, cap. 23.

27. Mortuus est Christus duobus Geminis Consulibus octavo Kalendas Aprilis. *Ibid.*, lib. 18, cap. 54.

28. Christus non pro nullis, sed pro impiis mortuus est, ut justificarentur. Epist. 105.

29. Mortuus est Christus non discedente vita, sicut passus est non pereunte potentia. *Contra Felician.*, cap. 14.

30. Credo mortuum esse Filium Dei, non secundum pœnam injustitiæ, quam ex toto non habuit, sed secundum legem naturæ quam pro humani generis redemptione suscepit. *Ibid.*, cap. 18.

31. Parva erat pro nobis Dei nostri humilitas in nascendo, accessit etiam ut mori pro mortalibus dignaretur. *De Fide et symbolo.*, cap. 5.

32. Christus non mortuus est pro fidelibus, sed mortuus est ut faceret fideles. Homil. 6, *Ex quinquag. homil.*

33. Descendit Christus et mortuus est, et ipsa morte liberavit nos a morte : morte occisus mortem occidit. Tract. 12, super *Joan.*

34. Nonne vita Christus? et tamen mortuus est Christus : sed in morte Christi mors mortua est, quia vita mortua occidit mortem. *Ibid.*

35. Crede in Christum factum propter te mortalem, ut illum capias immortalem. Vivebat, moriebaris : mortuus est, ut vivas; bibit mortem, ne mors biberet hominem, *Ibid.*, tract. 14.

36. Christus voluntate et potestate, non necessitate natus, et mortuus est. *Ibid.*, tract. 37.

37. Christi fides, morte ejus firmata est. *Ibid.*, tract. 52.

38. Christus mortuus est, quando voluit. *Ibid.*, tract. 119.

39. Ideo in carne venit Christus, ut moreretur pro nobis. Tract. 6, super *Epistolam Joan.*

40. Nusquam legi in divinis auctoritatibus mortuum esse Christum pro eis, qui nullum omnino habuerunt peccatum. Lib. 6, *contra Julian.*, cap. 4.

S. BERNARD.

41. Non morior necessitate peccati, sed obedientiæ voluntate. *De natura et gratia*, cap. 24.

42. Mors in Christi morte fugatur. Serm. *ad Milites templi*, cap. 11.

43. Quanto sane indignius moritur, qui mortem non meruerit, tanto is justius pro quo moritur, vivit. *Ibid.*

44. Christus cum homo esset, potuit mori : cum justus, non debuit. *Ibid.*

45. Vita Christi, vivendi regula extitit : mors, a morte redemptio. Illa vitam instruxit, mortem ista destruxit; vita laboriosa, sed mors pretiosa, utraque vero admodum necessaria. *Prosec.*

46. Quid enim Christi prodesse poterat sive mors nequiter viventi, sive vita damnabiliter morienti?

47. Nunc ergo quia utrumque nobis pariter necessarium erat, et pie vivere, et secure mori : et vivendo vivere docuit, et mortem moriendo securam reddidit. *Ibid.*

S. BONAV.

48. Christus, ut viveres, mori voluit. Epist., *ad Quemdam.*

CASSIODOR.

49. Turpe est, et valde alienum, immo contra naturam, ut sub capite moriente, membrum vita non careat. Serm. 2, *De plur. Mart.*

50. Nulla mors sanctæ Majestati melius convenire potuit, nisi quæ nobis perfectæ salutis indicia dereliquit. Super *Psalm.* XXI, vers. 18, *Foderunt manus meas*, etc.

51. Res vetusta erat, ut homo moreretur; quod ne semper valeret in homine, res nova facta est, ut Deus moreretur. *Ibid.*

52. Redemptor noster ut a morte potuissemus eripi, ipse magis elegit occidi. Super *Psalm.* XXVII.

S. CYPRIAN.

53. O vere miranda et divina commutatio! accepit necem, reddidit salutem : pertulit injurias, tribuit honores : dolorem sumpsit, contulit sospitatem. Super *Psalm.* XXX., vers. 1.

54. Tu morti imperas, et absorpta eliditur,

inanescit corruptio, ubi æger (te medente) sanatur. *Prosec.*

55. Gustasti mortem pro filiis hominum, ut qui tecum mortui erant, tecum viverent. *De Resurr. Christi.*

S. CYRIL. HIEROSOL. 56. Non coacte Christus reliquit vitam, non violenter mortuus est, sed voluntate sua. *Cateches.* 13.

S. EUSEBIUS EMISSENUS. 57. Nos Christi mors vivificavit, nos Resurrectio erexit, nos Ascensio consecravit. Homil. 2, *de Ascens.*

GLOSS. ORD. 58. Mirum quid! mors erat arma, per quæ vincebat diabolus, et per eam victus est a Christo. Super *Epist., ad Hebr.* cap. 2, in illud : *Ut per mortem destrueret eum.*

S. GREGOR. MAGNUS. 59. Redemptor noster suscepit mortem, ne mori timeremus. Lib. 14 *Moral.*, cap. 29. Super illud *Job* 19 : *De terra surrecturus sum.*

60. Si Christus ipse indebitam mortem non suscepisset, nunquam nos a debita morte liberasset. *Ibid.*, lib. 17, cap. 16. Super illud *Job.* 2 : *Commovisti me adversus eum*, etc.

61. Dominus noster pro nobis mortem solvit indebitam, ut nobis mors debita non noceret. *Ibid.*, lib. 3, cap. 11. Super illud *Job* 26 : *In fortitudine illius*, etc.

62. Christus moriendo docuit mortem non metui, resurgendo docuit de vita confidi, ascendendo de cœlestis patriæ hæreditate gloriari. Lib. 27 *Moral.*

63. Redemptor noster suscepit mortem, ne mori timeremus. *Ibid.*, lib. 14, cap. 27.

64. Redemptor noster moriendo, mortem superavit, eamque resurgendo consumpsit. Homil. 29, super *Evang.*

S. GREG. NAZ. 65. Agnoscamus mysterii virtutem, et qua gratia Christus sit mortuus. Serm. *de Paschate et ignoscenda obsequendi tarditate.*

HAYMO. 66. Mortem assumpsit vita æterna, mori voluit : sed de tuo, o homo, non de suo : accepit a te ut moreretur pro te, assumpsit ergo vita mortem, ut vita occideret mortem. Serm. 2, *fer.* 4 *Pentecost.*

S. HILARIUS. 67. Unigenitus Deus ad peragendum in se mortis suæ sacramentum, cum poto aceto consummasse se omne humanarum passionum opus testatus esset, inclinato capite tradidit spiritum. Lib. 10, *de Trin.*

HUG. A S. VICTORE. 68. Christus descendit, suscepit, sustinuit, vicit, restauravit. Descendit ad mortem, suscepit mortalitatem, sustinuit passionem, vicit mortem, restauravit hominem. In *Soliloquio de Arrha animæ.*

69. Nulla dilectio major, nullus amor sincerior, nulla charitas sanctior, nullus affectus ardentior : mortuus est Christus pro me innocens, nihil in me quod amaret inveniens. *Ibid.*

S. JOANNES CHRYSOST. 70. Omnis gloria Dei, et omnis salus hominum, in Christi morte posita est. Homil. 35, super *Matth. oper. imperf.*

71. Nulla est res, quæ amplius ad salutem hominum pertineat, quam mors Christi. *Ibid.*

72. Origo rerum, auctor naturæ, quare nasci voluit, nisi quia mori voluit? Serm. 6, *in fer.* 5, *Passion.*

73. Christus ipsam libens mortem suorum suscipit ad salutem, ut majorem contemptu mortis, quam de ipso hoste victoriam referat et triumphum. *Ibid.*

74. Christus de Deitatis secreto ad nostram servitutem venit. Ut nos suæ redderet libertati, nostram mortem suscepit, ut nos ejus morte viveremus. *Ibid.*

75. Christus se pro suis, dat pœnis, corpus objectat morti, ut illos neci subtrahat, illos reservet ad vitam. *Ibid.*

76. Mortuus est Christus, ut tibi immortalitatem donaret. Homil. *de Cruce Domini.*

S. IRENÆUS. 77. Mors Domini eorum quidem, qui Cruci eum fixerunt, et non crediderunt ejus adventum, damnatio est : salvatio vero eorum, qui credunt in eum. Lib. 4, *Advers. hæres.*, cap. 47.

78. Usque ad mortem Christus pervenit, ut sit primogenitus ex mortuis : ipse primatum tenens in omnibus, princeps vitæ, prior omnium, et præcedens omnes. *Ibid.*, lib. 2, cap. 39.

79. Propter hoc Christus mortuus est, ut liberos faceret servos suos, post deinde hæredes eos constitueret regno cœlorum *Ibid.*, lib. 5, cap. *Traductis.*

LACT. FIRM. 80. Mortalis erat secundum carnem, sapiens magnificis operibus : sed judicibus Chaldæis armis comprehensus, clavis et cruce amarum toleravit finem. Lib. 4, *de Divin. instit.*, cap. 13, verbo græco θνητὸς post *Sybillam.*

ORIGEN. 81. Mors Christi, oppressio et triumphus dæmonum fuit. Homil. 17, in cap. 49, *Genes.*

PETRUS LOMBARDUS MAGISTER SENT. 82. Factus est Deus homo mortalis, ut moriendo diabolum vinceret : nisi enim homo esset, qui moriendo diabolum vinceret, non juste, sed violenter homo ei tolli videretur, qui se illi sponte subjecit. Lib. 3, *Sentent.*, dist. 19.

TERTULL. 83. Totum Christiani nominis et pondus et fructus, mors Christi est. Lib. 3, *Advers. Marcion.*, cap. 8.

Vide etiam tit. *Occisio*, sent. 69 ; *Resurrectio Christi*, sent. 30, 33.

MORTIS TIMOR.

Vide Timor mortis.

MORTIFICATIO.

S. AMBR. *Definitio.* Quid est mors, seu mortificatio, nisi se-

pultura vitiorum, virtutum suscitatio? *De bono mortis*, cap. 4.

Mortificare corpus, seu castigare, est jejuniis illud agere, et illa ei dare, quæ ad vitam proficiant, non ad luxum. Super I *Cor.* IX, in illud : *Castigo corpus meum.*

DIONYSIUS CARTHUS. Mortificatio nihil est aliud, quam sui ipsius abnegatio spontanea, fractio conservativa, violentia virtuosa, odium amorosum, ac salutaris perditio. *De Mortificat. vivificat.*, art. 1.

Mortificatio est privati amoris extinctio, ac divinæ charitatis adeptio. *Ibid.*, art. 2.

HUGO A S. VICTORE. Afflictio carnis est, per quam lasciviæ mentis seminaria, castigatione discreta comprimuntur. *De fruct. carnis et spiritus*, cap. 15.

S. JOAN. CLIM. Mortificatio est inimicitia adversus corpus, atque adversus gulæ concupiscentiam inexorabile bellum. Gradu 15.

HUGO A S. VICTORE. *Divisio.* Tria sunt genera mortificationis. Primum, iniquitatis, per pœnitentiam ; secundum, carnis, per abstinentiam ; tertium, voluntatis, per obedientiam. Lib. 1 *Miscellan.*, codicis 2, tit. 74.

S. NILUS. *Comparatio.* Ut hostis sublatus terrorem amplius non affert, sic corpus mortificatum animam non perturbat. Orat. 1, *de Gula.*

SENTENTIÆ PATRUM.

COLLECTOR. 1. Immortificationis morbo laborat, qui passionibus animi, cupiditatibusque carnis, sive in illicitis, sive in licitis facile obsequitur, et indulget.

S. AMBROS. 2. Quid excelsius et magnificentius, quam exercere mentem, affligere carnem, et in servitutem redigere, ut obediat imperio, consiliis obtemperet, et impigre obsequantur propositum animi ac voluntatem? Lib. 1 *Offic.*, cap. 36.

3. Mortificetur avaritia, moriatur concupiscentia. Lib. 2 *Offic.*, cap. 6.

4. Moriatur caro nostra cupiditatibus, sit captiva, sit subdita, nec legi mentis nostræ repugnet, sed bonæ servituti subjecta moriatur. Lib. 1, *de Pœnit.*, cap. 12.

5. Qui per mortificationem nocet corpori, juvat spiritum. *Ibid.*, cap. 13.

6. Mortificatio est remissio peccatorum, abolitio criminum, erroris oblivio, assumptio gratiarum. *De bono mortis*, cap. 4.

S.ANTONIN. 7. Apud Deum non tam valet abstinentia ciborum, quam mortificatio vitiorum. Part. 3, tit. 3, cap. 7, § 5.

8. Cum corpus per flagella atteritur, cor circa libidinis delectationes non vagatur. Part. 4, tit. 3, cap. 7, § 18.

9. Mortificatio passionum et vitiorum ad contemplativam vitam multum requiritur. Part. 4, tit. 10, cap. 5, § 2.

10. Omnes corporales sensus mortificare, nihil est aliud quam offerre se Deo in sacrificium. Part. 4, tit. 15, cap. 35, § 3.

S.ANTONIUS DE PADUA. 11. Cum castitas in corpore, humilitas in opere, abstinentia in cibo, vilitas in habitu resplendent, prænuntia sunt internæ mortificationis et sanctificationis. Serm. *Dom.* 1 *Adventus.*

12. Sic de carne nostra sit medicina, sicut de serpente theriaca : caro fuit serpens in culpa, dabit theriacam in pœna. Serm. *Dom.* 11, *post Trinit.*

S. AUGUST. 13. Non satis est ut moriantur vitia, nisi marcescant corporis luxus. Lib. 2, *contra Julian.*, cap. 5.

14. Nemo ibi moritur, quo nemo pervenit, nisi huic sæculo moriatur, non morte omnium, qua corpus ab anima deseritur; sed morte electorum, qua etiam cum in carne mortali adhuc manetur, cor sursum ponitur. Tract. 65, super *Evang. Joan.*, de cap. 13.

15. Morere ut vivas, sepelire ut resurgas. *De Verbis Apostoli*, serm. 15.

16. Certe fortius pugnat, qui contra se pugnat. Serm. 3, *de Nativit.*

17. Cur corpus fame discrucias, cui turpiter peccando blandiris? Serm. 1, *fer.* 3 *Rogat.*

18. Cujus animus non moritur huic sæculo, in graviorem mortem, morte corporis trahitur. Lib. 1, *de Doctr. christ.*, cap. 20.

19. Ut spiritu nostro opera carnis mortificemus, spiritu Dei agimur. *De continent.*, cap. 5.

20. Nemo in cœlo moritur, quo nemo pervenit nisi huic sæculo moriatur. Tract. 65, super *Joan.*

21. Hic extinguamus mortem, moriendo peccatis. Homil, 16. *Ex quinquag. homil.*

S. BASIL. MAC. 22. Mortificatio, seu affectuum castigatio est quies animi ac tranquillitas, fœcundissimusque virtutum fons existens. In *Const.*, cap. 5.

S.BERNARD 23. Credite mihi, et putata repullulant, et effugata redeunt, et reaccenduntur extincta, et sopita denuo excitantur. *Prosec.*

24. Parum est semel putasse, sæpe putandum est, imo (si fieri possit) semper : quia semper quod putari oporteat, si non dissimulas, invenis. Serm. 58, super *Cant.*

25. Bene mortuus es a corde, si jam non tibi vivere studeas, sed ei qui pro te mortuus est. *Prosec.*

26. Bona mors, non vitæ, sed mortis : bona mors, et nequaquam abhorrenda, quæ vitam etsi adimit, non perimit : adimit quidem, sed ad tempus, restituendam in tempore, duraturam sine tempore. Epist. 42, *ad Henricum archiepisc. Senonens.*

27. Bona mors, quæ vitam non aufert, sed transfert in melius : bona qua non corpus cadit, sed anima sublevatur. Serm. 52, super *Cant.*

S. BONAV. 28. Debet homo corpus suum mortificare, et sicut magister Pistorum in cruce suspendi. Serm. 2, *Dom. infra oct. Epiph.*

29. Mortificatione confunditur diabolus. Serm. 3, *Dominicæ* 2, *Quadrag.*

30. Mortificanda est caro ne superbiat : sed non est exterminanda, ne deficiat. Serm. 3, *de Dedication.*

31. A seipso in seipsum rigida debet esse censura, et districta severitas. In *Speculo disciplin.*, part. 2, cap. 2.

S. CÆSARIUS ARELAT. 32. Sanctæ afflictiones humiliata corpora macerant, maculata corda purificant. Homil. 1.

33. Dum exterior afflictio voluntariæ districtionis infertur, tremendi judicii offensa sedatur, et ingentia debita labor solvit exiguus, quæ vix consumpturus erat ardor æternus. *Ibid.*

34. Si nosmetipsos propria severitate distringimus, sententiam futuri judicis prævenimus. *Ibid.*

35. Quid prodest, quod affligis corpus tuum, quando nihil proficit cor tuum? *Ibid.*, homil. 27.

CLEM. ALEX. 36. Voluptates continere, ventrique dominari, est maximi imperii. Lib. 2, *Pœdag.*, cap. 10.

DIONYSIUS CARTHUS. 37. Disce mori, disce te frangere, assuesce subjectione et abjectione gaudere, ac castigationibus gloriari. Super *hymn. temp. feriadi ad Matutin.*

38. Quæ carni molestiora sunt, elige. In *Exhortat. ad Novit.*, art. 8.

39. Qui se mortificant, sunt quippe mortui propriæ voluntati, sed vivunt Deo per ardentissimam charitatem. *De profectu spirit.*, art. 13.

S. EUSEBIUS EMISSENUS. 40. Parum prodest carnis contritio, si non adhibeatur cordis sollicitudo et mentis intentio. *Prosec.*

41. Quid prodest passiones impugnari a famula, quæ pacem inveniuntur habere cum domina?

42. Quid prodest si extra civitatem geramus bellum, et intus patiamur excidium? Homil. 8, *ad Monachos.*

43. Quid prodest afflictio corporalis, si linguam nequitiis et obtrectationibus polluamus? *Ibid.*, homil. 4.

44. Quid prodest quod affligis corpus tuum, quando nihil proficit cor tuum? *Ibid.*

45. Si caro conteritur, et anima non fructificatur, simile est ac si campus arari non desinat, et nunquam tamen messis appareat. *Ibid.*, homil. 8.

46. De contritione animi redimuntur crimina voluptatum. *Prosec.*

47. Per duræ crucis exercitia, decepta dudum carnis gaudia puniuntur.

48. Mortificatione præsenti, futuræ mortis sententia prævenitur.

49. Dum exterior afflictio voluntariæ districtionis infertur, tremendi judicis offensa sedatur. *Ibid.*, hom. 10.

50. Nisi nostras hîc quotidie resecemus et circumcidamus passiones, deteriores nos multo effici, quam fuimus dum in sæculo viveremus, perspicuum est. *Ibid.*, hom. 7.

51. Qui mortificari se appetunt, jam perfecte, si liceat, Conditoris sui faciem contemplantur. Lib. 5 *Moral.*, cap. 4. S. GREG MAGN.

52. Quasi mortui mundo in sepulchro abscondimur, cum mortificati exterius in secreto internæ contemplationis celamur. *Prosec.*

53. Qui mortificare se appetit, valde ad inventam requiem contemplationis hilarescit. *Ibid.*, cap. 5.

54. Electi quanto se exterius affligendo despiciunt, tanto se verius intus componunt. *Ibid.*, lib. 35, cap. 14.

55. Gratum Deo sacrificium est, afflictio contra peccatum. Hom. 10, super *Evang.*

56. Incassum caro atteritur, si a pravis suis voluptatibus animus non refrænatur. *Ibid.*, hom. 16.

57. Si ad cœlestia pervenire volumus, necesse est ut passiones carnis mortificemus. Lib. 4, in I *Regum*, cap. 5.

58. Cum per carnem morimur, de inimicis nostris ulciscimur, quos jam velut interfectos penitus non pavemus : quia dæmonum insidiæ tentando nihil obsunt mortuis. *Ibid.*, lib. 5, cap. 4.

59. Quisquis corpus affligit, sed concordiam deserit : Deum quidem laudat in tympano, sed non laudat in choro. Part. 3 *Pastoral*, cap. 1, admonit. 23.

60. Placens sacrificium Deo, corporum nostrorum mortificatio est. Lib. 1, super *Levit.*, cap. 1. HESYCHIU[S]

61. Nulli membrorum tuorum parcas, ut soli parcas animæ. Epist. 4, *ad Rustic.* S. HIERO[N].

62. Affligendum est corpus, quod multis vacavit deliciis. Epist. 27, *ad Eustochium.*

63. Huic mundo mortua esto, et nihil aliud, nisi de cœlestibus cogitans, loquere ad sponsum tuum. Epist. 18, *ad Principiam.*

64. Initium vestimentorum Christi, est suscipere mortem illius, et in sua carne monstrare. *Ibid.*

65. Corpus non frangendum, sed regendum est. Epist. 1, *ad Demetriad.*

66. Vestis abjectio, cibi vilitas, jejunii lassitudo, extinguere debent, non nutrire superbiam. *Ibid.*

67. Frangatur corpus jejuniis, castigetur verberibus, si quidquam concupiscit illicitum, donec sic humile, sic benignum fiat quod nihil sibi vendicet noxium. *Prosec.*

68. Erigatur domina, principetur in omnibus;

et subjiciatur, suppeditetur, et conculcetur ancilla. In *Regula Monacharum*, cap. 36.

HUGO A S. VICTORE.

69. Carni providendum est, ut serviat, non ut sæviat : ut sit ancilla, non domina : hostia fiat vitiorum mortificatione, et vivat virtute. In annot. super *Epist. ad Rom.* in illud : *Ut exhibeatis corpora*, etc.

HUGO CARD.

70. Mali hic impinguant carnem, ut lautius a diabolo manducentur; sed boni hic crucifigunt carnem suam, ut non sit idonea ad manducandum, sed potius ad glorificandum. *Prosec.*

71. Crux præsens, scala est ad gloriam; gloria autem præsens, scala est ad crucem æternam. Super *Gen.*, cap. 40.

72. Carnem mortificare et orare, hæc duo cogunt diabolum exire. Super I *Reg.*, cap. 16.

73. Justitia est, vindictam de carne propria sumere. Super *Psalm.*, CXVII.

74. Mortificanda est caro, quia caro viva et petulans signum est lepræ. Super *Psalm.* XLIII.

75. Scimus quia in Dei oculis majoris meriti est, sæpe mortificari, quam mori. *Ibid.*

76. Carnis mortificatio terret dæmones et percutit. Super *Psalm.* LXXX.

77. Crux mortificationis ascensus est, sive scala, qua de lacu miseriæ, et de luto fæcis, et de mundo ascenditur in cœlum. Super *Cant.*, cap. 3.

78. Carnis mortificatio cum exercitio virtutum consonat in laudem Dei. Super *Isaï.*, cap. 23.

79. Mortificatio carnis nisi fiat in gratia, non valet ad divisionem peccatorum, vel ad adeptionem præmiorum æternorum. Super *Ezech.*, cap. 12.

80. Non est possibile, qui hanc amat vitam, vitam vivere crucifixam. Super *Joan.*, cap. 5.

81. Maceratione minuuntur concupiscentiæ. Super *Epistolam ad Romanos*, cap. 8.

82. Corpus affligitur, sed anima gloriatur. Super II *ad Cor.*, cap. 11.

83. Illa mortificatio, quæ sit in communitate, placet Deo. Super *Epist. ad Hebr.*, cap. 2.

JOAN CASS.

84. De humilitate mortificatio voluntatum generatur; mortificatione extirpantur atque marcescunt universa vitia. Lib. 4, *de Cœnob.*, inst. cap. 43.

85. Afflictio corporalis, initia quædam sunt profectus. In collat. 1, *Abbat. Moysis*, cap. 10.

86. Finis Cœnobitæ est, omnes suas mortificare et crucifigere voluntates. Collat. 19, *Abbat. Joan.*, cap. 8.

S. JOANNES CHRYSOST.

87. Omnia, quæ vulgo videntur esse magnifica, mihi facta sunt mortua. Nihil hac mortificatione felicius, hoc est beatæ vitæ fundamentum. Super *Epist. ad Galat.*, cap. 6, in illud : *Per quem mihi mundus crucifixus est.*

88. Cum liceat deliciose et optime degere, si eligatur laboriosa vita et amara, mortificans corpus, holocautoma est. *Prosec.*

89. Mortifica ergo corpus tuum, et crucifige : et accipies et tu hujus martyrii coronam. Homil. 11, super *Epist. ad Hebr.*

S. JOAN. CLIM.

90. Initium quidem mortificationis, vel membrorum corporis, vel animæ, voluntatis labor est : medium vero, interdum labor, interdum requies : finis autem, jam omni motus perturbatione, omnique laboris sensu vacat. Gradu 4.

91. Afflictio ventris charitatem parit. *Ibid.*, gradu 14.

92. Si affligatur venter, humiliabitur cor : sin autem ille foveatur, superbit. *Ibid.*

93. Quicumque voluntatem Christi addiscere volunt, suam prius voluntatem studiose mortificare debent. *Ibid.*, gradu 26.

JOAN. TRIT.

94. Qui voluntate mortificatus est, nihil carnale, nihil turpe concupiscit. Lib. 1, *ad Monachos*, homil. 21.

95. Carne repugnante virtus perficitur; et quam recta sit voluntas, ex violentia spiritus probatur. Part. 1, *de Regione claustral.*, tract. 2, reg. 2, art. 6.

96. Magnam sibi infert violentiam, quisquis carnis propriæ vicerit voluptatem. Epist. 3, *ad Quasdam moniales.*

S. ISID. HISP.

97. Qui crucem portat, debet et mundo mori. Nam ferre crucem et mori, mortificare seipsum est : ferre et non mori, simulatio hypocritarum est. Lib. 2, *de Sum. bono.*, cap. 2, sent. 9.

98. Justi ita se ab omni mortificant, ut Deo vivant : ideoque blanditias calcant, ut validiores ad vitam æternam de hujus vitæ mortificatione consurgant. *Ibid.*, lib. 3, cap. 16, sent. 6.

S. JUSTIN. MART.

99. Anima dum cibo et potu male tractatur, fit melior. Epist. *ad Diognetum.*

LACT. FIRM.

100. Sui cohibitio, gloriosa est. *De ira Dei*, cap. 18.

S. LAURENT. JUSTIN.

101. Congruit statui nostro, ut donec peregrinamur in hac miseriarum et periculorum valle, reprimendarum carnalium voluptatum crucem nobis ipsis faciamus. *Prosec.*

102. In hac cruce per totam istam vitam, perpetuo debet pendere Christianus, non enim est tempus evellendi clavos. *De Ligno vitæ.*, tract. 11, *de Sobriet.*, cap. 2.

103. Rara virtus hæc est, carnis refrænare naturam, atque libidinum incendia cohibere. Serm. *de S. Joan. evangel.*

S. LEO I.

104. Parum est, si carnis substantia tenuatur, et animæ fortitudo non alitur. *Prosec.*

105. Afflicto paululum exteriore homine, reficiatur interior : et subtracta saturitate corporea,

spiritalibus mens deliciis roboretur. Serm. 1, *Quadrag.*

106. Pia vita sanctorum nunquam aliena est crucis Christi, dum continentiæ clavis desideria carnis configit, et corporeas cupiditates virtute spiritus in se habitantis interficit. *Prosec.*

107. Difficile est enim quemquam in se non habere, quod perimat : extinguenda est iracundia, mortificanda superbia, destruenda luxuria. *Ibid.*, serm. 7.

108. Toties peccatis morimur, quoties in nobis peccata moriuntur : ubi homo occiditur mundo, non terminatione sensuum, sed fine vitiorum. Serm. *de Machabæis.*

109. Per voluntarias afflictiones caro concupiscentiis moritur, virtutibus spiritus innovatur. Serm. 2, *de Jejun. decimi mensis.*

110. Susceptio crucis est interfectio cupiditatum, occisio vitiorum, declinatio vanitatis, et abdicatio omnis erroris. Serm. 2, *de Resurr.*

111. Tanto sit rationalis anima purgatior, quanto fuerit substantia carnis afflictior. Serm. 1, *de Jejun. Pentec.*

LUDOV. BLES. 112. Vitia mortificanda sunt, non corpusculum opprimendum, nec natura destruenda. *In Speculo spirit.*, cap. 5.

113. Excellentissimum plane exercitium est, mentem semper habere mortificatam : in vera enim atque integra mortificatione, vera et jucundissima vita latet : qui enim moritur semper in seipso, semper in Deo nova vita vivere incipit. *De institut. spirit.*, cap. 2.

114. Anima quidem mortificata, est veluti botrus maturus, mollis ac suavis : anima vero immortificata, est tanquam uva immatura, dura atque acerba. *Ibid.*

115. Mortificatio in initio quidem difficilis est ac molesta : sed ubi quis aliquandiu in ea viriliter perstiterit, jam dono Dei facilis omnino multumque amabilis redditur. *Ibid.*

116. Vera perfectio in mortificatione sui sita est : nam ad veram perfectionem, integra mortificatione pervenitur. *Ibid.*, cap. 7.

S. MAXIMUS MART. 117. Revera beatus est animus ille, qui rebus omnibus præclare mortuus est : sensibilibus quidem, vi sensus abdicata, intelligibilibus autem, intellectivo motu quiescente. Centur. 3, *de Virt. et vitio.*, cap. 24.

S. NILUS. 118. Super omnia mortifica corpus tuum. *Parænes.* 20.

119. Abjice quidquid malitiam spirat, et membra carnis tuæ vehementer mortifica. *Ibid.*, Orat. 1, *de Gula.*

ORIGEN. 120. Si mortificationem in corpore tuo suscipias, et mortifices membra tua, peccato obnoxia, tunc in te multiplicabuntur sensus boni et spiritales. *Prosec.*

121. Si enim sensus carnis mortificentur, sensus spiritus crescunt, et quotidie emorientibus in te vitiis, virtutum numerus augetur. Homil. 1, in cap. 1 *Exodi.* Super illud : *Mortuus est Joseph.*

PETR. BLES. 122. Caro læta traxit nos ad culpam, afflicta retrahat ad veniam. Serm. 45.

S. PETRUS DAMIANUS. 123. Afflictio carnis est mensa spiritus. *In vita sua*, cap. 19.

124. Qui virtutum lapidibus festinat atrium sublime construere, prius necesse est inhorrentia carnalium delectationum mortificatione dumeta purgare. Lib. 6 epist. 32.

125. Indiscreta mortificatio, est causa morborum. *Ibid.*, epist. 34.

126. Quid prodest castigatio, vel afflictio carnis, si desit munditia cordis? Lib. 8, epist. 14, *ad Sorores.*

127. Nequaquam sufficit, si a pravitate vitæ quisque convertitur, nisi et propria vitia gladio spiritus mortificare conetur. Serm. 3, *de S. Anastasio.*

128. Si quem delectat in arma consurgere, et adversus hostium cuneos dimicare, vertat manus in se, et illic plures inveniet adversarios obtruncandos. *Ibid.*

129. Qui carnem suam crucifigit, qui membra sua abstinendo mortificat, ille vere crucem suam portat. Serm. 18, *de Invent. Crucis.*

130. Prudens vir, et ad salutis suæ custodiam vehementer intentus, tanta reprimendis vitiis sollicitudine semper invigilat, ut perfectæ mortificationis cingulo lumbos suos et renes, ventrem una cum lateribus undique circumstringat. *Opusc.* 13, cap. 2.

131. Omnes voluntates proprias frange, undique te mortificatione præcinge, *Opusc.* 45, cap. 11.

PHILO JUD. 132. Cum vivimus, mortua est anima : si mortui fuerimus, tum demum anima vivit vita propria. Lib. 1, *Legis allegoric.*

S. PROSPER. 133. Omnes mortificationes, quas inflata vanitas facit tolerabiles, non sunt ornamenta morum, sed velamina vitiorum. Lib. 3, *de Vita contemplat.*, cap. 10.

SALVIANUS. 134. Qui putantur crucem portare, sic portant ut plus habeant in crucis nomine dignitatis, quam in passione supplicii. Lib. 3, *de Gubern. Dei.*

135. Affectis artubus, vires corporum in virtutes transferuntur animorum. *Prosec.*

136. Mihi genus quoddam sanitatis esse videtur, hominem interdum non esse sanum : tunc sola exultat anima læta, corpore affecto, quasi adversario subjugato. *Ibid.*, epist. 5, *ad Catturam soror.*

THALASSIUS. 137. Proprium est rationalis, ut rationi subdatur : castigatumque corpus in servitutem redigat. *Hecatontad.* 2, sent. 5.

138. Malitiam mortifica, ne mortuus non resurgas, et a brevi morte in longam transeas. *Ibid.*, *Hecatontad.* 4, sent. 51.

S. THOMAS AQUINAS. 139. Maceratio proprii corporis non est Deo accepta, nisi sit discreta : ut scilicet concupiscentia refrænetur, et natura non nimis gravetur. 2, 2, quæst. 88, art. 2.

THOMAS A KEMPIS. 140. Non est alia via ad vitam, nisi via sanctæ crucis, et quotidianæ mortificationis. *Prosec.*

141. Ambula ubi vis, quære quodcumque volueris, et non invenies altiorem viam supra, nec securiorem viam infra, nisi viam sanctæ crucis. Lib. 2, *de Imit. Chr.*, cap. 12, sect. 3.

142. Crux semper parata est, et ubique te expectat, non potes effugere quocumque cucurreris : quia quocumque iveris, teipsum tecum portas, et semper teipsum invenies. *Prosec.*

143. Converte te supra, converte te infra, converte te extra, converte te intra, et in his omnibus invenies crucem.

144. Si libenter crucem portas, portabit te, et ducet te ad desideratum finem : si invite portas, onus tibi facis, et teipsum magis gravis, et tamen oportet ut sustineas : si abjicis unam crucem, aliam procul dubio invenies, et forsitan graviorem. *Ibid.*, sect. 4, et 5.

145. Qui libere cum Deo ambulare desiderat, necesse est ut omnes pravas et inordinatas affectiones suas mortificet. *Ibid.*, lib. 3, cap. 53.

146. Quanto caro plus premitur, tanto spiritus plus elevatur. *De Disciplina claustral.*, cap. 12, sect. 1.

S. VALERIA. EPISCOPUS. 147. Opus est ut semper resecet quæcumque aut inhonesta videantur, aut turpia, qui animam suam ad cœlestem gloriam desiderat pervenire. Homil. 2, *de Arcta vita.*

VIT. PAT. 148. Nisi homo omnes voluntates carnis suæ mortificaverit, non potest monachus fieri. Lib. 5, lib. 3, *de Compunction.*, num. 11.

149. Vade, et ama tibi ipsi vim facere : evagina gladium tuum, et exi in bellum. *In sent.*, sent. 46.

150. In omnibus sibi unumquemque vim facere, hæc est via Dei, et opus monachi. *Ibid.*, sent. 92.

151. Qui sibi vim facit propter Deum, similis est homini confessori. *Ibid.*, sent. 93, etc.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 152. Durius tractandum est corpus, ne animus male pereat : cibus famem sedet, potio sitim extinguat, vestis arceat frigus. Epist. 8.

SIXTUS PHILOSOPH. 153. Mors religiosi, facit vitam beatam. *Sent.* 317.

Vide etiam tit. *Austeritas vitæ*, per totum; *Delectatio*, sent. 26; *Domare*, per totum; *Fraternitas*, sent. 55; *Judicium sui*, sent. 10, 11, 12; *Martyrium*, sent. 160; *Obedientia*, sent. 145; *Sequi Christum*, sent. 12; *Studium*, sent. 70; *Venia*, sent. 36; *Vita humana*, sent. 117; *Voluntas propria*, sent. 72, 73.

MOTUS ANIMI, ET CORPORIS.

Etymologia. Motus animi græce πάθη, nostri autem quidam (sicut Cicero) perturbationes, quidam affectiones vel affectus, quidam vero, sicut iste de græco, expressius passiones vocant. Lib. 9, *de Civit. Dei*, cap. 4. S. AUGUST.

Definitio. Motus animi est affectus vituperabilis præter naturam. Centur. 1, *de Charitate*, cap. 35. S. MAXIMUS MART.

Divisio. Reor tres corporis motus existere. Unus ex natura, secundus ex pastu multorum ciborum, tertius est spirituum malignorum tentantium. Epist. 1. S. ANTONIUS ABBAS.

Triplex est motus mentis, sensualitatis, et corporis. Primus est in voluntate, secundus in delectatione, tertius in opere. Super *Psalm.* CXIII. S. BONAV.

Tres sunt motus in homine : motus mentis, motus corporis, motus sensualitatis. Motus mentis in voluntate est, motus corporis in opere, motus sensualitatis medius in delectatione. In motu mentis solo, liberum arbitrium est; in motu corporis, et sensualitatis, quæ sequuntur liberum arbitrium. Lib. 1, *Miscellan.* HUGO A S. VICTORE.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Tunc maxime insidiatur adversarius, quando videt nobis motus et passiones aliquas generari, tunc fomites movet, laqueos parat. Lib. 1, *Offic.*, cap. 4. S. AMBROS.

2. Præclarum est motum temperare consilio. Lib. 5, super *Lucam*, cap. 6, in illud *Psalm.* IV : *Irascimini, et nolite peccare*, etc.

3. Nulla mens est, quæ non recipiat etiam malarum motus agrestes cogitationum. *De Noe et Arca*, cap. 16.

4. Anima non illos carnales motus, ut cum libet exerit, ita etiam cum libet extinguit : non enim sicut peccatum in ejus potestate est, ita etiam pœna peccati. Lib. 6, *Musicæ*, cap. 5. S. AUGUST.

5. Magna res est ipsa anima, nec ad opprimendos lascivos motus suos idonea sibi remanet. *Ibid.*

6. Cum non reguntur motus animi nostri, erumpunt et pergunt in fœdissimas consuetudines, et per diversas pernitiosasque delectationes nos rapiunt et faciunt similes omni generi bestiarum : cum autem reguntur et subjiciuntur, omnino mansuescunt, et nobiscum concorditer vivunt. Lib. 1, *De Genesi contra Manich.*, cap. 20.

7. In omnibus motibus vestris nihil fiat quod cujusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem. Regula 3, *ad Clericos.*

8. Fastus elationis, et delectatio libidinis, et venenum curiositatis, motus sunt animæ morituræ. Lib. 13 *Confess.*, cap. 21.

9. Motibus animæ cum ratio dominatur, ordinatus homo dicendus est. Lib. 1, *de Libero arbitrio*, cap. 8.

10. Nulla culpa motus deprehendi potest, ubi natura necessitasque dominatur. *Ibid.*, lib. 3, cap. 1.

11. Si perversa est voluntas hominis, perversos habebit motus : si autem recta est, non solum inculpabiles, verum etiam laudabiles erunt. Lib. 14, *de Civit. Dei*, cap. 6.

12. Motus de amore boni, et de sancta charitate venientes, si vitia vocanda sunt, sinamus ut ea quæ vera vitia sunt, virtutes vocentur : sed cum rectam rationem sequantur isti motus, quando ubi oportet adhibentur, quis eos tunc morbos, seu vitiosas passiones audeat dicere? *Ibid.*, cap. 9.

13. Motus desideriorum malorum, si consentientem traxerit atque illexerit, concipit paritque peccatum. Lib. 6, *contra Julian.*, cap. 11.

14. Motus animæ secundum carnem se moventis, et in delicias carnales immoderate diffluere cupientis, regit intellectus. Super *Evang. Joan.*, de cap. 4.

15. Pereant argumenta philosophorum, qui negant in sapientem cadere perturbationes animorum. *Ibid.*, tract. 60, de cap. 13.

16. Capilli hominis magis numerabiles sunt, quam affectus ejus, et motus cordis. Lib. 4, *Conf.*, cap. 14.

17. Non omne quod movet, mutatur. *De immort. animæ*, cap. 3.

18. Cum ratio irrationales animi motus regit, id scilicet dominatur in homine, cui dominatio lege debetur. Lib. 1, *de Libero arbitrio*, cap. 8.

19. Motus aversionis quod fatemur esse peccatum, quoniam defectivus motus est, non pertinet ad Deum. *Ibid.*, lib. 20, cap. 20.

20. Motus quo huc atque illuc voluntas convertitur, nisi esset voluntarius, neque laudandus, neque culpandus esset. *Ibid.*, lib. 3, cap. 1.

21. Hæc est hominis vita beata, cum omnes motus ejus rationi veritatique consentiunt. Lib. *de Genesi contra Manich.*, cap. 20.

22. Nonnulli motus animorum apparent in vultu, et maxime in oculis. *Ibid.*, lib. 2, cap. 21.

23. Animæ motus quamdiu rebus adhuc terrenis implicatur, pigrius inflammatur : si vero feratur ad similitudines corporales, et inde feratur ad spiritalia, ipso quasi transitu vegetatur. Epist. 119, cap. 11.

24. Sic Deus administrat omnia quæ creavit, ut etiam proprios exercere et agere motus sinat. Lib. 7, *de Civ. Dei*, cap. 30.

25. Corporis motus cum decentes atque congruentes sunt, inter naturæ prima numerantur. *Ibid.*, lib. 19, cap. 4.

26. Deus temporalia movens, temporaliter non movetur. *Ibid.*, lib. 10, cap. 12

27. Varios motus in corpore, nisi ipsa anima non facit, et nescit quod facit, vel unde facit : nec et turpe est ista quod nescit. Lib. 4, *de Anima et orig.*, cap. 5.

28. Nullus fit hominis ad hominem corporalis accessus, si desit corporis motus. Lib. 2, *de Nuptiis*, cap. 31.

S. BERNARD. 29. Refrænari debent incontinentes motus voluptatis, bestiales motus curiositatis, et cervicosi motus elationis. Serm. 3, *de Circumcis.*

30. Conculca bestiales tuos motus, quia domari debent : ne dominari prævaleant, nisi calcati fuerint, conculcabunt te : nisi premantur, oppriment te. Serm. 4, *Ascens.*

31. Mitiga efferos motus, et crudelem bestiam mansuefacere cura : ligatus es? solvere studeas quod rumpere omnino non possis. Serm. *De Convers. ad clericos.*, cap 11.

32. Motus carnis ex causis contingit. Ex præcedenti cogitatione, ex ventris plenitudine, ex maligni spiritus impugnatione. In suis *Sent.*, cap. *Motus.*

33. Quis ita vigil et diligens observator motionum internarum suarum, sive in se, sive ex se factarum, ut liquido ad quæquæ illicita sensu cordis sui discernat inter morbum mentis et morsum serpentis? Serm. 32, super *Cant.*

34. Vox quædam animi est, corporis motus : sæpe enim per incessum proditur qualis sit animus. *De ordine vitæ.*

S. BONAV. 35. Pacifici motus animi componunt, et rationi subjiciunt. *De septem donis Spirit. sancti* in specie, *de Dono timoris*, cap. 4.

CASSIODOR. 36. Motuum conversio humanæ convenit fragilitati, ut de læto quis tristis, de placato iracundus, de benevolo reddatur offensus. Super *Psalm.* II, vers. 5.

DIONYSIUS CARTHUS. 37. Si ad motus passionum ex innata dispositione aut assuefactione proclivior es, instantius pugna, ferventius ora, indeffesse labora. In *Exhort. ad novit.*, art. 2.

GLOSS. INT. 38. Aditus cordis contra pravos motus, ratione munitur. Super *Genes.*, cap. XIX, in illud : *Clauserunt ostium.*

S. GREG. MAG. 39. Motus carnis pacem nobis cum Deo faciunt, cum tentando contradicunt. Lib. 6, cap. 16.

40. Quoties turbulentos motus animi sub mansuetudinis virtute restringimus, ad similitudinem redire Conditoris conamur. *Ibid.*, lib. 5, cap. 31.

41. Robusti sunt motus cordis, cum nulla, nisi quæ virtutis sunt, sentiunt. *Ibid.*, lib. 26, cap. 28.

42. Motus illicitus carnis (quamdiu ipsa caro est) tolli non potest, violentia movendi tolli potest. Lib. 5, in I *Regum*, cap. 1, super illud : *Reliqui vero dispersi sunt.*

43. Motus carnis quasi in fugam vertitur, dum ipsa caro bene jejunando castigatur. *Ibid.*

44. Electa Virginitas de carne, continentiæ arce sublimata, motus turpes extinguit. *Ibid.*, cap. 5, super illud : *Et percussit Jonathas stationem*, etc.

45. In corpore virginali carnales motus non habent requiem delectationis, sed statum certaminis : stant, quia impugnant, sed requiescere non possunt, quia mentem sanctam minime oblectant. *Ibid.*

46. Omnes libidinosi motus prorsus perimantur in corpore. *Ibid.*, lib. 6, cap. 1, super illud : *Non parces ei*, etc.

47. Axa super asinum sedet, cum irrationalibus carnis suæ motibus anima præsidet. Lib. 3, *Dialogi*, cap. 34, super illud Josue, xv : *Axa filia Caleph sedens super asinum.*

48. Quid cogitationes luxuriæ, quid sunt libidinosi corporis motus, nisi carbones ignis, qui si in carne, aut in corde conveniunt, comburere cito possunt, extingui facile nunquam possunt? Lib. 6, in I *Reg.*, cap. II.

49. Motus corporis vigorem mentis reprimit, cum ad invicem convenire minime permittit. *Prosec.*

50. Motus illecebrosus carnis si per cogitationem minime pascitur, convenire cum altero non videtur.

51. Glutinum quippe illecebrosorum motuum immunda cogitatio est, quia qui libenter immunda videt, statim carnem ad amata concupiscendo violenter movet.

52. Quo libentius ac morosius cogitat, quasi carbones carbonibus, turpes turpioribus motus ligat.

53. Teneat ergo fortem custodiam animi, qui potenter vult dispergere motus carnis. *Ibid.*

S. GREG. NYSS. 54. Omnis animæ motus ad bonum est conditus, ab eo qui nostram fabricatus est naturam. Hom. 8, super *Ecclesiasten.*

HIERON. 55. Unusquisque ei subjacet passioni, a qua vincitur. Lib. 1, *adversus Jovian.*

56. Tranquilla mens, nullis passionibus perturbatur. Lib. 3, super *Epist. ad Galat.* cap. v, in illud : *Fructus spiritus est pax.*

HUGO A S. VICTORE. 57. Duo sunt motus cordis, quibus anima rationalis ad omne quod facit agendum impellitur. Unus est timor, alter amor. Per timorem mala caventur, per amorem bona exercentur. Lib. 2 *de Sacrament.*, part. 13, cap. 3.

HUGO CARD. 58. Duo sunt genera motuum, sc. sancta desideria et mundæ cogitationes. Super *Gen.*, cap. 40.

59. Subtrahe ligna foco, si vis extinguere flammam :

Si motus carnis, otia, vina, dapes.

Super *Prov.*, cap. 26.

JOAN. CASS. 60. Non æstus corporis declinabit, nisi qui animi motus ante compresserit. Collat. 12, *Abbat. Chæremon*, cap. 6.

61. Liquido patet difficilius convelli atque eradicari inolitas corporis atque animæ passiones, quam spiritales extrui plantarique virtutes. Collat. 14, *Abbat. Nesterotis*, cap. 3.

62. Magnificentius signum est, virtute patientiæ truculentos motus carnis cohibere, quam aeris principatibus imperare. Collat. 15, *Abbat. Nesterotis*, cap. 8.

S. JOANNES CHRYSOST. 63. Modestia mentis facit ut naturales motus nullum afferant detrimentum. Homil. 63, super *Matthæum, Oper. perfect.*

64. Omnes animi motus cedunt affectionibus. Homil. 26, super II *Cor.*

65. Qui tumidos naturæ motus victor sedaverit, nulli unquam ulla in re humana passioni succumbet. Serm. *de Virtute et vitio.*

JOAN. TRIT. 66. Quicumque animi sui motus regit et premit, cogitationum suarum rex est et sensuum. Lib. 1, *de Tent.*, cap. 10.

LACT. FIRM. 67. Nihil inde oriri potest, ubi nullus est motus voluntarius. Lib. 2, *de Divin. instit.*, cap. 9.

LUDOV. BLOS. 68. Felix omnino esses, si motus minus decentes nec sentires quidem : sed et felix eris etiamsi senseris, modo non consentias. In *Canon. vitæ spirit.*, cap. 30.

69. In omnibus ferocientem animi impetum religa et reprime. Lib. 1, *Enchirid. parvulorum*, document. 4.

S. PETR. DAM. 70. Sensuales motus tuos, continentiæ frænis infræna. Serm. 58, *de S. Andræa.*

71. Pudeat eos, qui se mortuos profitentur, motus carnis et passiones animorum adhuc in se procaciter vivere. Serm. 74, *de Spirituali certam.*

72. Mortis cogitatio, turpes abigit motus. *Opusc.* 49, cap. 3.

PHILO JUD. 73. Omnis motus absque favore divino damnosus est. *De migrat. Abrahæ.*

S. THOMAS AQUINAS. 74. Motus humanus a ratione incipit, et in voluntate consummatur. Super 1 *Sent.* dist. 3, *Prologi*, art. 4.

IN VIT. PATR. 75. Tres sunt corporales motus, unus naturalis, alius ex plenitudine ciborum, tertius vero ex dæ-

monibus. Lib. 5, libell. 5, *de Fornicat.*, num 1.

76. In quacumque hora venerit passio, abscide illam, quia fragilis est anima : ante armetur, quam inquinetur. *In sentent.*, sent. 26.

77. Quidam frater requisivit Abbatem Agathonem, dicens : Non discedunt a me passiones. Respondit senex : Vasa ipsorum intra te sunt, da illis arrhas remunerationis ipsorum, et fugient a te. *Ibid.*, sent. 27, etc.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 78. Inter omnes convenire oportet commotiones animorum a recta ratione aversas esse vitiosas. Lib. 4, *Tuscul. quæst.*

79. In omni vita rectissime præcipitur, ut motus animi nimios fugiamus, rationi non obtemperantes. Lib. 1, *de Offic.*

80. Utile est bene uti motu animi, qui uti ratione non potest. Lib. 4, *Tuscul. quæst.*

SENECA. 81. Omnes motus, qui non voluntate nostra fiunt, invicti et inevitabiles sunt. Lib. 2, *de Ira*, cap. 2.

82. Animi motus eos putemus sanissimos validissimosque, qui nostro arbitrio ibunt, non suo ferentur. *Ibid.*, cap. 35.

83. Animi tui motus corporisque observa, ne indecori sint. *De quatuor virt.*

Vide etiam tit. *Gula*, sent. 93, 107.

MULIER.

LACT. FIRM. *Etymologia.* Mulier a mollitie est dicta, immutata et detracta littera, velut mollier. Lib. *de Opificio Dei*, cap. 12.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Verba petulantis mulieris, cupiditatum retia sunt; manus ejus, amoris nodus est. Libro 1, *de Pœnit.*, cap. 13.

S. ANTONIN. 2. Mulier caput est peccati, arma diaboli, qua diabolus sanctos viros dejicit : et laqueus ejus, quo incautos capit. Part. 2, tit. 4, cap. 5, § 1.

3. Cum mulierem vides, non hominem, non belluam, sed diabolum esse credito. *Ibid.*

4. Mulier, quia communiter parvi animi est, gloriam temporalem magnum quid arbitratur. *Ibid.*

5. Mulier est inimicus blandus et occultus, et ideo amarior et periculosior laqueus dicitur dæmonum, quo contemplativos et solitarios capiunt. Part. 3, tit. 1, *de Matrimonio*, cap. 25.

6. Vox mulieris est serpentis sibilus. *Ibid.*

7. Aspectus mulieris est pulcher, tactus fœtidus, conversatio mortifera. *Ibid.*

8. Sicut mulier est mendax in natura, sic et in loquela est mendax. *Ibid.*

9. Mulier est hominis confusio, insatiabilis bestia, continua sollicitudo, indeficiens pugna, viri incontinentis naufragium, humanum mancipium. *Ibid.*

10. Proprietates ac malitiæ mulierum alphabeto exaratæ.

Avidum animal. *Id est.* Avaritiæ deditum.

Bestiale baratrum. *Id est.* Insipidum.

Concupiscentia carnis. *Id est.* Insatiabilis.

Dolorosum duellum. *Id.* Inter virum et uxorem.

Æstuans æstus. *Id est.* Sicut mare per iram et impatientiam.

Falsa fides. *Id est.* Fœmina, minus fide.

Garrulum guttur. *Id est.* Litigiosum.

Herynnis armata. *Id est.* Dea discordiæ.

Invidiosus ignis. *Id est.* Mulieri proprium.

Kalumniarum chaos. *Id est.* Confusio murmurationum, et infamationum.

Lepida lues. *Id est.* Pungit et delectat.

Monstruosum medacium. *Id est.* Illud habet in promptu.

Naufragii nutrix. *Id est.* Vitæ.

Opifex odii. *Id est.* Alterius amorem, odium suum suspicatur.

Prima peccatrix. *Id est.* Peccati causa.

Quietis quassatio. *Id est.* Importuna.

Ruina regnorum. *Id est.* Exemplo Helenæ et aliarum.

Sylva superbiæ. *Id est.* Qua inflatur ad omnem audaciam

Truculenta tyrannis. *Id est.* Si totam domum ei commiseris, serviendum est.

Vanitas vanitatum. *Id est.* Quibus studet hominibus placere.

Xanxia Xerxis. *Id est.* Tumor et impetus Xerxis.

Ymago idolorum. *Id est.* Se ornat et pingit, ut idola.

Zelus zelotypus. *Id est.* Toto zelat.

Part. 3, tit. 1, *de Matrimon.*, cap. 25.

11. Ut ait Theophrastus, non amicum habere possumus, non sodalem : alterius amorem, suum odium suspicatur mulier. Part. 3, tit. 1, *de Matrim.*, cap. 25.

12. Hoc vitium mulierum est, nolle regi, sed furiose agere, et sequi impetus suos sine quacumque pietate. *Ibid.*

13. Affectus mulieris erga bonos viros, licet sanctus, de facili degenerat in carnalem, quia fragilis est naturæ. Part. 3, tit. 16, cap. 1, § 10.

14. Mulieris est domi philosophari, id est in domo operosam continue se reddere, et a discursibus se cohibere. Part. 4, tit. 2, *de Prudentia*, cap. 5, § 2.

15. Non decet mulierem esse querulam, vel litigiosam : quia silentium ornamentum est mulieris. *Ibid.*

S. AUGUST. 16. Nolite vos ipsas contemnere, fœminæ, Filius Dei natus est ex fœmina. *De Agone Christ.*, cap. 11.

17. Infirmus est mulierum sexus ad actiones. *De* LXXXIII *Quæst.*, quæst. 61.

18. Mulier docere non potest, nec testis esse, neque fidem dicere, neque judicare, quanto magis non potest imperare? *De Quæst Vet. et Novi Testam.*, quæst. 45.

19. Mulier longe, libido prope. Super *Psalm.* L.

20. Quanto vilior est mulierum conditio, tanto ruina facilior. *De honest. mulier.*, cap. 3.

S. BASILIUS MAGNUS 21. Sicut stupa ubi ignem olfecit, statim accenditur : ita fœmina masculi corpus contingens, non opus habet multo labore neque amore ut attrahat, statim habet latenter incensam voluptatis scintillam. *De Virginit.*

22. Mulier opum amans, ejusmodi viro conjuncta, duplex morbus est : nam et delicias accendit, et voluptatum amorem auget. Conc. 7, *ad Divites.*, et hab. apud D. Joan. Damasc., lib. 1, *Parall.*, cap. 76.

V. BEDA. 23. Bestia crudelis est, cor pravæ mulieris. In suis *Proverb.*, verbo *Bestia.*

S. BERNARD. 24. Mulier sæcularis organum est Satanæ. Serm. 57, *ad Sororem.*

25. Quid sunt verba sæcularium mulierum, nisi cantus Sirenarum? *Ibid.*

S. BONAV. 26. Non est tutum juxta serpentem dormire, fœmina scorpionis more semper est hominem parata ferire. Nihil enim est in corpore mulieris, quod intuitu non sagittet cor hominis. Serm. 2, *de Invent. S. Crucis.*

27. Mulier, quæ sobrietatem abjicit, et vinum immoderate bibit, virtutibus omnibus januam claudit, et eam vitiis aperit, Sermone 1, *de Ss. Philippo et Jacobo.*

28. Fœmina scorpionis more, semper est hominem parata ferire. Ser. 2, *de Invent. S. Crucis.*

29. Mulier est quotidianum damnum, castitatis impedimentum, domus tempestatis, adulterii vas, viri et continentiæ naufragium, præcipuum prælium, animal pessimum, pondus gravissimum, aspis insatiabilis, humanum mancipium. Lib. 1, *Pharetræ*, cap. 8.

30. Arma diaboli mulieres sunt, et balistæ sunt diaboli de longe infigentes. Tit. 1, *Diætæ*, cap. 9.

S. CYPRIAN. 31. Mulier in risum aliquando dissolvitur, nunc blanditias exhibet, et (quod est venenosius super cuncta) psallere delectatur, aut canere : cujus cantu tolerabilius est audire basiliscum sibilantem. *De singularit. clericorum*, cap. 7.

S. CYRILLUS HIEROSOL. 32. Nullo tot diabolus animas reti capit, quot laqueo pessimo mulierum. Epist. *ad August. de Miraculis D. Hieronymi.*

DIONYSIUS CARTHUS. 33. Mulier virtuosa quanto ex sexu videtur fragilior, tanto ex virtute est præstantior. *De profectu spirit.*

34. Res valde gratiosa, donum præcipuum, beneficiumque præclarum ac pretiosum est mulier sancta. *Prosec.*

35. Mulier sancta est, quæ mente et corpore pura, ac pudorata est.

36. Mulier sancta est, quæ timet incurrere inhonesta et turpia, et quidquid probitati bonisque moribus adversatur, abhorret ac fugit.

37. Mulier sancta est, quæ tacita ori suo ponit custodiam, et linguam suam refrænat ab omni verbo inutili, imo nec in bonis sermonibus modum excedit.

38. Omnis hujuscemodi mulier, sive sit virgo, sive maritata, aut vidua, magnis præconiis est condigna, præsertim si etiam opibus sæculi, potentia propinquorum, nobilitate originis, juventute ac pulchritudine decoretur. *De profectu spirit.*

S. EPHRÆM. 39. Nulla par fera improbæ ac maledicæ fœminæ : quid enim inter quadrupedia leone terribilius; aut inter reptilia dracone crudelius? verum nihil ad malam mulierem. *Adversus mulieres.*

40. Quid est mulier? laqueus comptus, homines in voluptatem illiciens, quæ splendida quidem facie, et excelso collo oculis annuit, et genis arridet. *Ibid.*

41. Quid est mulier? lingua dulciter canens, voce alios decipit et sermone pellicit : vestes trahens et pedibus ludens, forma placens, corpore fornicationem exercens, factisque occidens. *Ibid.*

42. Quid est mulier? naufragium super terram, fons nequitiæ, thesaurus immunditiæ et malitiæ. *Ibid.*

43. Quid est mulier? mortifera conversatio atque confabulatio, oculorum pernities, animarum exitium, cordis spiculum, juvenum perditio, sceptrum inferni. *Ibid.*

44. Quid est mulier? causa diaboli, requies serpentis, dæmonum consolatio, dolor inconsolabilis, caminus succensus, malitia incurabilis, hospitium lascivorum, officina dæmonum. *Ibid.*

45. Quid est mulier? amor flagitiosus, bestia impudens, incontinentissimus impetus, effrænatum os rerum arcanarum, triumphus tenebrarum, dux delictorum, oblectamentorum magistra, insatiabilis concupiscentia, æterni supplicii conciliatrix. *Ibid.*

46. Quid est mulier? prudentia terrena, viri socordia, concumbens incontinentia, excitata cura, vipera vestita, pugna voluntaria, quotidiana calamitas, procella domus, viri naufragium, immanis bellua, adulterorum diversorium, arma diaboli, expetita rabies, exornata mors. *Ibid.*

S. EUSEBIUS 47. Mulier diaboli sagitta est, qua in luxuriam

CÆSARIENS. homo cito trahitur. Epist. *ad Damas. Pap. de Morte D. Hieron.*

48. Nullus in mulierem confidat vivens : si sanctus es, nec tamen securus es ; mulier viri pretiosam animam rapit. *Ibid.*

S. GREGOR. MAGNUS. 49. Mulier recta docere nescit. Lib. 3 *Moral.*, cap. 6 super illud *Tim.* II : *Docere autem mulieri*, etc.

S. GREGOR. NAZ. 50. Mulieres valde ac prompte se ostentare, ac pudoris tegmen ignominia afficere solent. Orat. 7, *in Funere Gorgoniæ sororis suæ.*

S. GREGOR. TAUMAT. 51. Cor mulieris pertranseuntes irretit, ac si vel manum tantum manui connexuerit, non minus stricte retinet, quam si vinculis constrictos traheret. Super *Eccles.*, cap. VII.

S. HIERON. 52. Si mulier suo arbitrio relinquatur, cito ad deteriora delabitur. Epist. 8, *ad Demetriad.*

53. Sampson leone fortior et saxo durior, qui et unus et nudus mille persecutus est armatos, in Dalilæ mollescit amplexibus. *Prosec.*

54. David secundum cor Domini electus, et qui venturum Christum sancto sæpe ore cantaverat, postquam deambulans super tectum domus suæ, Bersabeæ captus est nuditate, adulterio junxit homicidium.

55. Salomon per quem cecinit ipsa Sapientia, recessit ad Domino, quia amator mulierum fuit.

56. Et ne quis sibi de sanguinis propinquitate consideret, in illicitum Thamar sororis Amnon frater exarsit incendium. Epist. 22 *ad Eustoch.*

57. Amor mulieris semper insatiabilis est, qui extinctus accenditur, et post copiam rursum inops est, animumque virilem effæminat, et excepta passione, quam sustinet, aliud non sinit cogitare. Lib. 1 *Adversus Jovian.*

58. Amator Dei, mulieris amore non vincitur. Epist. 1, *ad Demetriad.*

59. Optima fœmina (quæ rarior est Phœnice) amari non potest sine amaritudine metus et sollicitudinis, et frequentis infortunii. *Prosec.*

60. Malæ autem (quarum tam copiosa sunt examina, ut nullus sit expers malignitatis earum) cum amantur, amare puniunt, et afflictioni vacant usque ad divisionem corporis et spiritus. Epist. 51 *ad Rufin.*, *Ne ducat uxorem*

61. Audax est ad omnia, quæ amat vel odit fœmina, et artificiosa cum nocere vult (quod semper est, vel frequenter) cum juvare parat, obest. *Ibid.*

62. Janua diaboli, via iniquitatis, scorpionis percussio nocivumque genus est fœmina : cum proximat, stimulat, et incendit ignem. Epist. 54 *ad Ocean. de vita Clericorum.*

63. Vox mulieris ignita sagitta diaboli est, et labia viri venena præbent mulieri. In *Regula monacharum*, cap. 20.

64. Infortunatissimum mulierum genus, homo capiuntur ut pisces, ad macellum ducuntur ut bestiæ. *Prosec.*

65. Protervæ nimirum fœminæ, semper fictitia cupiunt, semper subornata verba deposcunt, exquirunt mendacia, fabulas novas nunquam fastidiunt : auguriis, veneficiis, et incantationibus dæmonum delectantur. *Ibid.*, cap. 21.

66. Mulierum vox blanditur auribus, et facies oculis. Lib. 1 *de Claustro animæ*, cap. 4. HUGO A S. VICTORE.

67. Amor mulieris est quasi quædam vorago mortis, velut unda submergens. Lib. 1 *de Nuptiis carnalibus.*

68. Non acquiescit mulier superba viro sapienti, nec potentem veretur irata. *Ibid.*, cap. 1.

69. Totæ Euripidis tragediæ in mulierum maledicta sunt : unde Hermione loquitur : Mialarum me mulierum decepere consilia. *Ibid.*

70. Scribit Herodotus quod mulier cum veste deponit verecundiam, quod sine teste gerit, quasi non fecerit, obliviscitur : si quis autem testis affuerit, ipsa tamen artificio linguæ fateri cogit eum non vidisse quod viderit : quod verbis excusare non valet, hoc lachrymis excusat. *Ibid.*

71. Mulier blanditur oculis, seducit osculis, amplexibus instat et vincit. *Ibid.*

72. Amant mulieres civitatum frequentiam, platearum plausus, fori spectacula, otiosorum confabulationes ; interesse choreis gaudent, videre et videri summum bonum existimant. *Ibid.*

73. Causa mali mulier, initium culpæ, fomes peccati. *Ibid.*, cap. 2.

74. Mulier subvertit justum, sapientem decipit, exsuperat fortem. *Ibid.*, cap. 2.

75. Nonne David virum sanctum, qui leoni et urso non cessit, qui Philisthæi frontem lapide comminuit, mulieris aspectus traxit ad culpam?

76. Quid tam ingens Sampsoni virtus, vel quid Salomoni tam laudanda profuit sapientia? vicit enim utrumque mulier. *Ibid.*

77. Sicut ignis non satiatur combustibilibus, et avaritia numquam satiatur pecunia : sic ardor mulieris, numquam dicit : Sufficit. *Ibid.*

78. Conditiones mulieris septem : fallax, garrula, curiosa, inconstans, adulatrix, amara, pertinax. Super *Proverb.*, cap. V. HUGO CARD.

79. Mulier nequam substantiam annihilat, corpus polluit, vocem acerbat, vires diminuit, oculos orbat, et animam (quod pejus est) necat. *Prosec.*

80. Comparatur leoni et draconi simul : leo enim aperte nocet, draco occulte nocet ; mulier nequam et aperte et occulte. Super *Ecclesiastic.*, cap. XXV.

81. Mulier quem semel oderit, vix aut nunquam diliget de cætero. *Ibid.*

S. JOANNES CHRYSOST.

82. Mulier ab initio viro par erat dignitate, sed honore abusa est. Hom. 29, super *Gen.*

83. Mulier contentiosum est animal, avidumque victoriæ. Homil. 4 *de Fide Annæ.*

84. Mulier si ad malitiam declinat, magna mala patrat : si ad virtutem se applicet, anima potius eam destituet, quam propositum mutet. *Ibid.*

85. Mulier mala et inimica, adjutorium est diaboli, non mariti. Homil. 6 *de Job.*

86. Onerosum ac durum valde est, omni nequitia plenam mulierem tenere : et tam atrocem belluam in penetralibus domus sævientem fovere. Homil. 63, super *Matth.*

87. Sexus mulierum incautus et mollis est. Incautus, quia non omnia, quæ videt aut audit, cum sapientia et ratione considerat : mollis, quia facile flectitur, vel de malo ad bonum, vel de bono ad malum. *Ibid.*, homil. 44.

88. Quid aliud est mulier, nisi amicitiæ inimica, ineffugabilis pœna, necessarium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura boni colore depicta? Homil. 32, super *Matthæum, Oper imperfect.*

89. Ego existimo nullam in hoc mundo bestiam comparabilem mulieri malæ. *Prosec.*

90. Quid inter quadrupedia animalia leone sævius? sed nihil ad hanc, nam leo in malo inferior est.

91. Quid in serpentibus dracone atrocius? sed ne hoc quidem juxta mulierem malam conferri potest, nam draco in malo inferior est.

92. Danielem leones in lacu reveriti sunt; justum vero illum Naboth Jezabel interfecit.

93. Cetus Jonam in ventre custodivit, Dalila autem Samson circumventum illecebris, raso etiam capite deformatum, alienigenis tradidit.

94. Dracones et aspides Joannem Baptistam in deserto viventem subdita feritate tremuerunt : Herodias vero eidem caput abscidit, et tanti viri mortem in pretium saltationis accepit. Homil. 14, *Ex divers. in Matth.*

95. O malum summum, et acutissimum telum diaboli, mulier! Per mulierem Adam in paradiso diabolus prostravit, et de paradiso exterminavit. Per mulierem mitissimum illum David, ut necem militis sui innocentis Uriæ in epistola dolo mandaret armavit. Per mulierem sapientissimum Salomonem in prævaricationis sacrilegium præcipitavit. Per mulierem fortissimum Samson rasum inductum, rasumque cæcavit. Per mulierem castissimum Joseph vinculis alligatum detrusit in carcerem. Per mulierem illum totius mundi lucernam Joannem capite truncavit. Per mulierem Angelos e cœlo deposuit, id est, homines sanctos, qui ad cœlum pergebant. Per mulierem cuncta omnino prosternit et jugulat, omnes interficit, omnes elidit. *Ibid.*

96. Mulier impudens nemini parcit, non levitam honorat, non sacerdotem reveretur, non Prophetæ defert. *Ibid.*

97. O malum omni malo pejus, mulier mala! sive illa pauper sit, sive dives, duplex malum est. *Ibid.*

98. Intolerabilis vipera, immedicabile venenum, mulier mala. *Ibid.*

99. Mulier mala si injuriam patitur, insanit : si honorem accipiat, extollitur. *Prosec.*

100. Si potentis alicujus uxor sit, non cessat die ac nocte virum suum callidis stimulare sermonibus, blanda nequiter, et importuna violenter, donec mentem extrudat, ut sibi similem faciat.

101. Si pauperem habeat virum, ipsum ad iracundias et rixas excitare non desinit.

102. Si vidua sit, omnes passim despicit, et ad omnem audaciam superbiæ spiritu inflatur.

103. Timore Dei non refrænat linguam suam, nec futurum judicium prospicit, nec ad Deum attendit : non amicitiæ jura servare novit, nec religionis fidem vereri. *Ibid.*

104. Mulieris officium est, ut parta custodiat, ut conservet reditus, et curet rem domesticam. Hom. 22, *Ex divers. in Matth.*

105. Mulier non potest in senatu sententiam dicere, sed potest de re familiari ferre sententiam. *Ibid.*

106. Hoc est divinæ providentiæ, ut maritus qui in majoribus negotiis est utilis, in minoribus reperiatur deterior; ut necessaria sit mulierum opera. *Ibid.*

107. Mulieres ingenio sunt superbo, honorisque cupido : si opes quoque accesserint, quomodo erunt maritis tolerabiles? *Ibid.*

108. Nihil potentius muliere bona, ad instituendum et informandum virum quodcumque voluerit. Homil. 60, super *Joan.*

109. Sicut ad virtutem mulier, ita ad malitiam plurimum potest : mulier Absalom, mulier Amnon perdidit, ipsa Nabal a cæde eripuit, ipsa universam gentem liberavit. *Ibid.*

110. Muliebre genus temerarium est, et inferno ejus assimilitur cupiditas. *Ibid.*, homil. 86.

111. Nihil fœdius muliere, quæ in deliciis agit : nihil turpius ea quæ ebria est. Obscuratur illi flos visus, turbatur serenitas et puritas oculorum, quasi nube quadam radiis solaribus succedente. Homil. 27, in *Act. Apostol.*

112. Da formosam mulierem, turbulentam, loquacem, convitiatricem, ebriam, ac sumptuosam ; nonne quasi fœda et turpi deformior? *Prosec.*

113. At si erubescat, sileat, modeste loquatur, jejuniis vacet, duplex pulchritudo, amplior formositas, gratior vultus, continentiæ ornatu plenus. *Ibid.*

114. Nihil molestius juveni muliere, cui non assentitur, nihil detestabilius, nihil gravius. *Ibid.*, homil. 49.

115. Sicut mulier adjutrix est, ita sæpe et insidiatrix fit. Serm. *de Libello repudii.*

116. Mulier gravis rhetor est, ad decipiendum eos qui inconsultiores sunt. Homil. 28, super I *Cor.*

117. Nihil est tam turpe, quam mulier vorax. *Ibid.*, homil. 39.

118. Mulieres excellunt viros pudicitia, fervore, pietate et dilectione. Serm. 13, super *Epist. ad Ephes.*

119. Magnum bonum est mulier, sed etiam magnum malum. Homil. 29, super *Epist. ad Hebr.*

S. JOANNES DAMASCEN. 120. Intolerabilis est mulier, quæ assentationibus demulcetur : quæque vultum tanquam pratum quoddam variis floribus ornat, et fuco genas rubicundas reddit, et mollem vestem suam unguentis perfundit. Lib. 1 *Parall.*, cap. 76.

121. Mulier jumentum malum, vermis repens, atque in Adamo domicilium habens, mendacii filia, paradisi custodia, Adami expultrix, hostis perniciosa, pacis inimica. *Ibid.*

S. LAURENT. JUSTIN. 122. Sexus muliebris semper suspectus est, illo frequentissime abutitur diabolus, ut robustissimos telis fœmineis prosternat viros. *De triomphali Christi agone*, cap. 8.

PETR. BLES. 123. Animal inquietum est mulier, apta jurgiis et contentionibus, seminandis discordiis accommoda. Serm. 33, in *Festo omn. SS.*

S. PETRUS CHRYSOL. 124. Mulier est mali causa, peccati auctor, via mortis, sepulchri titulus, inferni janua, lamenti necessitas tota. Serm. 79.

S. PROSPER. 125. Mulierum quisque nomina frequenter habet in ore, quarum desideria vulnerato gestat in corde. Lib. 3, *de Vita contemplat.*, cap. 6.

S. THOMAS AQUINAS. 126. Sicut mulieres sunt mollioris corporis, quam viri, ita et debilioris rationis. Super I *Tim.* cap. 2, lect. 2.

127. Propria passio mulierum est concupiscentia. Opusc. 9 *de Decem præcept.*, præcept. 6, verbo *Non mœchaberis.*

IN VIT. PATR. 128. Corpus mulieris, ignis est. Lib. 5, libel. 4, *de Continentia*, num. 68.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 129. Mulier misericors magis est, et ad lacrymas propensior, quam vir ; est invida item magis et querula, et maledicentior, et mordacior atque impudentior, et mendacior; quin etiam facilior decipi, meminisseque aptior, ad hæc vigilantior, segnior, immobilior denique est. Lib. 9, *de Histor. animal.*, cap. 1.

130. Mulieres optimatum in deliciis vivunt. Lib. 4, *Polit.*. cap. 15.

CICERO. 131. Nulla potest honesta ratio retinere mulierem, quam magnitudo peccati facit timidam, intemperantia audacem. Lib. 4, *de arte Rhetoric. ad Herenn.*

132. Cum cujusque animus mulieris est corruptus, corpus castum esse non potest. *Ibid.*

133. Viros ad unumquodque maleficium singulæ cupiditates impellunt : mulieres autem ad omnia maleficia cupiditas una ducit. *Ibid.*

134. Magna certe fœminarum miseria est, quia quamdiu vivunt, parere semper coguntur : aut enim innuptæ parentibus, aut nuptæ maritis parent et serviunt : sic quominus liberæ, eo magis miseræ; nec unquam liberæ, nisi e vita profectæ. *De Consolat.*

MIMUS PUB. 135. Aut amat, aut odit mulier, nihil est tertium. In suis *Sent.*, sent. 6.

136. Aperte mala cum est mulier, tum demum est bona. *Ibid.*, sent. 20.

PLATO. 137. Muliebre genus aliud est, et plane diversum ab hominis genere, magis latens et versutum, propter naturæ imbecillitatem. Lib. 6, *de Legibus.*

SENECA. 138. Nihil tam mobile, quam fœminarum voluntas, nihil tam vagum. *De remediis fortuitor.*

Vide etiam tit. *Amaritudo*, sent. 46; *Castitas*, sent. 73; *Custodia*, sent. 10; *Deliciæ*, sent. 65; *Domus*, sent. 32; *Ebrietas*, sent. 17; *Familiaritas*, fere per totum; *Fornicatio*, sent. 59; *Jejunium*, sent. 66; *Laqueus*, sent. 39; *Locutio*, sent. 11; *Maria*, sent. 203: *Meretricium*, sent. 5, 47, 78; *Ornatus*, fere per totum; *Placere*, sent. 4; *Pudicitia*, sent. 50, 72, 73; *Pulchritudo*, sent. 63, 89; *Taciturnitas*. sent, 103; *Victoria*, in genere, sent. 39.

MULIERIS VIOLATIO.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Aperite aures, virgines Dei; virgo prostitui potest, adulterari non potest. *Prosec.*

S. AUGUST. 2. Ubicumque virgo est, Dei templum est : nec lupanaria infamant virginitatem, sed virginitas etiam loci abhorret infamiam. Lib. 2, *de Virgin.*

3. Quidquid in virgine nec commisit, nec permisit libido patientis, solius erit culpa facientis, omnisque illa violentia non pro corruptionis turpitudine, sed pro passionis vulnere deputabitur. Epist. 122, *ad Victoriam.*

4. Violentia non violatur pudicitia, si mente servatur : quoniam nec in carne violatur, quando voluntas patientis sua turpiter carne non utitur,

sed sine consensione tolerat quod alius operatur. Epist. 180, *ad Honorat.*

5. Aliena libidine pudicitia non potest violari. *De mendac.*, cap. 7.

6. Pudicitiam corporis, non consentiente ac permittente anima, nemo violat. *Ibid.*, cap. 19.

7. Pudicitia est res animi, virginitas corporis : denique illa integra in animo permanente, potest ista de corporis violenter auferri ; et cum ista integra manet corpori, potest illa in animo lasciviæ voluntate corrumpi, Lib. 4, *contra Julian.*

S. CÆSAR. ARELAT. 8. Cavete ne a vobis virginitatis bonum pereat, cui facere nihil potestis ut redeat. *Prosec.*

9. Non enim habent quid faciant, ut virgines sint, in quibus factum est, ut virgines esse non possint. *Epist. ad quosdam.*

S. EPHRÆM. 10. Turpissima illius est facies, cujus violata est virginitas. *Ad Monachos*, parænes 1.

GILLEBERT. ANGLUS. 11. Læsa virginitas condonari solet, sed redonari non valet. Serm. 40, super *Cant.*

S. HIERON. 12. Audacter loquar ; cum omnia possit Deus, suscitare virginem non potest post ruinam : valet quidem liberare de pœna, sed non vult coronare corruptam. Epist. 22, *ad Eustoch.*

13. Corpus mulieris non vis maculat, sed voluntas. *In Quæst. hebraicis* super *Genes.*

14. Vas Christo oblatum, Domino dedicatum, dementi temeritate polluere, sacrilegium est. Epist. 22, *ad Susannam, in corruptorem ipsius.*

S. ISIDORUS HISPAL. 15. Omne peccatum per pœnitentiam recipit vulneris sanitatem, virginitas autem, si labitur, nullatenus reparatur. *Prosec.*

16. Nam quamvis pœnitendo veniæ fructum percipiat, incorruptionem tamen nulla tenus recipit pristinam. Lib. 2, *De Summo bono,* cap. 40, sent. 6.

MULTILOQUIUM.

HUGO A S. VICTORE. *Definitio.* Multiloquium est, per quod levitas interior, stulta verborum effusione monstratur. *De fruct. carnis et spirit.*, cap. 4.

S. AUGUST. Multiloquium est superflua locutio, vitium scilicet loquendi amore contractum. Lib. 1, *contra Crescon.*, cap. 1.

S. THOMAS AQUINAS. *Differentia.* Inter multiloquium et scurrilitatem hoc interest : quod multiloquium pertinet ad verba superfluitatis, scurrilitas vero pertinet ad verba ratione inhonestatis. 2, 2, quæst. 148, art. 6.

DIONYSIUS CARTHUS. *Productio.* Verbositas et curiositas, ex otiositate nascuntur. Super I *ad Timoth.*, cap. v.

HUGO A S. VICTORE. Multiloquium contentiones generat. *De institut. Novitiorum*, cap. 6.

S. JOAN. CLIM. Ex lapide quidem, ac ferro excutitur ignis : ex loquacitate vero, mendacium nascitur. Gradu 12.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Alliga sermonem tuum ne luxuriet, ne lasciviat, et multiloquio peccata sibi colligat : sit restrictior, et ripis suis coerceatur, quia cito lutum colligit amnis exundans. Lib. 1 *Offic.*, cap. 3. S. AMBROS.

2. Copiosum in multiloquio peccatum est. Lib. 3, *de Virgin.*

3. In multiloquio nequaquam qui exeat sermo trutinatur, sed imprudenter labitur. Lib. 1, *de Caïn et Abel,* cap, 9.

4. Loquacitas innocentiæ virtutisque est naufragium, atque incentivum prolapsionis et culpæ. Super *Psalm.* XXXVI. S. ANTONIN.

5. Multiloquium est tertia filia gulæ : ex nimia enim comestione et potu, communiter sequitur loquacitas. Part. 2, tit. 6, cap. 5, § 4.

6. Absit ut multiloquium deputetur, quando necessaria dicuntur, quantalibet sermonum multitudine, ac prolixitate dicantur. Lib. 1, *Retract.* In prolog. S. AUGUST.

7. Omne multiloquium a gentilibus venit, qui exercendæ linguæ potius quam mundandæ dant operam. *De Serm. Dom. in monte.*

8. Vir linguosus amat et mendacia, quid enim illi est voluptas, nisi loqui? non attendit quid loquatur dum loquitur, non potest fieri ut iste dirigatur. Super *Psalm.* CXXXIX, vers. 12, *Vir linguosus non dirigetur.*

9. Qualis est homo in mente, talem verbositas depingit in ore. Serm. 3, *ad Fratr. in eremo.*

10. Verbositas hominem conducit in joculatorem, humanæ naturæ dignitatem deponit, honores sibi rapit, inimicos infinitos acquirit. *Ibid.*

11. Inflammat linguæ mobilitas in adolescentia ad jocosa, in virili ætate ad fraudulenta, sed in senili ad detractoria. *Ibid.*

12. O verbose! erubesce : o loquax! cognosce te ipsum. *Ibid.*

13. Non opus verborum multitudine, ubi multum urget affectus. Epist. 317, *ad Malachiam archiep.* S. BERNARD.

14. Monstruosa res lingua magniloqua, et manus otiosa : sermo multus, et fructus nullus. Lib. 2, *de Considerat. ad Eugen. pap.*

15. O quantum aufert devotionis, quantum affert dissolutionis intrinsecus, frequens linguæ resolutio! *Prosec.*

16. Nam sicut fornax, cujus os semper apertum est, non potest in se retinere fervorem : sic nec cor devotionis in se poterit gratiam conservare, cujus os non fuerit janua silentii reclusum. Lib. *de Passione Domini*, cap. 27.

17. Loquacitatis vitium maxime devitent virgines pudicæ, si volunt virtutem pudicitiæ conservare : omnis enim loquacitas indicium impudici-

tiæ est, quia nequaquam potest esse simul cum pudicitia. *Ibid.*

18. Nondum certe ad summitatem virtutis pervenerunt, qui linguam suam a multiplicitate verborum nesciunt, sive nolunt refrænare. *Prosec.*

19. Tanto altius se quisque noverit in virtutum gradibus ascendisse, quanto minus colloquiis humanis delectatur. *Ibid.*

20. Multiloquia non effugiunt culpam, multiloquium non declinat peccatum. Serm. 30, *ad Sororem.*

21. Loqui multum, stultitia est. *Ibid.*

S. BONAV. 22. Frustra ille religiosus gloriatur de possessione virtutis in corde, qui dissipat disciplinam silentii per inquietudinem multiloquii. *De perfect. vitæ ad Sorores*, cap. 4.

CLEM. ALEX. 23. Laqueus viro validus, labia sunt propria, et capitur verbis oris proprii. Lib. 2, *Stromat.*

S. CYRILLUS HIEROSOL. 24. Nulla certe permanet in homine quies mentis, qui multorum verbositatibus implicatur. Epist. *ad Aug. de miraculis D. Hieronymi.*

S. DIADOCH. 25. Multus sermo mentem immoderate distrahens, non solum otiosam efficit, sed etiam dæmoni acediæ eam prodit. *De perfect. Spirit.*. cap. 96.

DIONYSIUS CARTHUS. 26. Multiloquium, est vanæ gloriæ cathedra, porta detractionis, origo mendacii, resolutio compunctionis, impedimentum divinæ illuminationis, mater acediæ, exterminatio exterioris custodiæ, frigefactor fervoris, obscurator orationis, scurrilitatis indevotionisque causa. *De profess. Monast.*, art. 19.

S. DOROTH. 27. A mutiloquio abstine; hoc enim rationabiles, et cordi e cœlo advenientes cogitationes extinguit. *Doctr.* 24.

S. EPHRÆM. 28. Multiloquium mentem sensumque obtenebrat. *Ad Monachos*, parænes. 46.

S. EUSEBIUS CÆSARIENS. 29. Ubi est multiloquium, ibi frequenter mendacium : ubi mendacium est, ibi peccatum. Epist. *ad Damas. Pap. de morte D. Hieron.*

GLOSS. INT. 30. Cui voluptas est loqui, non attendit quid dicat. Super illud *Psalm.* cxxxix. *Vir linguosus*, etc.

S. GREG. MAG. 31. Mens per multiloquium exterius sparsa, vim intimæ considerationis amittit. Lib. 7, *Moral.*, cap. 17.

32. Multiloquio quisque serviens, rectitudinem justitiæ tenere non potest. *Ibid.*, Et in *Pastor.*, part. 3, cap. 1. adm. 15.

33. Mentis justitia desolatur, quando ab immoderata locutione non parcitur. *Ibid.*

34. Inimicus tanto civitatem mentis sine labore superat, quanto et hæc eadem, quæ vincitur, contra semetipsam per multiloquium pugnat. *Ibid.*, super illud *Proverb.* xxv. *Sicut urbs patens.*

35. Vir verbosus justificari nequaquam potest. *Ibid.*, lib. 10, cap. 2.

36. Valde difficile est, ut qui multa loquitur, non etiam mentiatur. Homil. 12, super *Ezech.*

37. Taciti sæpe, linguam quia immoderatius premunt, in corde gravius multiloquium tolerant. Part. 3. *Pastoral*, cap. 1, admonit. 15.

38. Multiloquio vacantes, vigilanter aspiciant a quanto rectitudinis statu depereunt, dum per multiplicia verba dilabuntur. *Ibid.*

39. Si ratio de otioso sermone exigitur, pensandum valde est quæ pœna multiloquium manet. *Ibid.*

40. Ex multiloquio fallacia generatur. Homil. 12 super *Ezech.*, super illud : *Et dabis contra eam castra.*

41. Multum quippe deorsum ducimur, dum locutione continua sæcularibus admiscemur. Lib. 3., *Dialogi*, cap. 15, verbo *Apud.*

42. Immodicus sermo auribus inimicus est, non secus atque immoderatus cibus corpori. Et habetur apud D. Joan. Damasc., lib. 1 *Parall.*, cap. 79. S. GREG. NAZ.

43. Verborum multorum nulla est utilitas. Super *Ecclesiastic.*, cap. XII. S. GREGOR. TAUMAT.

44. In multiloquio Deus haberi et contemplari non potest. In *Regula monacharum*, cap. 23. S. HIERON.

45. Grave vitium stultitiæ, sed non levius est verbositatis. Lib. 3, super *Proverb.*, cap. XXIX Super illiud : *Velocem ad loquendum.*

46. Affluentiam ciborum comitari solet inundatio verborum. Lib. 2, *de Claustro animæ*, cap. 20. HUGO A S. VICTORE.

47. Nimis difficile est, vel impossibile, multa loqui sine peccato. Super *Prov.*, cap. xxv. HUGO CARD

48. Incorrigibilitatis et stultitiæ signum probatissimum, est verbositas. *Prosec.*

49. Nam verbosus semper loquitur, et ideo non cogitat quid sibi dicatur, sed qualiter obloquatur. *Ibid.*, cap. XXIX.

50. Qui facit consuetudinem multa loqui, necesse est ut aliquando importuna loquatur. Homil. 12, super *Matth. Oper. imperfect.* S. JOANNES CHRYSOST.

51. Infinita mala ex verbositate sæpius acciderunt : domus eversæ sunt, amicitiæ dissipatæ, et alia multa contigerunt. Homil. 21, super *Epist. ad Hebræos.*

52. Loquacitas est inanis gloriæ sedes, per quam se ipsam judicare, atque in publicum producere solita est. Gradu 2. S. JOAN. CLIM.

53. Loquacitas est ignorantiæ certum argumentum, detractionis janua, scurrilitatis dux, mendacii opifex, compunctionis desolatio, acediæ auctor, sive evocatrix, somni præcursor, intentæ cogitationis dissipatio, custodiæ exterminatio. *Ibid.*

54. Qui possidet animi luctum, ut ab igne, ita fugit a loquacitate. *Ibid.*

AN. TRIT. 55. Grande malum loquacitas, quia nihil est quod adeo hominem vituperet, quomodo multiloquium. Super *Prolog. Regul. S. Bened.*, cap. 2, text. 8.

56. In multiloquio rectitudo justitiæ teneri non potest. *Ibid.*

57. Pensemus quæ pœna multiloquio maneat, si tanta districtione levia et otiosa puniantur. *Ibid.*

58. Signum stultitiæ est loquacitas. *Ibid.*

59. Sicut mentiri non potest, qui non loquitur : ita male loqui non valet, qui multiloquium non amat. In cap. 4, *Regul. S. Bened.*, verbo *Sicut.*

60. Animam multiloquium maculat et lædit. *Ibid.*

61. Qui quietem solitudinis diligit, os suum a multiloquio recludit. *Ibid.*, gradu 9.

62. Multiloquium est insipientiæ argumentum, detrectationis porta, manuductor scurrilitatis, mendacii minister, compunctionis resolutio, acuitatis intelligentiæ dispersio, acediæ conditor, dissipatio mentis, frigefactio fervoris, obnubilatio orationis. *Ibid.*

ID. HISP. 63. Dum multa parva vitiorum verba non evitamus, in magno linguæ prolabimur crimine. Lib. 2, *de Summo bono*, cap. 29, sent. 1.

64. Imperiti sicut loqui nesciunt, ita multiloquiorum stultitia tacere non possunt : mente enim ineruditi sunt, ore loquaces, verbis perstrepunt, sensu nihil dicunt. *Ibid.*, sent. 3, etc.

65. Multiloquium non effigit culpam, multiquium non declinat peccatum : fluvius exundans cito colligit lutum. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 8.

66. Linguosus homo, imperitus est; sapiens verbis utitur paucis, brevem sermonem sapientia facit. *Prosec.*

67. Loqui multum, stultitia est : vox enim insipientis, in multiplicitate est sermonis. *Ibid.*, etc.

URENT. STIN. 68. Nihil sic dissolvit mentem, compunctionem dissipat, confusionem inducit, denigrat honestatem, et interioris gustus dulcedinem tepefacit, sicut inanis et præsumptuosa loquacitas. *De disciplin. monas.*, conversat., cap. 5.

NILUS. 69. Parce utere lingua, sæpe enim proferuntur, quæ melius fuisset celari. *Parœnes.* 45.

PETR. AM. 70. Confabulatio crebra, in mente monachi esuriem parit : secreta remotio animam in assuetæ continentiæ rigore custodit. *Opusc.* 12, cap. 25.

HOMAS EMPIS. 71. Non est parvum damnum, perdere devotionis gratiam per multiloquium. Ser. 19, *ad Novit.*, divis. 13.

ALER. SCOP. 72. Certum est amari oris studio aliquoties venena componi, et nimia facilitate labiorum frequenter odia comparari. Homil. 5, *de Oris insolentia.*

73. Ferri spicula per cœlum volantis, facile scuti objectione contemnis : verborum vero jactus nec revocari possunt, nec prohiberi, multo enim velociores sagittis sunt. *Prosec.*

74. Quæ autem ibi propugnacula subveniant, aut quæ munitio tam parata succurrat, ubi emissum telum pene ante percutit, quam procedit? *Ibid.*

75. Quomodo potest fieri, ut homo magniloquus aut maliloquus, non habeatur ingratus? *Ibid.*

Vide etiam tit. *Consolatio*, sent. 13; *Doctrina*, sent. 71; *Fraternitas*, sent. 19; *Lingua*, sent. 29; *Monachus*, sent. 169; *Taciturnitas*, sent. 18.

MULTITUDO.

Origo. Omnis multitudo ab unitate trahit originem. Lib. *Compend. Theolog. verit.*, cap. 3. S. BONAV.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Concordia multitudinis, Deum ad exaudiendum promptiorem habet. *Apolog. ad Imp. Constantium.* S. ATHAN. MAGNUS.

2. Perpetienda sunt vitia multitudinis, ut curentur : et prius toleranda, quæ sedenda est pestilentia. *De Moribus Eccles.*, cap. 32. S. AUGUST.

3. Quævis multitudo eo minus vincitur, quo magis in unum coït : unde ipsa coitio in unum, cuneus nominatus est : quasi coüneus. Lib. 2, *de Ordine*, cap. 18.

4. Si contagio peccati multitudinem invaserit, disciplinæ divinæ severa misericordia necessaria est. Lib. 3, *contra epist. Parmeniani*, cap. 2.

5. Timenda est ruina multitudinis, etsi non magnitudinis. Serm. *Dom.* 4, *Quadrag.*

6. Justum est ut qui cum multorum destructione se perdiderit, cum multorum ædificatione se redimat. Serm. 4, *de Defunctis.*

7. Non in multitudine exercitus est victoria belli, sed de cœlo fortitudo est. Serm. *ad Milites templi*, cap. 4. S. BERNARD.

8. Ubi multitudo, ibi frequentes strepitus, et magna distractio cordis. In *Alphabeto Religios.*, lect. 4. S. BONAV.

9. Infelix solatium est turba miserorum. Homil. 15. S. CÆSARIUS ARELAT.

10. Non est multitudo, quæ non sit unius particeps, sed id quidem quod multa est partibus, toto unum est, et quod multa est accidentibus, unum est subjecto. *Prosec.* S. DIONYS. AREOPAG.

11. Quod multa est numero, vel virtute: id unum est specie : quod speciebus est multa, genere est unum.

12. Quod denique multa est eruptionibus, unum est principio : nec quidquam est, quod non aliqua ex parte unius sit particeps : ac sine uno quidem multitudo non erit : unum autem erit, sine multitudine. *De Divin. nomin.*, cap. 13.

S. EUCHER. 13. Ad negligentiam vitæ, non nos negligentium turba persuadeat : nec ad damnum propriæ salutis multitudinis ducamur erroribus. *Prosec.*

14. Quid nobis in illo Dei judicio proderit multitudo, ubi singuli judicabuntur, ubi sola examinatio meritorum, actus quemque non populus absolvent?

15. Præstat vitam propagasse cum paucioribus, quam perdidisse cum pluribus. In *Epist. parænetica ad Valerian.*

GLOSS. INT. 16. Mali sunt in multitudine, boni in unitate. Super *Judith.*, cap. v.

GLOSS. ORD. 17. Multi minimi dum congregantur unanimes, fiunt magni : et multorum preces impossibile est, ut non impetrent. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 15, in illud : *Ut adjuvetis in orationibus vestris.*

S. GREGOR. MAGNUS. 18. Hæreditas Domini, multitudo fidelium est. Lib. 4, in I *Regum*, cap. v, super illud : *Unxit te Deus in principem.*

S. HIERON. 19. Multitudo peccantium, peccandi licentiam subministrat. Epist. 12, *ad Gaudentium.*

20. Multitudinis numerus semper in vitio est. Lib. 8, super *Isaiam*, cap. 66, super illud : *Antequam parturiret.*

21. Quidquid a multis peccatur inultum est : multitudo enim peccantium impetrabiliorem facit impiis veniam. Lib. 13, super *Ezech.*, cap. 44, super illud : *Sacerdotes autem, Levitæ*, etc.

S. JOANNES CHRYSOST. 22. Multitudo mater est seditionis, et contumaciæ : paucitas autem, magistra est disciplinæ. Homil. 1, super *Matth. Oper. imperfect.*

23. Non numero magno, sed probata virtute multitudo censenda est. Homil. 24, super *Acta Apost.*

24. Si sint in Ecclesia homines clari, erit etiam multitudo : si autem non sint, non erit in Ecclesia honesta multitudo. *Ibid.*

25. Ubi Christus medius, magna multitudo est. *Ibid.*, homil. 26.

26. Sicut plurimum valet multitudo, cum adest virtus : ita si adsit malitia, nihil prodest multitudo. Homil. 2, super XI *Cor.*

27. Nullam confert utilitatem multitudo; si vitiose vivat : e contra damnum ex hoc nascitur. Homil. 17, *ad populum Antiochenum.*

28. Non in numeri multitudine, sed in virtutis probitate multitudo consistit. *Ibid.*, homil. 40.

JOAN. TRIT. 29. Multitudinem unitas refugit, unum unitas requirit : nam quantum multitudini concesseris, tantum ab unitate recesseris. Part. 1, *de Regione claustral.*, tract. 3, regula 3, art. 1.

30. Multitudo est unitati opposita : et quanto se mens ad multa contulerit, tanto ab unitate recedit. *Ibid.*, art. 4.

31. Qui in multitudine versatur, assiduis vulneribus afficitur. Orat. 2, *de Luxuria.* S. NILUS.

32. Principium malorum omnium, est multitudo : principium autem bonorum, coangustatio et a turbis in singularitatem redactio. Homil. 9, in cap. 17, *Ezech.* ORIGENES.

33. Nullum inexorabilius persequitur multitudo, quam illum qui sibi multitudinis arrogat principatum. Serm. 59, *de S. Nicolao.* S. PETR. DAM.

34. Apud homines injusta multitudo pluris, quam unus justus æstimatur : apud Deum vero bonitas rara præfertur iniquis innumeris. *De migrat. Abrahæ.* PHILO JU[DÆUS]

35. Ubi major est peccantium turba, ibi major est divinitatis injuria. Lib. 3, *de Gubern. Dei.* SALVIANUS

36. Qui amat misceri multitudini, crebra suscipiet vulnera. Lib. 5, libell. 2, *de Quiete.*, num. 11. IN VIT. PA[TR.]

SENTENTIÆ PAGANORUM.

37. Multitudo necessitati potius, quam rationi, et pœnis, quam honestati paret. Lib. 10, *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 9. ARISTOTE[LES]

38. Mota semel multitudo, modum non servat. Lib. 5, *Declamat. controvers.* 8. SENECA.

39. Facit consuetudinem peccandi, multitudo peccantium. Lib. 1, *de Clem. ad Neron.*, cap. 21.

40. Quid tibi vitandum præcipue existimem, quæris? turbam : nondum illi te tuto commiseris. *Prosec.*

41. Inimica est multorum conversatio : quo major est populus, cui commiscemur, hoc periculi plus est. Epist. 7.

42. Fuge multitudinem, fuge paucitatem, fuge etiam unum. Epist. 10.

43. Multitudini placere ne satagas. Sent. 104.

Vide etiam tit. *Solitudo*, sent. 117; *Via*, sent. 107.

MUNDUS.

Definitio mundus est universitas rerum ab arte divina conditarum, quæ res ab ejus dominantissimo et liberrimo regimine suis legibus ordinantur. Part. 4, in *Descript. termin.* JOAN. GE[RSON]

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Qui delectatur hoc mundo, et tripudiat in voluptatibus mundanis, obnoxius est sensuum passionibus, atque in his habitat et diversatur. *De fuga sæculi.*, cap. 4. S. AMBR[OSIUS]

2. Christianus qui mundum non possidet, hic totum possidet Salvatorem. Serm. 51, *de Juda.*

3. Omnia quæ nascuntur in mundo, infirma, caduca, corruptibilia ac vana sunt. Super *Epist.*

ad Rom. cap. 8, in illud: *Vanitati creatura subjecta est.*

S. ANSELM. 4. Pensa quantalibet mundi gloria potitus fueris, quis sit finis, et in fine quis fructus, quod præmium : et e contra quæ sit expectatio mundi gloriam conculcantium. Epist. 3, *ad Henricum.*

S. ANTONIN. 5. Ipse mundus dum tot amaritudinibus cruciat, dum tot calamitatibus ingeminat, quid aliud nisi ut non ametur, clamat? Part. 4, tit. 3, cap. 7, § 8.

S. ANTONIUS DE PADUA. 6. Carcer est hic mundus, et fornax Babylonis. Serm. *Dominicæ* 22 *post Trinit.*

S. AUGUST. 7. Amici hujus mundi tam timent ab ejus amplexibus separari, ut nihil eis sit laboriosius, quam non laborare. *De vera Religione*, cap. 35.

8. Magnus est hic mundus, qui sæpe in Scripturis divinis, cœli et terræ nomine nuncupatur : cujus omnes partes si proportione minuantur, tantus est; etsi proportione augeantur, nihilominus tantus est : quia nihil in spatiis locorum et temporum per seipsum magnum est, sed ad aliquid brevius, et nihil rursus in his per seipsum breve est, sed ad aliquid majus. Lib. 6, *Musicæ*, cap. 7.

9. Quantum illi laudandi atque prædicandi, qui dignati non sunt etiam cum mundo florente florere : tantum increpandi et accusandi sunt, quos perire cum mundo pereunte delectat. Epist. 45, *ad Armentarium.*

10. Mundus iste periculosior est blandus, quam molestus : magis cavendus cum se illicit diligi, quam cum admonet cogitque contemni. Epist. 144, *ad Anastas.*

11. Vincula hujus mundi asperitatem habent veram, jucunditatem falsam, certum dolorem, incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem, rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem. Epist. 39, *ad Licentium.*

12. In hoc mundo non timere, non dolere, non laborare, non periclitari, impossible est : sed plurimum interest qua causa, qua expectatione, quo termino ista quisque patiatur. Epist. 82, *ad Largum.*

13. Quam fallax et suspectum, quam instabile et transitorium est, quidquid hujus mundi amor parturit. *De Spiritu et anima*, cap. 49.

14. Visibilium omnium maximus est mundus, invisibilium omnium maximus est Deus. Lib. 11, *de Civitate Dei*, cap. 14.

15. Tota miseria est in mundo, dolor ubique, ubique metus, ubique necessitas, ubique labores. Super *Psalm.* CXXXVIII, vers. 11.

16. Ut quid claudicatis ambobus inguinibus? si Deus est, ite post illum : si mundus est, ite post illum. Si Deus eligitur, serviatur illi : si mundus eligitur, ut quid fictum cor quasi Deo accommodatur? *Prosec.*

17. Quisquis contempto Deo sequeris mundum, et ipse te deserit mundus.

18. Sequere adhuc quantum potes fugitivum, et si potes, apprehende eum, tene eum : sed video, non potes, fallis te.

19. Ille enim labiles motus suos torrentis ictu percurrens, dum te videt inhærentem sibi, et tenentem se : ad hoc te rapit, non ut salvet, sed ut perdat te.

20. Ecce ruinosus est mundus, ecce tantis calamitatibus replevit Dominus mundum, ecce amarus est mundus, et sic amatur. Quid faceremus, si dulcis esset?

21. O munde immunde, teneri vis periens, quid faceres si maneres! Quem non deciperes dulcis, si amarus alimenta mentiris? Lib. 4, *de Symbolo fidei.*, cap. 1.

22. Necesse est ut nos oderit mundus, quos cernit nolle quod diligit. Tract. 87, super *Evangel. Joan.*, de cap. XV.

23. Utere mundo, non te capiat mundus, quo intrasti : iter agis, exiturus venisti, non remansurus. *Ibid.*, tract. 40, de cap. 8.

24. Si delectat te mundus, semper vis esse immundus : si autem jam non te delectat hic mundus, jam tu es mundus. *Prosec.*

25. Verumtamen si per aliquam infirmitatem adhuc te delectat mundus, habitet in te qui mundat, et eris mundus. *Ibid.*, tract. 38, de cap. 8.

26. Quisquis amas mundum, tibi prospice, quo sit [eundum :

Hæc via qua vadis, via pessima, plenaque cladis.

In *Manuali*, cap. 30.

27. Quanto infelicior mundus iste esse conspicitur, tanto facilius pro amore cœlestis patriæ contemnatur. *De Speculo peccatoris*, cap. 3.

28. Sic blanditur hic mundus, ut nemo velit finire ærumnosam vitam, ubi falsa voluptas, nulla securitas gaudii, timor torquens, cupiditas avida, tristitia arida. *De verbis Domini*, serm. 17.

29. Theatrum mundus, spectator Deus. Homil. 9, *Ex quinquaginta Homil.*

30. Tenet te mundus, illecebræ circumquaque blandiuntur : delectat te pecuniæ magnitudo, delectat honoris fulgor, delectat potentiæ terror. *Ibid.*, homil. 13.

31. O infelicitas generis humani! amarus est mundus et diligitur : si dulcis esset, qualiter amaretur? Serm. 1, *fer.* 5 *post Dom. Pass.*

32. Si migrandum est de hoc mundo, non amandus est mundus : ecce turbatur mundus, et amatur mundus; quid si tranquillus esset mundus? *Prosec.*

33. Non vis relinquere mundum; relinquit te mundus, et sequeris mundum. Serm. 1, *Dominicæ 23 post Trinit.*

34. Duplicem mundus aciem producit contra milites Christi : blanditur ut decipiat, terret ut frangat. Serm. 1, *de S. Vincentio.*

35. Quomodo potest superare mundum sævientem, qui non potest superare blandientem. *Prosec.*

36. Blanditur hic mundus pollicendo honores, divitias, voluptates : minatur hic mundus intendendo dolores, egestates, humilitates. Serm. 6, *de Martyribus.*

37. Diabolus regnat in mundo, dum regnat ambitio, dum dominatur perfidia, dum conculcatur simplicitas. Serm. 23, *ad Fratr. in eremo.*

38. O munde immunde! homines illaqueare non desinis, quiescere non permittis, rapere omnes appetis, occidere omnes quæris. *Prosec.*

39. Væ qui tibi credit, beatus qui tibi resistit, sed beatior qui a te illæsus recedit. *Ibid.*, serm. 31.

40. O munde proditor! cuncta bona promittis, sed cuncta mala profers; promittis vitam, sed donas mortem; promittis gaudium, sed largiris mœrorem; promittis quietem, sed ecce turbatio; promittis florem, sed cito vanescit; promittis stare, sed cito recedis. *Prosec.*

41. Non ergo est diligendus, quoniam omnino transis, et concupiscentia tua velut funus evanescit. *Ibid.*

42. Loquantur omnes amatores tui, o munde immunde! utrum in hac vita gaudium habuerint sine dolore, pacem sine discordia, quietem sine metu, sanitatem sine infirmitate, lumen sine tenebris, pacem sine dolore, risum sine fletu? *Ibid.*

43. O munde immunde, fallax et proditor! numquid non periculosior es blandus quam molestus? numquid non timendus es dum allicis quam dum spernis? numquid non magis odiendus dum diligere dissimulas quam dum odire te ostendis? *Ibid.*

44. O munde immunde! in te habitare et non dolere impossibile est, in te sperare et non timere vanum est, in te tua amare et non periclitari possibile non est. *Ibid.*

45. Ecce mundus transit et nos turbat, et amatur : fallit, et fidelis reputatur : occidit, et velut vita desideratur : flectit, et amplectitur. *Ibid.*

46. Si floreret mundus, quid facerent amatores ejus? sed vere non floret, et stabilitatem nullam habet, sed jucunditatem falsam, certum dolorem, incertam lætitiam, durum laborem, timidam quietem, rem plenam miseriæ, et spem beatitudinis inanem. *Ibid.*

47. Mundus quanto familiarior est, tanto periculosior est, est multi per vitia ejus corruunt. *Ibid.*

48. Ut mundus hinc vincatur cum amatoribus et terroribus suis, sanctorum martyria docuerunt. Apud D. Antonin., part. 4, tit. 3, cap. 3, § 2.

49. Mundus ut obtineatur, relinquitur. Epist. 32.

50. Sic utaris hoc mundo tanquam non utens, ut ex bonis ejus bona facias, non malus fias. Epist. 70.

51. Utendum est hoc mundo, non fruendum. Lib. 1, *de Doctr. christ.*, cap. 4.

52. Mundus vel ictu oculi stare non poterit, si ei Deus regimen subtraxerit. Lib. *de Gen. ad lit.*, cap. 12.

53. Vivis in mundo impuris voluptatibus illecebroso, nefandis crudelitatibus furioso, erroribus et terroribus inimicum. Lib. 1, *de Civ. Dei*, cap. 27.

54. Quidquid mirabile sit in hoc mundo, profecto minus est quam totus hic mundus. *Ibid.*, lib. 10, cap. 12.

55. Mundus non est æternus. *Ibid.*, lib. 11, cap. 4.

56. Iste mundus nobis notus esse non posset, nisi esset : Deo autem nisi notus esset, esse non posset. *Ibid.*, cap. 10.

57. Boni ad hoc utuntur mundo, ut fruantur Deo : mali autem contra, ut fruantur mundo, uti volunt Deo. *Ibid.*, lib. 15, cap. 7.

58. Mutatione rerum, non omnimodo interitu transibit hic mundus. *Ibid.*, lib. 20, cap. 14.

59. Omnis homo prius mundo, non Deo nascitur, et ut Deo nascatur, de mundo eligitur, qui renascitur, ut jam non sit de mundo. Lib. 6, *contra Julian.*, cap. 2.

60. Iste mundus tanta rerum labe contritus est, ut etiam speciem seductionis amiserit. Epist. 45.

61. Cœlum et terra, mare, et omnia quæ in eis sunt, mundus dicitur. Tract. 2, super *Joan.*

62. Utere mundo, non te capiat mundus. *Ibid.*, tract. 40.

63. Totus mundus christianus est, et totus mundus impius. Tract. 4, super Epist. *Joan.*

64. Si pulcher est mundus, qualis est artifex mundi? Homil. 38, *Ex quinquag. Homil.*, cap. 4.

65. Mundus est ubi malitiæ plurimum, sapientiæ modicum, si tamen vel modicum invenitur. *Prosec.* S. BERNARD.

66. Ubi viscosa omnia, omnia lubrica, operta tenebris, obsessa laqueis : ubi periclitantur animæ, ubi spiritus affliguntur, ubi tantum vanitas et afflictio spiritus. Serm. 6, *de Ascens.*

67. Quid in hoc mundo agimus, fratres, aut quid facimus de hoc mundo? si salvari contendimus ab illo nequam, quid adhuc de hoc mundo decernimus? Serm. *De eo quod scriptum est : Beatus homo*, etc.

68. Habet mundus iste noctes suas, et non paucas, cum pene totus ipse sit nox, et totus semper

versetur in tenebris : quid dico, quia noctes habet mundus? an non nox, ubi non percipiuntur ea quæ sunt Spiritus sanctus? Serm. 75, super *Cant.*

69. Generositas sanguinis, proceritas corporis, juvenilis decor, prædia, palatia, immensa suppellex, infulæque dignitatum, de mundo sunt hæc, et mundus quod suum est diligit. Epist. 109, *ad Thomam præpositum.*

70. Ubi sunt amatores mundi, qui ante pauca tempora nobiscum erant? nihil ex eis remansit, nisi cineres et vermes. Quid profuit illis inanis gloria, brevis lætitia, mundi potentia, carnis voluptas, falsæ divitiæ? ubi risus, ubi jocus, ubi arrogantia? Lib. *Medit.*, cap. 3.

71. Tu homo quem fructum expectas in mundo, cujus fructus ruina est, cujus finis mors est? *Ibid.*, cap. 17.

72. Mundum diligis, et Deum relinquis. Serm. *de Miser. human.*

73. Vulnerati sumus ingredientes mundum, conversando in mundo, exeundo de mundo. Serm., *de Quinque negotiationib.*

. BONAV. 72 *bis*. Mundus duobus modis contra electos pugnat; verbo, et gladio; verbo salsitatis, et gladio adversitatis. Super *Psalm.* XXXIV.

73 *bis*. Mundus cum suis vanus est, quia non præbet fulcimentum innitenti : baculus enim est arundineus, super quem si innixus fuerit homo, cadet. Super. *Ecclesiasten.*

74. Anguilla quanto fortius stringitur, tanto citius de manu elabitur : sic et mundus quanto plus amatur, tanto timidius retinetur ne perdatur. Serm. 2, *de Invent. S. Crucis.*

75. Quod cum magna expectatione in mundo speratur ut veniat, non potest teneri cum venerit, quia transeunt omnia, et evolant omnia, et sicut fumus evanescunt, et væ qui amant talia. In collat., *de Contemptu sæculi.*

76. Fallax et vanus est mundus, finis dubius, exitus horribilis, judex terribilis, et pœna infinibilis. *Ibid.*

SSIODOR. 77. Mari comparatur hic mundus, quia falsitatibus amarus est, fluctibus diabolicis quatitur, et vitiorum tempestatibus commovetur. Super *Psalm.* LXIV, vers. 6.

CYPRIAN. 78. Mundum habes, Deum non habes : mundus transibit, tu cum eo qui non stat, cades, **transibis** et rues. *De jejun. et tent. Christi.*, cap. **6.**

NYSIUS. RTHUS. 79. Mundus carcer est, atque exilium electorum. Super *Epist., ad Ephes.*, cap. 2, art. 2.

USEBIUS SARIENS. 80. Signum manifestæ damnationis in hoc mundo est sua beneplacita assequi, et a mundo diligi. Epist., *ad Damas. Pap. de morte D. Hieronym.*

USEBIUS SSENUS. 81. Nihil mihi commune sit tecum, fallacis mundi figura præteriens : hoc uno genere acquiram de te, relinquendo te, incursurus damnum mei per usum tui; palmam de te potius capiam, quam repulsam. Serm., *de Castigat.*, ante fin.

S. FRANCIS. ASSISIAS. 82. Non est mundus amandus, quia latet hamus in esca illius amoris. *Prosec.*

83. Amor enim mundanorum semper producit multos fructus dolorum : et tanto majores dolores tibi inferunt, quanto majorem amorem habes. In suis *Opuscul.*, oraculo 30.

GILLEBERT. ANGLUS. 84. Insensibilem pene reddit affectum, frequens cura mundi, et quasi callum quemdam menti obducit. Serm. 1, super *Cant.*

GLOSS. ORD. 85. Utimini mundo ad necessitatem, sed non diligite ad superfluitatem. Super I *Joan.*, cap. 2 in illud : *Nolite diligere mundum.*

S. GREG. MAG. 86. Tendamus oculos cordis in hac latitudine mundi præsentis, et ecce quasi tot floribus, quot hominibus plenus est. Lib. 11, *Moral.*, cap. 26.

87. Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. Quia nec Paulus mundi gloriam quærebat, nec a mundi gloria ipse quærebatur : et se mundo et mundum sibi crucifixum esse gloriatur. *Ibid.*, lib. 5, cap. 3, super illud *ad Galat.* 6; *Mihi mundus*, etc.

88. Ecce mundus qui diligitur, fugit : ecce jam mundus in seipso aruit, et adhuc in cordibus nostris floret. *Prosec.*

89. Ubique mors, ubique luctus, ubique desolatio, undique percutimur, undique amaritudinibus replemur; et tamen cæca mente carnalis concupiscentiæ, ipsas mundi amaritudines amamus, fugientem sequimur, labenti inhæremus. Homil. 28, super *Evang.*

90. Qui nihil habet in mundo quod appetat, nihil est quod de mundo pertimescat. Lib. 10, *Moral.*, cap. 12, super illud *Job* 11 : *Requiesces, et non erit*, etc.

91. Tanto quisque plenius pavorem a se, qui ex mundo est, abjicit, quanto in semetipso verius concupiscentiam mundi vincit. *Ibid.*

92. Nolite constanter mundum diligere, quandoquidem ipse non potest, quem diligitis, stare : incassum cor manentes figitis, dum fugit ipse quem amatis. Part. 3, *Pastor.*, cap. 1, admonit. 28.

93. Despiciendus est hic mundus, etiamsi blandiatur, et rebus prosperis demulceat animum. Lib. 3, *Dialogi.*, cap. 38.

94. Postquam hic mundus tot flagellis premitur, tanta adversitate fatigatur, tot quotidie hominibus ingeminat, quid aliud quam ne diligatur, clamat? *Ibid.*

S. GREG. NAZ. 95. Eripe animam e mundo, fuge Sodomam, fuge incendium, perge, nec retrospicias, ne forte in salis statuam obdureris, in montibus salveris. Orat. 3, *de S. Lavacro.*

HAYMO. 96. In mundo etiamsi quædam commoda blandiuntur, non amplectenda sunt nequiter, sed despicienda sunt fortiter. Serm. *Ascens.*

S. HIERON. 97. In illo æstu (maris scilicet hujus mundi.) Charybdis luxuriæ salutem vorat : ibi ore virgineo, ad pudicitiæ perpetranda naufragia, Scylla seeu renidens libido, blanditur : hic barbarum littus, hic diabolus pirata, cum sociis portat vincula capiendis. *Prosec.*

98. Nolite credere, nolite esse securi, licet in modum stagni fusum æquor arrideat, licet vix summa jacentis elementi spiritu terga crispentur, magnos hic campus montes habet, intus inclusum est periculum, intus est hostis, expedite rudentes, vela suspendite, crux antennæ figatur in frontibus, tranquillitas ista tempestas est. Epist. 1, *ad Heliodor.*

99. Tu qui calcasti mundum, ut calcato eo gradum tibi quemdam ascendendi ad cœlum faceres, mundi gloriam ne requiras. Epist. 1, *ad Demetriad.*

HUGO A S. VICTORE. 100. Minimum donum, quod Deus dedit homini, ut diligatur ab homine, totus est mundus : si minimum donum sit mundus, quantum putas est maximum? *De Allegor.*, super *Exod.*, lib. 3, cap. 4.

101. Mundus duo promittit ut pervertat, pretiosa scilicet et sublimia : hoc est, divitias et honores. Dat mundus opes, sed non gratis : dat honores, sed non sine pretio. Lib. 1, *de Claustro animæ*, cap. 5.

102. Mundus diluvium est, cor autem hominis (si per amorem mundanorum se deorsum inclinat) naufragatur inter fluctus sæculi, et mutabilibus admixtum inter labentia fluit, geminoque salutis periculo, et per affectum infirmorum profunde mergitur, et per occupationem plurimorum late dissipatur. Lib. 2, *de Vanit. mundi.*

103. Alter quidam mundus huic prætereunti mundo ac transitorio contrarius invenitur (qui est vita æterna), ibi præteritis præsentia non succedunt, nec præsentibus futura superveniunt : sed quidquid ibi est, præsens est : nihil præteritum, nihil futurum. Cujus figura non præterit, cujus forma non transit, cujus species non marcescit, cujus pulchritudo non deficit. *Prosec.*

104. Ille mundus in hoc mundo est, et hic mundus illo mundo minor est; quia ille capit, quem capere hic non potest.

105. Hunc mundum vident oculi carnis, illum mundum intrinsecus contemplantur oculi cordis.

106. In hoc mundo habent homines sua oblectamenta, in illo mundo ineffabiles sunt delectationes.

107. In hoc mundo currunt homines, et plaudunt ad spectacula vanitatis; in illo mundo, per æternum silentium exercentur et jucundantur mundi corde in contemplatione veritatis. Lib. 4, *de Arca Noē*, cap. 9.

108. Mundus est transitorius, vanus, sollicitus, falsus, deceptorius. Lib. 4, *de Propriet. rerum.*, cap. 11.

109. Mundus duo genera hominum sibi retinet, quasi proprios : scilicet ficte bonos, et aperte malos. Super *Gen.*, cap. 30. HUGO CARD.

110. Nullus est (si perfecte inspiceret mundum) qui non fugeret ab eo. *Ibid.*, cap. 31.

111. Mare mortuos expellit a se, sic et mundus : et sicut mortuus a mari expulsus non sentit, ita qui vere mortuus est mundo, non sentit contumelias ejus. *Ibid.*

112. Vir justus recedens a mundo, non indicat hoc mundo, ne retrahat eum mundus. *Ibid.*

113. Sicut Judas osculo Christum tradidit, sic et mundus quos osculatur tradet. *Ibid.*, cap. 31.

114. Mundus a longe pulcher est, si autem diligenter et de prope intueris, turpis et fœtidus apparebit. *Ibid.*, cap. 37.

115. Nullus vere ingreditur mundum per cognitionem; quia si vere cognosceret, nullo modo diligeret, et nullatenus in eo remaneret. Super *Josue*, cap. 6.

116. Mundus dicitur mare, quia tumet per superbiam, spumat per luxuriam, fervet per iracundiam, nubilus est per tristitiam, omnia flumina in se recipit per avaritiam, major piscis ibi minorem devorat per rapinam, mortuos ejicit, vivos attrahit per invidiam. Super III *Reg.* XVIII.

117. Mundus opprimit blandiendo, et juvat premendo. Super *Job.*, cap. 35.

118. Mundus est quidam hospes, qui nos libenter recipit, et multa promittit, et tandem nudos expellit. Super *Psalm.* XLVIII.

119. Mundus mare est falsum per cupiditatem, fœtens per luxuriam, tumens per superbiam. Super *Psalm.* LXVIII.

120. Mundus non est regio, sed carcer; non solum hominum, sed et dæmonum. Super *Psalm.* CXV.

121. Septem sunt vincula, quæ tenent hominem quasi ligatum in mundo. Primum, est amor sui; secundum, amor mundi; tertium, amor parentum; quartum, ambitio honorum; quintum, prava consuetudo; sextum, stulta promissio; septimum, præsumptio. Super *Psalm.* CXXXI.

122. Totus orbis terræ est quasi quidam ludus pilæ, qui modo ab illo tenetur, modo ad illum projicitur, et aliquando in partes dividitur, et ille unam partem habet, et alius aliam. Super *Prov.*, cap. 8.

123. Mirabile opus fuit creatio mundi, mirabi-

iius fuit recreatio mundi, mirabilissimum erit glorificatio mundi. Super *Ecclesiastic.*, cap. 38.

124. Mundus nihil aliud est, quam tumultus, vel sarcophagus plenus cadaveribus mortuorum. Super *Isaïam*, cap. 25.

125. Mali sunt domestici mundi, boni autem peregrini. Super *Joan.*, cap. 15.

JOAN. CASS. 126. Tria sunt omnia quæ in hoc mundo sunt, scilicet, bonum, malum, medium. Bonum est sola virtus animi; malum est peccatum; media sunt, quæ in utramque partem pro affectu et arbitrio utentis derivari possunt. Collat. 6, *Abbat. Theodori*, cap. 3.

S. JOAN. CHRYSOST. 127. In mundo est magna malitiæ lues, magna pecuniarum tyrannis, magna virtutum raritas. Homil. 35, super *Gen.*

128. Qui separat se a mundo non corpore, sed animo : non loco, sed actu; quamvis sit in mundo non videtur esse in mundo, quia non utitur mundo. Homil. 18, super *Matth. Oper. imperfect.*

129. Fuge mundum conversatione, non corpore : nam ipse mundus non natura diaboli est, sed corruptione. *Prosec.*

130. Nec ab initio fecit hunc mundum diabolus, sed Deus : postea corruptione factus est diaboli. Ergo mundus quidem ipse, Dei est : corruptio autem mundi, diaboli est.

131. Si ergo de mala conversatione recesseris, et si corpore sis in mundo, recessisse videris de mundo diaboli, et esse in Dei mundo. *Ibid.*, homil. 29.

132. O miserrimus mundus et miseri, qui eum sequuntur : semper homines mundi alia opera excluserunt a vita. *Ibid.*, homil. 41.

133. Nemo amatur a mundo, nisi qui odio fuerit Christo. Serm. 1, *de Martyribus.*

134. Omnia mundana risus sunt, facetiæ, et urbanitas : et hoc est quod omnia subvertit, hoc omnia dejicit. Homil. 15, super *Epist. ad Hebr.*

135. Quidquid terroris habet mundus, contemno : quidquid delectabile habet, rideo : divitias non cupio, paupertatem non horresco, mortem non timeo. Homil. *de Expuls. ipsius.*

S. JOAN. DAMASCEN. 136. Mundus hic et mortalis est, et morientium regio. Lib. 1, *Parallel.*, cap. 8.

JOAN. SAR. 137. Difficillimum aut impossibile afferunt sapientes, in præsenti gaudere cum mundo, et in æternum exultare cum Christo. *Prosec.*

138. Et plane miserrimum est, torqueri cum mundo, et in æternum cum diabolo flagellari. Lib. 7, *de Nugis curial.*, cap. 22.

JOAN. TRIT. 139. Fallax est hic mundus, finis dubius, exitus horribilis, judex terribilis, pœna infinibilis. *Prosec.*

140. Periculosior est blandus, quam molestus; et magis cavendus, cum per prospera attrahit; quam cum per adversa sævit.

141. Blandimenta ejus noxia, plena sunt dolis, nititur ut decipiat, insistit ut occidat.

142. Recte mundus per antiphrasim dictus est, quia mundus non est, sed omni spurcitia et malitia plenus. Lib. 1, *de Tent. relig.*, cap. 2.

143. Ecce mundus transit, et sequeris : decipit, et eum diligis : mentitur, et confidis. Quid putas, fiet tibi? cum pereunte peris, cum labente laberis, cum decipiente deciperis. *De vanit. et miser. hum. vitæ*, cap. 2.

144. Nihil rebus mundi fugacius, nihil fragilius, nihil brevius. *Ibid.* S. ISID. HIS.

145. Fugiendus mundus, quoniam male suos amatores remunerat, quos in æternum damnat. *Ibid.*

146. Magna apud Deum refulget gratia, qui huic mundo contemptibilis fuerit : nam revera necesse est, ut quem mundus odit, diligatur a Deo. Lib. 3, *de Summo bono*, cap. 16, sent. 3.

147. Qui hunc mundum diligunt, turbulentis ejus curis, et sollicitudinibus conturbantur : qui autem eum odiunt, nec sequuntur, internæ quietis tranquillitate fruentes, futuræ pacis requiem hic quodammodo habere jam inchoant. *Ibid.*, sent. 7.

148. Dum quis a consortio mundi abstrahitur, nec cupiditas eum obligat consentientem, nec cruciat sentientem. *Prosec.*

149. Bonum est quidem corporaliter remotum esse a mundo, sed multo est melius voluntate, utrumque perfecte. *Ibid.*, cap. 17, sent. 3.

150. Quæcumque mens procellis mundi hujus, involveris, lignum conscende crucis, ut a mari, id est, tempestate hujus mundi libereris. *Ibid.*, cap, 22.

151. Mundi amatores non solum ex eo rei sunt, quod infima pro summis appetunt : verum etiam et miseri, per hoc quod gravi ærumna ad ipsa desiderata pertingunt. *Ibid.*, cap. 59, sent. 1.

152. Multis mortuus est mundus, ipsi tamen vicissim mundo mortui non sunt : bona enim mundi diligunt, et tamen ipsa quæ diligunt, minime consequuntur. In utroque vacui sunt, quia et futura perdunt, et præsentia non acquirunt. *Ibid.*, cap. 59, sent. 5.

153. Mori oportet hominem in carne mundo, ne moriatur in animo Christo : nam vere tunc vivere quisque creditur, si secundum mundum moriens, in solo Deo vivere delectetur. *Ibid.*, cap. 61, sent. 6.

154. Esto mortuus mundo, et mundus tibi : mundique gloriam tanquam mortuus non quæras. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 17.

155. Mundus hic insidiis plenus est : nullum locum, nullum tempus invenies, in quo valeas esse securus. *De discipl. monast.* conversat., cap. 14.

S. LAURENT. JUSTIN. 156. Totus cum sit turbinibus mundus plenus, ille vere censendus est felix, qui Dei gratia præventus, aridum mundum spernit cum flore. Serm. *de Vita solitar.*, cap. 6.

S. LEO. I. 157. In mundo plena sunt omnia periculis, plena laqueis : incitant cupiditates, insidiantur illecebræ, blandiuntur lucra, damna deterrent. *Prosec.*

158. Amaræ sunt obloquentium linguæ, nec semper veracia sunt ora laudantium : inde sævit odium, hinc decipit mendax officium : ut facilius sit vitare discordem, quam declinare fallacem. Serm. 5, *Quadrag.*

S. NILUS. 159. Omnia mundana, umbra et fumus, et bullæ sunt. *Parænes.* 211.

PETR. BLES. 160. Mundus in maligno positus est : plenus periculis, plenus laqueis, plenus scandalis, plenus colloquiis pravis, exemplis malis, proditoriis verbis, et iniquis consiliis. Epist. 102, *ad Radingens. abbat.*

S. PETRUS DAMIANUS. 161. Totus mundus hoc tempore nihil est aliud, nisi gula, avaritia, atque libido. Lib. 1, epist. 15, *ad Alexandr. pap.*

162. Fugiendus est mundus, qui tenebras parturit; et in quibus semper est, tenebrarum caligines inferit, consentientibus sibi, atque obedientibus lumen extinguit, et suorum oculos obruit amicorum. Lib. 6, epist. 5, *ad Monach. Cluniac.*

163. Quiquis mundi hujus inquietis actionibus implicatur, necesse est ut lumen contemplationis amittat. *Ibid.*

164. Mundus offert nobis quidquid pulchrum est visu carnis concupiscentiam et oculorum, et ambitionem sæculi, ut illaque et miseros, illaqueatos strangulet, strangulatos sempiternis involvat incendiis. Serm. 56, *de Sancto Martino.*

PHILO JUD. 165. Inter ea, quæ sensu comprehenduntur, nihil quidquam est mundo absolutius. Lib. *Quod mundus sit incorruptibilis.*

ROBERTUS BELLARM. 166. Certe si non essent preces assiduæ servorum Dei, quibus Deus placari se patitur, jam mundus non tam diu subsisteret. Super *Psalm.* CV, vers. 24.

167. Mundus et si non diligat eos, qui de mundo non sunt, miratur tamen et Deum in illis, et cum illis esse negare non potest. Super *Psalm.* CXXV, vers. 3.

THOMAS. A KEMPIS. 168. Quid quæris, quid cupis videre in mundo, ubi nihil est mundum? *In Hortulo Rosar.*, cap. 2, sect. 2.

IN VIT PAT. 169. In mundo parva et brevis voluptas est, imo non voluptas, sed fraus quædam est et impostura perversitatis mundi, quem nullomodo diligere, verum potius ex animo odisse atque insectari docemur. *Prosec.*

170. Ac sane odio et detestatione dignus est; nam quidquid amicis suis dono dat, idem rursus animo irato eripit, atque omni bono spoliatos, ignominiaque indutos, gravibusque sarcinis onustos, ad sempiternam calamitatem transmittit : et quos in sublime attollit, extremæ humilitati atque afflictioni obnoxios quamprimum reddit, hostiumque suorum ludibrio exponit.

171. Amicorum suorum hostis est, omnibusque qui ipsius voluntatibus obsequuntur, insidias struit : horrendum in modum eos, qui ipsi innituntur, conturbat : et eorum qui fiduciam suam in ipso collocant, nervos omnes elidit.

172. Cum stultis fœdus sancit, falsasque pollicitationes init : hoc tantum animo, ut eos ad se pertrahat, illis sincero animo sese ad ipsum adjungentibus, improbus ipse ac mendax esse comperitur, nihil eorum quæ pepigerat, præstans.

173. Nam cum jucundis cibis eorum fauces hodie delinivit, cras eosdem hostibus suis devorandos objicit.

174. Hodie regem aliquem creat, et cras eumdem in miseram servitutem addicit : hodie innumeris bonis florentem reddit, cras mendicum et mancipiorum mancipium : hodie insignem coronam ipsius capiti imponit, cras ipsius faciem terræ allidit : hodie ipsius collum splendidis dignitatum honoribus exornat, cras eumdem ferreis catenis vinctum dejicit.

175. Ad breve tempus omnium amorem ac benevolentiam ipsi conciliat, aliquando post autem eidem omnium odium et execrationem conflat.

176. Hodie ipsum voluptate afficit, et cras eumdem luctibus ac lamentis conficit.

177. Denique incolas gehennæ, eos a quibus adamatus est, miserandum in modum afficit.

178. Hæc semper ipsius mens, ac sententia est, hoc institutum : nec eos qui præterierunt, luget : nec eorum, qui relicti sunt, commiseratione afficitur. Lib. 1, *in Vita Ss. Barlaam et Josaphat*, cap. 12.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

179. Auctor supremus creavit hunc orbem, ut exemplar idoneum suæ excellentis sapientiæ. Lib. 12, *Theolog.*, cap. 22. ARISTOTEL.

180. Mundus amplitudine est summus, motu incitatissimus, splendore fulgentissimus, nec vetustescens, nec occidens unquam. *De mundo.*

181. Mundus hic omnis, oppidum nostrum est. Lib. 4, *de Finibus.* CICERO.

PLATO. 182. Hunc mundum ex omni materia creavit Deus, universique naturam terminum ipsum circumscripsit, atque definiit. Sizygia 5, in *Dialogo Timæi.*

183. Unus profecto est mundus, non plures, factus ad exemplum, qui omnia animalia, et maxime quæ ratione intelliguntur, complectitur. *Ibid.*

SENECA. 184. Pusilla res mundus est, nisi in illo quod quærat omnis, mundus habeat. Lib. 7, *Quæst.*, cap. 31.

Vide etiam tit. *Amor*, in genere, sent. 52, 53; *Cæcitas*, sent. 9; *Carcer*, sent. 31; *Cura*, in genere, sent. 8; *Despicere*, sent. 17; *Domus*, sent. 60; *Evagatio*, sent. 16; *Favor*, sent. 24; *Finis*, sent. 35, 36; *Frui*, sent. 38; *Humilitas* in genere, sent. 22; *Idololatria*, sent. 14; *Instabilitas*, sent. 4; *Justitia*, sent. 97; *Laqueus*, sent. 36; *Malitia*, sent. 19; *Miratio*, sent. 8; *Nihilum*, sent. 2; *Nocumentum*, sent. 43; *Occupatio*, sent. 1; *Patria*, sent. 66; *Persecutio*, sent. 24; *Providentia Dei*, sent. 125, 126; *Religio* seu *Congregatio*, sent. 48, 76; *Relinquere*, sent. 120; *Renuntiatio*, sent. 4, 8, 11, 12, 16, 17, 18; *Requies*, sent. 40; *Sequi*, sent. 8; *Suavitas*, sent. 18; *Superbia*, sent. 99; *Temporale*, sent. 1.

MUNUS.

ARISTOTEL. Munus est rei alicujus donatio, ac honoris signum. Lib. 1, *Rhetor.*, cap. 5.

ISID. HIS. Inter munus et donum hoc interest, quod munus accipientis sit, donum dantis : illud a muniendo, istud a dando. Lib. 1, *de Differentiis*, differ. 108.

PHILO JUD. Observa dona differre a muneribus : illa enim magnitudinem bonorum præ se ferunt; hæc intra parvum modum contrahuntur. Lib. 2, *Legis allegoriarum.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIN. 1. Acceptio munerum, prævaricatio veritatis est. Part. 4, tit. 5, *de Justitia*, cap. 15, § 2.

S. AUGUST. 2. Munera non solum pecunia est, non solum aurum et argentum, non solum Xenia sunt, neque omnes qui accipiunt ea, accipiunt munera. *Prosec.*

3. Accipere enim munera est propter munera laudare hominem, adulari homini, palpare blandiendo, judicare contra veritatem propter munera.

4. Non solum propter aurum, et argentum, et hujusmodi aliquid : sed etiam propter laudem, qui judicat male, munus accipit, et munus quo nihil inanius. Super *Psalm.* xxv. Enarrat. 2, vers. 10 : *Dextera eorum repleta est muneribus.*

5. Non intendit Deus ad munus, sed in corde videt. Tract. 5, super *epist. Joan.*, de cap. 3.

6. Qui dat munera, animam aufert accipientium : quia per munus aufertur animus. Expos. 2, super *Psalm.* 118, cap. 3, vers. 11, art. 1. S. BONAV.

7. Honestas rei, et vilitas pretii, Religiosorum et pauperum xenium esse probant. In *Speculo discipl.*, part. 2, cap. 6.

8. Nullius gratiam munusculis comparent. *Ibid.*

9. Malorum pœna est, a munere divinitatis arceri. Super *Psalm.* 83. CASSIODOR.

10. Non munus, sed voluntatem divitem reputat Dominus, qui animam erudit. Apud div. Joan. Damasc. Lib. 3. *Parall.*, cap. 26. CLEM. ALEX.

11. Quæ religio manum claudit, porrectis muneribus? *De Cardinal. oper. Christi.*, cap. 4. S. CYPRIAN.

12. Apud Deum non est quantitas muneris, sed dilectio et humilitas cordis. Super *Ecclesiastic.*, cap. 35, in illud ; *Noli offerre munera tua*, etc. GLOSS. ORD.

13. Pensandum est quanti est periculi transacta munera cernere, et futura desperare. Lib. 26. *Moral.*, cap. 16. S. GREGOR. MAGNUS.

14. Non frangit quod ex dolore obviat, si menti citius hoc quod ex munere sublevat, occurrat. *Ibid.*, lib. 3, cap. 7.

15. Tanto ab homine Deus postea districtius pœnas exigit, quanto hunc impenso munere largius prævenit. *Ibid.*, lib. 8, cap. 16.

16. Tres sunt acceptiones munerum : munus a corde, munus ab ore, munus ex manu. Est captata gratia a cogitatione ; est gloria per favorem ; est præmium per dationem. *Ibid.*, lib. 9, cap. 17.

17. Justus quisque ab omni munere manus excutit, quia in eo quod recte agit, nec ab humano corde inanem gloriam, nec ab ore laudem, nec a manu recipere donationem quærit. *Ibid.*

18. Ab omnipotenti Deo munus ex manu non accipitur, quod corde obligato in malitia profertur. *Ibid.*, lib. 22, cap. 8.

19. Considerandum est ne acceptum munus vertatur in vitium, ne per favorem vitæ nos absorbeat vorago nequitiæ. *Ibid.*, lib. 30, cap. 9.

20. Aliud est munus ab obsequio, aliud munus a manu, aliud munus a lingua. Munus ab obsequio, est subjectio indebite impensa; munus a manu, pecunia est munus a lingua, favor. Hom. 4, super *Evang.*, super illud Isai. 33. *Qui excutit manus suas a munere.*

21. Nunquam est vacua manus a munere, si fuerit arca cordis repleta bona voluntate. *Ibid.*, hom. 5.

22. Oblata munera subito respuit, qui avaritiæ radicem a corde suo penitus extirpavit. Lib. 4, in I, *Reg.*, cap. 4, super illud ; *Declinaverunt post avaritiam.*

23. Non delectamur xeniis. Lib. 1, in *Regist.*,

ind. 9, cap. 64, epist. 64, *ad Felicem episc. Messanens.* in medio, col. 679 B., tom. 2.

S. HIERON. 24. Crebra munuscula, et sudariola, et fasciolas, et vestes ori applicatas, ac degustatos cibos, blandas et dulces litterulas, sanctus amor non habet, epist. 2, *ad Nepotian.*

25. Modica in hamo esca ponitur, ut matronarum in eo sacculi protrahantur : sic bestiæ, sic aves, sic capiuntur et pisces. *Ibid.*

26. Munera parva specie, sed charitate sunt magna. Epist. 19, *ad Eustochium.*

27. Munuscula argumenta sunt diaboli, mortis æternæ indicia, et luxuriæ nuntia. In *Reg. monachar.*, cap. 20.

28. In catalogo vitiosorum numerantur etiam hi qui diligunt munera. Lib. 1, super *Isai.*, cap. 1, super illud ; *Omnes diligunt munera.*

29. Munera dantem spoliant, accipientem excæcant et interficiunt. Lib. 2, super *Michæam.*, cap. 7, super illud *Deuteronom.* 16 : *Munera excæcant oculos.*

HUGO A S. VICTORE. 30. Qui amant munuscula, delectantur in propriis. Super *Regul. D. August.*, cap. 8.

HUGO CARD. 31. Sunt quidam qui munera non quærunt, sed oblata recipiunt : et sunt quidam qui non quærunt, sed respuunt, tepide tamen, unde et tandem recipiunt : sunt qui quærunt, et avide recipiunt. Super *Gen.*, cap. 14.

32. Munera accipere ad nutrimentum mutuæ charitatis, aut causa necessitatis, bonum est : aliter, malum. Super *Prov.*, cap. 15.

S. JOANNES CHRYSOST. 33. Sanctorum animæ Deo magis lætantur auctore munerum, quam ipsis muneribus : non eum propter dona ipsius, sed dona propter illum diligunt. Homil. 5, *de Fide Annæ.*

JOAN. TRIT. 34. Munuscula infirmorum dissolvunt animos. Lib. 2, *ad Monachos*, serm. 3.

S. IRENÆUS 35. Per munus, et honos et affectio ostenditur. Lib. 4, *advers. Hæres.*, cap. 34.

S. ISID. HIS. 36. Acceptio munerum, prævaricatio veritatis est. Lib. 3, *de Summo bono*, cap. 54, sent. 4.

S. ISID. PEL. 37. Si munus Deo vere offerre cupis, muneris sequestrum ne aspernare. Lib. 1, epist. 349, *ad Silvam.*

38. Dilectio, quæ munere glutinatur, eo suspenso dissolvitur. *De ligno vitæ*, tract. 4, *de Charit.*, cap. 17.

S. LEO. I. 39. Fidelium largitas non de muneris pensatur pondere, sed de benevolentiæ quantitate. Serm. 3, *de Collectis.*

40. Sit dives munere copiosior, dum pauper animo sit inferior. *Ibid.*

41. Muneribus Dei juste et sapienter utendum est, ne materia boni operis fiat causa peccati. *Ibid.*, serm. 5.

42. Semper illi quod largiatur occurrit, cui bene velle non deficit. Serm. 1, *de Jejun. decimi mensis.*

43. Pauci inveniuntur, quos odor munerum non inclinet : sed beatus, qui excutit manum suam ab omni munere. *Prosec.* PETR. BLES.

44. Hæc pestis multos secum trahit, difficile vincitur, mentemque inflammat ad rapiendum, ad servandum autem semper tenaciter laxat. Serm. 45.

45. Munus amicabile est amico, sollicitudinem gerere : pluris enim est munus animi, quam nummi. Lib. 7, epist. 5, *ad Abbat. Villariens.* PETR. CELL.

46. Manus nostra non omnia, quæ præbentur indifferenter accipiat, et non id quod offertur, sed potius a quo offertur cauta prius examinatione discernat. *Prosec.* S. PETR. DAM.

47. Si quæ offerentium accipias, et offerentium merita non discernas, deterius deliquisti. Lib. 4. epist. 7, *ad quemdam episc.*

48. Nullum munus cuiquam congruentius datur, quam id quod ab eo ipso cui datur, exigitur. *Opusc.* 23, in præsat.

49. Vir divitias neglectui habens, sicut in accipiendis muneribus restrictissimus est, ita in dandis munificentissimus ac liberalissimus. *De provident.*, sect. 1. S. SYNESIUS EPISCOPUS.

50. Offero tibi munus quod et me dare, et te accipere maxime deceat. Serm. *de Dono astrolabii.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

51. Exiguum munus, cum dat tibi pauper amicus, accipito placide, et plene laudare memento. Lib. 1, *Distich.*, metr. 38. CATO POET.

52. Manus manum fricat, da aliquid, et cape aliquid. Sizygia 6, in *Dialogo Axiochi.* PLATO.

53. Inter turpes jacturas, malum munus est. *De vita beata*, cap. 23. SENECA.

54. Maledictum incipit esse, non munus, in quo vitium accipientis agnoscitur. Lib. 1, *de Benef.*, cap. 11.

55 Munera non tam pretiosa, quam rara et exquisita sint ; quæ etiam apud divitem sui locum faciunt. *Ibid.*, cap. 12.

56. Sæpe nihil interest inter amicorum munera et hostium vota. *Ibid.*, lib. 2, cap. 15.

57. Munera ista fortunæ putatis ? insidiæ sunt. Epist. 8.

Vide etiam tit. *Culpa*, sent. 44 ; *Donum*, per totum ; *Judicii corruptio*, sent. 8, 9, 10, 24, 27, 28, 40, 53, 54, 60 ; *Personarum acceptio*, sent. 31 *Remuneratio*, sent. 24 ; *Res*, sent. 88.

MURMUR.

Definitio. Murmur est conquestus cum impatientia alicujus rei, quæ tolerari debet cum patientia. COLLECTOR.

Murmurare est falso ad invicem de præpositis et S. AMBROS.

rectoribus queri, quantum ad mentem loci pertinet : quia solet murmur etiam fieri justa ex causa. Super I. *Cor.*, cap. 10, in illud : *Neque murmuraveritis*, etc.

S. BONAV. Murmuratio est injusta querela contra superiores, vel alios, latenter multorum auribus conculcata. In *Speculo animæ*, cap. 1.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Nemo cum murmure aliquid faciat, ut non simili judicio murmuratorum pereat. In regul. 2, *ad Clericos*.

2. Ne murmuraveris, meis acquiesce consiliis ; quandoquidem murmurando duo mala sustines : pacificus esto, et gravamen corporale fac tibi antidotum spiritale. Lib. 1, *de Visit. infirm.*, cap. 6.

3. Animæ superbæ et peccatis obnoxiæ, quoties adversitate pulsantur, rebelles contra Dominum murmurare præsumunt. Serm. 2, *Dom.* 13, *post. Trin.*

4. Cum aliquid sit, cavete ne cum murmure fiat, ne murmuratores in conspectu Dei vocemini. Serm. 1, *ad Fratres in eremo*.

5. Sicut lepra proprium corpus devorat, et sibi adhærentes inficit : sic et murmurator non solum seipsum destruit, sed etiam cunctos audientes inficit et occidit. *Ibid.*, serm. 26.

6. O quam pestis misera et mortalis est ipsa murmuratio ! o quam venenosa ! *Ibid.*

7. Grande periculum est, inter murmuratores habitare : quia murmuratio conventus clericorum, et civitates multas destruxit. *Ibid.*

8. Murmurare, detrahere, vel despicere, hypocritarum conditio est. *Prosec.*

9. Murmurare et detrahere hypocrita non satiatur, de omnibus male dicens, ut ipse solus a cunctis prædicetur beatus. *Ibid.*

S. BASILIUS, MAGNUS. 10. Repudiandus est labor ille, qui a murmuratoribus proficiscitur, non secus ac victima, cui macula subest. Lib. *regular. disputat.* interrogat. 29, et hab. apud Joan. Damas. lib. 1, *Parall.*, cap. 67.

S. BERNARD. 11. Is qui impatientia sua et murmuratione cæteros molestat, manifeste Christum persequitur. Serm. *de Convers. S. Pauli.*

12. Nihil tam horrendum et horribile est, quam murmur in Congregatione. Serm. 63. *Parvulorum*, serm.

13. Si is qui murmurat, secundum animam mortuus est; qui ad murmurandum instigat, quomodo vivit? Lib. 3. *de Consid. ad Eugen. Pap.*

14. Qui murmurat, venenum diaboli habet in lingua. Serm. 47, *ad Sororem*.

15. Nisi murmurantem miseratio superna respiciat, frontosus mox et impudens factus, tanto deterius quanto desperatius in rebellionem corruit. *De duodecim, grad. humil.*, gradu 10.

S. BONAV. 16. Adversa locutio est murmurantium oblocutoria mordicatio. Expos. 2, super *Psalm.* CXVIII, cap. 2, vers 7, art. 3.

17. Qui murmurat de periculo tentationis, murmurat de præmio probationis. Lib. 2, *Pharetræ*, cap. 1.

S. CÆSAR. ARELAT. 18. In nullo penitus murmures, totum sanctum, totum justum, totum utile judica quidquid aut tibi, aut aliis videris imperari. Hom. 18.

19. Non solum tuam linguam stude a murmuratione mortifera prohibere, sed etiam murmurantem alium non libenter audire. *Ibid.*

CASSIODOR. 20. Odit Dei disciplinam, qui ad correctiones justas iniqua præsumptione remurmurat. Super *Psalm.* XLIX, vers. 18. *Odisti disciplinam.*

21. Major criminis crescit invidia, cum murmurare contingit otiosis. Super *Psalm.* CV, vers. 25 : *et murmuraverunt*, etc.

S. EPHREM. 22. Scandalosa est cunctis murmuratio, charitatem evertit, unionem dissipat, pacem disturbat, *De murmurat.*

23. Murmurator præcipientibus contradicit, et ad omne opus bonum ineptus atque inutilis est. *Ibid.*

24. Murmuratori semper excusationes in promptu sunt; si quod ei opus agendum injungatur, obmurmurat, ac alios mox etiam pervertit. *Ibid.*

25. Quævis murmuratoris actio reproba est, inutilis, et ad nullam virtutem accommodata. *Ibid.*

S. FRANCIS. ASSISIAS. 26. Religiosus qui murmurat, quid aliud facit, quam implere propriam matrem suam (idest Religionem) felle vituperii et traditionum? In suis *Opusc.*, collat. 18.

FRANCISC TITELM. 27. Solet murmuratio fere comitari otiosos. In *Elucidat.* super *Psalm.* 49, vers. 21 : *Sedens advers. fratrem tuum loquebaris*, etc.

GLOSSA ORD. 28. Ignis Domini justæ ultionis in futuro illos excruciat, qui lingua inflammata a gehenna murmurant. Super *Num.*, cap. XI, super illud; *Ortum est murmur*, etc.

29. Dolens animus debet se custodire, ne de igne probatorio murmuret. Super *Job*, cap. I.

30. Murmurantes per impatientiam si absque culpa aliquid eis infertur, noxios se reddunt, qui hactenus videbantur innoxii. Super I *Petri*, cap. 3.

31. Tanto amplius quisque murmurat et conqueritur, quanto minus in se desideria carnis extinguit. Super *Epist. Judæ*, in illud; *Hi sunt murmurantes*, etc.

GRATIANUS. 32. Alienus sit a fratrum unitate, qui murmurat : et opus ejus abjiciatur, qui murmurans extiterit, ne pœnam murmurantium incurrat. In *Decret.* 90. can. *Alienus.*

S. GREGOR. MAGNUS. 33. Quisquis de percussione murmurat, quid aliud quam justitiam ferientis accusat? Lib. 5, *Moral.*, cap. 28.

34. Qui de his, qui sibi prælati sunt, murmurant, non humano, sed ei cui cuncta disponit divino ordini contradicunt. *Ibid.*, lib. 22, cap. 17.

35. Contra negligentes præpositos non immerito a subditis murmuratur. *Ibid.*, in titulo.

36. Non nimio tædio in impatientiam cor erumpat, ne ea quæ curari per plagam poterat culpa, crescat ex murmure. Lib. 9, in *Registro*, indict. 4, cap. 27, Epist. 27, *ad Maximian. episc. Arabiæ.*

37. Murmuratio noxia est operibus bonis. Serm. 1, *Dom.* post *Ascens.*

38. In nulla causa ita offenderunt Judæi Deum in Eremo, sicut in murmuratione, quoniam semper murmuratores extiterunt. Serm. *Dom.* 10 *post Pent.*, in Appendice.

S. HIERON. 39. Maximum servorum vitium est, dominis contradicere, et cum aliquid jusserint, secum mussitare. Super *Epist. ad Tit.* cap. II, in illud; *Non contradicentes.*

HUGO A S. VICTORE. 40. Omnis, qui murmurat, serpens venenosus est, quia venenum diaboli habet in lingua. Super *Regul. div. Aug.*, cap. 9.

S. JOANNES CHRYSOST. 41. Servorum est improborum et insensatorum, murmurare : melius esset nihil operari, quam cum murmuratione operari; nam quod factum est perit. Serm. 8 super *Epist. ad Philip.*

42. Melius esset sæpe ministerio privari, quam murmurantem sustinere. *Ibid.*

43. Gravis est, gravis inquam, est murmurator, et vicinus blasphemiæ. *Ibid.*

44. Murmurare ingratitudinis est : qui enim murmurat ingratus est Deo; qui Deo ingratus est, blasphemus quoque est. *Ibid.*

S. ISID. HIS. 45. Murmurare in flagellis Dei peccator homo non debet, quia maxime per hoc quod corripitur, emendatur. *Prosec.*

46. Discat non murmurare, qui mala patitur, etiamsi ignorat cur mala patiatur : et per hoc juste se pati arbitretur, quia ab illo judicatur, cujus nunquam injusta judicia sunt. Lib. 3, *de Summo bono*, cap. 4, sent. 1.

S. LAURENT. JUSTIN. 47. Proximorum murmura omnino sunt a Christi militibus declinanda, quæ tanquam acutæ sagittæ audientium animas penetrare noscuntur. *De interiori conflictu*, cap. 2.

S. LEO I. 48. Audet plerumque humana insipientia adversus Creatorem suum : non solum de inopia, sed etiam de copia murmurare ; ut cum aliquid non suppetit, querula; et cum quædam exuberant sit ingrata. Serm. 1, *de Jejun. decimi mensis.*

THEOPHIL. 49. Murmurare servorum et ingratorum est. Super *Epist ad Philipp.*, cap. II, in illud. *Sine reprehensione*, etc.

Vide etiam tit. *Exaudire*, sent. 71; *Flagellum Dei*, sent. 79, 109, 144, 231; *Opus*, sent. 106; *Passio*, in genere, sent. 77; *Potestas*, in genere, sent 45; *Prædicatio*, sent. 31; *Regnum cæleste*, sent. 46; *Servitus*, sent. 20; *Tempus*, sent. 14.

MUTATIO.

Definitio. Mutatio est transitus entis ab uno termino ad alium, Vel — COLLECTOR.

Mutatio est transitus a privatione ad formam, vel a forma ad privationem intrinsecam mobili.

Differentia. Omnis mutatio est aut de statu in statum meliorem, aut de statu in statum deteriorem, aut de statu in statum priori æqualem : ubi autem nihil horum esse potest, vera incommutabilitas inest. Part. 1, lib. 2, *de Trin.*, cap. 3. — RICHARD. A S. VICTOR.

Comparatio. Sicut multa diligens in his per affectum dividitur, sic mutabilia sequens variatur. Lib. 1, *de Sacram.*, part. 9, cap. 3. — HUGO A S. VICTORE.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Grave est in pejus mutari : mutatur enim unusquisque morum varietate, et fit alter, in quo non agnoscitur quod fuit, et incipit esse quod non fuit, sui degener. Lib. 1, epist. 1, *ad Justum.* — S. AMBROS.

2. Proclivis et mutabilis in utrumque est humana conditio, ut quocumque intenderit, eo propendeat et vergat, vel ad studia virtutum, vel ad illecebram delictorum. Super *Psalm.* XLVII.

3. In omni mutabili natura nonnulla mors est ipsa mutatio, quia facit aliquid in ea non esse quod erat. Lib. 3, *contra Maximinum*, cap. 12. — S. AUGUST.

4. Ut mutemur in pejus, nostra iniquitas, est : ut mutemur in melius, gratia Dei præstat. Super *Psalm.* LXVIII.

5. Mutata vita, mutatur sententia. Serm. 47, *ad Fratr. in eremo.*

6. Mutabile est omne, quod semper eodem modo non est. *De immortal. animæ*, cap. 2.

7. Omnis res mutabilis, etiam formabilis sit necesse est. Lib. 2, *de libero arb.*, cap. 17.

8. Mutabilitas rerum mutabilium, capax ipsa est formarum omnium in quas mutantur res mutabiles. Lib. 12, *Conf.*, cap. 6.

9. Omnis intentio quæ variatur mutabilis est, et omne mutabile æternum non est. *Ibid.*, cap. 15, post init.

10. Nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. *Ibid.*, lib. 7, cap. 10.

11. Quod nullam patitur mutationem, melius est quam id quod mutari potest. *Ibid.*, lib. 7, cap. 1.

12. Quod mutatur in melius, non quia manebat, mutatur; sed quia pervertebatur in pejus. *Prosec.*

13. Mutantur ergo quædam in meliora, et propterea tendunt ad esse; nec dicuntur ista mutatione perverti, sed reverti atque converti. *De Morib. Manich.*, cap. 6.

14. Omnia mutantur, nec mutatur divinæ providentiæ ratio, qua fit ut istà mutentur. Epist. 5.

15. Non verum est quod dicitur, semel recte factum nullatenus esse mutandum, mutata quippe temporis causa, quod recte ante factum fuerat, ita mutari vera ratio plerumque flagitat. *Ibid.*

16. Turpe est mutare sententiam, sed veram et rectam : nam et stultam et noxiam, et laudabile et salubre est. Epist. 210.

17. Manifestum est omne mutabile ex aliqua infirmitate formari. Lib. 1, *de Gen. ad lit.*, cap. 14.

18. Omne corpus in omne corpus mutari posse credibile est : quodlibet autem corpus mutari posse in animam credere, absurdum est. *Ibid.*, lib. 7, cap. 7.

19. Spiritalis creatura tantummodo per tempora mutari potest, corporalis autem per tempora et loca. *Ibid.*, lib. 8, cap. 12.

20. Mutatus homo mutatum Deum sentit : ut per tenebrarum diuturnitatem mutati oculi, mutatum solem sentiunt. *Annotat. in Job.*, cap. 10.

21. Quod recipit majus et minus, sine dubitatione mutabile est. Lib. 3, *de Civitate Dei*, cap. 6.

22. Mutabile est omne quod aliquid patitur. *Ibid.*, lib. 12, cap. 17.

23. Deus in quidquid voluerit, quas instituit potest mutare naturas. *Ibid.*, lib. 21, cap. 8.

24. Omnia quæ fecit Deus, quia ex nihilo fecit, mutabilia sunt. *De Natura boni*, cap. 1.

25. Quidquid fecit Deus potest esse mutabile, ipse autem Deus non est mutabilis. Lib. 1, *de actis cum Felice*, cap. 19.

26. Nisi injustus voluntatem mutaverit, bonum operari non potest. *Contra Adimant.*, cap. 26.

27. Omnia quæ mutantur desinunt esse quod erant, et incipiunt esse quod non erant : esse verum non habet, nisi qui non mutatur. Tract. *de eo quod dictum est; Ego sum qui sum.*

28. Omnis mutatio facit non esse quod erat. *De Natura boni*. cap. 19.

29. Non omne quod movet, mutatur. *De immortal. animæ*, cap. 3.

30. Per gratiam humana voluntas ex mala mutatur in bonam. *De grat. et lib. arb.*, cap. 20.

31. Res quælibet, si mutabilis est, non vere est. Tract. 38, super *Joan.*

S. BASILIUS MAGNUS. 32. Homines similes sunt nubeculis, pro ventorum immutatione ad aliam atque aliam aeris partem jactatis. Epist. 82, *ad Patrophil. episc.*

33. Quorum mens ad mutationem propensa est, non est dissentaneum, quin eorum quoque vita non sit ordinata. Apud. D. Joan. Damasc., lib. 2, *Parall.*, cap. 1.

S. BERNARD. 34. Tria sunt genera mutationum; sublimitatis in humilitatem, contemptibilitatis in majestatem, mutabilitatis in æternitatem. Prima mutatio fuit, quando Verbum carnem assumpsit; secunda mutatio, quando se homo Deus coram discipulis transformavit; tertia mutatio, quando resurgens cœlum regnaturus ascendit. In suis *Sent.*, cap. *Tria.*

35. Cibus hominis mutavit se in pabulum pecoris, homine mutato in pecus. *Prosec.*

36. Heu tristis et lachrymosa mutatio! ut homo paradisi accola, terræ dominus, cœli civis, domesticus Domini Sabaoth, frater beatorum spirituum, et cœlestium cohæres virtutum, repentina se mutatione invenerit in pecorinam similitudinem propter peccatum transmutatum. Serm. 35, super *Cant.*

BOETIUS. 37. Omnis subita mutatio rerum, non sine quodam quasi fluctu contingit animorum. Lib. 2, *de Consolat. Philos.*, prosa. 1.

S. BONAV. 38. Omne quod a versione incepit, versioni subjectum est. Super *Sapient.*, cap. XI.

39. Quanto res magis elongatur a suo principio, tanto magis mutatur et deficit. Super *Joan.*, cap. VIII, in illud; *Principium qui et loquor vobis.*

EVAGRIUS. 40. Planta quæ assidue transfertur, fructum numquam edet. *Hab.* apud D. Joan. Damasc., lib. 2, *Parall.*, cap. 1.

GLOSS. DEC. 41. Nihil est in mundo, quod mutabilitatem non sentiat. In *Decret. Gratiani.*

S. GREGOR. MAGNUS. 42. Quid mutabilitas, nisi mors quædam est? quæ dum rem quamlibet in aliam immutat, quasi occidit quod fuerat, ut incipiat esse quod non erat. Lib. 12, *Moral.*, cap. 17.

43. In virum alium mutatur, qui illud quod non fuit, se videt esse : et illud quod fuerat, non esse. Lib. 4, in I *Regum*, cap. v, super illud; *Et mutaberis in virum alium.*

HUGO A S. VICTORE. 44. Honestum est Religiosum non facile quidquam aut leviter variare. Super *Regul. D. Aug.*, cap. 3.

HUGO CARD. 45. Triplex est mutatio. Prima est conversionis, secunda est alterationis, tertia est meliorationis. Prima mutatio est incipientium. Secunda proficientium, tertia perseverantium, super *Ecclesiasten*, cap. 8.

S. JOANNES CHRYSOST. 46. Impossibile est ea, quæ naturæ sunt ac necessaria mutare. Homil. 41, super *Acta Apost.*

47. Præsentia cuncta variantur, et mutationi obnoxia sunt. Homil. 18, super I *Tim.*

S. JOANNES 48. Quorum natura a mutatione initium duxit,

DAMASCEN. ea mutationi quoque subsint necesse est. Lib. 1, *de Fide orthodox.*, cap. 5.

JOAN. SAR. 49. Rerum subitæ mutationes solent afferre molestias. Epist. 161.

S. PELOG. PAP. 50. Episcopus non mutat sedem, qui non mutat mentem. Epist. *ad Benign. archiep.*

PETR. BLES. 51. Qui de homine in Angelum transieras, nunc de Angelo in hominem reversus es. Epist. *ad Quemdam.*

PETR. CELL. 52. Muta vitam, dum vivis in hac vita : ne si forte modo dum potest, distuleris mutare, cum non poteris, cogaris tenere. Lib. 3, Epist. 10.

PETR. MAURITIUS ABB. CLUNIAC. 53. Nulla mutabilium rerum permutatio nos mutare, nulla varietas variare debet. Lib. 1, epist. *ad Innocent. Pap.*

PHILLO JUD. 54. Nihil est in rebus genitis firmum, sed omnia mortalia necessarias mutationes admittunt. *De mundi opific.*

S. REMIGIUS 55. Omnis creatura, quæ mutari potest in melius aut in deterius, corruptibilis est. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 1, can. 23.

RICHARD. A S. VICTORE. 56. Nihil verius, nihil certius, quam mundanorum mutabilitas : quanto diligentius conspicitur, tanto melius, tanto manifestius fugienda, et per despectum calcanda cognoscitur. Part. 1, lib. 3, *de Contemplat.*, cap. 2.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 57. Ut homo pravus facile est mutabilis : sic et natura prava est ea, quæ indiget mutatione. Lib. 7, *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 14.

58. Quædam nasci nulla utilitas est, mores enim mutari faciunt : nam aliqua per naturam ad utrumque apta, per mores ad pejus vel ad melius convertuntur. Lib. 7, *Polit.*, cap. 13.

PLATO. 59. Mutationem, aio, omnibus in rebus, præterquam malis, esse periculosissimam. Sizyg. 4, lib. 7, *de Legibus.*

SENECA. 60. Commutatio loci tolerabilis est, si tantum locum mutes, non animum. *De Consolat. ad Helviam*, cap. 13.

61. Non convalescit planta, quæ sæpe transfertur. Epist. 2.

62. Animum debes mutare, non cœlum : licet vastum trajeceris mare, sequuntur te quocumque perveneris, vitia. Epist. 28.

63. Mutare te loca, et in alium de alio transire nolo : quia tam frequens migratio, instabilis animi est. Epist. 69.

64. O quam bene cum quibusdam ageretur, si a se aberrarent, mutando locum! *Prosec.*

65. Quid prodest mare trajicere, et urbes mutare? si vis ista, quibus urgeris, non alibi sis oportet, sed alius. Epist. 104.

66. Nemo se mutat, qui mutari se desperat. *De Moribus.*

Vide etiam tit. *Episcopus*, sent. 8; *Esse* sent. 23, 24, 25, *Honor*, sent. 103, 105; *Locus*, sent. 36, 37, 44; *Miraculum*, sent. 12; *Mundus*, sent. 58; *Reus*, sent. 16; *Satisfactio*, sent. 8; *Sententia*, sent. 37; *Temporale*, sent. 95.

MYSTERIUM.

DIONYSIUS CARTHUS. *Definitio.* Mysterium est sacrum secretum, seu mystica ratio, abditumve consilium. Super *Hymn. in Passione ad Vesperas.* Super illud; *Fulget crucis mysterium.*

S. GREGOR. MAGNUS. Mysterium ob hoc dicitur, quod secretam, et reconditam habet dispensationem. Et habet. in *Decret. Gratiani*, part. 2, caus. 1, quæst. 1, can. *Multi* § *Mysterium.*

PETR. MAURITIUS ABB. CLUNIAC. *Differentia.* Mysterium in hoc differt a sacramento, quod sacramentum semper aliquid tegere, dicitur; mysterium tegi, non tegere prædicatur. Lib. 3, epist. 7, *ad Gregorium.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Peccat Deo, qui commissa sibi secreta mysteria putaverit indignis esse vulganda. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 2, vers. 3.

2. Indignus est Domino, qui aliter mysterium celebrat, quam ab eo traditum est. Super 1, *Cor.* cap. 11. in illud : *Quicumque ederit panem hunc*, etc.

S. AUGUST. 3. Ad cœlestia arcana penetranda, ratio per se non sufficit, nisi a Deo adjuta fuerit. *De spiritu et anima*, cap. 37.

4. In Scripturis sacris bonorum vita, non disputationum ambagibus, sed mysteriorum auctoritate facillime purgatur. Lib. 2, *de Ordine*, cap. 9.

5. In Scripturis sanctis profunda sunt mysteria, quæ ad hoc absconduntur ne vilescant, ad hoc quæruntur ut exerceant, ad hoc aperiuntur ut pascant. Super *Psalm.* CXXXX.

V. BEDA. 6. Humilibus et fidelibus divinæ legis mysteria parent, superbis autem et infidelibus latent. *In suis Prov.*, verbo *Humilibus.*

7. Quanto quisque amplius divinæ mysteria majestatis aspicere cœperit, tanto mox de se humilia sentiens a tota sua trepidus virtutum fiducia deficit. Lib. 1, super *Samuelem*, cap. 11, in illud : *Percussit de viris*, etc.

BOETIUS. 8. Non fas est homini, cunctas divina operis, seu mysterii machinas vel ingenio comprehendere vel explicare sermone. Lib. 4, *de Consolat. Philo.*, prosa 6.

S. CYRILLUS HIEROSOL 9. Necesse est de divinis et sanctis fidei mysteriis, neque sine sacris Scripturis temere quidquam tradere. *Cateches.* 4, *de Spiritu sancto.*

S. DIADOCH. 10. Profundum mysterium fidei si scrutemur, turbulentum quidem est; tranquillum vero, si simplici animo contemplemur. *De perfect. spirit.*, cap. 22.

DIONYSIUS CARTHUS.

11. Apostoli magis illuminati, Christi mysteria clarius conspexerunt, multipliciusque noverunt, quam Vates Mosaicæ legis. Super *Epist.* 2, *Petri*, cap. 1, art. 1.

S. EUSEBIUS EMISSENUS.

12. Divina opera non discutienda sunt, sed credenda. Hom. 1, *de Symbolo.*

13. Quisquis ille es, qui obscurorum profunda non fide, sed curiositate rimaris; hoc potius insinua cordi tuo, ut divinas dispensationes quanto difficilius investigare te videris, tanto reverentius admireris. *Prosec.*

14. Quanto minus capis mysterii intellectum, tanto magis dispensatoris mirare, consilium. *Ibid.*

15. Nihil pene in sermone Dei mysteriis vacat. Hom. 1, *de S. Joan. Baptist.*

S. GAUDENT.

16. Desinamus fide neglecta, contumeliosis quæstionibus divinum pulsare mysterium. *Prosec.*

17. Scrupulositas intelligentiam mysteriorum Dei superflua curiositate non invenit : sed fidem perdit, quam constat esse ducem salutis. Tract. 14.

GLOSS. INT.

18. Frustra quæris ab hominibus in terra, quod solus Deus novit in cœlo. Super *Daniel.*, cap. 2.

19. Nova vitæ mysteria non sunt committenda mentibus nondum innovatis. Super *Matth.*, cap. 9.

S. GREGOR. MAG.

20. Divinæ virtutis mysteria (quæ comprehendi non possunt) non intellectu discutienda sunt, sed fide veneranda. Homil. 20, super *Ezech.*

S. HIERON.

21. Sacrilegium est vel celasse, vel ignorasse Christi mysteria. Epist. 59, *ad Pammach.*

22. Dilige mysteria Dei, ut ameris a Christo. Epist. 13, *de Septem ordinib.*, grad. 1.

23. Turpe lucrum est, de cœlestibus mysteriis terrena sectari. Super 1, *ad Tim.*, cap. 3, in illud; *Non turpe lucrum sectantes.*

HUGO CARD.

24. Mysterium humanæ liberationis ignotum est. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 1.

S. JOANNES CHRYSOST.

25. Quando deficit ratio, et mens non est capax scrutari mysteria Dei, cogitet quam magnus est Dominus, et quanta ejus virtus, cum neque rationem eorum, quæ ab illo facta sunt, scire mens queat. Homil. 7, super *Gen.*

26. Non possunt aliter creationis mysteria intelligi, quam fidei oculis conspecta. Homil. 15, super *Gen.*

27. Pernitiosum malum est, absque delectu cuivis divina mysteria detegere. *Ibid.*, homil. 16.

28. Mysteria veritatis margaritæ sunt : quia sicut margaritæ inclusæ cochleis, positæ sunt in profundo maris : sic et divina mysteria in verbis inclusa, posita sunt in Scripturarum sanctarum altitudinem. Homil. 17, super *Matth. Oper. imperf.*

29. Mysterium Dei scire expedit hominibus, nam servus fidior fit circa obsequium domini sui; cum cœperit dominus illi secreta sua committere. *Ibid.*, homil. 50.

30. Si Deus non omnia mysteria dicat hominibus, non invidet scientiæ nostræ, sed quia omnium mysteriorum scientia nobis minime prodest. *Ibid.*

31. Mysterium Dei incognitum est atque ineffabile, et multum habet quod mirabile sit præter opinionem. Serm. 19, super *Epist. ad Rom.*

32. Mysteria consuevit appellare Scriptura, quæ præter spem, et humanam fiunt opinionem. Homil. 7, super 1, *Cor.*

33. Ecclesia arcanorum mysteriorum thesaurus est. *Ibid.* hom. 16.

34. Istud vere mysterium est, quod nemo cognovit, quod admirabile est, quod præter communem est expectationem, et quod absconditum est. Homil. 5, super *Epist. ad Coloss.*

35. Animadverte mysterium et venerationis horrore moveberis : mysterium est magnumque mysterium, et pietatis sacramentum; mysterium revera ubique terrarum auditum atque creditum est. Homil. 11, super 1, *Tim.*

36. Si hominibus caninos vel porcinos mores habentibus sanctum dederis, aut mysteria secreta credideris : nec sanctum illos sanctificat, nec mysteria veritatis eos illuminant : sed e contra ipsi sanctum coinquinant, et mysteria veritatis blasphemant. Homil. 17, super *Matth. Oper. imperf.*

S. ISID. HISP.

37. Sic divina scrutare mysteria, ut semper ea cogites immensa. Lib. 1, *de Summo bono*, cap. 8, sent. 19.

38. Qui nubilo terrenæ curæ fuscatur, si tentet Dei scrutari mysteria, non valet, quia caligine curarum obscuratus non videt. *Ibid.*, lib. 3, cap. 9, sent. 4.

S. LAURENT. JUSTIN.

39. Spiritualis intelligentiæ mysteria carnalis mens, et infidelitatis tenebris involuta, capere non sufficit. *De Casto connub.*, cap. 25.

S. PROSPER.

40. Divina mysteria celantur, ut quantum non capit homo, avidius nosce quærat, et cum quæsita non intellexerit, amplius metuat, sciens divinum esse atque profundum quidquid mortalibus nosse fuerit denegatum. *De Promiss.*, part. 2, cap. 31.

THOMAS A KEMPIS.

41. Christi mysteria intelligere digni non sunt, qui ea cum humilitate et desiderio non requirunt. Medit. 2, *de Desider. Prophetar.*, cap. 2.

TRISMEG.

42. Vos intra secreta pectoris divina mysteria silentio tegite, et taciturnitate celate. *De volunt. divina*, cui titulus *Asclepius*, cap. 11.

Vide etiam tit. *Eucharistia*, sent. 230, 231; *Sacerdos*, sent. 37; *Trinitas*, sent. 66.

NATIVITAS CHRISTI.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS.

1. Ex utero funditur Christus, sed coruscat e cœlo : terreno in diversorio jacet, sed cœlesti lumine fulget : nupta peperit, sed virgo concepit :

nupta peperit, sed virgo generavit. Lib. 2, super *Lucam*, cap. 2, in illud; *Ut pareret*, etc.

S. AUGUST. 2. Ipsa Dei virtus per inviolatæ Matris virginea viscera, membra infantis eduxit, quæ post ea per clausa ostia, membra juvenis introduxit. Epist. 3, *ad Volusianum*.

3. Sicut secundum illam divinitatem, qua unum sunt Pater et Filius et Spiritus sanctus, neque Patrem natum credimus, neque Spiritum sanctum, sed solum Filium : sic etiam secundum carnem solum Filium natum catholica fides et credit et prædicat. *De Fide ad Petrum*, cap. 2.

4. Unigenitus Dei natus est semel ex Patre, semel ex Matre : natus est enim de Patre Deus Verbum, natus est de Matre Verbum caro factum. *Prosec.*

5. Unus est ergo atque idem Deus Dei Filius natus ante secula, et natus in seculo; et utraque nativitas, unius est Filii Dei. *Ibid.*

6. Mariæ conceptus et partus, operatio Trinitatis est. Lib. *de Trinit.*, cap. 5.

7. Nascebatur ex Virgine non transgressionis contagione vitiata natura, sed omnium talium vitiorum sola medicina. *Prosec.*

8. Nascebatur homo nullum habens, nullum habiturus omnino peccatum, per quem renascerentur liberandi a peccato, qui nasci non possunt sine peccato. Lib 13, *de Trinit.*, cap. 18.

9. Nolite vos ipsos contemnere viri, Filius Dei virum suscepit. *Prosec.*

10. Nolite vos ipsas contemnere, fœminæ, Filius Dei natus est ex fœmina. *De Agone christiano*, cap. 11.

11. Nativitas nihil est aliud, quam exitio, exitio autem manifestatio est : itaque Christus non factus, sed editus est. *De quæstionibus Veteris et Novi Testamenti*, quæst. 97.

12. Sicut transitu meo Mariæ non est corrupta Virginitas, sic et mea non est ibi maculata majestas. *De quinque hæres.*, cap, 5.

13. Dicit Deus Creator hominis, filius hominis, Quid est quod te permovet in mea Nativitate? Non sum libidinis conceptus cupiditate : ego Matrem, de qua nascerer, feci : ego viam meo itineri præparavi atque mundavi : hanc quam tu despicis, Manichæe, Mater mea est, sed manu fabricata est mea. *De quinque hæresibus*, cap. 5.

14. Natus est Dei Filius ex homine, et non per hominem, id est, non ex viri coitu, sicut Ebion dicit : sed carnem ex Virginis corpore trahens, et non de cœlo secum afferens, sicut Marcion, Origenes, et Eutyches affirmant; neque in phantasia, id est, absque carne, sicut Valentinus asserit, neque putative imaginatum, sed corpus verum; non tantum carnem ex carne, sicut Martianus; sed verus Deus ex divinitate, et verus homo ex carne, unus Filius, in divinitate Verbum Patris et Deus; in homine anima et caro; anima non absque sensu et ratione, ut vult Apollinaris; neque caro absque anima, ut Eunomius : sed anima cum ratione sua, et caro cum sensibus suis, per quos sensus veros in Passione et ante Passionem suæ carnis dolores sustinuit. *De Ecclesiasticis dogmatibus*, cap. 2.

15. Unde sordes in Virgine Matre, ubi non est concubitus cum homine Patre? *Prosec*

16. Unde sordes in Maria, quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo est perpessa dolorem? *Ibid.*

17. Taceat immunda vanitas, quia munda nata est divinitas. *Ibid.*

18. Ille unius sanctæ Virginis partus, omnium sanctorum virginum est decus. *De sancta Virginitate*, cap. 5.

19. Christus in carne quidem, et de carne, non tamen carnaliter, sed spiritaliter natus est : natus est enim de Spiritu sancto ex Maria Virgine. Lib. 6, *contra Julianum*, cap. 8.

20. Venerare Nativitatem, per quam terrenæ nativitatis vinculis liberatus es : honora Bethleem pusillam et minimam, per quam tibi regressus ad Paradisum patefactus est. Lib. 1, *contra Julianum*, cap. 2.

21. O Verbum ante tempora, per quod facta sunt tempora! natum est in tempore, cum sit vita æterna, vocans temporales, faciens æternos. Super *Psalm.* CI, concion. 2, vers. 25.

22. Nos filios Dei gratia fecit, Christum natura. Quia vero natus est, non est ut dicas, non erat antequam natus erat : nunquam enim non natus erat, qui Patri coæternus erat. Qui sapit, capiat : qui non capit, credat, nutriatur, et capiet. Tractatu 48, super *Evangelium Joannis*, de cap. 10.

23. O beata infantia, per quam nostri generis vita est reparata! *Prosec.*

24. O gratissimi delectabilesque vagitus, per quos stridores dentium æternosque ploratus evasimus.

25. O felices panni, in quibus peccatorum sordes extersimus!

26. O præsepe splendidum, in quo non solum jacuit fœnum animalium, sed cibus inventus est Angelorum! Serm. 5 *de Nativitat.*

27. Virtus mundi nascitur, et nullus pariendi est gemitus : vacuatur uterus, infans excipitur, nec tamen virginitas violatur. *Prosec.*

28. Fas enim erat, ut Domino ex Virgine secundum carnem nascente, meritum cresceret castitatis : ne per ejus adventum violaretur integritas, qui veniebat sanare corrupta. Serm. 6 *de Nativitate.*

29. Natus est Christus in tempore per voluntatem, ut nos perducat ad Patris æternitatem. *Ibid.*, serm. 9.

30. Nascitur Christus, ut ipsam quam prius homo vitiaverat, melioraret naturam. *Prosec.*

31. Jacet in pannis, sed regnat in cœlis : humiliatur in cunabulis, sed in nubibus tonat : in præsepe ponitur, quia omnis caro fœnum. Serm. 20 *de Nativitate.*

32. Quid erit tribunal judicantis, si superbos reges cunabula terrebant infantis? Serm. 2 *de Epiphania.*

33. Filius Dei propterea voluit nasci homo, quia perierat omnis homo. Serm. 2 *de Nativitate.*

34. Solus Christus de Virgine natus est, quia solus sine amplexu viri et fœminæ, de Spiritu sancto conceptus est : solus sine corruptione implevit uterum Matris; quia solus pro nobis super cœlos ascendit, ut sederet ad dexteram Patris. *Ibid.*

35. O fœmina super fœminas benedicta : Quæ et virum non cognovit, et virum in utero circumdedit, quæ concubitu carnali non tangitur, et tamen carnea prole de spiritali semine gratulatur. Serm. 5 *de Nativitate.*

36. Peccavit homo, et factus est reus : natus est homo Deus, ut liberaretur reus. Serm. 9 *de Nativitate.*

37. O miracula! o prodigia! naturæ jura mutantur in homine : Deus nascitur, Virgo sine viro gravidatur, viri nesciam sermo Dei maritat : simul facta est Mater, et Virgo : Mater facta est, sed incorrupta, Virgo habens Filium, nesciens virum, semper clausa, sed non infœcunda. *Ibid.*

38. O sacrum et cœleste mysterium in Nativitate Domini! concepit virgo antequam sponsum haberet, parit antequam nubat, et quod ad laudem nominis Domini, et Mater et Virgo cœpit esse post partum. Serm. 13 *de Nativitate Domini.*

39. Veneranda Nativitas Salvatoris, qui natus in carne est, humilitatis est instrumentum, pietatis mysterium, et æternæ spei remedium manifestum. Serm. 18 *de Nativitate.*

40. Omnis Domini Nativitatis schola, humilitatis est officina, patientiæ massa, virtutis agonia. *Ibid.*

41. Ubi virginitas concepit, integritas parit; Dei est virtus conscia, non voluptas. Serm. 20 *de Nativitate.*

42. Nascenti Domino non est ablata, sed consecrata virginitas, quæ ipsa sponsum genuit sui pudoris, ipsa custodi præbet fidele servitium : fœta, sed virgo : virgo, sed Mater : sterilitate caruit, non pudore. *Ibid.*

43. Beata fœcunditas Mariæ, quæ honorem acquisivit maternum, et castitatis præmium non amisit. *Ibid.*

44. Nobilitas fuit Christi nascentis in virginitate parientis, et nobilitas parientis in divinitate nascentis. Serm. 2 *Epiphan.*

45. Natus est Christus ex Virgine. ut nos nasceremur ex Ecclesiæ virginis utero. Serm. 1, *Vigil. Pent.*

46. Ut homines nascerentur ex Deo, primo ex ipsis natus est Deus : Christus enim Deus, et Christus natus ex hominibus. Tract 2, super *Joan.*

S. BASIL. MAG.

47. Christus apparuit nobis, non in forma Dei, ne id quod debile est consternaret; sed in forma servi, ut id quod in servitutem redactum erat, liberaret. Concione 24 *de Nativitate Christi.*

S. BERNARD.

48. O nativitas illibata sanctitate, honorabilis mundo, amabilis hominibus collati magnitudine beneficii, investigabilis etiam Angelis sacri profunditate mysterii, et in his omnibus admirabilis singularis excellentia novitatis! *Prosec.*

49. O partus solus sine dolore, solus nescius pudoris, corruptionis ignarus, non reserans sed consecrans virginalis uteri templum.

50. O nativitas supra naturam, sed pro natura, miraculi excellentia superans, sed reparans virtute mysterii. Serm. 1, *Vigiliæ Nativitat.*

51. Cuinam Christus poterit asper aut durus videri, qui nec ipsi Matri in nativitate quidquam asperitatis, quidquam intulit læsionis? *Ibid.*, serm. 4.

52. O nova vere miracula! conceptus fuit sine pudore, partus sine dolore; o vere novitas inaudita! virgo peperit, et post partum inviolata permansit. *Ibid.*, serm. 4.

53. Pretiosiores sunt panni Salvatoris omni purpura, et gloriosius hoc præsepe auratis regum soliis : ditior denique Christi paupertas cunctis opibus, cunctisque thesauris seculi. *Ibid.*, serm. 4.

54. Ubi aula regia, ubi thronus, ubi curiæ regalis frequentia? numquid aula est stabulum, thronus præsepium, curiæ frequentia Joseph et Maria? Serm. 1, *Epiphaniæ.*

55. Nascitur stella in excelsis, et Deus in terris, cujus possessio a mari usque ad mare. Serm. 1, *de Nat. Dom.* sibi adscripto.

56. Vix natus est, Cœli gloria, Cœli divitiæ, Cœli deliciæ, dulcis Jesus, et ecce recenti ortui crucis ignominia, crucis dolor, crucis paupertas copulatur. Lib. *de Passione Dom.*, cap. 36.

S. BONAV.

57. Ubi est quem quærimus? ubi est quem desideramus et affectamus? ubi est qui natus est rex Judæorum, lex devotorum, dux miserorum, lux cæcorum, vita morientium? In Bethleem Judæ. *De quinque festivit. Pueri Jesu*, solemnit. 4.

58. Nativitas Christi fuit gratiosa, gloriosa, copiosa, fructuosa. Lib. 4, *Compend. Theolog. verit.*, cap. 11.

S. CYPRIAN. 59. In nativitate Christi nulla domus ambitio, sed reclinatorium in stabulo, mater in fœno, filius in præsepio, panniculi pro purpura, pro bysso in ornatu regio laciniæ congeruntur. *De Nativ.*, cap. 2.

S. GAUDENT. 60. Nascitur Christus non sibi, sed nobis : nascitur enim qui semper erat, nascitur qui in principio erat, et Filius Dei, et Verbum Dei, et Deus. Tract. 9.

S. GREGOR. MAGNUS. 61. Christus in carne natus, culpæ ultione pressus est, et culpæ contagione inquinatus non est; propria admissa non habuit, et tamen pœnam carnalium, sine culpa suscepit. Lib. 3, *Moral.*, cap. 11.

62. Nascente Domino videbatur divinitas humiliata, ascendente vero Domino est humanitas exaltata : in nativitate sua apparuit Deus humiliata, ascendente vero Domino est humanitas exaltata : in nativitate sua apparuit Deus humilis, in ascensione sua ostensus est homo sublimis. Hom. 29, super *Evang.*

63. Cœli Rege nato rex terræ turbatus est : quia terrena altitudo confunditur, cum celsitudo cœlestis aperitur, *Ibid.*, hom. 10.

64. Dum unigenitus Dei existens ante sæcula ex Mariæ utero natus est homo, investigabili miraculo facta est et ancilla hominis per divinitatem, et mater Verbi per carnem. Lib. 9, in *Registro*, indict. 4, cap. 61, epist. 61, *ad Quirin. episc.*

S. GREGOR. NISS. 65. In nativitate Domini, Virgo Mater efficitur, et permanet Virgo : nec virginitas partum ademit, nec partus virginitatem solvit. *Id diem natalem Christi.*

66. Virgo peperit sine dolore, quia sine voluptate concepit. *De Christi resurrect.*

S. GREGOR. TAUM. 67. Natus est Christus in Bethleem secundum carnem, ut Deum decebat, angelis cœlestibus Dominum suum cognoscentibus, et Deum in præsepio pannis involutum collaudantibus. In *Anathematismis*, cap. 12.

S. HIERON. 68. Qua voce, quo sermone tibi speluncam Salvatoris exponam? et illud præsepe in quo infantulus vagiit, silentio magis, quam infimo sermone honorandum est. Epist. 18, *ad Marcellam.*

69. Dei Filius pro nostra salute, hominis factus est Filius : novem mensibus in utero ut nascatur expectat, fastidia sustinet, pannis involvitur, et ille pugillo mundum includens, præsepis continetur angustiis. Epist. 22, *ad Eustoch.*

70. Felix puerperium, lætabile Angelis, expectabile Sanctis, necessarium perditis, congruum profligatis. Epist. 11, *de Assump. B. M.*

S. HILARIUS 71. Parit Virgo, partus a Deo est : infans vagit, laudantes angeli audiuntur, panni sordent, Deus adoratur. Lib. 2, *de Trin.*, verbo *Angelus*, col. 2.

HUGO A S. VICT. 72. In nativitate Christi, juste placatus est Deus homini : quia talis homo inventus pro homine, qui non solum par, sed et major esset homine. Super *Psalm.* IX, cap. 8.

73. O Virgo gratiosa ! totum nobis quodammodo est a te, quod per illum nobis est, qui natus est ex te. *De Verbo incarnato*, col. 3.

S. IGNATIUS, MART. 74. Vere genuit Maria corpus habens in se Deum habitantem : et revera natus est Deus, Verbum ex Virgine, vestitus corpore obnoxio iisdem passionibus nobiscum, epist. 5, *ad Trallianos.*

75. Vere genitus Christus, et qui hæc credit, ut res se habet, quod natus sit, is beatus est : qui vero non credit hæc, scelestus est, non minus iis, qui Dominum crucifixerunt. *Ibid.*, epist. 8, *ad Philippens.*

S. ILDEPH. 76. Si Matrem quæram, Virgo est : si Virginem quæram, Mater est. Si prolem quæram, Virginis est : si pudorem quæram, matris omnino est, *De Virginit. B. M.*, cap. 11.

77. Integritas Mariæ conceptioni adhæret, pudor conceptionem sepit, virginitas conceptum claudit. *Ibid.*, cap. 2.

78. Sicut clauso utero Maria concepit, ita et clauso utero peperit. *Ibid.*, lib. *contra eos qui disputant de Virginit. B. M.*

79. Nativitas Domini nostri Jesu Christi omnem intelligentiam superavit, et cuncta exempla transcendit : nec potest esse ulla comparabilis, quæ est inter omnes singularis. *Ibid.*

S. INNOC. III 80. Miranda fœcunditatis Mariæ prærogativa ! quod talis talem taliter genuit. In *Encomio B. V. M.*

JOAN. CASS. 81. Idem habendus est in carne, qui habetur in spiritu; idem credendus in corpore, qui creditur in majestate, quia nasciturus in carne. *Prosec.*.

82. Non divisionem aliquam, aut discessionem sui fecit, ut se ex parte aliqua non nascente, pars sui aliqua nasceretur, aut aliquid in eo divinitatis postea superveniret, quod in eo natum ex Virgine non fuisset. Lib. 5, *de Incarnat.*, cap. 4, 1022.

S. JOANNES CHRYSOST. 83. Natus est Christus secundum carnem, ut tu nascereris spiritu : natus est ex muliere, ut tu desineres filius esse mulieris. Homil. 2, super *Matth. Oper. perf.*

84. Nascitur Christus Abrahæ semen ex Abraham, qui ipsum fecerat Abraham. Nascitur ex patre, qui prior generat patrem, ut esset filius patre anterior, esset Christus genitore prior : nec enim nasci corporaliter potuisset, nisi genitori originem tribuisset, ut esset genitoris genitor, et suæ originis fabricator. Homil. 1, *in dictum Joan.* 15. *Vos amici mei estis.*

85. Christi juxta carnem Nativitas festum est omnium festorum, venerandumque, et omnium metropolis est. In *orat de B. Philogonio.*

86. Quandiu gens Judaica, quamvis sub peccatoribus, tamen Judaicis regibus tenebatur, Prophetæ mittebantur ad remedium ejus : nunc autem quando lex Dei sub potestate regis iniqui tenebatur, nascitur Christus; quia magna et desperabilis infirmitas, medicum artificiosiorem quærebat. Homil. 2, super *Matth. Oper. imperfect.*

LEO I. 87. Beata Virgo Maria, virga Jesse, novum florem carnis humanæ, utero quidem materno, sed partu est enixa Virgineo. Serm 4, *de Nativit. Dom.*

88. Mariæ Virginis virginitas non est violata partu, sicut non fuerat temerata conceptu. *Ibid.*, serm. 3.

89. Maria ita Christum salva Virginitate edidit, quemadmodum salva Virginitate concepit. Epist. 10, *ad Flavian. Constantinopolit. Episcop.*, cap. 2.

90. Nativitas Domini nostri Jesu Christi omnem intelligentiam superat, et cuncta exempla transcendit, nec potest ullis esse comparabilis, quæ est inter omnes singularis. Serm. 10, *de Nativit. Dom.*

91. Adorant Magi in carne Verbum, in infantia sapientiam, in infirmitate virtutem, et in hominis veritate Dominum majestatis. Serm. 1, *de Epiphan.*

S. ODILO AB. CLUN. 92. Deus erat, et homo factus est : suscepit humanitatem, non amisit divinitatem. *Prosec.*

93. Factus humilis, mansit sublimis : natus est homo, non destitit esse Deus : natus est parvulus, latens magnus. Serm 13, *de Nativ. B. M.*

S. PETRUS CHRYSOL. 94. Ubi spiritus generat, Virgo parturit, totum divinum geritur, nihil humanum. Serm 57.

95. Spiritus et Virgo terrena copula non est, sed cœleste secretum : hinc est quod nascitur, est divinum. Ergo quod natus, contitendum est : quomodo natus est, tacendum. *Prosec.*

96. Quia quod secretum est, sciri non potest : quod clausum est, nescit aperiri : quod singulare est non refertur exemplo. *Ibid.*, serm. 61.

97. Si Deum sic nasci Magus fatetur munere, fatetur dum adorat, advertite quid sentire, quid credere debeat Christianus. *Ibid.*, serm. 117.

98. Ineffabile Nativitatis Dominicæ sacramentum credere magis convenit, quam referre. *Prosec.*

99. Virgo peperit : quod natura non habet, et usus nescit, ignorat ratio, mens non capit, pavet cœlum, stupet terra, creatura miratur, quomodo sermo narrabit humanus? *Ibid.*, serm. 143.

100. Hæretice desine judicare judicem tuum, et adora in cœlis Deum, quem Deum Magus adoravit in terris. *Ibid.*, serm. 145.

101. Christus quod nascitur, non est consuetudo, sed signum : non est natura, sed virtus : non ordo est, sed potestas : et est cœleste miraculum, ratio non humana. *Ibid.*, serm. 146.

102. Quis digne mirari valeat, quis non obstupescat, quod is qui cœli immensitate non capitur, in angusto præsepio reclinatur? qui electos suos stola immortalitatis induit, vilibus pannis contegi non contempsit. Serm 61, *de Nativ. Dom.* S. PETRUS DAMIAN.

103. Virginem parere, novum ac singulare est : Deum vero parere, ita omnem novitatem singularitatis exuperat, ita omnia quæ miranda sunt antecedit, ut nec mente concipi, nec lingua valeat aliquatenus explicari. Serm. 63, *de S. Joan. Evang.*

104. Natus est Christus temporaliter sine patre, et æternaliter sine matre. Super *Epist. ad Hebr.*, cap. 7, lect. 1. S. THOMAS. AQUINAS.

105. Decuit Christum non per seipsum, sed per alias creaturas nativitatem suam manifestare, ne fidei propagandæ derogaretur. Part. 3, *quæst.* 36, art. 4.

106. In Nativitate Christi, qui conscientiam habet securam, dulcius gaudet : qui miseram, attentius timet : qui bonus est, affectuosius orat : qui peccator, devotissime supplicat : dulcis dies et vere dulcis cunctis pœnitentibus, et veniam portans. *De Nativ. Christi.*

107. Nesciens Virgo virum, peperit sine dolore Salvatorem sæculorum. Serm. *de Nativit. Dom.* S. VINCENT. FERRAR.

108. O magnum sacramentum! Maria Virgo incorrupta concepit, post conceptum Virgo peperit, post partum Virgo permansit. Serm. 2, *de Nat. Chr.* S. ZENO. EPISC. MAR.

109. Mira res! concepit Maria de ipso quem parit : tumet uterus majestate, non semine : capitque virgo quem mundus mundique non capit magnitudo. *Ibid.*, serm 3.

Vide etiam tit. *Dies*, sent. 37; *Maria*, sent. 206: *Paupertas Christi*, sent. 5; *Potestas Dei*, sent. 54; *Sodomia*, sent. 15.

NATIVITAS HUMANA.

Definitio. Nativitas est omnium malorum ingressio. Super *Ecclesiasten*, cap. 7, 3. HUGO CARD

Nativitas est origo alicujus viventis a principio vivente conjuncto. Part. 1, *Summæ* quæst 27 art. 2, in corp. pag. 56, col. 1. S. THOMAS AQUINAS.

Divisio. Quintuplex nativitas est, scilicet nativitas culpæ, nativitas naturæ, nativitas doctrinæ, nativitas gratiæ, nativitas gloriæ, prima est in utero, secunda ex utero, tertia in Evangelio, quarta in Baptismo, quinta erit in judicio. Super *Sapient.*, cap. 4. HUGO CARD

Tres sunt nativitates. Prima est nativitas hominis damnata; secunda est nativitas hominis justificata; tertia est nativitas hominis beata. *Prosec.* Prima naturæ est, secunda gratiæ, tertia gloriæ. In prima est peccatum, in secunda meritum, in tertia præmium. PETR. BLES

Prima est ut quis vivat, secunda ut juste vivat, tertia ut beate vivat. Super *Job.*, cap. 3.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Vitæ hujus principium, mortis exordium est. Lib. 2, *de Vocat. gentium*, cap. 8.

2. Quam miserum, ut qui nascimur in libertate, moriamur in servitute! Lib. 2, Epist. 7, *ad Simplicianum*.

3. Nudi omnes nascimur, nudi morimur. Lib. 6, *Hexamer.*, cap. 8.

4. Nescit natura divites, quæ omnes pauperes generat : neque enim cum vestimentis nascimur, nec cum auro argentoque generamur, nudos fudit in lucem, egentes cibo, amictu, potu : nudos recipit terra, quos edidit. *De Nabuthe*, cap. 1.

5. Omnia quæ nascuntur in mundo, infirma, caduca, corruptibilia ac vana sunt. Super *Epist. ad Rom.* cap. 8, in illud; *Vanitati creatura subjecta est.*

S. AUGUST. 6. Tam multos Deus creando nasci voluit, quos ad suam gratiam non pertinere præscivit. Epist. 157, *ad Optatum.*

7. Scito quomodo homo es, cujus conceptio culpa, nasci miseria, vivere pœna, mori necesse. *De Spiritu et Anima*, cap. 51.

8. Omnis homo advena est nascendo, et incola vivendo. In quæst super *Levitic.*, quæst. 91.

9. Nemo renascitur in Christi corpore, nisi prius nascatur in peccati corpore. Lib. 1, *de Peccator. meritis*, cap. 29.

10. Nasci hic in corpore mortali, incipere ægrotare est. Super *Psalm.* CII, vers. 3.

11. Quo intrasti iter agis, exiturus venisti, non remansurus. Tract. 40, super *Evang. Joan.* de cap. 8.

12. Fui in necessariis natus, postea in spontaneis volutatus. In *Medit.*, cap. 39.

13. Nobilior est generatio spiritalis, quam carnalis. Serm. 1, *Dom. Quinquag.*

14 Cum nascitur puer non ridet, sed plorat : quare plorat nisi quia voce testatur et confitetur plorando se ad miseriam devenisse? Serm. 31, *ad Fratr. in Eremo.*

15. In luctu nascimur, in labore vivimus, et in dolore morimur. *Ibid.*, serm. 65.

16. Mortales, et ignari, et carni subditi nascimur. Lib. 3, *de Lib. arb.*, cap. 19.

17. Nullus vitam in qua natus est bene finiet, nisi renatus antequam finiat. Epist. 57, quæst. 2.

18. Nemo nascitur ex Adam, nisi vinculo delicti et damnationis obstrictus. Epist. 157.

19. Ingeniosum nasci, felicitatis est. Lib. 4, *de Civit. Dei*, cap. 21.

20. Undecumque nascantur homines, si parentum vitia non sectentur et Deum recte colant, honesti et salvi erunt. *De Conjug. bono*, cap. 16.

21. Hoc non est malum quod natus es, sed cum quo natus es. Lib. 3, *contra Julian.*, cap. 21.

22. Salva pudicitia conjugali, malum de malo nascendo trahitur, quod renascendo purgatur. *Ibid.*, lib. 4, cap. 8.

23. Diligatur proles, non ut nascatur tantum, verum etiam ut renascatur : nascitur namque ad pœnam, nisi renascatur ad vitam. *De Nuptiis*, lib. 1, cap. 17.

24. Ex concupiscentia carnis, utique mundo, non Deo nascitur : Deo autem nascitur, cum ex aqua et Spiritu sancto renascitur. *Ibid.*, cap. 19.

25. Conjugium bonum est, unde ordinate seminatus nascitur homo, et fructus conjugii bonus est, quod est ipse qui ita nascitur homo : sed peccatum malum est, cum quo nascitur omnis homo. *Ibid.*, lib. 2, cap. 22.

26. Ideo est secunda nativitas instituta, quia nativitas est prima damnata. Lib. 6, *contra Julian.*, cap. 19.

27. Quando quisque nascitur, antequam uti possit mente atque ratione, non regitur, nisi sensibus carnis. Tract. 15, super *Joan.*

28. Quisque cum præputio nascitur, quia omnis homo cum vitio propaginis nascitur. *Ibid.*, tract. 30.

29. Homo quando nascitur, jam cum morte nascitur, quia de Adam peccatum trahit. *Ibid.*, tract. 49, circa med.

30. In filiis nativitas, in patribus antiquitas. Tract. 2, super *Ep. Joan.*

S. BONAV. 31. In sordibus generamur, in tenebris confovemur, matres nostras plurimum oneramus, in doloribus parturimur, et in nostro exitu ventres more vipereo laceramus. *Prosec.*

32. Nudi nascimur, membris omnibus impotentes, mundo exponimur, et a ploratu vitam incipimus, et cum ploratu vitam finimus. Serm. 4, *de Uno confess.*

S. EUSEBIUS EMISSEN. 33. Jucundiores sunt illi dies, quibus renascimur, vel reparamur, quam illi quibus nascimur. Hom. 6, *de Pascha.*

FRANCISCUS TITELM. 34. Miserabilis prorsus hominis infirmitas : quomodo venit, sic revertetur. In *Annot.* Super cap. 1, *Job.* in illud; *Nudus egressus sum.*

GLOSS. DEC. 35. Anima maribus citius infunditur, quam fœminis. In *Decretis Gratiani.*

GLOSS. INT. 36. Homines nati in mundo, flores in campo : vita in carne, flos in fœno. Super *Job*, cap. 14.

GLOSS. ORD. 37. Hominis procreatio non est sine sorde. *Ibid.*, cap. 14.

38. Sicut fœnum in terra, vel folium in arbore nascitur, ita caro nostra nascitur ex progenie parentum. Super *Ecclesiastic.*, cap. 14.

S. GREGOR. 39. Quid sunt nati homines in mundo, nisi

MAGNUS. quidam flores in campo? vita enim in carne, flos in fœno est. Lib. 11, *Moral.*, cap. 26, super illud *Job*, 14 : *Quasi flos egreditur.*

HIERON. 40. Nasci de adulterio, non ejus culpa est qui nascitur, sed illius qui generat. Epist. 15, *ad Pammach.*

41. Jam captus est morte, qui natus est : testes sunt mortui, cum non negant se morituri : ubi cum initio nominatur et finis, initium nostrum cum fine suscipimus. Epist. 6, *ad Amicum.*

UGO CARD. 42. Nativitas immunda est, vita perversa, mors periculosa. Super III *Reg.*, cap. 3.

43. Dolor principium est hominis, labor medium, timor finis. *Ibid.*

44. Homo non tam cito incipit vivere, quam incipit mori. Super *Psalm.* LXXXIX.

45. Homo in pœna nascitur, et in pœna moritur, et ideo in pœna vivere debet. Super *Isai*, cap. 30.

INNOC. III 46. Mulier concipit cum immunditia, et fœtore; parit cum tristitia, et dolore; nutrit cum angustia, et labore; custodit cum instantia, et timore. Lib. 1, *de Contemptu mundi*, cap. 6.

47. Homo nudus egreditur, et nudus regreditur : pauper accedit, et pauper recedit. *Prosec.*

48. Si quis autem indutus egreditur, attendat quale proferat indumentum, turpe dictu, turpius auditu, turpissimum visu, fœdam pelliculam, sanguine cruentatam. *Ibid.*, cap. 7.

JOANNES CHRYSOST. 49. Si quis e meretrice aut adultera sit natus, si propria virtute decoretur, parentum suorum non decoloratur opprobriis. *Prosec.*

50. Non est ex virtute, nec ex vitio parentum, ut quis sit virtute præditus, aut pravus, aut obscurus, aut clarus, sed ex propria virtute. Homil. 3, super *Matth. Oper. perf.*

ISID. HISP. 51. Inopes nascimur in hac vita, inopes recessuri sumus de hac vita. Lib. 2, *de Sum. bono*, cap. 41, sent. 8.

LACT. FIRM. 52. Hominem nimis imbecillum et fragilem nasci, quam cætera animalia nascuntur, certum est : et hominem nudum et inermem, tanquam ex naufragio in hujus vitæ miserias projici et expelli. *De opificio Dei*, cap. 3.

PETRUS BLESENS. 53. Quanto recessimus longius a Die nativitatis nostræ, tanto propinquiores mortis termino facti sumus. Epist. 141, *ad Gualter. Rothom. archiep.*

S. PROSPER. 54. Vitæ hujus principium, mortis exordium est : nec prius incipit augeri ætas nostra, quam minui. Cui si quid adjicitur spatii temporalis, non ad hoc accedit ut maneat, sed in hoc transit ut pereat. *Prosec.*

55. Quod ergo ab initio mortale est, qualibet occidat die, non contra legem mortalitatis occumbit : nec unquam ei vicinius est posse vivere, quam posse deficere. Lib. 2, *de Vocat. gent.*, cap. 21.

RUPERTUS ABBAS. 56. Mulier quanto fœcundior, tanto ærumnosior : post singulos conceptus dolor cruciat; post singulos partus, suus eam sanguis fatigat. Lib. 3, super *Genes.*, cap. 22.

S. SIDONIUS EPISC. 57. O necessitas abjecta nascendi, vivenda misera, dura moriendi! Lib. 8, epist. 11, *ad Lupum.*

TERTULL. 58. Homicidii festinatio est, prohibere nasci. In *Apol. advers. Gentes*, cap. 9.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 59. Cæteris animalibus partus non laboriosi eveniunt, minus enim cum parturiunt, infestari videntur : at mulieribus dolores vehementissimi incidunt, et præcipue stabilibus, et cellulariis, seu otiosis. Lib. 7, *de Histor. animal.* cap. 9.

60. Magis conjunctum est id, ex quo natum est ipsi nato, quam factum ei quod fecit : est enim ei, ex quo est ortum proprium id, quod ex ipso est ortum. Lib. 8, *Ethic. ad Nicomach.* cap. 12.

PLATO. 61. Nulli cuiquam mortalium a natura tributum est, ut immortalis nasceretur. Sizygia 6, epist. 7, *ad Dionem.*

SENECA. 62. Nulli natura in æternum spiritum dedit, statutaque nascentibus in finem vitæ dies est. *Suasor.* 2.

63. Quisquis ad vitam editur, ad mortem destinatur. *De Consolat. ad Polybium*, cap. 30.

64. Nulli contigit impune nasci. *De consolat. ad Marciam*, cap. 15.

65. Pejores morimur, quam nascimur. Epist. 22.

66. Nihil melius æterna lex fecit, quam quod unum introitum nobis ad vitam dedit, exitus multos. Epist. 70.

67. Ad virtutem quidem, sed sine virtute nascimur. Epist. 90.

68. Æquat omnes cinis; impares nascimur, pares morimur. Epist. 91.

69. Conditor ille juris humani, non natalibus nos, nec nominum claritate distinxit, nisi dum nascimur, *Ibid.*

70. Cui nasci contigit, mori restat. Epist. 99.

71. Nullum animal ad vitam prodit, sine metu mortis. Epist. 121.

72. Omnes infantes terra nudos excipit : non pudet te fortius nasci, quam vivere? *De moribus.*

73. Non quomodo quisque venit, emittitur. *De remediis fortuitor.*

Vide etiam tit. *Miseria*, sent. 1, 10, 11; *Nobilitas*, sent. 19, 20; *Parentes*, sent. 4; *Peccatum originale*, sent. 30.

NATURA.

S. ATHANAS. MAGNUS. *Etymologia.* Inde natura dicta est, quod ita nata sit et existat. *De definit.*

S. THOMAS AQUINAS. Nomen naturæ a nascendo dictum est, ut dicatur natura quasi nascitura. Part. 3, *Summæ*, quæst. 2, art. 1.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Si quid in natura vitii, est, emendet industri : aut ars desit, non desit correctio. Lib. 1, *Offic.*, cap. 18.

2. Naturæ effigies, formula disciplinæ, forma honestatis est. *Ibid.*, cap. 19.

S. ANASTAS. PATRIARC. 3. Secundum naturam, est matrimonium; contra naturam, fornicatio; supra naturam, Christi conceptio et generatio. Lib. *Viæ ducis*, cap. 2, *de Verbo*.

S. ATHANAS. MAGNUS. 4. Tria sunt, quæ de hominibus prædicantur : secundum naturam, præter naturam, supra naturam. Secundum naturam, est matrimonium, præter naturam scortatio, supra naturam virginitas; secundum naturam, sunt opes juste acquisitæ, præter naturam avaritia, supra naturam inopia ; secundum naturam, est temperantia, præter naturam crapula, supra naturam jejunium; secundum naturam, est pax, præter naturam tumultus, supra naturam inimicorum dilectio. In *definitionibus*.

S. AUGUST. 5. Quod perfectioni naturæ deesse perspexeris, id voca vitium. Lib. 3, *de Lib. Arbit.*, cap. 14.

6. Hoc omnes naturæ a Deo habent, quod naturæ sint : et in tantum vitiosæ sunt, in quantum ab ejus a quo factæ sunt, arte discedunt. *Ibid.*, cap. 15.

7. Natura perfecta non solum nulla vituperatione, sed etiam laude in suo genere digna est. Lib. 3, *de Libero arbit.*, cap. 14.

8. Nulla res obtinet integritatem naturæ suæ, nisi in suo genere salva sit. *De vera Relig.*, cap. 18.

9. Omnis natura etiam vitiosa est, in quantum natura est, bona est : in quantum vitiosa est, mala est. In *Enchiridio*, cap. 13.

10. Nulla culpa motus deprehendi potest, ubi natura necessitasque dominatur. Lib. 3, *de Lib. arbit.*, cap. 1.

11. Quisquis natura sua male utitur, malus esse judicatur. *De Spiritu et anima*, cap. 42.

12. Parit cives terrenæ civitatis, peccato vitiata natura : cœlestis vero civitatis cives parit, a peccato naturam liberans gratia. Lib. 15, *de Civit. Dei*, cap. 2.

13. Nullum vitium ita contra naturam est, ut naturæ deleat etiam extrema vestigia. *Ibid.*, lib. 19, cap. 12.

14. Natura corrupta, in quantum natura est, bona est : in quantum corrupta est, mala est. *De Natura boni*, cap. 4.

15. Omnis natura quæ minus bona fieri potest, bona est : et omnis natura dum corrumpitur, minus bona fit. Lib. 3, *de Lib. arbit.*, cap. 13.

16. Quæcunque natura cum vitio ad eam quæ sine vitio est, ut corrumpat, accedit; eo ipso non accedit æqualis, sed infirmior vitio suo. *Ibid.*, cap. 14.

17. Quia vitium naturæ adversatur, tantum additur malitiæ vitiorum, quantum naturarum integritati minuitur. *Ibid.*

18. Contra naturam quidquid est, naturæ adversatur, et eam perimere nititur. *De Morib. Manich.*, cap. 2.

19. Nulla natura malum, sed quod contra naturam est, id erit malum. *Ibid.*

20. Nulla est Deo natura contraria. *Ibid.*, cap. 1.

21. Quia diabolus naturam nostram deceperat, dignatus est Dei Filius ipsam naturam nostram suscipere, ut de ipsa diabolus vinceretur. *De Agone Christ.*, cap. 1.

22. Natura sua voluntate depravata, recursum per semetipsam non habet, sed per Dei gratiam, qua adjuvatur et instauratur. Lib. 9 *de Genesi ad lit.*, cap. 18.

23. Natura humana etiamsi in illa integritate in qua condita est permaneret, nullo modo seipsam Creatore suo non adjuvante servaret. Epist. 106.

24. Natura humana præstantior est pecoribus, etiam in ipsis peccantibus. Lib. 7 *de Genesi ad lit.*, cap. 26.

25. Nulla natura est, quæ non sit ex Deo. Lib. 2 *de Lib. arb.*, cap. 20.

26. Ut natura sit, ex eo habet, quod a Deo facta est : ut autem ab eo a quo facta est deficiat, ex hoc quod de nihilo facta est. Lib. 14 *de Civit. Dei*, cap. 13.

27. Natura nec plene atque perfecte beata erit, nisi adepta quod expetit. *Ibid.*, cap. 25.

28. Natura est, in qua nullum malum est, esse autem natura, in qua nullum bonum sit, non potest. *Ibid.*, lib. 19, cap. 13.

29. Sicut non impossibile fuit Deo, quas voluit instituere naturas : sic etiam non est impossibile in quidquid voluerit, quas justitia instituit, mutare naturas. *Ibid.*, lib. 21, cap. 8.

30. Deus hominis naturam quodammodo mediam inter Angelos bestiasque condidit. *Ibid.*, lib. 12, cap. 21.

31. Omnis natura vel Deus est, vel ex Deo est. Lib. 2, *de Anima et orig.*, cap. 3.

32. Malum oriri non potest, nisi ex natura : nec ubi sit habet, nisi fuerit in natura. Lib. 3, *contra Julian.*, cap. 24.

33. Natura hominis primitus inculpata, et sine ullo vitio creata est : natura vero ista hominis,

qua unusquisque ex Adam nascitur, jam medico indiget, quia sana non est. *De Natura et gratia*, cap. 3.

. BASILIUS MAGNUS. 34. Quanto natura vegetior, ac calidior fuerit, tanto melior. In *constit.*, cap. 2.

. BERNARD. 35. Naturæ industria in nobis non dormitet : grande profecto in nobis donum naturæ ipsa est. Serm. 83, super *Cant.*

BOETIUS. 36. Si quod naturæ satis est, replere indigentiam velis, nihil est quod fortunæ affluentiam petas : paucis enim mimisque natura contenta est. Lib. 2, *de Consolat. Philos.*, prosa 5.

CASSIODOR. 37. Quid humana natura pauperius, quæ nihil idoneum de se habere cognoscitur? Super *Psalm.* xxx, vers. 13.

. EPHRÆM. 38. Aeris instar est natura humana, multa cura indigens. Serm. *ad Fratr.*

. GREGOR. NAZ. 39. Naturæ generositas per avaritiam est dissecta, cum legem ad potentiæ subsidium assumpsisset. Orat. 17, *de Paupert.*

40. Natura ipsa ad omne, quod ei domesticum est, benigne se habet. Orat. 24, *de Seipso.*

41. Quæ ad naturæ ductum fiunt, plerumque bene succedunt : quæ vero præter naturam præsumuntur, frustra tentantur. Epist. 57, *ad Eudochium Rhetor.*

S. GREGOR. TAUMAT. 42. Repugnante natura, inania omnia sunt. Et hab. apud D. Joan. Damasc., lib. 3, *Parall.*, cap. 101.

. JOANNES CHRYSOST. 43. Negligens est humana natura, et deliciis gaudet, et relaxationes quærit. Homil. 10, super *Gen.*

44. Potentior quam natura, non eget naturæ ministerio. *Ibid.*, homil. 28.

45. Naturæ humanæ hæc conditio est, ut difficilioribus nonnunquam superatis, succumbat in minoribus. Homil. 51, super *Matt. Oper. imperf.*

46. Quid miserius natura humana? Omne animal potest amare quod sibi intelligit bonum, et odire quod intelligit malum : solus homo quod intelligit malum amare cogitur, et odire quod intelligit bonum, quia duas habet in se adversantes naturas; quod carni placet, animæ displicet : et quod animæ placet, carni displicet. Homil. 13, super *Matth. Oper. imperf.*

47. Natura arcta est, et laboriosa, nostra autem electione levis spe futurorum. Homil. 87, super *Joan.*

48. Naturæ leges pervertere, summæ temeritatis est. Homil. 26, super I *Cor.*

49. Res est subito inclinans, et omnigenis casibus quam maxime obnoxia, hominum natura. *Ibid.*, homil. 30.

50. Nihil est natura violentius. Homil. 3, super II *Cor.*

JOANNES GERSON. 51. Quod natura negat, nemo feliciter audet. *De perfect. cordis*, part. 2.

S. ISIDORUS HISPAL. 52. Sæpe natura moribus immutatur, sæpe natura consuetudine superatur. Lib. 2. *de Synonym.*, cap. 12.

S. LEO I. 53. Natura nutabilis, et de peccati labe mortalis, in quantum est passibilis, in tantum est ad deteriora proclivis. Serm. 7, *de Jejun. decimi mensis.*

54. Natura nostra, manente adhuc mortalitate mutabilis, etiamsi ad summa quæque studio provehatur, semper tamen sicut potest habere quo recidat, ita potest habere quo crescat. Serm. 2, *Quadrag.*

PHILO JUD. 55. Natura est incipiens a vilissimis, ut desinat in præstantissima omnium. Lib. *de Mundi opific.*

56. Durum est adversari naturæ. *De sacrific. Abel.*

57. Hominum natura mortalis, virtutum natura immortalis est. Lib. *De Abrahamo.*

58. Cum natura pugnare, difficile est. *Ibid.*

59. Naturæ ordo, lex est dubio procul antiquissima omnium. *De Abrahamo.*

S. PROSPER. 60. Sordet natura, sine gratia. Epist. *ad Rufin. de Lib. arb.*, cap. 1.

S. SYNESIUS EPISC. 61. Natura ad inferiora demissa, varietatem induit. In *Encomio calvitii.*

TERTULL. 62. Omnis natura aut defraudatione aut enormitate rescinditur, proprietate mensuræ conservatur. *De Anima*, cap. 43.

THOMAS A KEMPIS 63. Natura callida est, et multos trahit, illaqueat et decipit, et se semper pro fine habet. Lib. 3, *de Imit. Chr.*, cap. 54.

64. Natura invite vult mori, nec premi, nec superari, nec subesse, nec sponte subjugari. *Ibid.*, cap. 54, sect. 2.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 65. Nihil præter naturam est sempiternum : id enim quod est præter naturam, posterius est eo, quod potius sit et melius. *De communi animal. gressu.*

66. Cum natura nihil supervacaneum, nihil frustra facere soleat, constat nec prius, neque posterius, quam usus exigat, ab ea effici quidquam. Lib. 2, *de generat. animal.*, cap. 4.

67. Omne quod præter naturam fit, laborem doloremque movet. Sect. 5 *Problem.*, quæst. 19.

68. Quæ præter naturam fiunt, hæc facta sunt difficilia. *Ibid.*, sect. 5, quæst. 32.

69. Quod contra naturam est, id maxime et imbecillum esse ratio postulat. *Ibid.*, sect. 10, quæst. 50.

70. Natura quærit non solum in negotio recte, verum etiam in otio laudabiliter posse versari. Lib. 8, *Polit.*, cap. 3.

CICERO. 71. Omnis natura vult esse sui conservatrix, ut et salva sit, et in genere conservetur suo. Lib. 4, *de Finib.*, num. 16.

72. Est natura sic generata vis hominis, ut ad omnem virtutem percipiendam facta videatur. *Ibid.*, lib. 5, num. 43.

73. Blanda, conciliatrix, et quasi sui est lena natura. Lib. 1, *de natura deorum*, num. 77.

74. Neque attinet naturæ repugnare, neque quidquam sequi, quod assequi nequeas : ideoque nihil decet adversante et repugnante natura. Lib. 1, *de Offic.*

75. Nihil habet natura præstantius, nihil quod magis expetat, quam honestatem, quam laudem, quam dignitatem, quam decus. Lib. *Offic. Tusc. quæst.*

76. Multo firmior est et constantior natura, quam fortuna. Lib. 1. *Offic.*

77. Natura nihil solitarium amat, sed semper ad aliquid tanquam adminiculum annititur. *De Amicit.*

SENECA. 78. Rem facillimam secundum naturam suam vivere, difficilem facit communis insania. Epist. 41.

79. Nemo difficulter ad naturam reducitur, nisi qui ab illa defecit. Epist. 50.

80. Qui se ad id quod natura exigit, composuit; non tantum extra sensum est paupertatis, sed et extra metum. Epist. 119.

Vide etiam tit. *Cognitio Dei*, sent. 1; *Esse*, sent. 35; *Gratia*, sent. 46; *Jus*, sent. 1; *Medium*, sent. 21; *Miraculum*, sent. 12; *Ordo*, in genere, sent. 48.

NECESSITAS.

COLLECTOR. *Etymologia.* Necessitas dicitur quasi Ne cesset entitas.

Definitio. Necesse est quod vi aliqua fieri opus est.

S. BONAV. *Divisio.* Triplex est necessitas; alia coactionis, alia opportunitatis, alia conditionis. Super *Psalm.* XCIII.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Ubi necessitas, ibi obsequium necessitatis; melior ergo voluntas, quam necessitas. Lib. 2, epist. 7, *ad Simplicianum.*

2. Nihil tam necessarium, quam cognoscere quid non sit necessarium. Lib. 10, epist. 82, *ad Vercellensem Eccles.*

3. Necessitas quæ invito imponit obsequium, affert plerumque fastidium. Lib. 5, *Hexam.*, cap. 15.

S. AUGUST. 4. Quis est, qui non in cibo rapiatur aliquando extra metas necessitatis? Lib. 10, *Conf.*, cap. 31.

5. De necessitatibus meis erue me.] Tunc finiuntur istæ necessitates, quando vincuntur illæ cupiditates. Epist. 70, *ad Bonifac.*

6. Felix est necessitas, quæ in meliora compellit. Epist. 45, *ad Armentarium.*

7. Nulla culpa motus deprehendi potest, ubi natura necessitasque dominatur. Lib. 3, *de Lib. arbitr.*, cap. 1.

8. Necessitate vivimus, necessitate morimur. *Ibid.*, cap. 3.

9. In omnibus quibus utitur transitura necessitas, superemineat quæ permanet charitas. In *Regula* 3, *ad clericos.*

10. In genere humano dura necessitas est, nescire cor alterius, male sentire plerumque de amico fideli, bene sentire plerumque de amico infideli, o dura necessitas ! *Prosec.*

11. Magna est necessitas, non cor tuum vides, quale erit cras : quid dicam de necessitatibus ipsius mortalitatis ? mori necesse est, et nemo vult quod necesse est, nemo vult quod erit, velis nolis, dura necessitas ! nolle quod non potest evitari, Super *Psalm.* XXX, conc. 1, vers 9.

12. Ferenda est magis omnis necessitas, quam perpetranda est aliqua iniquitas. Super *Psalm.* LXXII, vers. 7.

13. Omnium actionum humanarum mater, est necessitas. Super *Psalm.* LXXXIII, vers. 5.

14. Recedente necessitate, omnia negotia necessitatis intercidant necesse est. Super *Psalm.* CXLI.

15. Fui in necessariis natus, postea in spontaneis volutatus. In *Meditat.*, cap. 39.

16. Ubi nulla adversitas turbat, ibi nulla necessitas angustat. *De Conflictu vitior. et virt.*, cap. 26.

17. Facile curatur vulneribus peccatorum, qui necessitatem curaverit pauperum. Serm. 1, *Fer.* 3, *post Dom.* 2, *Quadrag.*

18. Primum impedimentum nostrum et occupatio gravis est ipsa necessitas hujus miseri corporis. Serm. 1, *Septuag.* S. BERNARD

19. Bonum magis necessitas quam voluptas : cumque utraque res citius transeat, altera pœnam habeat, altera sit paritura coronam. Serm. 17, super *Qui habitat.*

20. Res necessaria est necessitas, quæ coronam parit, et in gloriam vertitur. *Ibid.*

21. Necessitas multorum est virtus paucorum : paucorum, inquam, paucorum, præsertim nobilium. Epist. 113, *ad Sophiam virgin.*

22. Laudo factam de necessitate virtutem; sed plus illam, quam eligit libertas, et non indicit necessitas. *Ibid.*

23. Amicus in necessitate probatur. Epist. 125, *ad Gaufridum.*

24. Felix necessitas, quæ cogit in melius. *De Præcepto et dispens.*

25. Perfectus carere et necessariis paratus est. In Præfat., *vitæ S. Malachiæ.*

26. Necessitas, quam non ratio postulat, sed S. FRANCISC

voluptas ostentat, extincti Spiritus signum est manifestum. In suis *Opusc.*, collat. 10, *de Necessitatibus.*

ANCISCUS SSISIAS. 27. Indigentias ipsas necessitatis non patienter ferre, nihil aliud est, nisi Ægyptum repetere. *Ibid.*

28. Difficile est necessitati corporis satisfacere, et pronitati sensuum non parere. In suis *Opusc.*, apophthegm. 11.

ILLEBERT. PORRET. 29. Est obsequendi necessitas jure conditionis; sed necessitatem ignorat libertas dilectionis. Serm. 19, super *Cant.*

LOSS. DEC. 30. Tempore necessitatis omnia sunt communicanda. In *Decretis Gratiani.*

. GREGOR. MAGNUS. 31. Omnis necessitas non incongrue ferrum vocatur, quia vitam inopis mœroris vulnere cruciat. Lib. 15, *Moral.*, cap. 14.

32. Cum naturæ necessitatibus plusquam expedit deservitur, mentisque cura negligitur, ex miseria negligentiæ infirmitati additur squallor culpæ. *Ibid.*, lib. 20, cap. 15.

33. Necessitates naturales hoc habere valde periculosum solent, quod sæpe in eis minime discernitur quid circa illas per utilitatis studium, et quid per voluptatis vitium agatur. *Ibid.*

34. Necessitatis causam in usum voluptatis vertere, quid est aliud quam calamitati suæ squallorem miseriæ sociare? *Ibid.*

35. Plus concupiscentia, quam necessitas petit. Homil. 19, super. *Ezech.*

. HIERON. 36. Probet necessitas quid possint, quos securus ante coluisti. Lib. 1, super. *Hierem.*, cap. II, super. illud : *Ubi sunt dii tui.*

37. Quidquid necessitate fit, cito solvitur : quod voluntate arripitur, perseverat. Lib. 2, super *Oseam.*, cap. 7, super illud : *Omnes adulterantes.*

IUGO A S. VICTORE. 38. In imperfectis plus semper voluptas appetit, quam necessitas. Super *Regul. D. Aug.*, cap. 8.

39. Terrenis rebus ad necessitatem uti, corporis medicina est. *Ibid.*, cap. 9.

JOANNES HRYSOST. 40. Necessitas tanta vi adstringitur, ut quod necesse est, etsi nolis, præterire non possis. Serm. *de Moyse.*

41. Magistra quædam optima est, necessitas paupertatis. Homil. 5, *de Fide Annæ.*

42. Magis necessaria, minus necessariis sunt præferenda. Homil. 14, super *Acta Apost.*

43. Veri philosophi ultra necessitatem nihil expetunt. Homil. 34, super I *Cor.*

44. Omne quod ex necessitate fit, minuit mercedem. Homil. 19, super II *Cor.* in illud IX : *Hilarem datorem.*

45. In necessariis nihil ultra usum inquirere permittitur : in spiritualibus autem, magnam abundantiam fieri consulitur. *Ibid.*, homil. 20.

46. Quando in extremis necessitatibus existentes gratias agimus, tunc præclarum est. Homil. 8, super *Epist.*, *ad Coloss.*

47. Noli plus concupiscere, quam exigit necessitas, ne totum amittas. *Prosec.*

48. Quod superest, reseca, ut necessariis ditescas. Homil. *de Avarit.*

49. Inter necessitatem et necessitudinem hoc interest : quod necessitas vim significat, necessitudo conjunctionem sanguinis aut animi. Lib. 1, *de Differ.*, differ. 155. S. ISIDORUS HISPALENS.

50. Honestum est ac laudabile, intra necessitatis terminos se continere, eosque minime transilire. *Prosec.* S. NILUS AB. MART.

51. Si quis enim cupiditate ductus, ad ea quæ in vita jucunda sunt paulisper deflexerit, nulla deinde ratione retineri poterit, quominus ad ulteriora progrediatur.

52. Cum enim usui ac necessitati præscriptos fines excesseris, nullus amplius terminus invenitur, sed omnia vasta atque infinita. S. NILUS.

53. Qui semel naturalis necessitatis terminos transierint, in vita solutiore liberius progrediuntur. In *Libro ascetico.*

54. In rebus tantum necessariis est salus, in superfluis laqueus, in mediocritate Dei gratia, in divitiis diaboli catena. Lib. 2, *ad Ecclesias. Catholic.* SALVIANUS.

55. Vehemens quædam res est ac violenta, necessitas. In *Catastasi.* S. SYNESIUS EPISC.

56. Necessitas non subditur legi. 1, 2, quæst. 96, art. 6. S. THOMAS AQUINAS.

57. Si venerit tibi cogitatio pro carnali necessitate, et tangit te semel et bis et tertio, non audias. In *Sent. in fine positis*, sent. 70. IN VITIS PATR.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

58. Necessaria ut fiant, arbitrii nostri non est, sed tanquam ex divina quadam aut humana necessitate omnino fiunt. *De Rhetorica ad Alexandr.*, cap. *de Genere deliberativo.* ARISTOTEL.

59. Danda est opera, ut omnes intelligant, si salvi esse velint, necessitati esse parendum, non voluptati. Lib. 2 *Offic.*, num. 74. CICERO.

60. Necessitati qui probe se accommodat, sapit, estque rerum divinarum conscius. In suo *Enchirid.*, cap. 78. EPICTETUS.

61. Non minus honestas, quam necessitas valet. Lib. 4, epist. 10, *ad Sabinum.* PLINIUS II.

62. Necessitas magnum humanæ infelicitatis patrocinium est. Lib. 4, controvers. 27. SENECA.

63. Desinit præmium esse, cui necessitas jungitur. Lib. 2, controvers. 7.

64. Acerrima virtus est, quam ultima necessitas extundit. Lib. 1, *de Clement. ad Neron.*, cap. 12.

65. Excutit necessitas quidquid pax otiosa collegit. Epist. 49.

66. Effugere non potes necessitates? potes vincere. Epist. 37.

67. Simplici cura constant necessaria, in delicias laboratur. Epist. 90.

68. Sufficit ad necessitatem id quod natura poscit. *Ibid.*

69. Inter reliqua hoc nobis natura præstitit præcipuum, quod necessitati fastidium excussit. Epist. 119.

70. Quidquid ex necessitate desideratnr, sine fastidio sumitur. *Ibid.*

SIXTUS PHILOSOPH. 71. Fer quod necesse est, sicut necesse est. Sent. 111.

72. Quod fieri necesse est, voluntarie sacrificato. *Ibid.*, sent. 375.

73 Rebus mundanis in causis tantum necessariis utere. *Ibid.*, sent. 16.

VALER. MAX. 74. Humanæ imbecillitatis efficacissimum duramentum est necessitas. Lib. 12, *Dictor memorabil.*, cap. 2.

Vide etiam tit. *Appetere*, sent. 39; *Episcopus*, sent, 74; *Fastidium*, sent. 22, 23; *Fatum*, sent. 11; *Misericordia in genere*, sent. 139; *Mundus*, sent. 85; *Negotium*, sent. 19; *Nutrimentum*,, sent. 34, 35; *Providentia Dei*, sent. 45; *Salus animæ*, sent. 2; *Voluptas*, sent. 40.

NEGARE DEUM.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ALBERT. MAGNUS. 1. Pro quocunque quis Creatori suo renuntiat, sive sit peccatum, sive res alia, illud veraciter pro idolo in mente portat. *De Paradiso animæ*, part, 2, *de Vitiis*, cap. 14, sect. 1.

S. AMBROS. 2. Petrus tentatus est, ut negaret : negavit, ut fleret. Lib. 4, super *Luc.*, cap. IV, in illud : *Diabolus recessit ab illo.*

3. Deum negant affectibus, quem vocibus solis confitentur. *Ibid.*, lib. 9, cap. XIX, in illud : *Hosanna filio David.*

4. Negavit primo Petrus et non flevit, quia non respexerat Dominus. *Prosec.*

5. Negavit secundo, non flevit, quia adhuc non respexerat Dominus.

6. Negavit et tertio, et respexit Jesus, et ille amarissime flevit. *Ibid.*, lib. 10, cap. XXII, in illud : *Nescio quid dicas.*

7. Nihil mihi nocuit quod negavit Petrus, profuit quod emendavit. *Ibid.*

8. Imitare Petrum : quia tertio negaverat, tertio confitetur : sed negavit in nocte, confitetur in die. *Ibid.*

9. Negat veracem Deum, qui non credit Deum dedisse quod promisit. Super *Epist ad Rom.*, cap. I, in illud : *Ex fide in fidem.*

S. AUGUST. 10. Si ipse Petrus ex egregio præsumptore, tam creber negator effectus est, amare flevit. Epist. 120, *ad Honoratum*, cap. 14.

11. Etiam negat Christum, qui ore depromit quod corde non credit. *Contra mendacium*, cap. 6.

12. Fac confitendo propitium, quem negando non facis nescium. Super *Psalm.* LXXIV, vers. 1.

13. Petrus, qui audacius secutus erat Christum, ita adhuc longe erat ut interrogatus et perturbatus, ter negaret Dominum, cum quo se moriturum esse promiserat. *Prosec.*

14. Qui postea ex longinquo ut propinquus fieret audivit post resurrectionem, Amas me? et dicebat, Amo : et dicendo propinquabat, qui negando longe factus erat, donec trina voce amoris solveret trinam vocem negationis. Super *Psalm*, XXXVII, vers. 12 : *De longe steterunt.*

15. Timore Petrus ter negavit, et postea accepto Spiritu sancto inter flagella principum confessus est quem negaverat. Super *Psalm.* XC, conc. 2, vers. 12.

16. Quanta vita est confiteri Christum, tanta mors est negare Christum. *Prosec.*

17. Qui hominem Christum negat, Christum negat, et hoc in eo negat quod factus est propter nos, ne periret quod fecerat nos.

18. Qui ita confitetur Christum Deum, ut hominem neget, non pro illo mortuus est Christus, quia secundum hominem mortuus est Christus.

19. Qui negat hominem Christum, non reconciliabitur per mediatorem Deo : unus enim Deus, et unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.

20. Qui negat hominem Christum, non justificabitur.

21. Qui negat hominem Christum, non resurget in resurrectione vitæ.

22. Qui negat hominem Christum, non est in corpore Christi : qui enim caput negat, quomodo est membrum? Tract. 66, Super *Evang. Joan.* cap. XIII, in illud : *Donec ter me neges.*

23. Ecce columna firmissima ad unius auræ impulsum, tota contremuit. *Prosec.*

24. Ubi est illa promittentis audacia, et de se plurimum præsumentis? Ubi sunt verba illa, quando ait : Quare non possum te sequi modo, animam meam pro te ponam?

25. Hoccine est sequi magistrum, se negare discipulum? Siccine pro Domino anima ponitur, ut hoc ne fiat, vox ancillulæ formidetur?

26. Non solum abnegat Christum, qui dicit eum non esse Christum, sed ille etiam qui cum sit, negat se esse christianum.

27. Petrus ergo negavit Christum : cum se negavit ejus esse discipulum, quid aliud est quam se negare esse christianum?

28. Qui ergo se Christi negavit esse discipulum, ipsam rem negavit, cujus nomen est vocari christianum.

29. Petrus si negato Christo hinc iret, quid aliud quam periret? *Ibid.*, tract. 113, cap. XVIII.

30. Redditur negationi trinæ trina confessio, ne minus amori lingua serviat, quam timori. *Ibid.*, tract. 123, cap. XXI.

31. Erubesce, erubesce, hæretice : negavit Petrus et reversus est, et flendo delevit quod timore negavit. *De Tempore barbarico*, cap. 8.

32. Petrus ab ancilla proditus, Christum negat : mallem Petrum Dominum negasse, quam Judam Dominum vendidisse. Serm. 1, *Fer.* 2, *post Dom. Palmar.*

33. Negat Petrus territus Christum, qui se promiserat animam pro eo positurum; sub ancilla cœpit pondere submergi, atque demergi. *Prosec.*

34. Videns navim cordis sui sine mercibus nudam, flere cœpit amare, quia Dominum suum cœpit amare. Serm. 2, *Fer.* 3, *post Dom. Palmar.*

35. Qui rumpit propositum suum, Christum negat. Serm. 60, *ad Fratr. in eremo.*

36. Multi quantalibet sævitia crudelitatis occidi, quam Christum negare maluerunt. Lib. 22, *de Civit. Dei*, cap. 6.

37. Si accedere est credere, qui credit accedit, qui negat recedit. Tract. 48, super *Joan.*

. BASIL. SELEUC.

38. Petrus facti pœnitentia negationis fœditatem extinxit, et lacrymarum undis culpam eluit. Orat. 17.

BERNARD.

39. Deum sicut pium est colere, sic impium est abnegare. Serm. 11, *de Parvis sermonibus.*

. BONAV.

40. Iterat Petrus negationem, quia malorum non deseruit societatem. Super *Luc.*, cap. XXII, in illud : *Et post pusillum alius videns eum.*

41. Ideo ter permissus est Petrus Christum negare, ut ostendatur, quod tripliciter offendimus Dominum, scilicet corde, ore, et opere. *Ibid.*, in illud : *Donec ter abneges nosse me.*

42. Qui negat se esse christianum, vita vel factis negat Christum. Super *Joan*, cap. XVIII, in illud : *Et erat Petrus cum eis.*

43. Quam noxia sunt pravorum eloquia, quæ cogunt Petrum negare Dominum, vel hominem se nosse, quem inter discipulos confessus fuerat esse Filium Dei. Super *Luc.*, cap. XXII.

44. Permisit Dominus Petrum se negare, ut confundatur Marcion, ut nemo de se præsumat. *Ibid.*

45. O quot cum Petro quotidie negant Christum! si non ore, tamen opere : et non tantum ter, sicut Petrus, immo millies facinoribus suis Christum negant, et tamen cum Petro non flent. Serm. 3, *Dom.* 1, *post Pascha.*

CASSIODOR.

46. Qui Catholicis regulis non acquiescit, iste in corde suo negat Deum. Super *Psalm.* LII, vers. 2.

S. CYPRIAN.

47. Putasne tu Dominum cito posse placari, quem verbis perfidis abnuisti? *De Lapsis*, cap. 13.

GLOSS. DEC.

48. Christum negat, qui mortaliter peccat. In *Decretis Gratiani.*

GLOSS. ORD.

49. Divitiis servire, Deum negare est. Super *Matth.*, cap. VI, in illud; *Non potestis servire.*

GLOSS. INT.

50. Filium Dei negant, qui eum non suis, sed alienis viribus operari putant. *Ibid.*, cap. XXI.

GLOSS. ORD.

51. Noxia pravorum colloquia cogunt Petrum negare Christum, vel hominem se nosse, quem confessus est inter discipulos Dei Filium. *Ibid.*, cap. XXVI, in illud : *Non novi hominem.*

52. Hæreticus et si nomen Christi non negat, Christum tamen negat, qui non omnia quæ Christi sunt, confitetur. Super *Luc.*, cap. IX.

GRATIANUS

53. Qui veritatem pro pecunia negat, vel falsum testimonium contra aliquem dicit, Deum negare probatur. In *Decret.*, caus. 11, quæst. 3, can. *Unicuique*, § *Hic.*

S. GREGOR. MAG.

54. Una mulieris voce percussus Petrus, dum mori timuit, vitam negavit. Hom. 30, super *Evang.*

55. Petrus negavit in terra, quem suspensum latro confessus est in cruce. *Ibid.*

56. Ipsum beatum Petrum apostolorum principem, lapsum esse cognovimus, sed post negationem pœnitentia secuta est : post vero pœnitentiam, misericordia data est; quia postea ab apostolatu eum non expulit, qui ante quidem ipsum se negaturum prædixerat. Lib. 7, in *Registro*, indict. 2, cap. 53, epist. 53, *ad Secundinum.*

S. GREGOR. TAUM.

57. Negat fontem sanctificationis Spiritum sanctum, qui eum privat potestate sanctificandi. In *Exposit.* 2, *fidei.*

HAYMO.

58. Quare Dominus tam dilectum discipulum, in tam grave facinus cadere permisit, ut Dominum ac magistrum suum ad vocem unius ancillæ negaret? *Prosec.*

59. Sciendum, quia providentissima dispensatione Domini hoc factum est, ut quem cunctæ Ecclesiæ præferre disposuerat, semetipsum negare permitteret, ut ex sua fragilitate disceret aliis peccantibus qualiter misereri debuisset. Serm. in *die Paschæ.*

S. HIERON.

60. Petrus trinam negationem, trina confessione delevit. Epist. 30, *ad Oceanum.*

61. Petrus trinam negationem, amaritudine abluit lacrymarum. Epist. 46, *ad Rustic.*

62. Petrus in atrio Caiphæ sedens, non poterat agere pœnitentiam : egreditur foras de impiorum consilio, ut pavidæ negationis sordes amaris fletibus lavet. Lib. 4, super *Matth.*, cap XXVI, super illud : *Et egressus foras.*

63. Existimant quidam in eo tantum Deum negari, si in persecutione quis comprehensus, se confiteri renuerit esse christianum. *Prosec.*

64. Esse apostolus, in omnibus quæ perversa sunt, factis Deum asserit negari.

65. Christus sapientia est, justitia, veritas, sanctitas, fortitudo : negatur per insipientiam sapientia, per iniquitatem justitia, per mendacium veritas, per turpitudinem sanctitas, per imbecillitatem animæ fortitudo. Habet. in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 11, quæst. 3, can. *Existimant.*

66. Quotiescunque vincimur a vitiis atque peccatis, toties Deum negamus. *Ibid.*

S. HILARIUS. 67. Quisquis Christum, qualis ab apostolis est prædicatus, negat, antichristus est. Lib. *contra Arianos et Auxentium.*

HUGO A S. VICTORE. 68. Ter Petrus Christum negasse dicitur, et ne desperet, ter utrum amet Christum, a Christo Petrus interrogatur. *Prosec.*

69. Amas, amas, amas? Amo, amo, amo : Pasce, pasce, pasce. Amas Patrem, amas Filium, amas Spiritum sanctum? Amo, amo, amo; corde, ore, et opere. Pasce, pasce, pasce : vita, doctrina, et exemplo. Lib. 4, *de Claustro anim.*, cap. 6.

HUGO CARD. 70. Qui adorat creaturam, negat creatorem. Super *Job.*, cap. XXXI.

71. Deum negat, qui ab eo non recognoscit quidquid habet boni. *Ibid.*, cap. 31.

72. Quidam Deum negant corde, quidam ore, quidam opere. Super *Psalm.* XIII.

73. Negatio præposita, totum negat. Super *Psalm.* XXXV.

S. IRENÆUS. 74. Qui negat, quoniam Jesus non est Christus, hic est antichristus. *Lib.* 3, *advers. Hæres.*, cap. 18.

S. ISIDORUS HISPALENS. 75. Petrus ad metum interrogantis ancillæ, Christum negavit : unde et post peccatum amarissime flevit. Lib. 2, *de Sum. bono*, cap. 17, sent. 3.

S. LAURENT. JUSTIN. 76. Toties anima Christum negat, quoties carnis substernitur voluptati. *De triumphali Christi agone.*, cap. 9.

S. LEO. I. 77. Vere reatus negationis incurritur, quando bonum quod in sono vocis auditur, in conscientia non habetur. Serm. 6, *Epiphan.*

78. Felices, sancte apostole, lacrymæ tuæ, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem sacri habuere baptismatis. *Prosec.*

79. Affuit enim dextera Domini Jesu Christi quæ labentem te priusquam dejicereris exciperet et firmitatem standi in ipso cadendi periculo recepisti : vidit in te Dominus non fidem fictam, non dilectionem aversam, sed constantiam fuisse turbatam.

80. Abundavit fletus, ubi non defecit affectus, et fons charitatis lavit verba formidinis. Serm. 9, *de Passione.*

LUDOVICUS BLOSIUS. 81. Non dicas, Negabo Deum exterius, intus non negabo : erras, si tibi istud persuades. *Prosec.*

82. Si negasti, periisti a Deo, et a consortio fidelium præcisus, resectusque es : nec iterum in eorum numerum recipieris, nisi fidem, quam impie abnegasti, ingenue confitearis. In *Canon. vitæ spirit.*, cap. 11.

THEOP. ALEX. 83. Cibus diaboli, negatores Dei sunt. *Epist. Paschal.* 2.

S. THOMAS AQUINAS. 84. Qui Christum negat, negabitur a Christo : si negaverimus coram aliis, ipse judicabit nos in judicio. Super II *Timot.*, cap. II, lect. 2.

S. ZENO EPIS. MART. 85. Negat quodammodo Deum, quisquis rationibus humanis Deum metiri conatur. Serm. *de Fide.*

NEGLIGENTIA.

S. ISID. HISP. *Etymologia.* Negligens dicitur, quasi nec eligens. Lib. 10 *Etym.*, verbo *Negligens.*

S. BERNARD SENENSIS. *Definitio.* Negligentia est animi torpor, qua quis minus diligens est in exequendis officiis sibi commissis. Super *Apocal.*, cap. XVI, vers. 16.

S. BONAV. Negligentia est debitæ circumstantiæ derelictio in bono opere faciendo. Part. 1, *Centiloquii*, sect. 8.

JOAN. GERS. Negligentia est vitium, quo quis inclinatur nihil aut parum curare de prudentia. Part. 4, in *Descript. terminorum*, cap. *Virtus.*

S. THOMA AQUINAS. Negligentia est defectus debitæ sollicitudinis. 2, 2, quæst. 54, art. 1.

SENTENTIÆ PATRUM

S. ANTONII. 1. Quod facit fluctus irruens, hoc et sentina neglecta. Part. 2, tit. 9, *de Acedia*, cap. 3, § 3.

S. AUGUS. 2. Quomodo hinc exibimus? et ubi discenda sunt, quæ hic neglexímus! an non potius hujus negligentiæ supplicia luenda sunt? Lib. 6, *Confess.*, cap. 11.

3. Negligentiæ vituperatio, multo est quam malitiæ purgatior. Lib. 1, *de Ordine*, cap. 1.

4. Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras. *De Natura et gratia*, cap. 67.

5. Minuta plura peccata, si negligantur, occidunt. *Prosec.*

6. Minutæ sunt guttæ, quæ flumina implent : minuta sunt grana arenæ; sed multa arena premit atque opprimit.

7. Hoc facit sentina neglecta, quod facit fluctus irruens : paulatim per sentinam intrat, sed diu intrando, et non exhauriendo, mergit navim. Tract. 12, super *Evang. Joan.*, cap. III.

8. Negligis quod factus es, diligis quod fecisti : amas extra te opera tua, negligis in te opus Dei. *De Verb. Dom.*, serm. 54.

9. Sicut in unoquoque opere bono, mater est diligentia : ita universæ doctrinæ et disciplinæ noverca, est negligentia. Serm. 16, *ad Fratr. in eremo.*

. BEDA. 10. Errat facillime, qui non curat quo rectius pergat. In suis *Proverb.*, verbo *Errat.*

BERNARD. 11. Negligentia in graviori periculo, non tam securitatis est, quam desperationis indicium. Serm. 10, super *Qui habitat.*

12. Qui pavet, cavet : qui negligit, incidit. Serm. *de Convers. ad clericos*, cap. 5.

13. Minimorum neglectus, impedimentum est maximorum. Epist. 139, *ad Lotharium imperat.*

14. Neglectus est languor inertiæ. *De præcepto et dispens.*

15. Status hominis negligentis, est domus ruinosa. Epist. *de Cura et regim. rei familiaris.*

. BONAV. 16. Per negligentiam prælatorum pereunt multi, qui criminibus et flagitiis vulnerati non sunt. Super *Lament. Hierem.*, cap. II, in illud : *Quasi vulnerati.*

17. Non est minimum contemnere minima, quæ non minimam moribus maculam, eo turpius neglectui habita ingerunt, quo vitari facilius cognita valuerunt. In *Speculo discipl.*, part. 1, *Prolog.*

EPHRÆM. 18. Vir in torpore et negligentia dies suos transigens, seipsum decipit. *Ad Monachos Parænes.* 34.

19. Res nullius momenti, sæpe magnorum malorum causa efficitur : et ex parva negligentia incurabilia fiunt vulnera. *De Perfect. monachi.*

EUCHER. UGDUN. 20. Ad negligentiam vitæ non nos negligentium turba persuadeat. In *Epist. parœnet. ad Valerian.*

EUSEBIUS MISSEN. 21. Certum est nos sicut de minimis bonis augeri, ita de minimis negligentiis debere compungi. *Prosec.*

22. Non est minimum vitia intra hominem negligere minima. Hom. 8, *ad Monachos.*

OSS. ORD. 23. Incœpta virtutum munimina, vel improbitate hominum deceptus, vel diaboli persuasione, quisque negligens perdit. Super *Prov.*, cap. XXIV.

ATIANUS. 24. Sicut artium in suo quoque opere invenitur mater instantia, ita noverca eruditionis est negligentia. In *Decret.*, part. 1, dist. 83, can. *Nihil.*

GREGOR. AGNUS. 25. Plerumque de bonis per incuriæ vitium, mala nascuntur. Lib. 31 *Moral.*, cap. 17, num. 31.

26. Si curare parva negligimus, insensibiliter seducti, audacter etiam majora perpetramus. Lib. 10, *Moral.*, cap. 14, super illud *Eccl.* XIX : *Qui modica spernit.*

HIERON. 27. Non sunt contemnenda quasi parva, sine quibus magna constare non possunt. Epist. 7, *ad Lætam.*

28. Facilius negligentia emendari potest, quam amor nasci. Epist. 43, *ad Chromatium.*

29. Negligentiæ semper excusatio est socia. Epist. 44, *ad Chrysogonum.*

30. Nullus debet esse ibi negligentiæ locus, ubi tam præclara servanda sunt. Epist. 1, *ad Demetriad.*

31. Ubertas securitatem, securitas negligentiam, negligentia contemptum parit. Lib. 6, super *Hierem.*, cap. XXXII, super illud : *Qui posuisti signa.*

32. Per stultitiam intrat negligentia, per inertiam manet, per superbiam regnat. Lib. 2, *Miscellan.*, codic. 2, tit. 130. HUGO A S. VICTORE.

33. Negligentia cupiditatis desiderio pascitur. *Ibid.*

34. Ingeniosus negligens, justius de negligentia punietur : et tardus diligens, jucundius de studio coronabitur. Super *Job.*, cap. V. HUGO CARD.

35. Certe nihil est magis amicum iniquitati, quam negligentia. Serm. 2, *Dom.* 1, *Advent.* S. INNOC. III

36. Negligentia parit torporem operis. Serm. 1, *de Assumpt. B. M.*

37. Perditionis nostræ causa nulla alia est, quam negligentia nostra. Lib. 1, *de Compunct. cordis.* S. JOANNES CHRYSOST.

38. Causa omnis mali est cor negligens. Super Prolog. *Regulæ. S. Bened.*, cap. 2, text. 33. JOAN. TRIT.

39. Turpissima est jactura, quæ per negligentiam fit. In cap. 7, *Regulæ. S. Bened.*, grad. 1, verbo *Primus.*

40. Nihil deterius incuria mentis. Part. 1, *De Regione claustr.*, tract. 1, reg. 1, art. 8.

41. Nulla negligentia adeo parva est, quæ non crescat, si contemnatur. *De Vanit. et miser. hum. vitæ*, cap. 4.

42. Qui magna negligit, minora non admittit. Epist. 17, *ad fratr. Vuithelm.*

43. Homines in negligentia constituti, infructuosi constituuntur. Lib. 5, *advers. Hæres.*, cap. *Traductis.* S. IRENÆUS.

44. Securitas negligentiam parit, negligentia autem sæpe incautum ad vitia transacta reducit. Lib. 2, *de Sum. bono*, cap. 13, sent. 14. S. ISIDORUS HISPALENS.

45. Absit negligentia torporis, negligentia enim dissolvit animum. Lib. 2, *Synonim.*, cap. 12.

46. Solertia meliorem sensum reddit, pejorem facit negligentia. *Ibid.*

47. Pium est, agere non indictum : impium, negligere prædicatum. Serm. 3, *de Jejun. decimi mensis.* S. LEO I.

48. Frequenter de majorum negligentia obveniunt errata minorum. Epist. 95, *ad Henric. reg. Anglor.* PET. BLES.

49. Mens per negligentiam paulatim defluit, et usu continuato ad deteriora prolabitur. *Ibid.*, epist. 131, *ad quemdam Prior.*

PET. CELL. 50. Negligentia male olet, diligentia semper bene redolet. Lib. 1, epist. 19, *ad Joannem Episc.*

THALASSIUS 51. Negligens multis dominis venumdatus est, et versatur ubicunque duxerint. *Hecatontad.* 3, sent. 60.

THOMAS A KEMPIS. 52. Noli esse negligens, quia negligentia multi boni operis et temporis perditio est. Serm. 30, *ad Novit.*, divis. 6.

53. Cito potest perdi per negligentiam, quod multo labore vix tandem acquisitum est per gratiam. Lib. 1, *de Imit. Chr.*, cap. 22, sect. 6.

54. Quod parvum vel nihil prodest attenditur, et quod summe necessarium est, negligenter præteritur. Lib. 3, *de Imitation. Christ.*, cap. 44.

S. VALER. EPISC. 55. Nunquam potest fieri, ut sine offensa diem transigat, quem negligentia addictæ servitutis accusat. Homil. 3, *de Arcta vita.*

56. Omnibus sine dubio periculis subjacet, qui vitam suam quolibet tempore negligentiæ tradiderit. *Ibid.*, homil. 19.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 57. Diligentia comparat sibi divitias, negligentia corrumpit animum. Lib. 4, *de Arte rhetor. ad Herenn.*

SENECA. 58. Turpissima est jactura, quæ per negligentiam fit. Epist. 1.

NEGOTIATIO.

S. ANTONIN. *Definitio.* Negotiator proprie est, qui rem comparat ut integram et immutatam vendendo lucretur. Part. 3, tit. 8, *de Mercatoribus*, cap. 3.

CASSIODOR. Quid est aliud negotiatio, nisi quæ possunt vilius comparari, carius velle distrahere? Super *Psalm.* LXX, vers. 17.

GLOSS. ORD. Negotiari est terrenis lucris inhiare. Super *Matth.* cap. 22, in illud : *Alius ad negotiationem suam.*

HUGO CARD. Negotiatio est commutatio dati et accepti. Super *Lucam*, cap. 19.

S. THOMAS AQUINAS. Negotiatio illa honesta est, et christianorum legibus permissa, qua pecuniis vel res, vel pecuniæ, rei familiaris augendæ causa, permutantur. 2, 2, quæst. 77, art. 1.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Nihil deformius quam usu quodam degeneris mercaturæ quæstu sollicitari ignobili, et diebus ac noctibus æstuare corde, et inhiare. Lib. 3, *Offic.*, cap. 9.

2. In contractibus etiam vitia eorum, quæ veneunt, prodi jubentur : ac nisi intimaverit venditor, quamvis in jus emptoris transcripserit, doli actione vacuantur. *Ibid.*, cap. 10.

3. Plurimi mercatores animas suas pro acquisitione pecuniarum perditioni tradunt. Super *Apocal.*, cap. 18.

S. ANTONIUS DE PAD. 4. Difficile lupi a cadavere, formicæ a grano, a melle muscæ, meretrices a prostibulo, mercatores a foro separantur. Serm. *Dom infra octav. Nativit.*

S. AUGUST. 5. Homines in omni contractu cum hominibus, nemini faciant quod pati nolunt. Lib. 2, *de Ordine*, cap. 8.

6. Mimus quidam vel seipsum intuendo, vel alios quoque experiendo, vili velle emere et care vendere omnibus id credit esse commune. Lib. 13, *de Trinit.*, cap. 3.

7. Dignitatis homini negotiari deforme est. *De Quæstion. vet. et novi Testam.*, quæst. 102.

8. Aviditate nescio qua acquirendi, o negotiator, quando damnum passus fueris, blasphemas : pro pretiis rerum quas vendis, non solum mentiris, verum etiam falsum juras. Super. *Psalm.* LXX, in enarrat, primæ partis, vers. 17.

9. Quæ honeste emuntur, non illicite venduntur. Tract. 10, super *Evang. Joan.*, cap. 2.

10. Si negotiationis domus non debet fieri domus Dei, dissolutionis debet fieri? *Ibid.*

11. Quibus tempestatibus et procellis, quam horribili et tremendæ sævitiæ cœli et maris importuni sunt mercatores, ut divitias ventosas acquirant, majoribus quam quibus acquisituri sunt periculis et tempestatibus plenas? Serm 9, *de Verbis Dom.*

12. Quotidie negotiatores de naufragio nudi evadunt, et iterum navigant ad periculum, propter divitias acquirendas. Serm 6, *de Martyrib.*

13. Negotiari aliquando licet, aliquando non licet : antequam enim ecclesiasticus quis sit, licet ei negotiari, facto jam non licet. Habet. in *Decret. Gratiani*, part. 1, dist. 50, can. *Fornicari.*

S. BERNARD SENENSIS. 14. Mendacium negotiatorum, est sigillum antichristi. Serm 30, *Fer.* 5, *post Dom.* 4, *Quadr.*, part. 1.

S. BONAV. 15. Negotiatores qui rapinam meditantur in emptione, et fraudes in venditione, volunt emere vilissime et vendere carissime. *Exposit.* 2, super *Psalm.* CXVIII, cap. 1, vers. 16, art. 2.

16. Optima negotiatio est, qua quis spiritualia dat, ut spiritualia colligat; et hæc est bona, et Deo placita. Super *Luc.*, cap. 19, in illud : *Negotiamini.*

17. Ecclesia fit spelunca latronum, quando in ea est negotiatio cupidorum. Serm 4, *Dom.* 9, *post Pent.*

18. Stultissimi negotiatores sumus, qui damus pro plumbo argentum, pro aurichalco aurum; immo pro bono transitorio bonum summum. Serm 1, *de S. Bartholomæo.*

19. Studium avaritiæ, sive fraudis, proprium so-

let esse negotiantium facinus. Lib. 1, *Pharetræ*, cap. 48.

20. Mercatorum fidelium hæc lex est, scilicet sicut sunt socii in damno, ita sunt socii in lucro. Tit. 7, *Diætæ*, cap. 4.

CASSIODOR. 21. Negotiatores illi abominabiles æstimantur, qui justitiam Domini minime considerantes, per immoderatum pecuniæ ambitum polluuntur, merces suas plus perjuriis onerando, quam pretiis. Super *Psalm.* LXX, vers. 17.

S. CYRILL. ALEX. 22. Mercatorum negotia, etiamsi laborantibus quam maxime ad voluntatem succedant, nihil apud eos, qui optimam vivendi rationem elegerunt, habent admirationis. Homil. 16, *de Festis Paschal.*

S. EUSEBIUS EMISSEN. 23. Pretiosa et concupiscibilis merces, cupidum et avidum negotiatorem requirit. Homil. 3, *ad Monachos.*

GLOSS. DECR. 24. Mercatio vix sine peccato fit. In *Decret. Gratiani.*

S. GREGOR. NAZ. 25. Negotiatio maxima est, et firmissima penes eos, qui compotes sunt mentis. Orat. 5, super *Excusat. suam.*

HAYMO. 26. Habent hoc proprium hi, qui negotiandi operibus insistunt, ut si in uno negotio damna incurrerint, studiosis negotiandi operibus insistant, quousque quod in una re perdiderunt, in alia acquirant. Serm. *de Virginibus.*

S. HIERON. 27. Dum tu ignavus negotiator denarium tenes, alterius locum qui pecuniam duplicare poterat occupasti. Epist. 1, *ad Heliodor.*

28. Negotiatorem clericum, quasi quamdam pestem fuge. *Ibid.*, epist. 2, *ad Nepotian.*

29. Si negotiatores seculi tanta sustinent, ut ad incertas periturasque divitias perveniant, et servent cum animæ discrimine, quæ multis periculis quæsierunt: quid Christi negotiatori faciendum est, qui venditis omnibus quærit pretiosam margaritam? *Ibid.*, epist. *ad Rusticum.*

30. Negotiator avidus maria contemnit, dum in omni labore lucrum cogitat, et lassitudinem simul obliviscitur et timorem. Epist. *ad Demetriad.*

31. Negotiatores nihil gratuito accipiunt, nec gratis tribuunt, sed universa mercantur. Lib. 8, super *Ezech.*, cap. 27, super illud : *Venditores Saba.*

S. HILARIUS 32. Negotiosus tristis, anxius, sine requie ulla damni metu semper detinetur : honestatis immemor est, amicitiarum inobservans, humanitatis fugax; religionem nescit, bonitatem omnino odit. Super *Psalm.* CXXV.

HUGO A S. VICTORE. 33. Solent mercatores quandoque duabus mensuris uti; una, qua vendentes sua distribuunt : altera vero, qua ementes aliena recipiunt. Sed hæc major est ipsis, minor est proximo. Lib. 2, *de Claustro anim.*, cap. 6.

HUGO CARD. 34. Felix negotiatio, ubi salus emitur, et vita morte redimitur. Super *Genes.*, cap. 27.

35. Pessima negotiatio est, ubi pro modica delectatione transitoria datur tota gloria paradisi, et emitur tota pœna inferni. *Ibid.*, cap. 42.

36. Tam emptor, quam venditor undique peccans opprimitur : unus jurat quod non dabit pro tanto, alter jurat quod non dabit nisi tantum. Unus jurat, quod valet centum : alter jurat, quod non valet sexaginta. Super *Ecclesiastic.*, cap. 27.

37. Actus pessimus in negotiatione, non res honesta, damnatur. *Ibid.*

38. Ille negotiator abominandus est, qui propter immoderatam ambitionem merces suas plus onerat perjurio, quam pretio. *Ibid.*

39. Negotiatio proprie avaris convenit, qui etiam animas suas habent venales. Super *Isai.*, cap. 45.

40. Turpe lucrum est, emere, et pluris vendere: turpe est enim huic professioni quæstibus studere. Super 1, *ad Timoth.*, cap. 3.

41. Justum est, ut qui est particeps in negotiatione, participet in lucro. Super *Apocal.*, cap. 1.

S. JOANNES CHRYSOST. 42. Negotiator in mari spe lucrorum acquirendorum pascitur, et omnes ærumnas animose excipit, ut auctis opibus suis domum redeat. Homil. 25, super *Genes.*

43. Damnosa mercatio est, si salus pro cibo impenditur, aut magnis vilia comparantur. Serm. *de Jacob et Esau.*

44. Negotiatoris prosperata felicitas, apotheca multiplex est. Homil. 36, super *Matth. Oper imperfect.*

45. Homo mercator vix aut nunquam potest Deo placere. *Ibid.*, num. 38.

46. Negotiatorum substantia, aut ipsis viventibus peritura est, aut a malis hæredibus dissipanda, aut ad extraneos et inimicos hæreditas ipsorum ventura est : quia non potest ad bonum proficere, quod congregatur de malo. *Ibid.*

47. Substantia negotiatorum, dum vadunt et veniunt inter emptionem et venditionem, minuitur, et in novissimo nihil illis remanet, nisi solum peccatum. *Ibid.*

48. Quicunque rem comparat, non ut ipsam rem integram et immutatam vendat : sed ut opus faciat ex ea, ille non est negotiator. *Prosec.*

49. Qui autem comparat rem, ut illam ipsam integram et immutatam dando lucretur, ille est mercator. *Ibid.*

50. Si quis rem comparatam vendit, mercator est et maledictus : quanto magis maledictus erit, qui non comparatam pecuniam, sed a Deo donatam sibi, dat ad usuram? *Ibid.*

51. Super omnes mercatores, plus maledictus

est usurarius : quia mercator dat rem, ut jam illam non repetat, iste autem postquam fœneraverit, iterum sua repetit, et aliena tollit cum suis. *Ibid.*

52. Quali ira sunt digni, qui negotiationes sequendo non veniunt ad Deum? *Ibid.*, hom. 41.

53. Quando non labore manuum nostrarum, sed aliter lucra quocunque modo consequimur, ut puta honores gerere, ut divitiæ permaneant alicui, aut mercari, omne hoc negotiatio appellatur. *Ibid.*

54. Difficile est, ut quis negotians intret in regnum cœlorum. *Ibid.*

S. IRENÆUS 55. Quis negotians non propterea negotiatur, ut inde alatur? Lib. 4, *advers. Hæres.*, cap. 49.

S. LAURENT. JUSTIN. 56. Bona negotiatio hæc est, quæ misericordem in momento divitem facit. *De Regimine prælat.*, cap. 8.

S. PAULIN. 57. Tanto studiosius et quæstuosius nostra negotiatio debet agitari, quanto rex noster æternus Jesus, illo temporali Salomone præstantior est. Epist. 4, *ad Sever.*

SALVIANUS. 58. Quid aliud cunctorum negotiantium vita, quam fraus atque perjurium? Lib. 3, *de Gubern. Dei.*

THEOPHIL. 59. Negotiatorum genus avarum est, et lucri cupidissimum. Super *Matth.*, cap. XXII.

S. THOMAS AQUINAS. 60. Negotiatio illa honesta est, et christianorum legibus permissa, qua pecuniis vel res, vel pecuniæ, rei familiaris augendæ causa, permutantur. 2, 2, quæst. 77, art. 1.

61. Negotiari propter res necessarias vitæ consequendas, omnibus licet : propter lucrum vero, nisi id sit ordinatum ad aliquem honestum finem, negotiari ex se turpe est.

62. Negotiator avidus acquirendi, pro damno blasphemat, pro pretiis rerum mentitur et pejerat. 2, 2, quæst. 77, art. 4.

S. VALER. EPISC. 63. Nunquam negotiatio sine fraude agitur, ubi ad hoc solum vilius emitur, ut carius distrahatur Hom. 20, *de Avarit.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 64. Utilis est quidem mercatorum vita, sed virtuti adversa. Lib. 7, *Polit.*, cap. 9.

CICERO. 65. Difficile est finem facere pretio, nisi libidini feceris. Orat. 9, *in Verrem*, lib. 4, art. 5.

66. Sordidi putandi sunt, qui mercantur a mercatoribus, quod statim vendant carius : nihil enim proficiunt, nisi admodum mentiantur. Lib. 1, *de Offic.*, num. 150.

Vide etiam tit. *Clericus*, sent. 6; *Negotium*, sent. 20.

NEGOTIUM.

S. AUGUST. *Etymologia*. Negotium dictum est eo quod neget otium : quantum mali est, quod negat otium. Super *Psalm*. LXX, enarrat. 1, vers. 17.

COLLECTOR. *Definitio*. Negotium est susceptio diligens alicujus rei particularis bonæ vel malæ, tendens ad aliquem finem sive bonum sive malum.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Nemo invideat otio meo, quia meum otium, magnum habet negotium, Epist. 110, *ad Eradium.*

2. Otium sanctum quærit charitas veritatis, negotium justum suscipit necessitas charitatis. Lib. 19, *de Civit. Dei*, cap. 19.

3. Impossibile est illis, qui negotiis secularibus implicati sunt, ut cor semper sursum habeant. Super *Psalm*. LI.

4. Non continuo gratulandum est omnibus hominibus, quos videmus agere negotia cœlestia, quia et filii pestilentiæ sedent aliquando in cathedra Moysi. *Ibid.*

5. Recedente necessitate, omnia negotia necessitatis intercidant necesse est. *Ibid.*

6. Majorum nugæ, negotia vocantur, Lib. 1, *Conf.*, cap. 9.

7. Nostra actio non frangatur negotio, nec frigida sit otio. Epist. 81.

8. Multi homines in negotiis suis concordes sunt, et ad Dei altare discordes. Epist. 256.

9. Non sane absentium negotium deserendum est, si quid quo adjuvari videatur, occurrerit. Lib. 10, *de Genesi ad lit.*, cap. 15.

10. Cupiditatem negotii patitur homo in otio, et otii in negotio. *Annot. in Job*, cap. 7.

S. BERNARD. SENENSIS. 11. Vix homo prosperatur, qui dimissis negotiis propriis, sollicitus est de alienis. Serm. 57, *in Sabbat. sancto*, art. 1, cap. 4.

12. Tanto negotia gravius ponderanda sunt, quanto inde majus periculum cernitur imminere. Serm. 2, *Fer.* 3, *Dom.* 2 *Quadr.*

S. BERNARD. 13. Diligenter omne quod faciendum erit, tracta apud te, et cum his qui te diligunt : tracta autem ante factum, quia post factum sera retractatio est. Lib. 4, *de Confid. ad Eugen. pap.*

14. Altitudo negotii non amicum desiderat, sed eruditum, sed dignum : cujus auctoritas potior, vita sanctior, stylus maturior, et opus illustret et consonet sanctitati. Epist. 312, *ad Guidonem abbat.*

15. Libenter amplector negotiationem tuam, quia negotium meum est. Serm. *de Quinque negot.*

16. Nihil tam incommodum in negotiis accidere solet, quam si quid non observata temporis opportunitate peractum est. Hom. 15, *de Festis Paschal.*

S. CYRILL. 17. Mercatorum negotia, etiamsi laborantibus

ALEX. quam maxime ad voluntatem succedant, nihil apud eos qui optimam vivendi rationem elegerunt, habent admirationis. *Ibid.*, hom. 16.

S. EUCHER. LUGDUN. 18. Removeantur illæ tam vacuæ, quam cohærentes sibi causæ, in quibus, quoad vivitur, studium mortalium, dum subinde negotiis inchoatur, nunquam finitur. In *Epist. parænet. ad Valerian.*

19. Abrumpatur illa interminabilis secularium negotiorum catena, et ille de necessitatibus multis unus per totam vitam labor. *Ibid.*

GILLEBERT. ANGLUS. 20. Seculares semper intendunt negotiis; et plus dant negotiationi, quam quieti. Serm. 45, super *Cant.*

GLOSS. ORD. 21. Si bonus miles esse vis, non implices te secularibus negotiis : quia notitia interna nequaquam conspicitur, nisi a terrena seu seculari implicatione cessetur. Super *Epist.* II *ad Timot.*, cap. II, in illud : *Nemo militans Deo.*

S. GREGOR. MAG. 22. Male homo vigilat, quando eum secularium negotiorum æstus insolenter inquietat. Lib. 23 *Moral.*, cap. 12, num. 20.

23. Aurem cordis tumultus secularium negotiorum claudit, et quies secretæ considerationis aperit. *Ibid.*

24. Negotia occupant, quæ nobis incessanter apposita, a considerandis nobismetipsis, mentis nostræ oculum declinant. *Ibid.*, lib. 25, cap. 7.

25. In istis negotiis visibilibus, cor extra se spargitur : et quid de se intrinsecus agatur, obliviscitur, dum extrinsecus occupatur. *Ibid.*

26. Magna est servitus secularium negotiorum, quibus mens vehementer atteritur, quamvis in eis sponte desudet. *Ibid.*, lib. 30, cap. 12, num. 23.

27. Secularia negotia aliquando ex compassione toleranda sunt : nunquam vero ex amore requirenda. Part. 2, *Pastor.*, cap. 7.

28. Sunt pleraque negotia, quæ sine peccato exhiberi aut vix, aut nullatenus possunt. *Prosec.*

29. Negotium quod ante conversionem sine peccato extitit, hoc etiam post conversionem repetere, culpa non est. Hom. 24, super *Evang.*

S. GREGOR. NAZ. 30. Otiosa vitæ tranquillitas, negotiorum splendore pretiosior est. Epist. 76, *ad Olympium.*

31. Solitudo a negotiis libera, splendore cum negotiis conjuncto præstantior est. Hab. apud *D. Joan. Damasc.*, lib. 1 *Paral.*, cap. 37.

HIERON. 32. Secularia negotia aliquando ex compassione toleranda sunt, nunquam vero ex amore requirenda : ne cum mentem diligentius aggravant, hanc suo victam pondere ad ima demergant. Lib. 3, super *Lament. Hierem.*, cap. IV.

HUGO A S. VICTORE. 33. In quolibet negotio duo sunt necessaria, opus videlicet et ratio operis : quæ ita sibi connexa sunt, ut alterum sine altero, aut inutile sit, aut minus efficax. Lib. 5, *Didasc.*, cap. 5.

34. Non potest anima simul attenta esse temporalibus negotiis disponendis, et cœlestibus contemplandis. Super *Gen.*, cap. XXXV. HUGO CARD.

35. Negotium sanctum si imponitur, suscipiendum est propter proximi charitatem. Super *Exod.*, cap. III.

36. Multi ita solliciti sunt de alieno negotio, quod perdunt suum. Super I, *ad Thessal.*, cap. 4.

37. Qui secularibus negotiis sunt dediti, adduci nequeunt ut rem aliquam incipiant, nisi prius aliquid lucri suboleat. Homil. 11, super *Gen.* S. JOANNES CHRYSOST.

38. Omne negotium inter ementes et vendentes conficit mendacium. *Prosec.*

39. Diabolus semper ingerit compendiosa negotia, ut anima pecunia decipiatur.

40. Malum negotium pecunia, quod animam inviscat. Homil. super *Psalm.* XC, vers. 6.

41. Nihil sic libere loqui, et in rerum discrimine fiduciam habere facit, sicut nullis secularibus obrui negotiis. Serm. super illud : *Salutate Priscam.*

42. Qui in negotiis, vel in qualibet arte occupatur, non facile quidquam superfluum, neque verbis, neque re, nec cogitationibus suscipiet. Homil. 5, super I *Cor.*

43. Pauper post negotia reliquum temporis in necessariis rebus consumens, magna consequitur præmia. *Ibid.*

44. Negotium otio ad pietatem est opportunius. Homil. 21, *ad Popul. Antioch.*

45. Navis tempestatibus non agitata, secundo vento navigat : et anima secularibus absoluta negotiis in portu quiescit. Homil. 60, super *Joan.*

46. Qui multa tractat et agit, is et sibiipsi injuriam infert et proximis. Epist. *ad Zenam.* S. JUSTIN MART.

47. In omni negotio tam spirituali, quam humano principatum tenet amor. *De humilit.*, cap. 8. S. LAURENT. JUSTIN.

48. Beatus est homo ille, qui nulli rei, aut negotio temporario, et transitorio semet implicat. Centur. 1, *de Charit.*, cap. 18. S. MAXIMUS MART.

49. Qui mundanis negotiis vere atque ex animo renuntiat, divinæ charitatis particeps, efficitur. *Ibid.*, cap. 27.

50. Quemadmodum vincti difficulter incedunt, sic cursum virtutis purum non absolvunt, vitæ negotiis impliciti. *Parænes.* 203. S. NILUS AB. MART.

51. Quid prodest, si cum a negotiis recesserimus, eorum rumoribus interpellemur? *Ibid.*, in *Libro ascetico.*

52. Damnabile est in clerico se curialibus aut secularibus negotiis immiscere. Epist. 14, *ad Sacellanos. reg. Anglor.* PETRUS BLESENS.

53. Negotiis secularibus te totum occupas et involvis : non decet te, salute animæ spreta, adeo

damnabiliter secularibus involvere. *Ibid.*, epist. 42, *ad Robertum Cameracensem.*

PET. CELL. 54. In negotiis amicorum gerendis, tantumdem bonæ fidei exigitur, quantum et in propriis. Lib. 7, epist. 11.

S. PETRUS DAMIAN. 55. Mens terrenis obtenebrata negotiis, frustra se in contemplationis culmen attollere nititur, dum actionum secularium merito, quasi congestis lapidum ruderibus aggravatur. Lib. 1, epist. 15, *ad Alexand. pap.*

56. Secularium negotiorum relatio animam passionibus desiderii facit obnoxiam. Opusc. 12, cap. 25.

PHILO JUD. 57. Caput negotiorum est finis eorum. *De Sacrific. Abel.*

TERTULL. 58. Quanto in arcto negotium est, tanto operosior probatio est. *De Pœnit.*, cap. 9.

THEOPHILACTUS. 59. Si illi nec patrem sepeliri licuit, væ his qui monasticen professi, ad mundana regrediuntur negotia. Super *Matth.*, cap. VIII, in illud : *Sine mortuos sepelire.*

THOMAS A KEMPIS. 60. Tanto longinquior fit homo a Deo, et frigidior in seipso, quanto occupatior et diuturnior in negotio externo. Medit. 28, *in Dominica Palmar.*, cap. 2.

IN VIT. PAT. 61. Arduum est, ac perquam difficile, ut qui hujusce vitæ negotiis, tanquam vinculis quibusdam astrictus tenetur, ejusque curis ac tumultibus distinetur, purum seipsum atque incolumem ab iis servet. Lib. 1, in *Vita SS. Barlaam et Josaphat*, cap. 12.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 62. Magis expetendum est otium, quam negotium : negotia enim sunt cum labore et conatu. Lib. 8 *Polit.*, cap. 3.

63. In omni negotio quidquid jucundum est, ipsamque voluptatem summo studio vitare oportet. Lib. 2 *Moral.*, cap. 9.

CICERO. 64. Clarorum virorum atque magnorum, non minus otii, quam negotii rationem extare oportet. Orat. 31, *pro Plancio*, num. 66.

65. Caput est in omni procuratione negotii, et muneris publici, ut avaritiæ pellatur etiam minima suspicio. Lib. 2 *de Offic.*, num. 75.

66. In omnibus negotiis priusquam aggrediare, adhibenda est præparatio diligens. Lib. 1 *de Offic.*

EPICTETUS. 67. Cogita quid antecedere, quid sequi soleat, atque ita rem gerendam suscipito. In suo *Enchirid.*, cap. 35.

68. Homo, primum considera cujusmodi sit res quam aggredi volueris, deinde natura quoque tua eamne ferre queat, explora. *Ibid.*, cap. 36.

SENECA. 69. Æstimanda sunt ipsa quæ aggredimur negotia, et vires nostræ cum rebus, quas tentaturi sumus comparandæ. *De Tranquillit. animi*, cap. 5.

70. Illum felicissimum dixerim, qui nihil negotii secum habuit. epist. 52.

71. Nihil tam certum est, quam otii vitia negotio discuti. Epist. 56.

VALERIUS MAXIMUS. 72. Prospera negotia, cum divina suffragatione foventur, humana minus indigent. Lib. 4, *Dictor. memorab.*, cap. 7.

Vide etiam tit. *Dignitas*, sent. 29 ; *Felicitas*, sent. 136 ; *Natura*, sent. 71 ; *Religiosus*, sent. 34 ; *Seculum*, sent. 37 ; *Temperantia*, sent. 16.

NESCIRE.

COLLECTOR. Nescire, est ignorare essentiam rerum, aut factorum quorumcumque. *Vel*, Nescire, est scientia carere in subjecto capaci.

S. ISIDORUS HISPALENS. *Differentia.* Inter nescire et ignorare hoc interest : quod qui nescit, omnium notitia caret ; qui ignorat, aliquid scit. Lib. 1 *de Different.* Different. 44.

S. THOMAS AQUINAS. Ignorantia in hoc a nescientia differt, quod nescientia dicat simplicem scientiæ negationem, seu carentiam : ignorantia vero importat scientiæ privationem, dum scilicet alicui deest scientia eorum quæ aptus natus est scire. 1, 2, quæst. 76, art. 2.

PRODUCTIO.

S. CLEM. PAP. *Productio.* Origo totius mali ab ignorantia descendit, et ipsa est malorum omnium mater, ex qua incuria et ignavia gignitur. Lib. 5 *Recognit.*

S. ISID. HISP. Ignorantia mater errorum est, ignorantia vitiorum nutrix, et peccatum per ignorantiam magis prævalet. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 13.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras. Lib. 3 *de Libero arbit.*, cap. 19.

2. Non quod naturaliter quis nescit, et naturaliter non potest, hoc animæ deputatur in reatum ; sed quod scire non studuit. *Ibid.*, cap. 22.

3. Non erubescendum est homini, confiteri se nescire quod nescit ; ne dum se scire mentitur, nunquam scire mereatur. Epist. 157, *ad Optatum.*

4. Sunt quædam, quæ nescire quam scire sit melius. In *Enchirid.*, cap. 17.

5. Non est consequens ut continuo erret quisquis aliquid nescit, sed quisquis se existimat scire quod nescit. In *Enchirid*,, cap. 17.

6. Nemo ex me scire quærat, quod me nescire scio, nisi forte ut nescire discat, quod sciri non posse sciendum est. Lib. 12 *de Civit. Dei*, cap. 7.

7. Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras. *De Natura et gratia*, cap. 67.

8. Nunc nescio, nec me pudet ut istud fatear nescire, quod nescio. Lib. 1 *de Anima et ejus orig.*, cap. 16.

9. Melius, homini est fateri se nescire quod nescit, quam temere defensare quod nescit. *Ibid.*, cap. 19.

10. Non te quando aliquid nescis, existimes scire : sed ut scias, disce nescire. *Ibid.*, lib. 4, cap. 24.

11. Id homo nescit negligentia sua, quod adhibita diligentia scire debuisset. *De Naturu et gratia*, cap. 17.

12. Melius est nescire, quam errare : sed scire est melius, quam nescire. Tract. 21 super *Evang. Joan.*, cap. v.

13. Melius est pie confiteri ignorantiam, quam temere scientiam vendicare : quia temeritas pœnam habet, sed ignorantia promeretur veniam. Serm. 15, *ad Fratr. in eremo.*

14. Non omnis qui ignorat, immunis est a pœna. Ille enim ignorans potest excusari a pœna, qui quod disceret non invenit : illis autem hoc ignosci non poterit, qui habentes a quo discerent, operam non dederunt. Hab. apud *Gratian.* in *Decretis*, part. 1, dist. 37, can. *Non omnis.*

15. Infelix homo, qui scit omnia, te autem nescit : beatus autem qui te scit, etiamsi illa omnia nesciat. Lib. 5 *Conf.*, cap. 4.

16. Certe nullius crimen maculat nescientem. Epist. 48.

17. Cum labore discimus, sine labore nescimus. Lib. 22 *de Civit. Dei*, cap. 22.

18. Pejor est conditio scientium legem Dei, si non faciant, quam nescientium : ignorantia tamen simpliciter non excusat. *De Gratia et lib. arb.*, cap. 3.

19. Plus a pecoribus distat, qui ejus aliquid nescire se scit, quam qui se putat scire quod nescit. Lib. 4 *de Anima et ejus orig.*, cap. 2.

20. Innocentes sunt etiam dum nesciunt. *De Eccles. unitat.*, cap. 2.

.BERNARD. 21. Multa scienda nesciuntur, aut sciendi incuria, aut discendi desidia, aut verecundia inquirendi. Epist. 77, *ad Hugonem de S. Victore.*

ASSIODOR. 22. Ipsa est profunda ignorantia, nescire quod pecces. Super *Psalm.* II, vers. 23 : *Et nescivi.*

LEM.PAPA. 23. Nihil gravius est, quam si id quod ignorat quis, scire se credat : et defendat verum esse quod falsum est. Lib. 5 *Recognit.*

24. Grande malum est ignorantia, non enim aliud est ignorantia, nisi non cognovisse quod expedit : ubi autem cognoveris, perit ignorantia. Epist. 3, *de Offic. sacerd.*

S. CYRILL. HIEROSOL. 25. Hæc maxima est scientia, in divinis ignorantiam fateri. *Catech.* 6.

S. GREGOR. MAGNUS 26. Aliud est nescisse, aliud scire noluisse : nescire enim ignorantia est, scire nolle superbia. Lib. 25, *Moral.*, cap. 11, num. 16, super illud *Job.* XXXIV : *Et omnes vias ejus.*

27. Nemo bene judicat quod ignorat. *Ibid.*, lib. 27, cap. 1.

28. Qui ea quæ Dei sunt, sapiunt, a Domino sapiuntur : et qui ea quæ Dei sunt, nesciunt, a Domino nesciuntur. Hab. in *Decret. Gratian.*, part. 1, dist. 38, can. *Qui ea.*

S. HIERON. 29. Melius est aliquid nescire secure, quam cum periculo discere. Epist. 22, *ad Eustoch.*

30. Non me pudet nescire quod nescio. Lib. 1, *Dialog. advers. Pelag.*

31. Non parum est scire quid nescias ; prudentis hominis est, nosse mensuram suam. Epist. 33, *advers. Vigil.*

HUGO CARD. 32. Nullus excusatur per ignorantiam : quia tot doctores habet, quot creaturas videt. Super *Prov.*, cap. VI.

S. JOANNES CHRYSOST. 33. Qui nescit, facile ratione ducitur : qui vero scire credit cum nesciat, non potest facile veritatem suscipere, sed majori sudore opus est, ut antequam vera inculcentur, falsa ex animo ejus ejiciantur. Homil. 76 super *Matth. Oper. perfect.*

34. Ignorantia negligentiæ filia est. Homil. 42 super *Matth. Oper. imperf.*

35. Qui scire se dicit, is potissimum ignorat quod se scire dicit : sed qui se ignorare dicit, partem aliquam veritatis novit. Serm. 19, super *Epist. ad Ephes.*

36. Melius est bene ignorare, quam turpiter scire : illud enim nullam reprehensionem habet, hoc venia omni carere debet. Orat. 5 *de Fato.*

JOAN. TRIT. 37. Ibi non est ignorantia jam excusabilis, ubi scitur quid sit illud quod ignoratur. Lib. 1, homil. 4, *ad Monachos.*

38. Turpe quidem est nescire quod scire juberis, turpius non discere, turpissimum vero contemnere. *Ibid.*

39. Quod sine peccato nescitur, non est cum periculo discendum. Epist. 33, *ad Fratr. Bernard. Minorit.*

S. ISIDORUS HISPALENS. 40. Interdum quædam nescire convenit : sed nullus in culpa major est, quam ille qui Deum nescit. Lib. 2 *de Sum. bono*, cap. 1, sent. 5.

41. Nescire simpliciter, ad ignorantiam pertinet : noluisse vero scire, ad contumacem superbiam. *Prosec.*

42. Voluntatem quippe proprii domini velle nescire, quid aliud est, quam velle dominum superbiendo contemnere ?

43. Nemo igitur se de ignorantia excuset, quia Deus non solum eos judicat, qui a cognitione sua

reverentur, sed etiam et illos, qui nescierunt. *Ibid.*, cap. 17, sent. 6.

44. Ignorans quid sit culpæ dignum, non sentit : ignorantia nec quando delinquit, agnoscit. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 13.

LACT. FIRM. 45. Non ab eo veritas exigenda est, qui se nescire fatetur. Lib. 6, *de Divin. inst.*, cap. 12.

46. Qui se putant scire quod nesciunt, inepte arroganterque desipiunt. *Ibid.*, cap. 18.

S. LAURENT JUSTIN. 47. O nescientiæ quanta sunt mala! sub ipsa jacet ratio, discretio periclitatur, fluit mens, fugatur humilitas, virtus deperit, turbatur pax, ordo confunditur, disperditur gratia, desideria sancta concepta frigescunt. *De interiori conflictu*, cap. 8.

48. Ubi dominatur ignorantia, ignavia prævalet. *Ibid.*

S. LEO I, 49. Si vix in laicis tolerabilis inscitia, quanto magis in eis qui præsunt, nec excusatione est digna, nec venia! Epist. 23.

50. Ignorantia in graves nonnunquam incidit lapsus. Epist. 13, *ad Pulcheriam augustam.*

PHILO JUD. 51. Agnoscere suam ignorantiam, finis est scientiæ. *De Migrat. Abrahæ.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 52. Ignorantia nostri, rerumque aliarum provenit ex eo quod non ducimur, nisi sensu ad discendum. Lib. 12, *Theolog.*, cap. 20.

PLATO. 53. Pessimum ignorantiæ genus est, ut is qui nescit, scire se putet. Sizigia. 2 in *Dialogo sophistæ.*

54. Qui res suas ignorat, eadem sane ratione res aliorum ignorabit. Sizygia 4. in *Dialogo* 1 *Alcibiadis.*

SENECA. 55. Temeritas est, damnare quod nescias. Epist. 91.

56. Omnes male habet ignorantia veri, tanquam ad bona feruntur, decepti rumoribus. Epist. 118.

Vide etiam tit. *Definitio*, sent. 12; *Magister*, sent. 15; *Origo*, sent. 12; *Scriptura sacra*, sent. 126.

NIHILUM.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Nihil est quidquid est diaboli, quod nullam potest habere perpetuitatem, atque substantiam. Lib. 2 *de Jacob.*, cap. 5.

S. ANTONIN 2. Nihil est quod in mundo appareat veri et firmi boni : nihil enim est, quod de se tendit in nihilum; et sicut omnia ex nihilo facta sunt, ita ex se debeant redire in nihilum. Part. 2, tit, 5, cap. 14, § 3.

S. AUGUST. 3. Vita, quæ fructu corporis delectata negligit Deum, inclinatur ad nihilum. *De Vera relig.*, cap. 11.

4. Sine protectione Dei nihil es. Super. *Psalm* LXII, vers. 8.

5. Hæc est tota scientia magna hominis, scire quia ipse per se nihil est. Super *Psalm.* LXX, conc. 1.

6. Falsum probare non potest, qui probat nihil. Lib. 1, *contra Academ.* cap. 4.

7. Qui nihil approbat, nihil agit. *Ibid.*, lib. 3, cap. 15.

8. Omnis defectus tendit ad nihilum : et interitum nullum magis proprie oportet accipi, quam cum id quod aliquid erat, nihil fit; quare tendere ad nihilum, est ad interitum tendere. *De immort. animæ*, cap. 7.

9. Omnia de nihilo Deus creavit. Lib. 1 *de Lib. arb.*, cap. 2.

10. Sciri non potest, quod nihil est. *Ibid.*, lib. 2, cap. 20.

11. Detracto penitus omni bono, omnino nihil remanebit. *Ibid.*

12. Omnis defectus ex nihilo est. *Ibid.*

13. Quod nulla res est, omnino nihil est. Lib. 1, *de Doctr. christ.*, cap. 2.

14. Creatura, quæ beata esse potest, non ex seipsa potest, quia ex nihilo creata est. Lib. 12, *de Civit. Dei*, cap. 1.

15. Peccatum nihil est, et nihil fiunt homines, cum peccant. Tract. 1, super *Joan.*

16. Ante mundum Christus, ante Christum nihil. *Ibid.*, tract. 38.

17. Ad nihilum redactus est homo, nihil est homo. Quomodo tamen penitus nihil est, quem magnificat Deus? Quomodo nihil, erga quem appositum est cor divinum? Respiremus fratres, et si nihil sumus in cordibus nostris, forte in corde Dei potest aliud latere de nobis. Serm. 5, *Dedicat. Eccles.* S. BERNARD.

18. Ecce quasi non simus sic sumus coram Deo, quasi nihilum et inane reputati : putantes nos aliquid esse, cum nihil simus. Serm. *de quinque negotiationibus.*

19. Nihil ex nihilo existere, vera sententia est, cui nemo unquam veterum refragatus est. Lib. 5, *de Consolat. philos.*, prosa 1. BOETIUS.

20. Nihil sunt et nihil fuerunt homines, scilicet sine valore in se: cum peccant. Super *Sap.*, cap. 3. S. BONAV.

21. Sine charitate homo nihil est. *Ibid.*, cap. 9.

22. Nihil omnia sunt, in quibus homo gloriatur. Super *Psalm.* XXXVI. GLOS. ORD.

23. Cuncta ex nihilo facta sunt, et in nihilum tenderent, nisi ea auctor omnium manu retineret. Lib. 16 *Moral.*, cap. 16, num. 18. S. GREG. MAG.

24. Peccator, quia peccando ad nihilum tendit, cum nihil illud, cui inhæsit, deserit, quasi ad esse redit. Lib. 5, in I *Reg.*, cap. IV.

HAYMO. 25. Omnis creatura, quæ non adhæret illi, qui semper habet esse, nihil est. Serm. *Dom.* 16, *post Pent.*

HUGO A S. VICTORE. 26. De nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti :
Et redit in nihilum quod fuit ante nihil.
Lib. 1, *Didasc.*, cap, 7.

27. Peccator ad nihilum devenit, quia recedit ab eo qui est, quia socius fit ejus qui non est, quia conjungit sibi peccatum quod non est, quia melius est non esse quam in gehenna esse. Super *Psalm.* LVII.

HUGO CARD. 28. Homo ex se nihil est : si autem aliquid est, ex Dei munere est. Super *Sapient.*, cap. VI.

PETRUS BL. 29. Graviter decipiuntur, qui putant se aliquid esse, cum nihil sint. Epist. 107, *ad Amic. suum.*

PHILO JUD. 30. Sicut e nihilo nihil fit, sic nihil corruptione redigitur in nihilum : nam ex non existente impossibile est quidquam fieri, et ens prorsus interire impossibile creditur. Lib. *Quod mundus sit incorruptib.*

31. Nihil in nihilum recidere natura patitur : sed unde est initium, eodem finis redit. Lib. 2 *de Victimis.*

RICHARD A S. VICTORE. 32. Discat quisque quam nihil sit, et per semetipsum quam nihil possit. Part. 1, lib. 2, *de Erud, hom. inter.*, cap. 30.

33. Nos nihil sumus, et tamen magna de nobis æstimamus. Part. 1, *de Baptism. Christi.*

TERTULL. 34. Qui nihil fueras priusquam esses, idem nihil factus es, cum esse desieris : cur non posses esse rursus de nihilo ejusdem auctoris voluntate, qui voluit esse de nihilo? In *Apolog. advers. Gentes*, cap. 48.

THOMAS A KEMPIS. 35. Omnia ad nihilum tendunt, quæ foris nitida parent. In *Hortulo rosar.*, cap. 10, sect. 2.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 36. Omnis dies, omnis hora, quam nihil sumus, ostendit. Epist. 101.

NIMIETAS.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIN. 1. Cave quod est nimium, omnis enim vehementia saluti inimica est, et excessus omnis in culpa. *Prosec.*

2. Bonarumque rerum consuetudo nimia, pessima est. Part. 3, tit. 3, cap. 1 §. 9.

3. Nimietas cibi, calorem naturalem suffocat. Part. 4, tit. 4, *de Temperantia*, cap. 4, § 1.

S. AUGUST. 4. Quis est, qui non in cibo rapiatur aliquando extra metas necessitatis? Lib. 10, *Conf.*, cap. 31.

5. Res quæ nimia est, modo eget. *De Beata vita*, in disput. 3, diei.

6. Quomodo opitulatur quod nimium est, cum incommodius sit sæpe, quam parum? *Ibid.*

7. Quidquid vel parum vel nimium est, quia modo eget, obnoxium est egestati. *Ibid.*

8. Illud præclarum est, et non immerito diffamatur, hoc primum in vita esse utile, ut ne quid nimis. *Ibid.*

9. Ipsa bona, quæ per se bona sunt, aliquid contrahunt, cum exedunt. *De Vera et falsa pœnit.*, cap. 8.

10. Tantum valet ordinatio Creatoris, et ordo creaturæ, ut in rebus ad utendum concessis, etiam cum modus exceditur, longe sit tolerabilius, quam in eis quæ concessa non sunt, vel unus, vel rarus excessus. *De Bono conjugali*, cap. 11.

11. Qui fit nimium justus, ipso nimio fit injustus. Tract. 95, super *Joan.*

12. Omnis nimietas in vitio deputatur. Serm. 63, *ad Sororem.* S. BERNARD.

13. Nunquam nimis dicitur, quod nunquam nimis fit. Super *Epist ad Philip.*, cap. V. S. BRUNO.

14. Disce temperantiæ modum, qui per licentiam quæris excessum. *De Singularit. clericor.*, cap. 9. S. CYPRIAN.

15. Nimietas salubri piorum consilio refrænanda est. Lib. 5, in I *Reg.*, cap. IV, super illud : *Nullus contradixit.* S. GREGOR. MAGN.

16. Philosophorum sententia est, moderatas esse virtutes : excedentes autem modum atque mensuram, inter vitia deputari. Epist. 8, *ad Demetriad.* S. HIERON.

17. Pluvia illa optima est, quæ sensim descendit in terram; subitus et nimius imber in præceps arva subvertit. Epist. 10, *ad Furiam.*

18. Difficile est modum tenere in omnibus ; modus virtus est, vitium nimietas reputatur : quod una et brevi sententiola exprimere possumus : Ne quid nimis. Epist. 27, *ad Eustoch.*

19. Morbi ex saturitate nimia concitantur. Lib. 2, *advers. Jovian.*

20. Immoderata jejunia, et ardor abstinentiæ, et inordinatæ vigiliæ, intemperantiæ coarguuntur : idque nimietate sui pariunt, ut hæc ipsa postea nec mediocriter quidem fieri possint. *Prosec.*

21. Quod laudabile est in tempore suo, fit de nimietate culpabile.

22. In bonis rebus quidquid modum excesserit, vitium est. Epist. 1, *ad Demetriad.*

23. Virtutes discretionem quærunt, et nimietas omnis in vitio est. Lib. 1, super *Prov.*, cap. 4, super illud : *Averte pedem tuum a malo.*

24. Non sola crapula vini mentem inebriare consuevit, verum etiam cunctarum escarum nimietas vacillantem eam, ac nutabundam reddit, omnique integritatis ac puritatis contemplatione dispoliat. Lib. 5 *de Cœnob. inst.*, cap. 6. JOAN. CASS.

25. Si Sodomitas sola nimietas panis ad præruptum flagitiorum præcipitium vitio satietatis impegit. quid censendum est de his, qui vegeto corpore perceptionem carnium, ac vini, immoderata libertate præsumunt, non quantum expetit imbecillitas, sed quantum animi libido suggesserit, usurpantes? *Ibid.*

26. Quisquis mensuram districtionis excesserit necesse est ut modum quoque remissionis excedat. *Ibid.*, lib. 6, cap. 23.

27. Vetus sententia est : Nimietates æqualitates sunt. Collat. 2, *Abbat. Moysis*, cap. 16.

28. Escæ potusque est nimietas castiganda. Collat. 22, *Abbat. Theonæ*, cap. 6.

S. ISIDORUS HISPALENS. 29. Nec valet quidquam boni per imbecillitatem perficere, ne dum quid nimis. *Prosec.*

30. Nam quidquid cum modo et temperamento fit salutare est : quidquid autem nimis et ultra modum est, pernitiosum fit.

31. In omni ergo opere modum et temperamentum oportet habere : nam omne quod excedit, periculosum est.

32. Sicut aqua, quæ si nimios imbres præbeat, non solum nullum usum adhibet, sed etiam periculum exhibet. Lib. 2 *de Sum. bono*, cap. 44, sent. 14.

33. Nimietas omnis in vitio deputatur : omne autem quod cum modo fit, salubriter fit. Lib. 2 *de Synon.*, cap. 16.

34. Omne quod nimis est, vitium est. *Ibid.*

S. LEO I. 35. Nimietas edaces et bibaces dedecorat, non cibi neque poculi natura contaminat. Serm. 4, *Quadrag.*

IN VIT. PAT. 36. Quæcunque super mensuram sunt, dæmonum sunt. In *Sent. in fine positis*, sent. 78.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 37. Nimii labores, cibique nimii, valetudinem auferunt. Lib. 2 *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 2.

38. Omne nimium, quod in voluptatibus reperitur, esse vituperabile perspicuum est. Lib. 3 *Moral.*, cap. 11.

39. Omne nimium grave, et odiosum est. *Ibid.*, lib. 4, cap. 7.

40. Quidquid plus est, iniquum seu inæquale est : sed non quidquid est iniquum, plus est. *Ibid.*, lib. 5, cap. 2.

CATO POETA 41. Quod nimium est fugito; parvo gaudere memento. Lib. 2 *Disticho*, metr. 21.

HIPPOCRAT. 42. Somnus et vigilia modum si excesserint malum. *Commentar.* 2, aphorism. 3.

43, Omne nimium naturæ inimicum. *Ibid.*, aphorism. 11.

PLATO. 44. Omne nimium certe in magnam quamdam contrariamque mutationem solet erumpere. Syzyg. 4, lib. 8, *de Republ.*

PLINIUS II. 45. Periculum non est, ne sit nimium quod esse maximum debet. Lib. 8, epist. *ad Maxim.*

SENECA. 46. Voluptas nocet nimia; in virtute non est verendum, ne quid nimium sit, quia in ipsa est modus. *De Beata vita*, cap. 13.

47. Vitiosum est ubique quod nimium est. *De Tranquillitat. animi*, cap. 9.

48. Nunquam nimis dicitur, quod nunquam satis discitur. Epist. 27.

49. Magni animi est, mediocria malle quam nimia : illa enim utilia sunt, at hæc eoquod superfluunt, nocent. *Prosec.*

50. Sic segetem nimia sternit ubertas, sic rami onere nimio franguntur, sic ad maturitatem non pervenit nimia fœcunditas. Epist. 39.

SIXTUS PH. 51. Omne quod homini plus est, quam necesse sit, inimicum ei est. Sent. 132.

THALES PH. 52. Nil nimium, satis est, ne sit et hoc nimium. In *Dictis Sapient, ex Ausonio*, dist. 6

NOBILITAS.

S. ISIDORUS HISPALENS. *Etymologia.* Nobilis dicitur, quasi non vilis; cujus et nomen et genus scitur. Lib. 10, *Etymol.*, verbo *Nobilis.*

S. BONAV. *Definitio.* Nihil aliud est nobilitas humana quædam hominum fama, et quædam in exterioribus vita honorabilis. Serm. 1, *de Uno martyre.*

PLATO. Nobilitas est virtus generosorum morum. Sizygia 6, *de Definit.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Extra paradisum vir factus est, et mulier intra paradisum; ut advertas quod non loci, non generis nobilitate, sed virtute unusquisque gratiam sibi comparat. *De Paradiso*, cap. 4.

2. Probati viri genus, virtutis prosapia est. *De Noe et Arca*, cap. 4.

3. Quid te jactas de nobilitatis prosapia? non datur nobilitati palma, sed virtuti. *De Nabuthe*, cap. 13.

S. ANTONIN. 4. Commune malum nobilitatis est superbia. Part. 2, tit 3, cap. 4, § 4.

5. Ridiculosa est nobilitas, quæ attenditur ex parte corporis ratione generis. *Ibid.*

6. Unum bonum est, quod habet nobilitas carnis, quæ quasi quoddam frænum est, quod debet cohibere homines, ne male faciant. *Ibid.*

7. Nobilitas sola est, quæ animum moribus ornat. *Ibid.*

8. Non æstimatur etiam ab Ethnicis sapientibus nobilitas carnis, sed animi ex optimis moribus resultans. Part. 2, tit. 4, cap. 4.

9. Signa veræ nobilitatis animi sunt; liberalitas, mansuetudo, virilitas, magnanimitas, gratitudo. *Ibid.*

10. Nobilitas in tribus consistit : in sua causa,

in sua substantia, in sua efficientia : in sua causa, si a nobili origine principium ducat; in sua substantia, si nobilem essentiam, et proprietatem in se possideat; in sua efficientia, si nobiles effectus ex se producat. Part. 4, tit. 15, cap. 3, § 3.

11. Ubi nobilitas originis perficitur, et ornatur nobilitate morum et operis, utraque alteri præstat incrementum laudis. *Prosec.*

12. Nobilitas carnis non laudatur, sed vituperatur, quando deest nobilitas mentis.

13. Nobilitas autem mentis sine nobilitate carnis tanto amplius laudatur, quanto etiam propriam vincens naturam laudabiliter operatur. *Ibid.*, cap. 3, § 4.

. AUGUST. 14. Questus turpitudinis tunc est, quando hi qui nobiles dicuntur, dehonestari videntur. *Prosec.*

15. Facile imitatores invenit honestata nobilitas. In *Quæst. veteris et novi Testam.*, quæst. 114.

16. Magis gaudeat puella nobilis generis, nobilior sanctitate. Epist. 179, *ad Probam et Julianam.*

17. Nobilior est generatio spiritalis, quam carnalis. Serm. 1, *Dom. Quinquag.*

18. Mala nobilitas est, quæ se per superbiam apud Deum reddit ignobilem. Serm. 1, *Fer.* 5, *in cœna Dom.*

19. Cur te jactas de generis nobilitate? numquid omnium nascendi conditio una est? numquid moriendi una conclusio? *Prosec.*

20. Quis nobilium unquam natus est sine sanguinis cruentatione? numquid nobilis simul cum paupere per eumdem, dum nascitur, meatum transit? Serm. 48, *ad Fratr. in eremo.*

21. Hostis plures superbos tenet nomine nobilitatis, et de his plures nomine auctoritatis. Lib. 8, *Conf.*, cap. 4.

22. Corporalis nobilitas atque opulentia, morum intelliguntur esse, non tua. Epist. 143.

23. Nemo nobilis, nisi quem nobilitat virtus.

V. BEDA. In suis *Proverb.*, verbo *Nemo.*

24. Summa apud Deum est nobilitas, clarum esse virtutibus. *Ibid.*, verbo *Summa.*

25. Benedicta tu in nobilibus, quæ pro gloria

.BERNARD. certantibus cæteris, de contemptu gloriæ gloriosius sublimaris, et sublimius gloriaris. *Prosec.*

26. Insignior plane atque illustrior, quod de paucis facta es, quam quod orta de magnis : illud namque Dei munere tuum est, hoc tuorum. Quod tuum est tanto carius est, quanto rarius.

27. Si in viris virtus rara est avis in terris quanto magis in fœmina fragili, et nobili?

28. Minime est Deus acceptor personarum. Nescio tamen quomodo virtus in nobili plus placet : an forte, quia plus claret? siquidem ignobilis cum caret gloria, non facile liquet utrum quia nolit, an quia non possit habere. Epist. 113, *ad Sophiam virg.*

29. Quam sit inane, quam futile nobilitatis nomen, quis non videat? quæ si ad claritudinem BOETIUS. refertur, aliena est. *Prosec.*

30. Videtur namque esse nobilitas quædam de meritis veniens laus parentum.

31. Quod si claritudinem prædicatio facit, illi sint clari necesse est, qui prædicantur : quare splendidum te, si tuam non habes, aliena claritudo non efficit.

32. Quod si quid est in nobilitate bonum, id esse arbitror solum, ut imposita nobilibus necessitudo videatur, ne a majorum virtute degenerent. Lib. 3, *de Consolat. philos.*, prosa 6. S. BONAV.

33. Una est sola nobilitas facere voluntatem Dei : nec in patribus nobilibus magnum sapiamus, nisi eis similes fuerimus. Super *Joan.*, cap. VIII, in illud : *Opera patris vestri facite.*

34. Nobilis est Christus secundum carnem, nobilior secundum animam, nobilissimus secundum divinitatem. Serm. 3, *de Ascens.*

35. Ille apud Deum nobilior est, non quem nobilitas generis, sed quem devotio fidei et sancta vita commendat. Lib. 1, *Pharetræ*, cap. 46.

36. Nullum ad commendationem hominis dignitas prosapiæ meritum, sed fides affert. *Ibid.*

37. Dominus non attendit in potentibus mundi, carnis nobilitatem sed nobilitatem morum. *De Eccles. hierarch.*, part. 2, cap. 3.

38. Sine causa est a foris vel genere, vel honore conspicuus, qui non est intus ingenuus. Hom. 4. S. CÆSARIUS *Et Euseb. Emiss.*, hom. 3 *Paschæ.* ARELAT. ET EUSEB. EMISSEN.

39. Nobilitas generis, vel virtutis gloria, posteros illustrat. *De Cardinal. oper. Christi*, in præfat. cap. 1. S. CYPRIAN.

40. Nomen instabilis fortunæ est nobilitas. S. EUSEBIUS Epist. *ad Damas. Pap. de morte D. Hieron.* CÆSARIENS.

41. Quod facitis, non differatis, frequentissime vestimenta permutetis, ne forte vestra dispereat nobilitas, nec sit qui vos excedat ut in inferno verecundiam recipiatis et confusionem. *Ibid.*

42. Disce tu nihil tibi de nobilitate generis assignare : licet avo, patre, socero, marito consulibus pridem fueris inter seculares illustris. *Prosec.* FULGENT.

43. Nunc in eo te illustrem fieri cognosce, in quo tibi virtus humilitatis accrescit.

44. Nobilitatem carnis, quæ superbiæ fomes est, abjice : et nobilitatem spiritus, perfecta cordis humilitate sectare. Epist. 2, *ad Gallam*, cap. 16.

45. Vera nobilitas non subsistit ex divitiis, sed S.GAUDENT. cognoscitur in moribus. Tract., *de Machab.*

46. De prosapia carnis evacuaris a gloria GILLEBERT. Christi, si alia te nobilitari præsumas. Serm. 18, PORRET. super *Cant.*

S. GREGOR. MAGNUS. 47. Ad nobilitatem internæ prolis, virtutis nobilitate sublevantur, qui stultam sapientiam mundi despiciunt, et sapientem Dei stultitiam concupiscunt. Lib. 20 *Moral.*, cap. 16, num. 17.

48. Tanto ad nobilitatem quisque erigitur, quanto per acceptam imaginem ad similitudinem Christi ex imitatione renovatur. *Ibid.*, num. 17.

49. Nonnullis solet nobilitas generis parare ignobilitatem mentis, ut minus se in hoc mundo despiciant, qui plus cæteris se aliquid fuisse meminerunt. Lib. 2, *Dialog.*, cap. 23.

50. Non te generis nobilitas extollat, ne super te causa jactantiæ rapiaris : sed omnibus inferiorem te sentias, et sic in te spiritum superbiæ extingues. Super *Septem Psalm., Pœnit.* Super *Psalm.* VII, vers. 10.

51. Nobilium semiplenum bonum videtur, quod sine adjectione et favoris præsidiis relinquitur. Lib. 12, in *Registro*, indict. 7, cap. 17, epist. 17, *ad Asclepiodotum patricium.*

52. Nobilitas quæ trahitur ex carnis origine, rectæ fidei virtutibus est illustranda. Lib. 3, in I, *Reg.*, cap. II, super illud : *Hi sunt dii, qui percusserunt.*

53. Carne magnorum virorum se filios esse gloriantur, qui eorum nobilitatem fidei non sequuntur. *Ibid.*

54. Nobilis dicitur, qui superna conversatione conspicuus est, et de mundanæ vitæ rusticitate nihil habet. Lib. 4, in I, *Reg.*, cap. IV, super illud : *Ecce est vir Dei in civitate.*

55. Viri Dei nobiles sunt, qui dum fortiter ea quæ divina sunt agunt, et nihil degenerositatis habent : quia in magna luce omnia suæ conversationis radios proferunt cœlestis originis. *Ibid.*

S. GREG. NAZ. 56. Nobilitas vera, imaginis est conservatio, et ad exemplar configuratio, quod operatur verbum et virtus. Orat. 7, *in Funere Gorgoniæ Sororis suæ.*

57. Nequaquam philosophicum est, eam nobilitatem admirari, quæ ex fabulis et sepulcris procedit, ac jam diu supercilia tollit : nec illam, quæ ex sanguine oritur, ac litteris ; sed quam pietas ac mores suis consignant sigillis. Orat. 21, *ad Heronem philosoph.*

58. Unusquisque nobilis est, qui illud quod ex virtute est, et ad archetypum inclinat, consecutus est et custodit. *Prosec.*

59. Ignobilis vero omnis, qui malitia confundit, et formam aliam, hoc est anguis more fœdaverit. Orat. 23, *ad Arianos.*

S. HIERON. 60. Nobilem familiam Virgo virginitate sua nobiliorem facit. Epist. 8 *ad Demetriad.*, pag. 64.

61. Nulli te unquam de generis nobilitate præponas : neque obscuriores quasque, et humiliore loco natas, te inferiores putes. Epist. 14, *ad Celantiam.*

62. Summa apud Deum nobilitas est, clarum esse virtutibus. Quid apud Deum in viris nobilius Petro, qui piscator et pauper fuit? Quid in fœminis Beata Maria illustrius, quæ sponsa fabri describitur? *Ibid.*

63. Frustra sibi aliquis de nobilitate generis applaudit, cum universi paris honoris, et ejusdem apud Deum pretii sint, qui uno Christi sanguine sunt redempti. *Ibid.*

64. Nihil eo nobilius, qui opibus et nobilitate contempta, fit paupertate et humilitate nobilior. Epist. 16, *ad Principiam.*

65. Gloriosior ille sub vero Imperatore Christo, non qui nobilior, sed qui fortior est. Lib. 1, *advers. Jovian.*

66. Nobilitatis tuæ ad hoc tantum memineris, ut cum claritate generis morum sanctitate contendas : et cum nobilitate corporis, animi virtute nobilior proficias. Epist. 1, *ad Demetriad.*

67. Ille clarus, ille sublimis, ille sit nobilis, ille tunc integram nobilitatem sua servare se putet, si dedignetur servire vitiis, ab eisque non superari : a quo enim quis superatur, hujus et servus est. *Ibid.*

68. Non est quod sibi aliquis de nobilitate generis blandiatur, si ex meliori parte vitiorum sit famulus : multo est indignius mente servire, quam corpore. *Ibid.*

69. Quid tibi in generis nobilitate blandiris et complaces? duos homines ab exordio fecit Deus, ex quibus totius humani generis silva descendit. *Prosec.*

70. Mundanam nobilitatem non naturæ æquitas præstat, sed cupiditatis ambitio. Epist. 14, *ad Mauritii filiam.*

71. Nullus ibi ignobilitatis locus, nec degener quisquam est, quem divinæ nativitatis ornat nobilitas, nisi apud illos qui non putant humanis cœlestia præponenda : aut si putant, quam vanum est, ut se illis in minoribus præferant, quos sibi in majoribus pares esse sentiunt. *Ibid.*

72. Dignitas originis, in operum consistit exemplis ; et prosapiæ gloria, fidei imitatione retinetur. Super *Matth.*, can. 2. S.HILARII

73. Nobilitas generis non salvat hominem, sed quandoque pœnam ejus aggravat. Super *Psalm.* XXIX. HUGO CAR

74. Nobilitas sola est animi, quæ moribus ornat. In *Prologo.*

75. Quæ utilitas est ex claris et probis parentibus originem ducere, bonæ autem vitæ et moribus esse expertem? *Prosec.* S. JOANN CHRYSOS

76. Magna tibi erit gloria, si parentes et pro-

genitores tui fuerint ignobiles et obscuri, ipse autem virtutibus floreas. Hom. 23, super *Gen.*

77. Quid infidelius gloria? sæpe qui clarus erat et nobilis, repente contemptibilis fit et ignobilis : et e diverso sæpe obscuri subito clarescunt. Hom. *de Habenda cura salutis proximi.*

78. Et si millies clarus habearis, atque nobilis, nihil hinc tamen inglorio aliquo melior existis : imo ad hoc ipsum multo inhonoratior, multoque despectior. Hom. 4, super *Matth. Oper. perf.*

79. Nihil confert ad eminentiam liberis paterna nobilitas : depravatio enim voluntatis, vicit privilegia naturæ, quæ peccantem non modo nobilitate patris, verum etiam ipsa libertate expellunt. *Ibid.*, hom. 9.

80. Una sola et vera et communis nobilitas cum Christo est, ut voluntatem Dei facias : hic nobilitatis modus multo melior aliis nobilitatibus atque uberior. *Ibid.*, hom. 45.

81. Nihil de parentum nobilitate quidquam nobis arrogemus, nisi probam eorum vitam sequamur. *Ibid.*

82. Si nobilitatem tuam ostentare placet, libertatem animi ostende. *Ibid.*, hom. 59.

83. Quid prodest ei quem sordidant mores generatio clara? aut quid nocet ei generatio vilis, quem mores adornant? *Prosec.*

84. Ipse se vacuum ab omnibus bonis actibus ostendit, qui gloriatur in patribus. Hom. 3, super *Matth. Oper. imperf.*

85. Aurum de terra nascitur, sed non est terra : aurum quidem eligitur, terra autem contemnitur ; sic nobilitas. *Ibid.*

86. Melius est de contemptibili genere clarum fieri, quam de claro genere contemptibilem nasci. *Prosec.*

87. Qui de claro genere clarus nascitur, gloria claritudinis ejus, non est ejus solius, sed communis videtur cum genere : qui autem de contemptibili genere clarus egreditur, tota gloria claritudinis ejus, solius ejus est.

88. Qui de contemptibili genere, contemptibilis nascitur, turpitudo contemptibilitatis illius, non ejus solius est, sed etiam generis ejus : qui autem de claro genere contemptibilis nascitur, omnis turpitudo illius, solius ejus est.

89. Melius est ut in te glorientur parentes, qui talem filium habent, quam tu glorieris in parentibus. *Ibid.*

90. Tu qui magna de nobilitate majorum te jactas, ultra proavos atque atavos tuos si progrediaris, invenies multos e genere tuo agasones forsan aut caupones fuisse : ad alteros e contrario : progrediaris tu aliquantulum ultra parentes, et invenies multo te clariores fuisse. *Ibid.*

91. Nihil aliud certe est nobilitatis genus, quam verbi sonitus ab omni re destitutus, quod in extremo illo die probe scietis. Homil. 59, super *Matth. Oper. perfect.*

92. Generatio clara non liberat, quem vita maculata ligat. In cap. 2, *Regul. S. Bened.*, verbo *Caput.* JOAN. TRIT.

93. Qui vitiis dominatur, ille nobilis est. *Ibid.*

94. Ille clarus, ille sublimis, ille nobilis, ille tunc integram nobilitatem suam ostendit, si dedignetur servire vitiis, et ab eis non superari, *Ibid.*

95. Quid prodest ei, quem majores sordidant, generatio clara? aut quid nocet illi generatio vilis, quem mores adornant! *Ibid.*

96. Vera nobilitas a probis moribus conflari nata est, ac firma et stabilis dignitas virtute comparatur. Lib. 2, epist. 291, *ad Seren.* S. ISID. PELUS.

97. Quæ potest firma esse nobilitas, quæ opes, quæ potentia, cum possit Deus reges quoque ipsos inferiores infimis facere? Lib. 5, *de Divin. inst.*, cap. 16. LACT. FIRM.

98. Nobilitate generosus es, parentes tuos laudas : omnes tamen pari sorte nascimur, sola virtute distinguimur. In suo *Octavio.* MINUTIUS FELIX.

99. Quid jactitas genus tuum? quem teipsum facis? vaga et incerta est hominum generatio : et quandoque putatur filius principis, qui filius est culinarii histrionis. Epist. 3, *ad Quemdam nobilem.* PET. BLES.

100. Quanto est celebrior titulus tuæ nobilitatis, tanto gloriosius tibi cedit ad cumulum laudis : si alios in Christi ministerio superas sanctitate, quos generositate transcendis. Epist. 15, *ad Episc. Carnotens.*

101. Veram et commendabilem reputo nobilitatem, cum generis claritate virtutem. *Ibid.*, epist. 49, *ad Decan. Carnotens.*

102. Nobilium Sanctorum esto semper æmulator, nec te ad agendum aliquid generositas carnis, sed potius linea provocet, sanctitatis. *Prosec.* S. PETRUS DAMIAN.

103. Frivolum est, proavorum jactare titulos, sed gloriosum est, Sanctorum præcedentium æquiparare triumphos.

104. Non tam delecteris sublimitate natalium, quam spiritualium decore virtutum. Lib. 7, epist. 14, *ad Beatric. ducis.*

105. In humano genere ille nobilis dicitur, qui claris majorum titulis insignitur. Serm 46, *de Nativit. B. M. V.*

106. Quoniam nobilitas expiatæ purgatæque mentis sors est præcipua, nobiles dicendi sunt soli prudentes et justi, etiamsi e vernis aut emptitiis nati sint. *Prosec.* PHILO JUD.

107. Malis vero prognatis ex honestis majoribus, nullus locus esto inter nobiles. *De Nobilit.*

108. Si Deus nobilitati formam vocemque daret humanam, sic allocutura esset : Gentilitas non sanguine solo æstimatur apud veritatem judicem, sed factis studiisque similibus. *Ibid.*

109. Satis liquet nobilitatem virtuti potius tribuendam, quam illustri generi. *Ibid.*

110. Quid prodest nobilitas generis, ignobilem præse ferenti animum? *Ibid.*

111. Liquet nobilitatem nihil prodesse indignis hac prærogativa generis. *Ibid.*

112. Generis nobilitas, etiam deterrimis obvenit. Lib. *de Abrahamo.*

113. Genus deductum ab illustribus majoribus, ignominiosis factis dehonestare, probrum est turpissimum. Lib. *de Joseph.*

PRUDENTIUS POETA. 114. . . . . Absit ut me nobilem
Sanguis parentum præstet, aut lex curiæ :
Generosa Christi secta nobilitat viros.
In *Peristephano, de Hymno S. Romani Martyr.*, vers. 123.

SALVIANUS. 115. Non aliud videtur nobilitas in omni mundo, quam unus homo in grandi populo. Lib. 3, *de Gubern. Dei.*

116. Tanta est miseria hujus temporis, ut nullus habeatur magis nobilis, quam qui est plurimum dives. *Ibid.*

117. Quicunque ex nobilibus, qui mala horrent, irasci talibus debent, qui facinoribus sordissimis nobilitatis nomen infamant. *Ibid.*, lib. 4.

S. THEODOR. 118. Virtus est longe illustrior nobilitate majorum. Super 2 *Reg.*, quæst. 84.

THOMAS A KEMPIS. 119. Nobilis est et ingenuus, quem nobilitat sua virtus. In *Hortulo rosar.*, cap. 9, sect. 3.

120. Inter nobiles, nil virtute nobilius : inter ignobiles, nil vitio deterius. In *Enchirid. monachor.*, cap. 5.

S. VINCENT FERRER. 121. Qui appretiant se de nobilitate, et non tenent vitam nobilem et nobilium, non debent dici nobiles, quia degenerant. *Prosec.*

122. Nobilis est ille, qui vivit nobiliter. Serm. 1, *Fer.* 5, *post Invocavit.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 123. Nobile, id est quod ex bono prodiit genere. Lib. 1, *de Histor. animal.*, cap. 1.

124. Nobilitas apud omnes in honore habetur; est enim generis virtus nobilitas. Lib. 3 *Polit.*, cap. 8.

125. Videntur nobiles esse illi, quorum majores virtute præditi fuere. *Ibid.*, lib. 5, cap. 1.

126. Nobilitatem et virtutem in verbis quidem omnes fere usurpant : at enim qui revera nobiles ac boni virtuosique sint, nusquam centum reperiuntur, divites autem multis in locis. *Ibid.*

127. Nobilitatis mores sunt, ut ambitiosior sit, qui nobilior est. Lib. 2, *Rhetor.*, cap. 15.

128. Nobilitas quædam majorum claritas est. *Ibid.*

129. Nobile secundum virtutem generis est. *Ibid.*

130. Omnes boni semper nobilitati favemus, quia reipublicæ utile est nobiles esse homines dignos majoribus suis. Orat. 2, *pro Sextio Roscio.* CICERO.

131. Plus tibi virtutem quam nobilitatem prodesse oportet. *De petit. Consulat.* num. 5.

132. Humilitate nominis nihil est clarius : quemcunque volueris revolve nobilem, ad humilitatem pervenies : nihil est humili casa nobilius. Lib. 1, *Controvers.* 6. SENECA.

133. Eadem omnibus est origo; nemo altero nobilior, nisi cui rectius ingenium, et artibus bonis aptius. Lib. 3, *de Genes.*, cap. 28.

134. Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus, sed animus facit nobilem. Epist. 44.

135. Nobilitas animi, est generositas sensus : nobilitas corporis, generosus animus. *De Moribus.*

136. Pulchrius multo parari, quam creari nobilem. In *Dictis Sapient. ex Ausonio*, dict. 5. SOLON. PI

Vide etiam tit. *Electio*, sent. 5; *Hæreditas*, sent. 67; *Ingenium*, sent. 31; *Laqueus*, sent. 8; *Liberalitas*, sent. 13; *Necessitas.* sent. 21; *Religiosus*, sent. 107.

NOCUMENTUM.

Definitio. Nocumentum est quidam eventus consequens actum peccati. 1, 2, quæst. 73, art. 8. S. THOMA AQUINAS

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Nocere etiam iis, qui non læserint, plerique sibi existimant gloriosum. Super *Psalm.* XXXV. S. AMBRO

2. Mors nemini nocet, utinam vita non noceat : contagium enim colluvionis, consortium iniquitatis est. Super *Psalm.* CXVIII, serm 21, vers. 3.

3. Nesciens sibi vult male, dum non putat sibi obesse quod vult : sed tamen male sibi vult, quando id vult quod obsit sibi. Lib. 14, *de Trinit.*, cap. 14. S. AUGUS

4. Nemo vult sibi a quoquam noceri, nec ipse igitur cuiquam nocuerit. Lib. 3 *de Doctrina christ.*, cap. 14.

5. Sæpe nihil nocet ei iniquitas, qui patitur injuriam : ei autem qui facit, necesse est ut noceat. Serm. *Dom. in monte*, lib. 2.

6. Unusquisque malus apud se habet voluntatem nocendi : ut autem possit nocere, non habet in potestate. Super *Psalm.* XXIX, enarrat. 2.

7. Qui timore pœnæ innocens est, non est innocens, quamvis non noceat, cum vult nocere : non enim nocet alteri per effectum malum, sed sibi plurimum per cupiditatem malam. *Prosec.*

8. Multum errant homines, qui putant injusti-

iam suam aliis nocere, et sibi non nocere. Super *Psalm.* XCIII.

9. Sibi prius nocet, qui vult aliis nocere. Super *Psalm.* C, vers. 3.

10. Quia aliquis tibi nocuit, vis et tu nocere, et ut tu vincas amplius magis quam ille nocuit, quomodo vincis malum in malo? Serm 73, *ad fratr. in eremo.*

11. Nullus Dei naturæ nocere quisquam potest, nec natura Dei injuste nocere cuiquam potest, nec nocere impune patitur quemquam : qui enim nocet, recipiet hoc quod nocuit. Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 11, quæst. 3, can. *Secundum.*

12. Quod naturæ non nocet, nec vitium est. Lib. 3, *de Lib. arb.*, cap. 13.

13. Malum est quod nocet. *De Morib. Manich.*, cap. 3.

14. Quidquid nocet, bono aliquo privat eam rem cui nocet : nam si nullum bonum adimit, nihil prorsus nocet. *Ibid.*

15. Cum timetur quæ ad exiguum tempus nocent, si tamen nocent, committuntur ea quæ vere in æternum nocent. Epist. 70.

16. Unusquisque sibi, et omnes invicem sibi nocent. *De Agone christ.* 1, cap. 7.

17. Malibonis nihil nocent, quia hoc eis auferunt, quod non diligunt. *Ibid.*

18. Non nocere tibi potest, qui peccat. *Annot. in Job.*, cap. 7.

19. Quomodo justitia tua nihil Deo prodest, sic injustitia nihil nocet. *Ibid.*, cap. 35.

20. Non quiescit in malis voluntas nocendi, etiam cum potestas non datur. *Ibid.*, cap. 38.

21. Naturæ Dei noceri non potest, nec alicui naturæ sub Deo noceri injuste potest : quia et cum peccando injuste aliqui nocent, etsi voluntas injuste eis imputatur, potestas tamen qua nocere permittuntur, non est nisi a Deo ? qui et ipsis nescientibus novit quid illi pati debeant, quibus eos nocere permittit. *De Natura boni.*, cap. 11.

22. Nec naturæ Dei nocere potest quisquam, nec natura Dei nocere injuste cuiquam, vel nocere impune patitur quemquam. *Ibid.*, cap. 40.

23. Deo nocere nihil potest. Lib. 2, *de Actis cum Felice*, cap. 9.

24. Debet palam redargui, quod in occulto nocet. *De Unico baptismo*, cap. 1.

[...]L. 25. Inimici proprium est nocere ac insidiari. *Quæst.* 176, quæst. compend. explicat.

[...]A. 26. Quid stulti proprium? non posse et velle nocere. In suis *Prov.*, verbo *Quid.*

27. Ingratus unus multis miseris nocet. *Ibid.*, verbo *Ingratus.*

[...]RD. 28. Magna gloria est, si cui nocere potuisti, parcas. *de Inter. domo*, cap. 43.

BOETIUS. 29. Quæ pestis efficacior ad nocendum, quam familiaris inimicus. Lib. 3, *de Consolat. philos.*, prosa 4.

S. BONAV. 30. Nihil est quod nocere possit homini patienti : quia ad modum incudis, quanto fortius malleis intunditur, tanto amplius insolidatur. Serm. 2, *de SS. Philippo et Jacobo.*

CASSIODOR. 31. Iste nocentium mos est, ut primum sibi noceant, qui alterum gravare festinant. Super *Psalm.* LXIII, vers. 3.

S. CYPRIANUS. 32. Esse jam inter nocentes innoxium, crimen est. Epist. 2, *ad Donat.*, cap. 7.

FRANCISCUS TITELM. 33. Impii quo facilius noceant, sermones suos lenes, blandos atque molles faciunt, amplius quam ullum oleum valeat esse molle aut blandum. In *Elucid.*, super *Psalm.* LIV, vers. 24.

S. GREGOR. MAGNUS. 34. Qui cuncta simul in effectu non explet, cuncta quæ noceant in mente tacitus tenet. Lib. 15 *Moral.*, cap. 16.

35. Cum sit gravius justos, quam injuste injustos affligere : multo tamen est gravius et justis pariter et injustis nocere. *Ibid.*, cap. 19.

S. HIERON. 36. Maximam partem æquitatis implevit, qui nulli nocuit. Epist. 14, *ad Celantian.*

37. Malitia, odium, atque invidia, maxima et sola semina sunt nocendi. *Ibid.*

38. Christiana anima non opere modo, sed etiam voto nocere alicui formidat. *Ibid.*

39. Quantum ad peccati rationem pertinet ; nocuit, qui nocere disposuit. *Ibid.*

40. Voto quo quis alteri vult nocere, seipsum cruciat. Epist. 1, *ad Demetr.*

HUGO CARD. 41. Qui aperte nocere non audent, dolo et fraude nocere cogitant. Super *Prov.*, cap. XII.

42. Nemo prius nocet alii, quam sibiipsi. *Ibid.*, cap. XXIX.

S. JOANNES CHRYSOST. 43. Ea quæ fiunt in mundo, non possunt nocere eis, qui sunt extra mundum ; nec mendacia lædunt eum, non in quo habitat Spiritus Sanctus : sed mundus mundialibus nocet, et mendaces seducunt mendacia. Homil. 48, super *Matth. Oper. imperf.*

44. Præstat hostis, dum nocet : beneficium tribuit, cum occidit. Homil. 3, *ex Divers. in Matth.*

45. Nemo nocere prudenti viro potest. Homil. *Quod nemo læditur.*

LACT. FIRM. 46. Pro belluis immanibus sunt habendi, qui hominibus nocent. Lib. 6, *de Divin. inst.*, cap. 10.

47. Eum virum bonum esse censeo, qui prosit quibus possit, noceat nemini. *Ibid.*, cap. 18.

48. Vide ut ne facias ulli, quod pati nolis : sed alterius animam de tuo metieris. Si acerbum est injuriam ferre, et qui eam fecerit videtur injustus : transfer in alterius personam quod in te sentis, et in tuam quod de altero judicas : et intelliges tam

te injuste facere, si alteri noceas, quam alterum si tibi. In *Epitome*, cap. *Duas*.

49. Ipse nocens est, qui aut innocenti nocet, aut nocenti parcit, ut pluribus noceat. *De Ira Dei*, cap. 17.

S. LEO I. 50. Malitia nocendi avidus dum irruit, ruit : dum capit, capitur. Serm. 9, *de Passione*.

51. Magnum bonum est, nocere non nosse, et ad maligna non sapere. Serm. 7, *Epiphan.*

S. LUCIUS PAP. MART. 52. Sapiens non est, omnis qui nocet. In *Decretis Gratiani*, part. 2, causa 6, quæst. 1, can. *Sapiens*.

S. THOMAS AQUINAS. 53. Voluntas nocendi, est homini a seipso : sed potestas nocendi, est a Deo permittente. Super II *Tim.*, cap. III, lect. 2.

54. Pejus est quod nocet meliori, quam quod nocet pejori. 1, 2, quæst 39, art. 4.

55. Tanto majus est nocumentum, quanto majus bonum demitur. 2, 2, quæst. 73, art. 3.

N VIT. PAT. 56. Æqualis est causa Monacho, si contra eum, qui vi nocuit, causare velit, ac si contra diabolum. In *Sent. in fine positis*, sent. 85.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTELES. 57. Qui nocet cum electione, injustus est atque pravus. Lib. 5, *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 8.

BIAS PHIL. 58. Quod prudentis opus? cum possit, nolle nocere : quod stulti proprium? non posse, et velle nocere. Ex *Dictis Sapient. ex Ausonio*, dist. 6.

EPICTETUS. 59. Nulla ratio ut is, qui noceri sibi putat, eo lætetur quod nocere videatur. In suo *Enchirid.*, cap. 38.

PLATO. 60. Nefarius sermo ille videretur : justum est injustis hominibus nocere. Sizygia 4, lib. 1, *de Republ.*

SENECA. 61. Pestifera vis est, valere ad nocendum. Lib. 1, *de Clem. ad Neron.*, cap. 3.

62. Tanto hominum moderatior esse animus debet, quanto vehementius nocet. *Ibid.*, cap. 16.

63. Nihil divinitati nocetur. *De Constant. Sapient*, cap. 4.

64. Quidquid facis, contra te facis, et motu ipso noces tibi. Epist. 28.

65. Tam imbecillum est quod nocet, quam cui nocetur. Epist. 75.

66. Quam tutum est ei non nocere, cui debeas prodesse. Epist. 95.

67. Miserius est nocere, quam lædi. Epist. 65.

68. Proprium est nocentium trepidare. Epist. 97.

69. Malus malo nocet. Epist. 109.

70. His, qui per speciem simplicitatis ad nocendum aliquibus subrepunt, sis oppositissimus. *De Quatuor virt.*

71. Justus ut sis, non solum non nocebis, sed etiam nocentes prohibebis : nam nil nocere non est justitia, sed abstinentia alieni est. *Ibid.*

72. Utinam ea lex homini esset, ut cum telo suo frangeretur : nec sæpius liceret nocere, quam semel. In suis *Proverb.*

73. Optimam purificationem putato, nocere nemini. *Sent.* 20. SIXTUS PHILOSO

74. Nocere Deo, nemo potest. *Ibid.*, sent. 76.

75. Sapiens non est, qui nocet. *Ibid.*, sent. 292.

76. Quod animæ non nocet, nec homini. *Ibid.*, sent. 307.

NOMEN.

Etymologia. Nomen dictum est, quod notam rem faciat. Super *Psalm.* LXXI, vers. 17. CASSIOD

Nomen dicitur, quasi notamen, quod nobis vocabulo suo res notas efficiat : nisi enim nomen sciretis, cognitio rerum perit. Lib. I *Etymol.*, cap. 7. S. ISIDO HISPALE

Definitio. Nomen est impositio ad cognoscendum rem, quia significatum nominis est diffinitivum et ratio rei. Super *Epist. ad Ephes.*, cap. I, lect. 7. S. THO AQUIN

Nomen est imitatio, quæ voce fit ministerio illius nimirum rei, quam qui imitari instituit, voce imitatur. Sizygia 3, in *Dialogo Cratyli.* PLAT

Divisio. Nomen alicujus rei dupliciter potest accipi, videlicet secundum quod est expressivum vel secundum quod est significativum. Super *Epist. ad Ephes.*, cap. III, lect. 4 S. THO AQUI

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Si nomen habes et factum non habes, quid tibi prodest nomen, ubi res non invenitur. Tract. 5, super I *Epist. Joan.*, cap. III. S. AU

2. Nomen ad sonum, sonus ad aures, significatio ad mentem pertinet. *De Quant. animæ*, cap. 32.

3. Omnia nomina verba sunt, non autem omnia verba nomina sunt. *De Magistro*, cap. 4.

4. Cujus me nomen ignorare voluisti, profecto de illo me judicare noluisti. Epist. 86.

5. Aliquando res quæ significat, nomen ejus rei quam significat, accipit. Epist. 102.

6. Nihil est contentiosius, quam ubi de re constat, certare de nomine. Epist. 174.

7. Enuntiari aliter non potest res, quæ nomen accepit, nisi aliquo nomine. *De Genesi imperf.*, cap. 6.

8. Omne vocabulum ad distinctionem valet, unde etiam nomen quod rem notet, appellatum quasi notamen. *Ibid.*

9. Non prodest nomen, ubi res non est. Tract. 4, super *Epist. Joan.*

10. Nomen cum honore serva, moribus imple. In suis *Proverb.*, verbo *Si ames*. V.

11. Nihil nomini quidquam augere gloriæ potest sublimitas dignitatis, auget autem plurimum S. BE

humilitas paupertatis. Epist. 24, *ad Magistrum Gilbertum episc. Londin.*

12. Fuge rem, et tene nomen . *De Gradib. humilit.* grad. 4.

TIUS.

13. Plures magnum sæpe nomen falsis vulgi opinionibus abstulerunt, quo quid turpius excogitari potest. Lib. 3, *de Consolat. philos.*, prosa 6.

14. Nonnulli venerandum nomen gloriosæ mortis pretio emerunt. *Ibid.*, lib. 4, prosa 6.

YSIUS
THUS.

15. Non videtur congruum, ut nomen sonet timoris, ubi de materia agitur amoris. *De Perfect. charit.*, art. 49.

SEBIUS
ARIUS.

16. Nomen instabilis fortunæ est nobilitas. Epist. *ad Damas. pap. de morte D. Hieron.*

S. INT.

17. Novit nomen Dei, qui colit Deum. Super *Psalm.* IX.

EGOR.
GNUS.

18. Nominis venerandi repetitio, precandi adauget affectum. *Super Septem Psalm. Pœnit,* super *Psalm.* VI, vers. 1.

19. Movetur desiderium, si nomen quod diligitur replicatur. *Ibid.*

20. Sacerdotes plerumque vanitatis sibi nomina expetunt, et novis ac profanis vocabulis gloriantur. Lib. 4, in *Registro*, indict. 13, cap. 76, epist. 32, *ad Mauritium august.*

21. Exhibeamus in opere, quod signamur in nomine. *Ibid.*, cap. 59, epist. 15, *ad Joan. episc.*

YMO.

22. Aliquoties contingere solet, ut nonnulli a qualitate mentis, quam habent interius, nomina sortiantur exterius. Serm. *Dom.* 22, *post Pentecost.*

ERON.

23. Feminæ nomen tuum noverint, sed vultum tuum nesciant. Epist. 4, *ad Rustic.*

24. Unusquisque pro moribus suis sortitur vocabulum. Lib. 1, super *Ezech.*, cap. II, super illud : *et cum scorpionibus habitas.*

25. Nomen bonum est, non quod a turbis vulgi imperiti : sed quod a fidelium, quamvis paucorum testimonio laudatur. Lib. 2, super *Prov.*, cap. XXII.

26. Nomen Domini sanctum est sanctis, terribile peccatoribus. Super *Psalm.* CX, vers. penult. *Sanctum et terribile nomen ejus.*

27. Cum Dominus noster in Evangelio præcipiat nullum patrem vocandum, nisi Deum : nescio qua licentia in monasteriis vel vocemus hoc nomine alios, vel vocari nos acquiescamus. Lib. 2, super *Epist. ad Galat.*, cap. IV, super illud : *Quoniam estis filii Dei.*

CARD.

28. Nomen justorum, quod modo mortuum est, in futuro reviviscet. Super *Prov.*, cap. X.

29. Nomen bonum habet, qui fidelium testimonio laudatur, licet paucorum, non vulgi imperiti. *Ibid.*, cap. XXII.

30. In conversione mutatur nomen, ut nominis mutatio vitæ mutationem ostendat. Super *Marc.*, cap. III.

S. JOANNES CHRYSOST.

31. Impositio nominum symbolum est dominii. Homil. 14, super *Gen.*

32. Nihil prodest alicui nomen, virtute vacuum. *Ibid.*, homil. 21.

33. Non est mediocris virtutis, hostem honoris et obsequii vocabulis appellare. *Prosec.*

34. Ne unquam inimicum famosis nominibus, sed honorificis potius appelles. Homil. 1, *de David et Saule.*

35. Unde tibi filii nomen imponis ? quem nec actus, nec natura commendat, quem nec fides, nec genus probat, quem nec mores, nec prosapia indicat ? Serm. *de Zacchæo.*

36. Frustra nomen usurpas, si nomini per contemptum repugnas. *Prosec.*

37. Aut factis quod vocaris ostende, aut observantibus nominis vocabulum cede.

38. Prævaricationis crimen incurris, si aliud feceris quam vocaris. Homil. 2, in *Dictum Joan.* 15 : *Vos amici mei estis.*

39. Ubicunque fuerit nomen Domini, ibi omnia sunt prospera. Homil. 9, super *Epist. ad Colos.*

40. Quod vocantur, debellant : quod profitentur, impugnant. Homil. 11, ex variis in *Matth.*

S. JOAN. DAM.

41. Ex omnibus nominibus, quæ Deo tribuuntur, nullum æque proprium videtur, sicut entis nomen. Lib. 1, *de Fide orthod.*, cap. 14.

JOAN. TRIT.

42. Non refert quo nomine appelletur in terris, qui cum sanctis regnat in cœlis. Lib. 2, *de Vir. illustr. ord. S. Bened.*, cap. 21.

43. Utilis materia etiam absque auctoris nomine valet. *Ibid.*, cap. 144.

44. Si humile nomen offendit, non lædit nisi superbum. Orat. 2, *in Conventu abbat. habita.*

S. ISID. PEL.

45. Beatus es, ac mirificis laudibus dignus, qui hoc es, quod vocaris. Lib. 3, epist. 114, *ad Lampetium.*

S. JUSTIN. MART.

46. Nominis appellatio nec in bonis, nec in malis ducitur sine factis, quæ in nomen conveniunt. In *Apolog.* 2.

47. Ex nomine nec laus nec supplicium jure comparatur, nisi aliquam virtutem aut vitium facta declarare possint. *Ibid.*

LACT. FIRM.

48. Impudentia est bonis malorum nomen imponere, sapientibus stultorum, justis impiorum. Lib. 5, *de Divin. inst.*, cap. 20.

S. LAURENT. JUSTIN.

49. Parum prodest solo nominis decorari vocabulo. *De Ligno vitæ*, tract. 2, *de Prudent.*, cap. 3.

50. O quam rari sunt, qui spirituales re, et nomine censendi sunt : vocabulum hoc denuntiatione sortiuntur multi, effectum vero ipsius pauci. *De Obedient.*, cap. 16.

MINUTIUS FELIX. 51. Nomen Dei non quæras, Deus nomen est illi. *Prosec.*

52. Illic vocabulis opus est, cum per singulos propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est.

53. Deo, qui solus est, Dei vocabulum totum est : aufer additamenta nominum, et perspicies ejus claritatem. In suo *Octavio.*

PHILO JUD. 54. Nominum impositiones manifestissime res ipsas indicant, ut res necessario in nomen abeat sine ulla differentia. Lib. *de Cherubin.*

55. Adam omnibus reliquis imposuit nomina, sibi nullum imposuit, quia naturam propriam ignoravit. Lib. 1 *Legis allegor.*

56. Deus non habet opus nomine; attamen humano generi suum nomen largitus est, ut habentes refugium ad preces et supplicationes, a spe bona non excluderentur. Lib. *de Abrahamo.*

SALVIANUS. 57. Nihil sunt vocabula sine rebus. Lib. 3 *de Gubern. Dei.*

58. Quam innumerabiles populi, cessantibus meritis, etiam nomina perdiderunt! *Ibid.*

59. Multo plus est fidem habere, quam nomen : quia nomen est vocabulum hominis, fides autem fructus est mentis. *Ibid.*

60. Atrocius sub sancti nominis professione peccamus. *Ibid.*

61. Sacro-sanctum Domini Dei nomen sacrilegorum hominum maledictione violatur. *Ibid.*

62. Magis damnabilis est malitia, quam titulus bonitatis accusat : et reatus impii, est pium nomen. *Ibid.*

63. Parum sunt rerum vocabula, ipsas res non habentia, et nihil virtutum verba sine viribus. *Ibid.*, epist. *ad Salonium episc.*

S. SYNESIUS EPISC. 64. Nullum usquam nomen inventum est, quod Dei naturam assequeretur. *De Regno, ad Arcadium imperat.*

TERTULL. 65. Fides nominum, salus est proprietatum. *De Carne Christi*, cap. 13.

S. THOMAS AQUINAS. 66. Nomen imponitur ad significandum rem aliquam; et tanto nomen est altius, quanto res significata per illud est altior. Super *Epist. ad Philip.*, cap. 2, lect. 3.

67. Nomen aliquo tanto aptius est ad divinarum personarum originem designandam; quanto minus modum processionis exprimit. Super 1 *Sent.*, dist. 29, art. 1.

THOMAS KEMPIS. 68. Religionis nomen magnam laudam habet inter seculares, sed apud Deum sine contemptu seculi, parvi ponderis est. *Prosec.*

69. Quid enim valet altum nomen sine opere virtutis? quid prodest altus status sine humilitate et charitate? Serm. 14 *ad Novit.*, divis. 9.

70. Quid sanctitatis confert magni nominis dilatatio, quando parum, vel nihil virtutis residet in conscientia? Serm. 17 *ad Novit.*, divis. 4.

71. Bona vita, bonum nomen facit; et qui male se regit, bonum nomen perdit : nomen novum iterum acquirit, qui malos mores relinquit. In *Enchirid. monachor.*, cap. 6, sect. 2.

SENTENTIÆ PAGANORUM

SIXTUS PHILOSOPH. 72. Mortui sunt apud Deum, per quos nomen Dei maledicitur. *Sent.* 165.

Vide etiam tit. *Christianus*, sent. 150, 151, 153, 157, 158, 159; *Deus*, sent. 214, 215; *Episcopus*, sent. 96; *Mulier*, sent. 113.

NOVITAS MORUM.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGU[STINUS]. 1. Qui proficiendo renovatur, transfert amorem a temporalibus ad æterna, a visibilibus ad intelligibilia, a carnalibus ad spiritalia. Lib. 14 *de Trin.*, cap. 17.

2. Nisi auxilio Christi, non poteris renovari. Super *Psalm.* LXVI.

3. Indicitur tibi quædam nova vita, et tu vetus es : novitatis gaudio suspenderis, vetustatis onere prægravaris. Super *Psalm.* LXXV, vers. 2.

4. Remansit in vetustate, qui noluit amare novitatem. Super *Psalm.* XXXI, enar. 2, vers. 3.

5. Sic amemus novitatem, ut non timeamus vetustatem. Super *Psalm.* XXXVIII, vers. 7.

6. Omnis qui jam voluntatis suæ factus est arbiter, nisi eum pœniteat vitæ veteris, novam non potest inchoare. *De Pœnit. medic.*, cap. 2.

7. Cum Christianus cœperit bene vivere, fervere bonis operibus, mundumque contemnere; in ipsa novitate operum suorum patitur reprehensores et contradictores, frigidos christianos. *De verbis Dom.*, serm. 18.

8. Judicet se homo voluntate dum potest, et mores convertat in melius, ne cum jam non poterit, etiam præter voluntatem à Domino judicetur. Homil. 50, *ex.* LIII *Homil.*

9. Carnalitas vetustas est, gratia novitas : quantocunque homo in melius fuerit innovatus, tanto amplius capit quod verum sapit. Serm. 2, *fer.* 2, *Pent.*

10. Mutatio consuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat. Epist. 118, cap. 5.

11. Non omnis novitas profana est, sed profanæ sunt verborum novitates. Tract. 97, super *Joan.*

12. Percipitur in baptismate christiano perfecta novitas. Lib. 6, *contra Julian.* cap. 18.

13. Vetus homo suggerit vetustatem, tu in novo cognosce novitatem. Tract. 22, super *Joan.*

14. Nemo eligit novam vitam, nisi quem veteris pœnitet. Homil. 27, *ex.* LIII *Hom.*, cap. 1.

V. BEDA 15. Tunc nosmetipsos abnegamus, cum vitamus

quod per vetustatem facimus, et ad hoc nitimur quo per novitatem vocamur. Lib. 3, super *Luc.*, cap. 9, in illud : *Abneget semetipsum.*

.BERNARD. 16. Sic adsit de novitate jucunditas, ut de vetustate non desit auctoritas. Serm. *ad Milites templi*, cap. 11.

17. Renovetur cor a carnalibus et secularibus desideriis, ut exclusis illis introducatur amor Dei. Serm. 30, *de Parvis Sermon.*

18. Novitas conversionis, non est novella vanitas. *De Vita solit.*

. BONAV. 19. Non potest vita Dei crescere in homine, nisi vita humana vetus decrescat. Collat. 19 super *Joan.*, cap. 3.

.CÆSARIUS RELATENS. 20. Festinemus emendatam vitam Domino, antequam auferat, offerre. Homil. 17.

ASSIODOR. 21. Est nobis tunc magna lætitia, quando antiqui hominis vetustate deposita, in novæ regenerationis gaudia commutamur. Super *Psalm.* LXIV, vers. 11.

22. Toties nos Dominus creat, quoties de vetustate peccati in novum hominem instaurare dignatur. Super *Psalm.* CIII, vers. 31 : *Et creabuntur.*

EUSEBIUS EMISSEN. 23. Jucundiores sunt illi dies, quibus renascimur, vel reparamur, quam illi quibus nascimur. Homil. 6 *de Pascha.*

LOSS. INT. 24. Novæ vitæ mysteria non sunt committenda mentibus nondum innovatis. Super *Matth.* cap. 9.

JOANNES HRYSOST. 25. Suspecta est vetustati novitas. Serm. 6, *Fer.* 6, *Passionis.*

26. Quando quis nova affert, res difficilior fit; quando maxime inveteratæ consuetudinis amovet fundamenta, et novitas introducitur. Homil. 8, super 11 *Cor.*

27. Corrumpitur externus homo dum flagellatur, renovatur autem fide, spe, charitate, ut se opponere audeat malis. *Ibid.* homil. 9, in illud : *Licet externus homo corrumpatur.*

28. Renovari est, quando quod inveteravit, aliud ex alio factum renovatur. Serm. 13, super *Epist. ad Ephes.*

ISID. PEL. 29. Non est grave ac sceleratum aliquid innovare, cum utilitas novitati adjuncta est. Lib. 2, epist. 46, *ad Athanas. presbyt.*

THOMAS QUINAS. 30. Novus homo est animus interius renovatus. Super *Epist. ad Coloss.*, cap. 8, lect. 2.

NOVITAS MUNDANA.

LECTOR. *Etymologia.* Novitas dicitur, quasi nova vanitas.

SENTENTIÆ PATRUM.

AUGUST. 1. Novitatis appetitio in magnas quemque deducit angustias. *De Morib. Manich.*, cap. 10.

2. Mutatio consuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat. Epist. 118, cap. 5.

ERNARD. 3. Novitas mater est temeritatis, soror superstitionis, filia levitatis. Epist. 174 *ad Canonic. Lugdun.*

4. Oculus et auris volunt nova percipere, sed nihil in novitate manet. Super *Ecclesiasten*, cap. 1. S. BONAV.

5. Pudeat religiosos rumigerulos esse, aut verborum secularium delatores. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 20.

6. Ubi impietatis occasio patet, novitas admittitur : ubi autem religionis maxima et sola cautela est, excluditur. Lib. *contra Constantium hæretic.* S. HILARIUS.

7. Novitatis affectatores, nihil aliud demonstrant quam meram stultitiam, et arrogantiæ ostentationem. Serm. 3, super *Epist. ad Rom.* S. JOANNES CHRYSOST.

8. Qui novitatibus student, nusquam erroris finem invenient, sed nova semper proferent. homil. 8, super 2 *Tim.*

9. Profanas novitates devita. *Ibid.*, homil. 5.

10. Retenta est antiquitas, explosa novitas. In *commonit.*, cap. 9. VINCENT. LIRIN.

11. Vitanda est novitas, tenenda est antiquitas : profana est novitas, sacrata est vetustas. *Ibid.*, cap. 26.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

12. Discamus membris nostris inniti, cultum non ad nova exempla componere, sed ut majorum suadent mores. *De Tranquillit. animi*, cap. 9. SENECA.

13. Stultis et fortunæ credentibus, omnis videtur nova rerum et inopinata facies : magna autem pars est, apud imperitos mali, novitas. Epist. 76.

NOVITIUS.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Totum quod antea novitio grave videbatur, paulatim leve efficitur. *De Similitud.*, cap. 77. S. ANSELM.

2. Multi languescunt in orando, et in novitate suæ conversionis ferventer orant, postea languide, postea frigide, postea negligenter, quasi securi sint : vigilat hostis, dormis tu? Super *Psalm.* LXV. S. AUGUST.

3. Pius Dominus noster JesusChristus pusillos corde maxime novitios blanditiis solet allicere : sed noverint qui hujusmodi sunt, gratiam hanc præstitam sibi esse, non datam, ut in die bonorum memores sint malorum, et in die malorum non immemores sint bonorum. Serm. 3 *de Circumcis.* S. BERNARD.

4. Solet inter primordia conversionis acrius insurgere tentatio pravæ consuetudinis, et vix extingui possunt jacula ignita diaboli. Serm. 4, *Assumpt. B. M.*

5. Tribus modis renovamur : Carne, opere, carne et spiritu : carne, per baptismi mysterium ab originali peccato; opere, per pœnitentiæ remedium ab actuali delicto; carne et spiritu, per resurrectionis donum. In suis *sentent.*, verbo *Tribus*.

6. Primordia conversionis primus exagitat timor, quem intrantibus statim horror vitæ ingerit arctioris, et insueta austeritas disciplinæ. Serm. 33, super *Cant.*

7. Cum inceperis, tristitia implebit cor tuum; sed si perseveraveris tristitia tua convertetur in gaudium. Serm. 3, *Ascens.*

8. Obsecro vos, novellæ plantationes Dei, vos qui nondum exercitatos habetis sensus ad discretionem boni et mali, nolite sequi cordis vestri judicium, nolite abundare in sensu vestro, ne vos tanquam rudes adhuc versutus ille venator decipiat. Serm. 3, super *Qui habitat.*

9. Ante omnia timor novitiis necessarius est, quo nimirum peccata possint præterita delere, cavere futura. Serm. *de Diversis affect. animæ.*

10. Placent, fateor, in novitiis, quantum ad ea quæ in facie sunt, negligentior utique is qui foris apparet corporum cultus, et vestium minor cura, sermo rarior, vultus hilarior, aspectus verecundior, incessus maturior. Serm. 63, super *Cant.*

11. Novitius stultus fiat, ut sit sapiens : et hæc omnis sit ejus discretio, ut in hoc nulla sit ei discretio. *De Vita solit.*

12. Novitius docendus est sic habere corpus suum sicut ægrotum commendatum, cui etiam multum volenti, inutilia sunt neganda, utilia vero et nolenti ingerenda. *Ibid.*

13. Novitius sic de corpore suo agere debet, sicut de non suo, sed ejus a quo pretio magno emptus est, ut glorificet eum in corpore suo. *Ibid.*

14. Si admittitur in religione superbus; prima die qua ingreditur habitare, incipit leges dare. *Ibid.*

15. Fervorem novitiorum non docent illæ misericordes in seipsum discretiones, et discretionum dispensationes, facilesque indulgentiæ suo judicio, non tamen recusandæ sunt alieno. *Prosec.*

16. A seipso in seipsum rigida debet esse censura, et districta severitas : ad regentem autem paternam charitatem obediens in omnibus humilitas.

17. Si alterum desit vel in deside et tepido, non spero cursus perseverantiam : vel in principio timeo ruinam, propter quod tota debet esse discretio novitii. Lib. *de Natura et dignitate amoris,* cap. 3.

18. Qui novitium suavitate et dulcedine non docet et castigat, plus novit exasperare quam corrigere. *Prosec.*

19. Prius corrigendus et castigandus est novitius a pravo opere, deinde a cogitatione : omnis enim nova conversio, adhuc pristinæ vitæ habet permixtionem. Serm. 6 *ad Sororem.*

S. BONAV. 20. Omnis qui accedit ad Dei servitium, se præparare debet ad bellum, quia statim armatur diabolus contra eum. Serm. 2 *de S. Agnete.*

21. Novitius debet in disciplina nutriri et informari sicut parvulus in domo, sicut plantula in horto, et sicut virgula in virgulto. Tit 4 *Diætæ,* cap. 1.

22. Novitius debet instar plantulæ de mundo radicitus evelli, in religione transplantari, in sancto proposito radicari, circumspectione claudi, devotione rigari, confessione purgari, exercitio et occupatione fodi et excoli. *Ibid.*

23. Novitius in virgulto religionis debet habere radicem profundæ humilitatis, stipitem rectæ intentionis, frondes sinceræ dilectionis, folia honestæ locutionis, flores pulchræ conversationis, fructus bonæ operationis. *Ibid.*

24. Novitium prudentem et sapientem, in cella diu posse consistere, et in congregatione durare, est impossibile. In *Speculo discipl.,* part. 2, cap. 3.

25. Novitii non frangantur adversitate, vel tentatione : sed cogitent, quia ad hoc venerunt. Qui intrat bellum, scit quod non quietem et delicias, sed laborem et vulnera oportet eum expectare. Lib. 1 *de Profectu religios.* cap. 1.

26. Qui delicate servum suum, id est, corpus suum nutrit ab infantia, scilicet novitiatus, postea illum sentiet contumacem : vel piger erit ad bona, vel ad peccatum proclivior, maxime carnis. *Ibid.*, lib. 2, cap. 14.

27. Plane magnus vitæ fructus est, seculum potuisse despicere, et Deo servire cœpisse : evasisse vitiorum infelicissimum dominatum. Hom. 29. S. CÆSARIUS ARELAT.

28. Multi novitii in prælio succumbentes deficiunt, non satis instructi in modis ac mediis resistendi. In *Exhort. ad Novit.*, art. 6. DIONYSIUS CARTHUS.

29. Novitiis in suo novitiatu non multum vacat lectioni ac studio immorari, sed ea quæ ordinis sunt diligenter addiscere. *Prosec.*

30. Sed quæ legunt hora vacante esse debent salubria, et suo proposito magis accommoda : ut pote ea quæ compunctionem inducunt, devotionem nutriunt et inflammant, timorem Dei in corde stabiliunt, et quæ ad vitiorum horrorem, ad mundi contemptum, ad suiipsius aspernationem et humiliationem vehementius incitant. *Ibid.*, art. 9.

31. Monachus juvenis in abstinentia firmetur, vanamque gloriam spernat; quia novella est planta a Deo sanctificata. *Ad Monachos parænes.* 1. S. EPHRÆM

32. Novitius si quis sit inobediens, contumeliosum probrisque obnoxium sibi nomen conciliat. *Ibid.*, parænes. 4.

33. Paulatim ac per partes ædificatur civitas,

et cum gubernatione oritur bellum : sic quoque novitium cum judicio, et discretione regere oportet. *Ibid.*, parænes. 16.

34. Risus et impunitas instar veneni novitio obest. *Ibid.*, parænes. 46.

FRANCISCUS TITELM. 35. Tutius est novitio obmutescendo, quam hinc inde argumentando et respondendo adversus malos suasores agere, si firmus velit in eo quod cœpit vel proposito perstare. In *Annot.* super *Psalm.* XXXVII.

GLOSS. ORD. 36. Multi qui in fide præcesserunt, ferventiora novitiorum studia æmulantur. Super I *Esdræ.*, cap. VI.

S. GREGOR. MAGN. 37. Conversorum initia bonis moribus malisque permixta sunt, quia et nova vita jam per intentionem agitur, et vetus adhuc ex usu retinetur. Lib. 31 *Moral.*, cap. 17.

38. Divinæ gratiæ dispensatione agitur, ne in inchoatione sua novitii tentationum asperitate frangantur : quia si eorum initia amaritudo tentationis exciperet, tam facile ad ea, quæ reliquerant, redirent, quam nec longius discesserant. *Prosec.*

39. Ex Ægypto exeuntibus e vicino bella subtrahuntur : quia derelinquentibus seculum quædam prius tranquillitas ostenditur, ne in ipsa sua teneritudine atque inchoatione turbati, ad hoc territi redeant quod evaserant.

40. Prius ergo suavitatem securitatis sentiunt, prius pacis quiete nutriuntur : post cognitam vero dulcedinem, tanto jam tolerabilius tentationum certamina sustinent, quanto in Deo altius cognovere quod amant. *Ibid.*, lib. 24, cap. 7, num. 13.

41. Qui in regularis vitæ forti proposito aliis præsunt, tanto discretius debent ad eamdem vitam conversos recipere, quanto et utilius prænoscendum est accedentium petitio ex virtute sit animi, an ex præcipitatione voluntatis. *Prosec.*

42. Libertas rectoris in recipiendis novitiis est obligatio subditi : quia tanto districtiori sententiæ subditur, quanto apertius scire potest eum, quia de eo omnipotenti Deo reddere rationem debet. Lib. 4, in I *Reg.*, cap. IV, super illud : *Et audivit Samuel omnia verba.*

43. Nullus qui ad bonum propositum conversus, adhuc in mentis teneritudine esse conspicitur, despiciatur : quia frumentum de herba incipit, ut granum fiat. Hom. 15, super *Ezech.*

44. Dura sunt quæ contra usum spiritualiter animo proponimus, et tamen onus Dei leve est postquam hoc ferre cœperimus. *Ibid.*, hom. 17.

S. HIERON. 45. Nequissimi hostis est illa prima calliditas, et ars doli plena, fatigare cogitationibus rudes animas, novellis in proposito mentibus de ipsa interdum conversione afflere mœrorem. Epist. 1 *ad Demetriad.*

HUG. A S. VICTORE. 46. Exercitium novitio, disciplinæ esse debet inchoatio ; virtus, perfectio : præmium virtutis, æternæ beatitudo. *De Inst. novit.*

HUGO CARD. 47. Maxime novitiis periculosus est omnis egressus, quia cito læduntur. Super *Genes.*, cap. XXXIV.

48. Novitius est quasi flos, quem videt diabolus, quando suggerit ei quod delectabile est ; manu tenet, quando ille consentit : devorat, quando opus perpetrat. *Ibid.*

49. Diabolus quasi fercula delicata libenter comedit novitios. *Ibid.*

50. Novitii non debent aliquid habere suum. Super IV *Reg.*, cap. VI.

51. Ne lætitia extollat, et securitas sternat, dispensante Deo permittitur, ut post conversionem novitius stimulis tentationum fatigetur. *Prosec.*

52. Sicut sponsus sponsam blandimentis fovet, deinde increpationibus probat, tandem probatam securius possidet : sic novitios prius dulcia suscipiunt, quæ consolentur ; deinde amara, quæ exerceant : tandem suavia atque sublimia, quæ confirment. Super *Job.*, cap. XXIII.

53. Novitii primo fervorem magnum, sed postmodum tepiditatem pariunt, Super *Isai.*, cap. XXXIII.

JOAN. CASS. 54. Ad perfectionem ut facile juniores valeant pervenire, nullas debent cogitationes prurientes in corde pernitiosa confusione celare : sed confestim ut exortæ fuerint, eas suo patefacere seniori. *Prosec.*

55. Ita fit, in nullo circumvenire juniorem callidus inimicus, velut inexpertum ignarumque prævaleat, nec ulla fraude decipere, quem prævidet non sua, sed senioris discretione muniri.

56. Aliter subtilissimus diabolus illudere, vel dejicere juniorem non poterit, nisi cum eum, seu per arrogantiam, sive per verecundiam, ad cogitationum suarum velamem illexerit.

57. Generale et evidens indicium diabolicæ cogitationis esse pronuntiatur, si eam seniori confundantur aperire. *De Cænob. inst.*, lib. 4, *de Inst. renunt*, cap. 9.

JOAN. TRIT. 58. Qui fervorem deseruit novitiatus, hunc postea ligat obstinata et indurata senectus ; adeo ut nec corrigi, nec emendari valeat senex, qui negligenter vixerat juvenis. Super Prolog. *Regul. S. Bened.*, cap. 2, text. 4.

59. Sicuti aqua extinguit ignem, cui infunditur : sic novitiorum sanctum propositum exemplis tepidorum violatur. Lib. 1, hom. 11, *ad Monacho*

60. Talis sit rector novitiorum, qui zelum ani-

marum habeat, qui vulneribus tentationum sanandis idoneus existat, qui vinum increpationis prudenter et opportune sciat infundere, qui oleum consolationis tempore congruo noverit adhibere. *Prosec.*

61. Sit conversatione maturus, consilio cautus, eloquio succinctus, moribus bonis stabilis, interno exercitio firmus.

62. Quales habere futuros desiderat, tales in principio novitios componat.

63. Novitius enim qui in exordio conversionis suæ negligitur, nunquam ad observantiam disciplinæ deinceps revertetur : et laxitatem illam, in qua semel convaluit, quamdiu vixerit non emendabit.

64. Nunquam enim ex malo novitio, bonum monachum habiturus es. Maximam itaque cladem religioni affert negligens institutio novitiorum. Orat. 5, *in Conventu abbat. habita.*

S. ISIDORUS PELUSIOTA. 65. Monasticæ vitæ tirones, nec regulæ jugo immodico onerare oportet, ne statim in ipsis præludiis animis frangantur ac deficiant, nec rursus indomitos ac laborum expertes relinquere ne in socordiam et ignaviam prolabantur, sed paulatim ad altiora provehere. Lib. 1, epist. 258, *ad Petrum.*

S. LAURENT. JUSTIN. 66. Nullus alius locus debetur novitio, quam ubi sunt pedes Jesu : sed primo retro secus pedes ipsius Domini Jesu sedeat, ut postmodum mereatur sedere ante Jesum, et ad pedes Jesu. *De Discipl. monast. conversat.*, cap. 8.

67. Nihil ita fructuose ad meditandum inexperto offertur novitio, sicut Christi vita, et potissimum ipsius passio gloriosa. *Prosec.*

68. Sunt enim Salvatoris gesta spirituale lac, introducendis novitiis proficuum, et prorsus necessarium. *Ibid.*

PETR. BLES. 69. Periculosum est neophytis, et nondum in sancta religione firmatis, exire in publicum. Epist. 13, *ad Monach. novit.*

70. Non te deterreant conversionis primitiæ, novum obedientiæ jugum, inconsuetus tibi ordinis rigor, et austeritas disciplinæ. *Prosec.*

71. Quidquid asperum nunc videtur, obedientia, tibi convertet ad lucrum, et quæ nunc amariora sunt, usu mediante dulcescent.

72. His enim, qui de tenebris progrediuntur ad lumen, lux imprimis molesta est, donec oculi lumini assuescant. *Ibid.*, epist. 137, *ad Alexandr. de S. Albano.*

S. PETRUS DAM. 73. Tentet novitius sæpe majora, ut quæ minora sunt, reddantur eorum collatione facilia. Opusc. 13, cap. 22.

74. Studeat novitius, qui ardua tentans, angustum iter ingreditur, ut cum gravari ultra vires cœperit, mox ad latitudinem revertatur. *Ibid.*

THOMAS A KEMPIS. 75. Caveat diligenter novitius, ne devotionis gratiam perdat torpore infestus, sed omni tempore ad spiritualem pugnam se præparet, et oret sæpius ut vincat. Serm. 18, *ad Novit.*, divis. 2.

IN VIT. PAT. 76. In nullo sic gaudet inimicus, quomodo in illo novitio, qui non vult cogitationes suas manifestare. Lib. 3, num. 177.

77. Nihil sic quærit Deus ab his, qui primitias habent conversionis, quomodo obedientiæ laborem. Lib. 5, libell. 14 *de Obedient.*, num. 15.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 78. Virtus, probitas, integritas in candidato, non ars, non scientia requiri solet. Orat. 31, *pro Plancio*, num. 62.

SENECA. 79. Nihil insolentius novitio divite. Lib. 2, *Controvers.* 9.

80. Ad suspicionem vulneris tiro pallescit. *De Divina provident.*, cap. 4.

Vide etiam tit. *Disciplina*, sent. 24; *Egredi*, sent. 59; *Officium divinum*, sent. 28; *Tepiditas*, sent. 22.

NUGÆ.

COLLECTOR. *Etymologia.* Nugæ a non et ago componi videtur, eo quod qui nugatur, nihil agat.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Quam suave mihi subito factum est, carere a suavitatibus nugarum; et quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium est. Lib. 9 *Conf.*, cap. 1.

2. Majorum nugæ, negotia vocantur; puerorum autem puniuntur a majoribus. Lib. 1 *Conf.*, cap. 9.

3. Separatis nugis locorum communium, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione confligat. *De Utilit. cred.*, cap. 1.

S. BASILIUS MAGNUS. 4. Nugæ revera ingentes sunt, imperantem aliquem sibiipsi et præceptorem desidere, et heriliter ac vehementer seipsum urgere. Hom. 9, *in Hexam.*

S. BERNARD. 5. Consecrasti os tuum Evangelio, nugis jam aperire illicitum, assuescere sacrilegum est. Lib. 2 *de Consid. ad Eugen. pap.*

6. Inter seculares nugæ, nugæ sunt; in ore sacerdotis, blasphemiæ. *Ibid.*

7. Interveniendum est caute et prudenter nugacitati secularium, prorumpendum sane in serium quid, quod non modo utiliter, sed libenter audiant, et supersedeant otiosis. *Ibid.*

8. Nugæ quæ inter homines versantur, insipientiam eorum adaugent, qui ipsis utuntur. Super *Ecclesiasten*, cap. 6.

S. GREGOR. TAUMA. 9. Stultitiæ verborum, nugacitas conjuncta est. Super *Eccles.*, cap. v.

S. HIERON. 10. Nugas terimus, et fonte veritatis omisso, opinionum rivulos consectamur. Epist. 1 *adversus Heleid.*

11. Nugas terimus, et aniles et superfluas cantilenas longo sermone convincimus. Epist. 15, *ad Pammach.*

HUGO A S. VICTORE. 12. Fascinatio nugacitatis seducit cor. Lib. 2, *de Claustr. anim.*, cap. 20.

13. Mundi amatores, qui vocari christiani volunt nugas diligunt. Lib. 4 *de Arca Noe*, cap. 8.

S. JOANNES CHRYSOST. 14. Extremæ insaniæ est, hominem ridiculum, probrosum, turpem, ignominiosum, et omni supplicio dignum; adhuc tamen in nugis gloriari velle. Serm. 11, super *Epist. ad Rom.*

15. Fideles homines juveniliter nugari, desipere et insanire est. Homil. 9, super II *Cor.*

16. Omnia apud Philosophos gentiles, sunt nugæ, fabulæ, scena et hypocrisis. Homil. 16, *ad Pop. Antioch.*

S. JUSTIN. MART. 17. Si nugæ vobis videntur, verba nugarum plena, contemnite. In *Apolog.* 2.

S. PET. MAUR. ABB. CLUNIAC. 18. Oris tui ostium utilitati aperiatur, nugacitati claudatur. Lib. 1, epist. 20, *ad Gillebert.*

SALVIANUS. 19. Miseri jam sumus, et nondum nugaces esse cessamus. Lib. 6, *de Gubern. Dei.*

20. Criminosior luxuriosa paupertas, et majoris invidiæ miser nugax. *Ibid.*, lib. 7.

S. THEODOR. 21. Otiosorum proprie sunt nugæ. Super II, *Thess.*, cap. III.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 22. Frivolis turbamur et inanibus. Lib. 3 *de Ira*, cap. 30.

Vide etiam tit. *Ecclesia*, sent. 90, 91; *Risus*, sent. 57; *Suavitas*, sent. 6, 7; *Vaniloquium*, sent. 7.

NUPTIÆ.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Non dissuadeo nuptias, sed eos damno qui dissuadere consueverunt. Lib. 1, *de Virgin.*

2. Docuit Apostolus non damnandas esse nuptias, sed probandas; nuptiis tamen ipsis, integritatis studia præferenda. *Ibid.*, lib. 3.

3. Bona vincula nuptiarum, sed tamen vincula : etsi vincula, tamen vincula charitatis. Lib. 3, *de Virgin.*

4. Non prohibemus secundas nuptias; sed non probamus sæpe repetitas; neque enim quidquid licet, et decet. Lib. *de Viduis.*

5. *Melius est nubere, quam uri.* Pro remedio nuptias suasit, ut peritura sanetur, non pro electione præscripsit casta et continens quid sequatur. Lib. *de Viduis.*

6. Invitæ nuptiæ solent malos proventus habere. Super I *ad Corint.*, cap. VII, in illud : *Cui vult nubat.*

7. Cum dicit nubat, lege loquitur naturali, quanquam a Deo primæ nuptiæ sint, secundæ vero permissæ sunt. *Prosec.*

8. Primæ nuptiæ sub benedictione Dei celebrantur sublimiter, secundæ autem, et in præsenti carent gloria : concessæ sunt enim propter incontinentiam. *Ibid.*

9. Nuptiæ, ut ipsæ nuptiales tabulæ clamant, liberorum procreandorum causa marem feminamque conjungunt. *De Moribus Manich.*, cap. 18. S. AUGUST

10. Nuptiarum bonum non extinguit, sed modificat inobedientium membrorum malum; ut limitata quodammodo concupiscentia carnalis, fiat saltem pudicitia conjugalis. Epist. 57, quæst. 2.

11. Nihil prohibere potuit, ut essent in paradiso honorabiles nuptiæ, et thorus immaculatus. Lib. 9, *de Genesi ad lit.*, cap. 3.

12. Utriusque sexus infirmitas propendens in ruinam turpitudinis, recte excipitur honestate nuptiarum, ut quod sanis possit esse officium, sit ægrotis remedium. *Ibid.*, cap. 7.

13. Concupiscentiam nuptiæ ordinant, continentia cohibet et refrænat. *Ibid.*, cap. 10.

14. Ad hoc nuptiæ sunt, ut concupiscentia redacta ad legitimum vinculum, non difformis et dissoluta fluitaret, habens de se ipsa irrefrænabilem carnis infirmitatem, de nuptiis autem indissolubilem fidei societatem : de seipsa progressum immoderate coeundi, de nuptiis modum caste procreandi. *De Bono conjugali*, cap. 5.

15. Nuptiæ ab adulterio, seu fornicatione defendunt : neque enim illud propter nuptias admittitur, sed propter nuptias ignoscitur. *Ibid.*, cap. 6.

16. Nuptiæ fidelium virginitati anteponuntur impiorum. *Ibid.*, cap. 8.

17. Nimium detestanda est, quæ continens a nuptiis, non continet a luxuria. *Ibid.*, cap. 12.

18. Posse fieri nuptias ex male conjunctis, honesto postea placito consequente, manifestum est. *Ibid.*, cap. 14.

19. Manet vinculum nuptiarum, etiam si proles cujus causa initium est, manifesta sterilitate subsequatur. *Ibid.*, cap. 15.

20. Sicut filii boni adultorum, nulla defensio est adulteriorum : sic mali conjugatorum, nullum crimen est nuptiarum. *Ibid.*, cap. 16.

21. Quidam homines tanquam ascendunt in nuptias gradu honestatis, quidam vero descenderunt gradu pietatis. *Ibid.*, cap. 17.

22. In nostrarum nuptiis plus valet sanctitas sacramenti, quam fœcunditas uteri. *Ibid.*, cap. 18.

23. Bono nuptiarum procul dubio bonum continentiæ præferendum est. *Ibid.*, cap. 19.

24. Bonum sunt nuptiæ, in quibus tanto me-

liores sunt conjugati, quanto castiores, ac fideliores Deum timent. *Ibid.*

25. Bonum sunt nuptiæ, et contra omnes calumnias possunt sana ratione defendi. *Ibid.*, cap. 20.

26. Bonum nuptiarum per omnes gentes, atque omnes homines, in causa generandi est, et in fide castitatis. *Ibid.*, cap. 24.

27. Bona nuptiarum sunt proles, fides, Sacramentum. *Ibid.*

28. Dicimus nec a diabolo, sed ab ipso Deo nuptias institutas. Lib. 2 *ad Bonifac.*, cap. 5.

29. Nuptiæ quanto magis sunt laudandæ, tanto minus eis imputanda carnis concupiscentia, quam invenerunt in hominibus nuptiæ, non fecerunt : quia et illa in plurimis sine ipsis est, et ipsæ si nemo peccasset, sine illa esse potuerunt. *Ibid.*, lib. 3, cap. 8.

30. Nuptiarum laus est, justa copulatio sexuum, non iniqua defensio vitiorum. *Ibid.*, lib. 4, cap. 5.

31. Sic nuptiæ sunt laudandæ, ut nullo modo ad earum culpam vituperationemque pertineat, quod omnes homines primorum hominum peccato nascantur obnoxii. Lib. 1, *contra Julian.*, cap. 2.

32. Bonæ nuptiæ thorum habent immaculatum. *Ibid.*, cap. 24.

33. Immunditia naturarum non est crimen nuptiarum, bonum quippe discernitur proprium nuptiarum a quolibet vitio naturarum. *Ibid.*, lib. 2, cap. 1.

34. Contra languoris malum adhibentur ab incontinentibus nuptiarum remedia. *Ibid.*, lib. 5, cap. 16.

35. Nuptiarum bonum homines infideles infideliter utendo, in malum peccatumque convertunt. *Ibid.*, lib. 4, cap. 6.

36. Nuptiarum bonum malo originali, quod inde trahitur, non potest accusari. Lib. 1, *de Nuptiis*, cap. 1.

37. Pudenda concupiscentia nulla esset, nisi homo ante peccasset ; nuptiæ vero essent, etiamsi nemo peccasset. *Ibid.*

38. Nec propter libidinis malum nuptias condemnare, nec propter nuptiarum bonum libidinem laudare debemus. *Ibid.*, cap. 7.

39. Nuptiæ institutæ sunt causa generandi, non peccandi. *Ibid.*, lib. 2, cap. 26.

40. Malum pudendæ libidinis et potest esse sine nuptiis, et potuerunt esse nuptiæ sine illo. *Ibid.*

41. Aliæ nuptiæ sine pudenda libidine, aliæ cum pudenda libidine. *Ibid.*, cap. 32.

42. Illæ quæ virginitatem Deo vovent, sine nuptiis non sunt : nam ipsæ pertinent ad nuptias cum tota Ecclesia, in quibus nuptiis sponsus est Christus. Tract. 9, super *Joan.*

43. Melior est castitas cælibum, quam castitas nuptiarum. *De Bono conjugali*, cap. 22.

44. Omne nuptiarum bonum impletum est in Joseph, et Maria, parentibus Christi, proles, fides, sacramentum. Prolem cognoscimus Dominum Jesum ; fidem, quia nullum adulterium ; sacramentum, quia nullum divortium. Lib. 1, *de Nuptiis*, cap. 11.

45. Carnalis concupiscentia laudabilius continentiæ virtute frænatur, quam fructibus impenditur nuptiarum : tam magnum est enim malum ejus, ut eo non uti, quam bene uti sit melius. Lib. 4, *contra Julian.*, cap. 7.

S. BASILIUS MAGNUS.

46. Fiunt honorabiles nuptiæ, quando rationem conjugii non præit obscœna voluptas. *De Vera virgin.*

S. BERNARD.

47. Turtur compare uno contenta est, quo amisso alterum jam non admittit, numerositatem in hominibus nuptiarum redarguens. *Prosec.*

48. Nam etsi forsitan culpa propter incontinentiam venialis est, ipsa tamen tanta incontinentia turpis est : pudet ad negotium honestatis rationem non posse in homine, quod natura possit in volucre. Serm. 59, super *Cant.*

49. Nuptiæ sumptuosæ, damnum sine honore conferunt. Epist. *de Cura et regim. rei famil.*

S. CYPRIAN.

50. Nuptiarum festa improba, et convivia lasciva vitanda sunt. *De Discipl. et habitu virgin.*, cap. 9.

51. Quis illi in nuptiis locus est, cui animus ad nuptias non est ? *Ibid.*

52. Ad nuptias pudica quæ venerat, impudicior discedit. *Ibid.*

GLOSS. DEC.

53. Nubens post votum, pejor est adultero. In *Decret. Gratiani.*

S. GREGOR. MAGNUS.

54. In spiritualibus nuptiis a luctu incipitur, sed ad gaudia æterna pervenitur. *Prosec.*

55. Carnales autem nuptiæ a lætitia semper incipiunt, et ad finem cum luctu tendunt. Lib. 4, *Dialog.*, cap. 13.

S. GREG. NAZ.

56. Laudabiles sunt nuptiæ, præ nuptiis tamen puritas : nuptiæ indicium sunt perturbationis, castitas vero splendoris : nuptiæ parentes sanctorum, puritas autem sacrificium. Orat. 27 *ad Virginem.*

S. HIERON.

57. Prædicator continentiæ, nuptias ne conciliet. Epist. 2 *ad Nepotian.*

58. *Melius est nubere, quam uri* : tolle quod pejus est uri et per se bonum non erit, nubere. Epist. 9, *ad Salvinam.*

59. Quid angustiarum habeant nuptiæ, didicisti in ipsis nuptiis. Epist. 10, *ad Furiam.*

60. Nulla vidua nuptias contemptura, timeat egestatem. *Ibid.*

61. In secundis nuptiis superducit mater filiis, non nutricium, sed hostem, non parentem, sed tyrannum. *Prosec.*

62. Inflammata libidine obliviscitur uteri sui, et inter parvulos suas miserias nescientes, lugens dudum nova nupta componitur.

63. Nulla maritum ducit, ut cum marito non dormiat : aut si certe libido non stimulat, quæ tanta insania est, in more scortorum prostituere castitatem, ut augeantur divitiæ, et propter rem vilem atque perituram, pudicitia, quæ pretiosa et æterna est, polluatur.

64. Si habes liberos, nuptias quid requiris ? si non habes, quare expertam non metuis sterilitatem, et rem incertam certo præfers pudori ? *Ibid.*

65. Cogita quotidie te esse morituram, et nunquam de secundis nuptiis cogitabis. *Ibid.*

66. Multo tolerabilius est digamam esse, quam scortum : in altero enim miseriarum consolatio, in altero pœna peccati. Epist. 2, *ad Geruntiam.*

67. Non possunt habere pudicitiæ libertatem, qui serviunt dominatui nuptiarum. *Ibid.*

68. Sub hæredum patrocinio sibi libido viduarum blanditur, ut quod propter intemperantiam suam faciunt, videantur facere desiderio liberorum. *Ibid.*

69. Proponis mihi gaudia nuptiarum, ego tibi opponam pyram, gladium et incendium : non tantum boni est in nuptiis quod speramus, quantum mali, quod accidere potest, et timendum est. *Ibid.*

70. Non est detrahere nuptiis, cum illis virginitas antefertur. Epist. 22, *ad Eustoch.*

71. Laudo nuptias, laudo conjugium ; sed quia virgines generant, lego de spinis rosam, de terra aurum, de concha margaritam. *Ibid.*

72. Non damno digamos, imo nec trigamos : et si dici potest, octogamos : plus aliquid inferam, etiam scortatorem recipio pœnitentem : quidquid æqualiter licet, æqua lance pensandum est. Lib. 1, *adversus Jovian.*

73. Nuptiæ terram replent, virginitas paradisum. Lib. 1, *adversus Jovian.*

74. Portia minor, cum laudaretur apud eam quædam bene morata, quæ secundum habebat maritum respondit : Felix et pudica matrona nunquam præterquam semel nubit. *Ibid.*

75. Cito impudicas nuptias satietas solvit, cum primum lenocinium libidinis abscessit; quod libebat eviluit. *Ibid.*

76. Plus honorantur nuptiæ, quando quod de illis nascitur, plus amatur. Epist. 22, *ad Eustoch.*

77. Qui nuptias damnat, non amator, sed inimicus est castitatis : dum et continentibus laudem tollit, et incontinentibus sublato nuptiarum remedio, fornicationis facit inire discrimen. Super I *ad Timot.*, cap. IV, in illud : *Prohibentium nubere.*

78. Virgines, quæ post consecrationem nupserint, non tam adulteræ sunt, quam incestæ. *Hab.* in *Decret. Gratiani*, dist. 27, can. *Virgines.*

79. Voventibus virginitatem, non solum nubere ; sed etiam velle, damnabile est. *Hab.* in *Decret. Gratiani*, part. 1, dist. 27, can. *Voventibus.* S. JOANNES CHRYSOST.

80. Ne excuses te propter nuptias, Dominus tuus nuptiis interfuit, et nuptias honestavit : et tu nuptias arguis, et dicis nuptias obstaculum esse ad pietatem. Serm. in illud : *Nuptiæ factæ sunt.*

81. Ubi domus nuptiarum referta fœditate, vide illic turpia verba, risum incompositum, vestem et gressum plenum turpitudine, et gestus stultitiam et insipientiam præ se ferentes, omnia illic risum et ridicula. *Prosec.*

82. Non ipsas nuptias dico, absit, sed ea quæ in nuptiis fiunt. Insanit tunc natura, præsentes pro hominibus bruta fiunt, et alii quidem ut equi hinniunt, alii vero ut asini calcitrant.

83. Magna ibi diffusio, magna dissolutio, nihil maturum, nihil generosum, magna diaboli pompa, cymbala, tibiæ, et cantica plena scortationum et adulteriorum. Hom. 42, super *Acta Apost.*

84. Quanta olim honestate nuptias homines egerint, audite qui ad satanicas pompas spectatis : num tunc tibiæ ? num tunc cymbala ? num tunc choreæ diabolicæ ? Hom. 56, super *Gen.*

85. Nuptiæ res quidem pretiosa et nobis et externis videtur : verum perfectis nuptiis tot ridicula sequuntur, quot mox audietis : etenim choreæ, cymbala, tibiæ, verba et turpes cantilenæ, ebrietates, bacchanalia, et multa diaboli moles inducitur. Hom. 12, super I *Cor.*

86. Si ista spurca abegeris, veniet et Christus ad nuptias : ubi tibicines sunt, nusquam Christus est. Hom. 12, super *Epist.. ad Coloss.*

87. Felices nuptiæ, felices illæ, quibus Christus est præsens ! non luxu, sed virtutibus consecrantur. Serm. 157. S. PETRUS CHRYSOL.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

88. A re venerea ante nuptias purus esto ; sin attigeris, ea legitime utendum. In suo *Enchirid.* cap. 47. EPICTETUS.

89. Habent locum maledicti crebræ nuptiæ. In suis *Sent.* sent. 176. MIMUS PUB.

90. Mulier, quæ nubit multis, multis non placet. *Ibid.*, sent. 250.

Vide etiam tit. *Joannis Bapt. encomia*, sent. 43; *Votum*, sent. 28.

NUTRIMENTUM.

SENTENTIÆ PATRUM

1. Non deficit salutaris usus alimenti, nisi cum S. AMBROS.

venerit dies suprema moriendi. Lib. 7, super *Luc.*, cap. XII, in illud : *Nolite solliciti esse.*

S. AUGUST. 2. Dum ad quietem satietatis ex indigentiæ molestia transeo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiæ. *Prosec.*

3. Ipse enim transitus, voluptas est, et non est alius, qua transeatur, quam quo transire cogit necessitas.

4. Et cum salus sit causa edendi et bibendi, adjungit se tanquam pedissequa, periculosa jucunditas, et plerumque præire conatur, ut ejus causa fiat, quod salutis causa fieri debet.

5. Nam quod saluti satis est, delectationi parum est : et sæpe incertum est utrum adhuc necessaria corporis cura subsidium petat, an voluptaria cupiditatis fallacia ministerium suppetat.

6. Ad hoc incertum hilarescit infelix anima, et in eo præparat excusationis patrocinium, gaudens non apparere quid satis sit moderationi valetudinis ut obtentu salutis obumbret negotium voluptatis. Lib. 10, *Conf.*, cap. 31.

7. Edendi et bibendi voluptas nulla est, nisi præcedat esuriendi et sitiendi molestia. Lib. 8, *Conf.*, cap. 3.

8. Quis est, qui non in cibo rapiatur aliquando extra metas necessitatis? Lib. 10, *Conf.*, cap. 31.

9. Alimenta carnis corrupta id est amittentia formam suam, in membrorum fabricam migrant. *De Vera relig.*

10. Quibus vilis est corporis salus, malunt vesci quam satiari : cum omnis illius voluptatis sit finis non esurire ac sitire. *Ibid.*, cap. 53.

11. Non usus ciborum, sed concupiscentia refrænanda est : non enim interest omnino quid alimentorum sumas, ut succurras necessitati corporis, dummodo congruas in generibus alimentorum his, cum quibus tibi vivendum est. *Prosec.*

12. Magis autem interest, non quid, vel quantum alimentorum pro congruentia hominum atque personæ suæ, et pro suæ valetudinis necessitate quis capiat, sed quanta facilitate atque serenitate animi careat; cum his vel oportet, vel etiam necesse est carere. Lib. 2, *Quæst. Evang.*, quæst. 11.

13. Quemadmodum medicamenta, sic alimenta sunt sumenda. Lib. 10, *Conf.*, cap. 31.

14. Pascet te, qui fecit te ; si pascit latronem, non pascet innocentem? *Prosec.*

15. Pascet te, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos ; si pascit damnandos, non pascet liberandos? Super *Psalm.* LXI, vers. 10.

16. O quam plures sunt, qui prius corpus reficiunt, quam animam ! Serm. 33, *ad Fratr. in eremo.*

17. Panes quibus alimur in hac vita, tres sunt : purgatorius cum amaritudine, consolatorius cum dulcedine, solidus cum fortitudine. In suis *Sentent.*, verbo *Panes.* S. BERNARD.

18. Crede te Deo, committe te ei, et ipse te enutriet. Serm. 5, *Vigiliæ Nativ.*

19. Caro pascenda est, et extinguenda vitia. In *Formula honestæ vitæ.*

20. Christianus homo comedit ut vivat, non vivit ut comedat. Lib. *de Passione Dom.*, cap. 42.

21. Sic debes nutrire corpus tuum, ut non superbiat : sic debes refrænare, ut non cadat. Sic debes reficere, ut serviat : sic debes castigare, ut non pereat. *Prosec.*

22. Si enim carnem tuam, plusquam oportet, reficias, inimicum tuum nutris. Serm. 24 *ad Sororem.*

23. Quanto corpus impletur, tanto anima minoratur. Lib. 2, *Pharetræ*, cap. 12. S. BONAV.

24. Nihil sic ægritudinem fugat, sicut moderata refectio; nihil sic sanitatem servat, nihil sic acumen sensuum operatur. *De Grad. virt.*, cap. 12, *de Temperantia.*

25. Qui delicate corpus suum nutrit, postea illum sentiet contumacem. Lib. 2, *de Profectu religios.*, cap. 14.

26. Ne in corporis cura universum tempus nostrum insumamus, sed quandocunque corpus esurit et nutrimentum appetit, cogita et animam tuam suo tunc cibo necessario refocillari velle. *Prosec.* S. EPHRÆM.

27. Quemadmodum corpus, nisi pane sustentetur, vivere nequit : sic et anima, nisi spiritualis sapientiæ alimento reficiatur, mortua est. *De compunct. animi.*

28. Refectione tua non voluptas expleatur, sed sustentetur infirmitas. Epist. 2, *ad Gallam*, cap. 13. S. FULGENT.

29. Filius patrem egentem cogitur alere. In *Decretis Gratiani.* GLOSS. DEC.

30. Magnus discretionis labor est, corpori aliquid impendere, et aliquid denegare ; et non dando gulam restringere, et dando naturam nutrire. *Prosec.* S. GREGOR. MAGNUS.

31. Sic voluptas sæpe sub necessitatis specie se palliat, ut vix eam perfectus quisque discernat.

32. Facile est deprehendere, cum voluptas ejus necessitatem prævenit : sed valde est difficile discernere, cum in ipso esu necessario se occulta subjungit.

33. Eo tempore quo necessitati debitum solvitur, quia per esum voluptas necessitati miscetur, quid necessitas petat, et quid voluptas suppetat, ignoratur.

34. Dum sibi mens ex necessitate blanditur, ex voluptate decipitur.

35. Plerumque dum plus justo caro restringitur, etiam ab exercitatione boni operis enervatur. Lib. 30 *Moral.*, cap. 14, num. 28.

36. Sæpe dum carnis inopiæ satisfacere curatur, voluptas surrepit, et modum refectionis excedit. Hom. 19, super *Ezech.*

37. Manducare et esurire novit, qui et corpus moderate reficit, et ad immoderatam ciborum perceptionem suggerenti gulæ vitio non consentit. *Prosec.*

38. Justum est ut reficiatur corpus, sed iniquum valde est, ut refecta caro per ardorem libidinis ad contumeliam spiritus excitetur. Lib. 5, in I *Reg.*, cap. I, super illud *Philip.* IV : *Scio manducare et esurire.*

39. Electi viri sciunt necessitati corporis alimenta justa præbere. *Ibid.*

40. Panis alimentum corporis est, verbum mentis. *Ibid.*, lib. 4, cap. 4, super illud : *Ut comedas mecum.*

41. Qui corpus sine mente reficiunt, mente mortui sunt, carne vivi. *Ibid.*

HIERON. 42. Qui delicate a pueritia nutrit corpus suum, quod animo debuerat subjugare, is ubi ad annos adolescentiæ pervenerit, lasciviosum hoc et indomabile sentiet. Lib. 3, super *Prov.*, cap. XXIX, super illud : *Qui delicate.*

UGO A S. ICTORE. 43. Sic nutrienda est caro, ut serviat : sic domanda, ut non superbiat. Super *Regul. D. August.*, cap. 3, in illud : *Carnem vestram domate.*

44. Ut tu igitur sanus justo moderamine vivas, noxia devitans, alimenta salubria sumas. Lib. 3, *de Claustro anim.*, cap. 8.

45. Corpus tuum si regulas necessitatis excesserit, et ad barathrum concupiscentiæ os aperuerit, lacum perditionis sibi effodit in hospitio reparationis, et de remedio comparat exitium, de vehiculo naufragium. Lib. 3, *de Anima*, cap. 13.

GO CARD. 46. Sicut pisces nutriuntur in aquis, sic homines justi debent nutriri in aquis tribulationum. Super *Isai.*, cap. L.

JOANNES RYSOST. 47. Enutri corpus, non eneca : idcirco alimenta sunt, non ut eis corpus perimas, sed ut alatur. Hom. 13, super I *Tim.*

48. Nutrimentum nisi ex sufficientia, non fit : cum vero plus exuberat, quam reficiendi corporis ratio postulat, non solum nutrimentum nullum est, sed etiam corruptio generatur. *Prosec.*

49. Vis nutrire corpus? reseca quod est supervacaneum, et quod sufficiat subministra.

50. Non aggraves corpus tuum, ne demergas illud, sufficientia quippe nutrimentum et voluptas est illi. Hom. 29, super *Epist. ad Hebr*

51. Nihil sic salutem, nihil sic sensuum acumen operatur, nihil sic ægritudinem fugat, sicut moderata refectio. *Ibid.*

52. Sufficientia cum nutrimento, et sospitatem simul etiam procreat et voluptatem. *Ibid.*

53. Venter esuriens amorem inhonestum non valet procreare, magis autem neque sufficientia si fuerit moderata. *Ibid.*

54. Quod nutrit tantum est mediocritas, quod et confici potest : quod vero supra necessitatem affluit, non modo non nutrit, verum et illud corrumpit. Homil. 55, *ad Popul. Antioch.*

55. Ubi satietas fuerit, non potest esse appetitus : absente vero appetitu, quomodo potest adesse voluptas?

56. Vis corpus alere? tolle superfluum, da quod satis est, et quantum concoquere potest : ne aggraves ipsum, ut non submergas. *Ibid.*

57. Sufficiens modus, voluptas est et alimentum et sanitas : plus autem, pernicies est et fastidium et ægritudo. *Ibid.*

58. Non ad saturitatem et delicias, sed ad necessitatem nutrimentum est. *Ibid.*, homil. 57.

59. Simplex victus, et mensa mediocris, plurimum jucunditatis habet et voluptatis. Homil. *Quod nemo læditur*

60. Nostri victus nobis terminus sit, quod non lædat, quod famem sine offensione depellat, ac nil ulterius requiramus. Orat. 6, *de Fato.*

61. Cum te ultra quam sat est pascis, imprudens hostem pascis. Lib. 1, *Parall.*, cap. 77. S. JOAN. DAM.

62. Bona educatio est utilissima : nutritio enim æquivalet naturæ, sed per malam nutritionem, homines veluti bestiæ et brutales efficiuntur. Serm. 1, *de S. Antonio.* JOAN. GERS.

63. Corpus alimento, non deliciis, paucitate non saturitate, sufficientia non magnificentia opus habet. Lib. 2, epist. 57, *ad Pallad.* S. ISID. PEL.

65. Victus non ad voluptatem referendus est, sed ad vivendi alicujus utilitatis causa voluntatem. Epist. *ad Zenam.* S. JUSTIN. MART.

66. Alimenta adhibenda sunt, ut ne esuriamus. *Ibid.*

67. In victu parco, fit animus prudens : in lauto, mens in profundum demergitur. Orat. 1, *de Gula.* S. NILUS AB. MART.

68. In sumendis alimentis, parcitas asperitatem mitiget, vulgaritatem delibatio castigata commendet. *Prosec.* S. PETRUS DAMIANUS.

69. Non sufficit in esculentioribus cibis cohibere crapulam, nisi et in ipsis grossioribus noverit quis tenere mensuram. Opusc. 49, cap. 2.

70. Pulchre convenit, ut factum e terra corpus cognatis alatur cibis, quos terra producit : at anima æthereæ naturæ portio, habeat alimenta divina æthereaque. Lib. 2, *Legis allegor.* PHILO JUD.

S. PROSPER. 71. Non aliquarum carnium, quæ usui humano concessæ sunt, nobis naturæ damnandæ sunt, quas Deus instituit : sed carnales concupiscentiæ fugiendæ, quas sensui carnis diabolus introduxit. Lib. 2 *De Vita contemplat.*, cap. 23.

THOMAS A KEMPIS. 72. Quid prodest hic carnem delicate nutrire, et postea in inferno gravissime torqueri? In *Valle lilior.* cap. 14, sect. 3.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 73. Non fieri potest, ut vivatur sine alimento. Lib. 1, *Polit.*, cap. 5.

CICERO. 74. Esse oportet, ut vivas : non vivere, ut edas. Lib. 4, *de Arte rhetor. ad Herenn.*

HIPPOCRAT. 75. Impura corpora quo plus nutriveris, eo magis læseris. *Comment.* 2, aphorism. 10.

76. Facilius est potu refici, quam cibo. *Ibid.*, aphorism 11.

PLATO. 77. Haudquaquam prius salubribus alimentis corpus frui potest, quam ea, quæ in corpore sunt impedimenta, quis expulerit. Sizygia 2, in *Dialogo sophistæ.*

SENECA. 78. Edendi est bibendique finis, desideria naturæ restinguere, non implere alvum, et exinanire. *De Beata vita*, cap. 20.

79. Alimenta quæ accipimus, quandiu in sua qualitate perdurant et solida innatant stomacho, onera sunt : at contra, cum ex eo quod erant mutata sunt, tum demum in vires et in sanguinem transeunt. Epist. 84.

80. Sine fastidio implendus est venter : in quem sic pretiosa congerimus, tanquam recepta servantem : quid enim ad rem pertinet, quid accipiat, perditurus quidquid acceperit? Epist. 110.

81. Sani erimus, si modica concupiscemus, si unusquisque se numeret, metiatur simul corpus, sciatque nec multum capere, nec diu posse. Epist. 114.

82. Considera tecum, quantum natura poscat, et non quantum cupiditas expetat. *De Quatuor virtut.*

Vide etiam tit. *Corpus*, sent. 34; *Misericordia*, sent. 147; *Satietas*, sent. 17, 34; *Sobrietas*, sent, 14; *Superfluitas*, sent. 50.

OBEDIENTIA.

S. ANTONIUS DE PADUA. *Etymologia.* Obedientia, quasi obaudientia dicitur: cum tui prælati vox, quæ est aer, reverberat tuam aurem, interiori cordis affectu debet audire. Serm. *Dom.* 12, *post Trinit.*

HUGO CARD. Obedire dicitur, quasi obaudire, id est, contra se audire. Super *Prov.*, cap. 12.

S. ANTONIN. *Definitio.* Obedientia est obtemperantia secundum regulam sacræ scripturæ majoribus quibuscunque debita. Part. 4, tit. 5, *de Justitia.*, cap. 11, § 1.

Obedientia est spontanea et rationabilis propriæ voluntatis abnegatio. *Ibid.*

S. BONAV. Obedientia est spontaneum et rationabile propriæ voluntatis sacrificium. Part. 3, *Centiloquii*, sect. 44.

HUGO A S. VICTORE. Inobedientia est ex duritia mentis obstinatæ, ei cui parere debeas justa imperanti, nolle obtemperare. *De Fruct. carnis et spirit.*, cap. 4.

Obedientia est innixa pio studio propriæ voluntatis voluntaria abnegatio. *Ibid.*, cap. 16.

S. JOAN. CL. Obedientia est animæ propriæ perfecta abnegatio, per corpus certius ostensa. *Gradu* 4.

S. LAUR. JUST. Obedientia est mortificatio membrorum in vivente animo. *Ibid.*

Obedientia est voluntas faciendi mandatum superioris. Part. 1, *de Ligno vitæ*, tract. 6, *de Obedientia*, cap. 1.

S. ANTONIN. *Comparatio.* Obedientes cum tristitia similes sunt Simoni Cyrenæo portanti crucem invite. Part. 4, tit. 5, *de Justitia*, cap. 11, § 2.

S. BONAV. Sicut avis cum duabus alis volat ad sublimia : sic obediens cum duabus alis, scilicet cum ala paupertatis, et cum ala castitatis, scandit ad cœlestia. Tit. 4, *Diœtæ*, cap. 2.

HUGO A S. VICTORE. Sicut sanies ex vulnere, sic ex ulcere inobedientiæ contemptus emanat. Lib. 2, *de Claustro animæ*, cap. 13.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Nemo melius alicui obtemperat, quam qui ex charitate obsequitur. Super *Epist. ad Ephes.*, cap. 1.

S. ANSELM. 2. Odedire amabile est, resistere execrabile. In *Meditationibus.*

3. Hæc est perfecta et liberrima obedientia, cum voluntatem suam quis liberam sponte voluntati Dei subdit, et cum acceptam bonam voluntatem sine omni exactione spontanea libertate opere perficit. In *Meditat. Redemp. humanæ*, cap. 4.

4. In obedientia totus vigor bene vivendi construitur, in ejus negligentia destruitur. Epist. 6, *ad Monachos Cistrenses.*

S. ANTONIN. 5. Qui invitus obedit, aut rem, aut meritum perdit : et talis obedientia, aut nulla est aut minima. Part. 1, tit. 20, cap. 1.

6. Inobedientia prima filia est inanis gloriæ. Part. 2, tit. 4, cap. 2.

S. ANTONIUS DE PADUA. 7. Vera obedientia est humilis, devota, festina, jucunda, perseverans. Humilis in corde, devota in voce, festina in jussione, jucunda in executione, perseverans in adimpletione. Serm. *Dom.* 2, *Advent.*

8. Verus obediens, est benignus ad obediendum prælato, humanus ad compatiendum proximo, stabilis in proposito. Serm. *Dom.* 2, *post Epiphan.*

S. AUGUST. 9. Obedientia in creatura rationali, mater quo-

dammodo est omnium, custosque virtutum. Lib. 14, *de Civit. Dei.*, cap, 12.

10. Majus bonum est obedientiæ, quam continentiæ. *De Bono conjugali.*, cap. 23.

11. Abraham duxit filium suum ad immolandum, cui obtemperaverat ut feriret, obtemperavit ut parceret, ubique obediens, nusquam timidus. Super *Psalm.* 30, conc. 2, vers. 15.

12. Nihil tam expedit animæ, quam obedire : si expedit animæ obedire, in servo ut obediat domino, in filio ut obediat patri, in uxore ut obediat viro, quanto magis in homine ut obediat Deo? Super *Psalm.* 70, conc. 2.

13. Non potuit Deus perfectius demonstrare quantum sit bonum obedientia, nisi cum prohibuit ab ea re, quæ non erat mala : sola ibi obedientia tenet palmam, sola ibi inobedientia invenit pœnam. *Ibid.*, vers. 21.

14. Caro bene obediens, famula est animæ. Illa regit, hæc regitur : illa imperat, ista famulatur. Super *Psalm.* CXLV, vers. 1.

15. Adolescens sine obedientia, adolescens sine disciplina est. *De Duodecim abusion.*, cap. 3.

16. Ostensum est in Noe, quid Adam præceptum contemnendo perdiderit : et demonstratum est, posse homines bestiis etiam dominari, si subdant obedientiam conditori. *De Quatuor virt. charit.*

17. O venerabilis sanctaque obedientia! salus omnium fidelium, custodia omnium virtutum; tu cœlum aperis, et infernum claudis. Serm. 5, *ad Fratr. in eremo.*

18. Ut non esset nobis obedientia laboriosa, exitum præsentis vitæ Salvator per obedientiam terminavit. *Ibid.*

19. Jure obedientia omni sacrificio præponitur, quia de potestate diaboli nos eripuit, quod nullum legale sacrificium facere potuit.

20. Per obedientiam nunquam debet fieri malum, etiamsi angelus vel archangelus, cherubim vel seraphim tibi præcipitat : sed scire debes, quia propter obedientiam aliquando debet bonum quod agimus intermitti. *Ibid.*

21. Obedientia aliquando si de suo aliquid habeat, nulla est : aliquando si de suo aliquid non habeat, minima est. *Prosec.*

22. Nam cum hujus mundi prospera præcipiuntur, cum locus superior imperatur, is qui ad hæc percipienda obedit, virtutem obedientiæ sibi evacuat, si ad ea proprio desiderio anhelat.

23. Rursum cum mundi despectus præcipitur, cum probra adipisci et contumeliæ jubentur, nisi hæc ex semetipso animus appetat, obedientiæ meritum sibi minuit.

24. Debet ergo obedientia in adversis ex suo aliquid habere, et in prosperis ex suo aliquid non habere : prospera mundi ex sola jussione suscipiamus, et adversa ex devotione complectamur. *Ibid.*

25. Ecce angelus in omnibus obedit Deo, et tu qui cinis es et vermis, contradicis Deo : insensibilia obediunt Deo, et tu rationalis resistis Deo. *Ibid.*, serm. 7.

26. *Melior est obedientia quam victimæ* : quæ causa est, nisi quia in victimis aliena immolatur caro, sed in obedientia voluntas propria et caro mactatur? *Prosec.*

27. Tanto enim citius placat homo Deum, quanto repressa arbitrii sui superbia gladio præcepti se immolat. *Ibid.*

28. Sub obedientia, potest latere fel draconis sub specie mellis, lupus sub pelle ovina, in potu dulce venenum sæpe latitat, in olla sæpe mors ponitur. *Ibid.*

29. Obebientia, quæ præcipitur, sit honesta, et omni discretione ornata : nam si discreta non fuerit, crudelitas existimanda est : si honesta non fuerit, nullatenus obediatur. *Ibid.*

30. Obedientia honestate privata, superbia est, et venit ex utriusque parte consentientis et præcipientis. *Ibid.*

31. Obedientia tunc vera, tunc sancta, tunc meritoria est, quando ditata est discretione, honestate, justitia, et humilitate. *Ibid.*

32. Hæc est illa obedientia, quæ concordiam conservat in angelis, pacem nutrit in monachis, tranquillitatem generat in civibus, sine qua respublica stare non potest, sine qua familia aliqua regi non potest. *Ibid.*

33. O quam enorme vitium, quod obedientiæ contrarium est! per quod diabolus cœlum perdidit, per hoc homo paradisum amisit, per hoc Saul regnum, per hoc Salomon amorem divinum. *Ibid.*

34. Obedientia sancta est Dei sponsa, perfecta scala qua cœlum ascenditur, quadriga qua Helias vectus est in paradisum, porta paradisi fidelium, et clausura reorum inferni. *Ibid.*

35. Obedientia sancta humilitatem nutrit, patientiam probat, mansuetudinem examinat. *Ibid.*

36. Nihil est majus obedientia, nihil pejus inobedientia. Adam periit, quia inobediens fuit; Christus resurrexit, quia Patri obedivit. Jonas inobediens, a pisce absorptus est : Saül inobediens, a dæmone correptus est. *Ibid.*, serm. 34.

37. Obedientia sine mora esse debet; non placet Deo morosa et disceptatrix obedientia, quæ quidem cum præcipitur, quæritur quare, quamobrem præcipiatur. *Ibid.*, serm. 40.

38. Debet obedientia esse sine mora, non cum

murmure, atque cum tristitia animi, sed cum gaudio et hilaritate. *Ibid.*, serm. 61.

39. Non semper malum est non obedire præcepto, cum dominus jubet ea quæ sunt contraria Deo, tunc ei obediendum non est. Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 2, caus. 11, quæst. 3, can. *Non*.

S. BERNARD. 40. Nec studium bonæ actionis, nec otium sanctæ contemplationis, nec lacryma pœnitentis, extra obedientiam esse poterunt. *Ad Milites templi*, cap. 13.

41. Quam pauci inveniuntur in hac perfectæ obedientiæ forma, qui suam ita abjecerint voluntatem, ut ne ipsum quidem cor proprium habeant; ut non quid ipsi, sed quid Dominus velit, omni hora requirant! Serm. 1, *de Convers. S. Pauli*.

42. Si quis obediat, sed simulatorie et ad oculum, murmuret autem in abscondito, falsa est obedientia ejus. Serm. 2, *de S. Andrea*.

43. In obedientia nævum caveas propriæ voluntatis. Serm. *de Tribus ordin*.

44. Quisquis vel aperte vel occulte satagit, ut quod habet in voluntate, hoc ei prælatus injungat, ipse se seducit, si forte sibi quasi de obedientia blandiatur : neque enim in ea re ipse prælato, sed magis ei prælatus obedit. *Ibid.*

45. Propriæ amor quietis, sanctæ obedientiæ actibus, seniorumve traditionibus, præjudicium nullatenus facere debet. Serm. 46, super *Cant.*

46. Obediendi devotio lenit imperium. Serm. *de Conver. ad clericos*, cap. 30.

47. Verus obediens non attendit quale sit quod præcipitur, hoc solo contentus quia præcipitur, et hæc est obedientia sine mora. Epist. 7, *ad Adam monach.*

48. Si optio detur, pigra potius eligenda est inobedientia cum resipiscentis conscientia, quam malorum fratrum studiosa obedientia cum scandalo. *Ibid.*

49. Melius agit inobediens resipiscens ab errore abbati, sed non charitati, servando unitatem in vinculo pacis ; quam falsi fratres, qui ita obtemperant homini uni, ut unum præferant, communitati. *Prosec.*

50. Expedit magis cuilibet sola unius hominis periclitari obedientia, quam reliquis omnibus pietatis bonis, et votis propriæ professionis. *Ibid.*

51. Sola causa qua non liceat obedire parentibus, Deus est. Epist. 111.

52. O monachum obedientissimum, cui ex quibuslibet verbulis, ne unum quidem iota prætervolat ! Epist. 7, *ad Adam monach.*

53. Merito non fidelis, sed plane rebellis atque contemptor reputabitur, quisquis obedire renuerit mandatis. Epist. 77, *ad Hugonem de S. Victore*.

54. Modus est obeditionis, tenor professionis : nec se valet extendere potestas imperantis, nisi quatenus attigerit votum profitentis : citra et ultra, nec non etiam contra, quid aliud quam obedientiæ limites quosdam censuerim ! *De Præcepto et Dispensat.*

55. Perfecta obedientia legem nescit, terminis non arctatur, ad omne quod injungitur spontanea fertur, vigore liberalis alacrisque animi modum non considerans. *Ibid.*

56. Tam qualitas præceptorum quam auctoritas præcipientium, et obedientiæ præfigit metam, et inobedientiæ terminat culpam. *Ibid.*

57. In obediendi ratione hæc generalis regula teneatur, ut in difficilioribus quidem agendis, obeditio gratior quam gravior prævaricatio judicetur : et in facilioribus minusve onerosis contemptus damnabilior, quam actus laudabilior æstimetur. *Ibid.*

58. Novit verus humilisque obediens, et minima non contemnere, et maxime curare quæ maxima sunt, intimo quodam devoti sincerique animi sapore discernens. *Ibid.*

59. Obedientia quæ majoribus præbetur, Deo exhibetur. *Ibid.*

60. Familiaris et amica saluti obedientia est. In *Declamat.*

61. Omnis bonus obediens, dat suum velle, et suum nolle. Lib. *Medit.*, cap. 4.

62. Redemptori suo non obedit, qui innocens non est : et innocens esse non potest, qui obedire contemnit. *De Ordine vitæ.*

63. Necesse est ut obedientia non servili metu, sed charitatis affectu fiat : non terrore pœnæ, sed amore justitiæ. *Ibid.*

64. Summæ et admirabilis obedientiæ virtus in Abraham, et singularis excellentiæ laudibus est prædicanda. Serm. *de Virt. obedient.*

65. Fortissima res est obedientia, et quæ in animum descendere non potest, nisi a mundi hujus aspergine pure presseque detersum. *Ibid.*

66. Obedientia ad Deum nunquam est hominis arbitrio temperanda, sed incommutabili conservanda proposito. *Ibid.*

67. Hæc est propria hominis obedientia, quam homini debemus, qui homini subditi sumus. *Ibid.*

68. Quidquid obedientiæ prælatis exhibetur, Deo exhibetur. *Ibid.*

69. Difficile quidem est suam relinquere voluntatem, et alterius voluntati deservire : sed tamen maxime meritorium est obedire libenter. *Ibid.*

70. Ex voluntate suscipienda sunt imperia prælatorum, et ipsum cor a suis voluntariis re-

flexionibus adducendum, donec propria voluntas mactata, mandatum diligat imperantis. *Ibid.*

71. Libenter obedire, est prælatorum voluntatem voluntarie adimplere. *Ibid.*

72. Incede simpliciter in mandatis obedientiæ, addens voluntati simplicitatem, intentioni illuminationem. *Prosec.*

73. Fortitudo simplicis via Domini est, quæ obedientia est : fortitudinem enim induunt, qui obedientes sunt, et simpliciter incedunt. *Ibid.*

74. Serenitas in vultu, dulcedo in sermonibus, multum colorant obedientiam obsequentis. *Prosev.*

75. Quis enim locus obedientiæ, ubi alacritas elongatur, ubi tristitiæ cernitur ægritudo? ostendunt plerumque voluntatem animi signa exteriora, et difficile est, ut vultum non mutent qui mutant voluntatem.

76. Nubilosa corporis compositio, et facies tenebris offuscata tristitiæ, devotionem ab animo recessisse signant.

77. Cernis igitur quam necessaria et conveniens sit hilaritas in obedientiæ executione, quis enim imperat libenter tristitiam efflanti?

78. Si vis ergo perfectus esse, hilariter et cum magna vultus alacritate suscipe jubentis imperium ; ut voluntati cordis, simplicitati operis, vultus hilaritatem adjungas. *Ibid.*

79. Velociter est obsecundandum obedientiæ ; velociter enim currit sermo Dei, et velocem habere desiderat sequentem. *Ibid.*

80. Fidelis obediens nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem, parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes ; totum se colligit, ut imperantis colligat voluntatem. *Ibid.*

81. Tu cum voluntatem cordi, simplicitatem operi, hilaritatem vultui in obedientia conjunxeris, adde velocitatem, ut sis ad implendum velocior. *Ibid.*

82. Nihil proderit fortiter obedire, si contigerit infeliciter superbire. *Ibid.*

S. BONAV. 83. Modus vere obediendi divinis præceptis, hic est : sit sedulitas in profectu virtutis ; sit profunditas in descensu humilitatis ; sit firmitas in affectu charitatis. Super *Luc.*, cap. VI.

84. Verus obediens debet esse silens a murmuratione, purus intentione, placens executione, silens ore, purus corde, placens opere. Serm. 3, *Dom. infra octav. Epiph.*

85. O quam detestabile vitium obedientiæ contrarium, per quod angelus de cœlo, homo de paradiso cecidit! Serm. 3, *Dom.* 3 *post Epiph.*

86. O confusio summa! o perversio detestanda! quia majoris sunt obedientiæ bruta, quam rationalia : nam apes in tantum regi suo obedientes sunt, ut ad ejus imperium exeant et subsistant vadant et redeant, et castra ponant. *Prosec.*

87. Ei non obediens eris, cui obediunt cœlestia agmina ; obediunt, velint nolint, dæmonia ; obediunt omnia cœlestia corpora ; et obediunt quatuor elementa, et omnia animalia? Serm. 1, *de SS. Apostolis.*

88. Quæ nequitia, quæ perversitas! quia leo rugit, omne animal gressum figit, expectans imperium sui regis ; et summus Rex summam utilitatem servo mandat, et non est qui obediat. Serm. 1, *de SS. Evangel.*

89. Obedientia est schola Salvatoris, nobile genus martyrii, palma triumphalis, scala paradisi. Tit. 4, *Diætæ*, cap. 2.

90. Obedientia est navis ad cœlum transiens, clavis cœlum aperiens, avis ad cœlum ascendens. *Ibid.*

91. Obedientia est summa in merito, vicina Deo, proxima cœlo. *Ibid.*

92. Libentius obeditur ei, qui diligitur, quam qui timetur : obedientia dilectionis propriæ est voluntaria, timoris autem magis est coacta. *De Sex alis Seraphin,* cap. 6.

93. Perfecta obedientia sua imperfecta relinquit. Part. 1, in *Speculo discipl.*, cap. 4.

94. Bonus obediens nec verbum expectat, ubi de superioris sibi constiterit voluntate. *Ibid.*

95. Nunquam de majorum sententia judicent, quorum officii est obedire, et implere quæ justa sunt. *Ibid.*

96. Felix servitus, non suæ, sed alterius propter Deum obedire voluntati. *Ibid.*

97. Secure per omnia obeditur, ubi contra Deum nihil præcipitur. *Ibid.*, part. 2, cap. 3.

98. Necessitate obedit, qui cogitur invitus : et libenter esset liber, si posset, vel auderet. Lib. 2, *de Profectu relig.*, cap. 40.

99. Ut melius valeas esse obediens, cogita semper quando vox præcipientis sonat in auribus tuis, quod vocem istam, non tanquam ab homine audias, sed tanquam ab ipso Deo. In *Octo collat.*, collat. 3.

100. Non est obediens, sed negligens, qui secundum expectat mandatum. *Ibid.*

101. Nemo ad perfectionis semitam currendam magis expeditus est, quam verus obediens. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 4.

102. Habenda est plane in agendis obedientiæ sanctæ auctoritas, sine qua nec etiam ipsa bona, bona sunt. *Ibid.*

103. Magnum est peccatum inobedientiæ, quo totus periit mundus : magna est virtus obedientiæ, qua totus salvatus est mundus. *De Laudib. Eccles.*, cap. 1, *de Paradiso.* S. BRUNO.

104. Primus homo inobediens factus, seipsum perdidit et nos : secundus homo factus est obediens usque ad mortem ut salvaret nos. *Ibid.*

S. CYPRIAN. 105. Obedientia, quæ omnium disciplinarum mater est, magna exercitatione indiget, quæ sui normam studii a Christo Domino sumpsit. *De Duodecim abusion.*, cap. 3.

S. DIADOCH. 106. Obedientia janua et aditus charitatis est in Deum, repudiat enim arrogantiam, parit autem humilitatem. *De Perfect. spirit.*, cap. 41.

DIONYSIUS CARTHUS. 107. Obedientia virtus est castitate et paupertate præstantior. *De Profess. monast.*, art. 12.

108. Religiosus non se excuset ab adimpletione ejus quod sibi injungit superior, quasi melius aut sublimius quid acturus; quia quidquid fecerit extra obedientiam, non placet Deo. *Ibid.*, art. 13.

S. EPHRÆM. 109. Vir obediens præcipientibus non resistit, jubentibus non adversatur, reprehensus non irascitur. *De Obedientia.*

S. EUSEBIUS CÆSARIENS. 110. Non est obediens, sed negligens, qui secundum expectat mandatum. Epist. *ad Damas. Pap. de morte D. Hieron.*

111. Hoc semper vera optat obedientia, nunquam suæ obtemperare voluntati, sed reverenter alienæ. *Ibid.*

S. EUSEBIUS EMISSEN. 112. Ita inobedientia obdurat animam, quam semel cepit, ut ad suscipienda præcepta nec auctoritate, nec ratione flectatur : sed quod pessimum est sibi soli credat, et hoc solum rectum, quod obdurato corde concepit. Hom. 3, *ad Monachos.*

113. Quanto humiliores et obedientiores fuerimus, tanto super nos levius ac dulcius jugum Domini sentiemus. *Ibid.*

114. Quantum obedientiores fuerimus præpositis nostris, in tantum obediet Deus orationibus nostris. *Ibid.*

115. Videmus per inobedientiam animarum opera non respici; jejunia non audiri, vota non suscipi. *Ibid.*

116. Nullus senior tam indoctus appareat, ut putet quod eum non deceat obedientia, quæ Deum decuit. *Ibid.*

S. FRANCIS. ASSISIAS. 117. Quidquid subditus facit aut dicit, quod ipse sciat quod non sit contra voluntatem prælati sui, dum bonum sit quod facit, vera obedientia est. In suis *Opusc.* in *Admonit. ad fratres*, cap. 3.

118. Quanto contemptibilior præsidet, tanto magis humilitas obedientis placet. In suis *Opusc.*, collat. 4, *de Obedientia.*

119. Summa obedientia est,in qua superioris voluntas inferioris voluntatem gubernat, et nihil quod suum sit, aut appareat, habeat caro, vel sanguis. *Ibid.*, oraculo 15.

120. Quid desperatius, quam obedientiæ neglector, aut contemptor. *Ibid.*, oraculo 19.

121. Obedientia est fidei opus, probatio veræ spei, argumentum charitatis, mater humilitatis, genitrix pacis. *Ibid.*, orac. 27.

122. Perfecta obedientia est illa, qua religiosus facere omittit quod sibi melius et consultius videtur, ut quod minus rectum et consonum judicat, compleat. *Ibid.*, serm. 5.

123. Fertilissimus est obedientiæ fructus, nihil est temporis vero obedienti sine lucro. *Ibid.*

124. Talis esse debet verus et perfectus obediens, ut cæcus ad obediendum sit. In suis *Opusc.* exemplo 2.

125. Si dominis temporalibus præcipiuntur servi cum tremore obedire, quanto magis æterno illi regi regum, et Domino omnium dominantium? In *Annot. super Psalm.* II, vers. 11 : *Servite Domino cum timore.* FRANCISCUS TITELM.

126. Si subditus credit quod præceptum prælati sit contra Deum, secure non obediat, licet juraverit ei obedire in omnibus; quod intelligendum est de licitis, et justis, et honestis. In *Decret. Gratiani.* GLOSS. DEC.

127. Obedientia est complenda sine mora, et observanda. Super *Genes.*, cap. XVII, in illud : *Statim in ipso die.* GLOSS. INT.

128. Iter regni Dei est obedientia. Super *Matth.*, cap. VII. GLOSS. ORD.

129. Adam si in obedientia perseverasset, sensus corporis ad nullam malam voluptatem verterentur. Super *Apocal.*, cap. 17.

130. Sola obedientia est, quæ fidei meritum possidet, sine qua infidelis quisque convincitur, etiamsi fidelis esse videatur. Lib. 35, *Moral.*, cap. 10, num. 12. S. GREGOR. MAGN.

131. Nunquam per obedientiam, malum fieri debet : aliquando autem debet per obedientiam bonum, quod agitur, intermitti. *Ibid.*, num. 13.

132. Debet obedientia et in adversis ex suo aliquid habere, et in prosperis ex suo aliquid omnimodo non habere. *Prosec.*

133. Quatenus et in adversis tanto sit gloriosior; quanto divino ordini etiam ex desiderio jungitur : et in prosperis tanto sit verior, quanto a præsenti ipsa quam divinitus percipit gloria, funditus ex mente separatur. *Ibid.*, num. 13.

134. Redemptori suo non obedit, qui innocens non est : et innocens esse non potest, qui obedire contemnit. *Ibid.*, num. 14.

135. Obedientia non servili metu, sed charitatis affectu servanda est : non terrore pœnæ, sed amore justitiæ. *Ibid.*

136. Sola virtus est obedientia, quæ virtutes cæteras menti inserit, insertasque custodit. *Ibid.*, num. 12.

137. Obedientia victimis jure præponitur, quia

per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur. *Ibid.*, num. 15.

138. Obedientia aliquando si de suo aliquid habeat, nulla est; aliquando autem si de suo aliquid non habeat, minima est. *Prosec.*

139. Nam cum locus superior imperatur, is qui ad percipienda hæc obedit, obedientiæ sibi virtutem evacuat, si ad hæc ex proprio anhelat.

140. Neque sub obedientia dirigit, qui ad percipienda hujus vitæ prospera, libidini propriæ ambitionis servit. *Ibid.*, num. 13.

141. Qui obedire præceptis cœlestibus student, dies suos in bono complent, et annos in gloria. *Ibid.*, lib. 26, cap. 22, super illud *Job* XXXVI : *Si audierint, et observaverint.*

142. Vera obedientia nec præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit : quia qui omne vitæ suæ judicium majori subdidit, in hoc solo gaudet, si quod sibi præcipitur, operatur. *Prosec.*

143. Nescit judicare quisquis perfecte didicerit obedire, quia hoc tantum bonum putat, si præceptis obediat.

144. Præceptum in hoc solo pensari debet, quod majoris præceptum est, et qui obedientiæ bonum exequitur, non injunctum opus debet considerare, sed fructum.

145. Ad promerenda æternæ vitæ gaudia, non exquiritur qualitas operis, sed fortificatio propriæ, et executio alienæ voluntatis.

146. Quisquis alieno imperio subditus est, hoc solum consideret, quia quod sibi secundum Deum injungitur, valde magnum et excelsum in lucro est menti, quod vitam præparet in mercede retributionis.

147. Majoris est meriti charitatis injuncta refectio, jejunio propria deliberatione suscepto : qui jussus carnem reficit invitus, jejunii præmium devotione promeruit, et ampliorem mercedem obedientiæ manducando conquisivit. Lib. 2, in I *Reg.*, cap. III, super illud : *Vade et dormi.*

148. Hæc est forma electæ obedientiæ, ut in omni quod foris agitur, ad potentiam Conditoris ubique præsentem respiciatur. *Ibid.*, lib. 4, cap. 5.

149. Perfecta obedientia, quæ hominibus exhibetur, munus est Creatoris, et oblatio Domini : quia hominibus pro Deo offertur, sed oblata hominibus, a Deo suscipitur. *Prosec.*

150. Victimæ enim sunt obsequia obedientium, quia cum hominibus pro Deo quis subjicitur, superbi spiritus superantur. *Ibid.*, super illud : *Septem diebus expectabis me.*

151. Victores sunt, qui obediunt : quia dum voluntatem suam aliis perfecte subjiciunt, ipsi per obedientiam lapsis angelis dominantur. *Prosec.*

152. Cæteris virtutibus dæmones impugnantur per obedientiam vero vincuntur. *Ibid.*

153. Plerique sunt fideles, qui prælatis suis humiliter obedire sciunt, alta cogitare nesciunt : sciunt quidem imperata perficere, nesciunt aliis imperanda prævidere. *Ibid.*, lib. 4, cap. 5.

154. Tenenda est subditis virtus obedientiæ non remissa. *Ibid.*, lib. 5, cap. 4.

155. Si obedierimus præpositis nostris, obediet Deus orationibus nostris. Hab. apud *D. Antonin.* part. 4, tit. 5, cap. 11, § 3.

156. Bonum est obedire majoribus, et parere præfectis. Epist, 8, *ad Demetriad.* S. HIERON.

157. Initium obedientiæ est, quid præcipiatur velle cognoscere : et pars est obsequii, didicisse quid facias. Epist. 1, *ad Demetriadem.*

158. O felix et abundans gratia ! in obedientia summa virtutum clausa est : nam simplici gressu hominem ducit ad Christum. In *Regula Monachar.*, cap. 6, *de Obedientia.*

159. Verus obediens, et qui pro Christo caret omni arbitrio voluntatis, nihil novit difficile, nihil injustum. *Ibid.*, cap. 8.

160. Ibi non est monasterium, non religiosi, ubi subditis obedientia deest erga prælatum : destructioni est corpus expositum, cum membra discordant a capite. *Ibid.*

161. Obedientia illa vera et perfecta est, quæ in nullo contemnit. Super II *ad Cor.*, cap. II, in illud : *In omnibus obedientes sitis.*

162. Qui innocens est obedit ; et innocens esse non potest, qui obedire contemnit. Super *Regul.* HUGO A S. VICTORE.
D. Aug., cap. 11.

163. Morbus inobedientiæ, languor est animæ, et ex superbiæ tumore procedens. Lib. 2, *de Claustro anim.*, cap. 13.

164. Imponitur nomen obedientiæ præcepto, facto, loco, ut designet, quod præcipitur, monstret quod agitur, nominet locum, in quo quis moratur : de præcepto, dicitur, injungit ei obedientiam ; de facto, complevit eam ; de loco, apud eam moratur obedientia : prima est facilis ; secunda gravis ; tertia ad utrumque se habet. *Ibid.*

165. Hanc obedientiam multi desiderant, ut extra obedientiam esse queant : et sic fit, ut vocetur obedientia, cum non sit. *Ibid.*

166. Multis modis obedientia quæri solet : auxilio, consilio, ingenio : auxilio parentum, consilio fratrum, simulationis ingenio. *Prosec.*

167. Ut quod minis parentum, vel exhortationibus fratrum non potest obtineri, saltem simulationis ingenio possit adipisci. *Ibid.*

168. Hæc obedientia, quæ conceditur alicui parentum exactione, seu fratrum seductoria exhortatione, vel etiam boni operis simulatoria ostensione, obedientiæ nomen habet, sed re caret. *Ibid.*

169. Cita debet esse obedientia, ut fiat cum humilitate et sine tarditate. *Ibid.*, lib. 3, cap. 21.

170. Obedientia est vicaria servitus. Lib. 4, *de Anima*, cap. 16.

171. Obedientia est præceptorum incitatrix. *Ibid.*, cap. 16.

HUGO CARD. 172. Obedientia perfecta, est in abrenuntiatione propriæ voluntatis. Super *Psalm.* XXXIX.

173. Sola obedientia verissime est virtus, quæ totaliter vivit contra se : ubi enim aliquid suum habet, aut nulla, aut minima est. Super *Prov.*, cap. XXI.

174. Obedientia est porta paradisi, et meritum regni. Super *Hierem.*, cap. XLII.

JOAN. CASS. 175. Obedientiæ virtutem non solum operi manuum, seu lectioni, vel silentio, et quieti cellæ, verum etiam cunctis virtutibus ita præferunt, ut huic judicent, omnia postponenda. Lib. 4, *de Cœnob. inst.*, cap. 12.

176. Unum sane atque idem inobedientiæ genus est, vel propter operationis instantiam, vel propter otii desiderium, superioris violare mandatum. Collat. 4, *Abbat Danielis*, cap. 20.

S. JOANNES CHRYSOST. 176 *bis*. Talem obedientiam Christus efflagitat, ut neque punctum temporis differamus, etiamsi nos aliquid necessarium urgere videatur. Homil. 14, super *Matth. Oper. perf.* in illud 4 : *Venite post me.*

177. Qui fidelis est, et ut oportet firmus, ratione non indiget, neque causa eorum, quæ ei præcipiuntur, sed sola admonitione contentus est : imbecillior autem cognita rei veritate, diligentius rem accipit, et quam promptissime paret. Homil. 26, super 1 *Cor.*

178. Etiamsi qui præsunt, improbi fuerint, innumerisque scaterent malis, obediendum est eis. Super *Epist. ad Galat.*, cap. 1.

S. JOAN. CL. 179. Obedientia est sepulcrum voluntatis, et excitatio humilitatis : nihil resistit, nihilque discernit, mortuus in bonis, aut his quæ videntur mala. *Gradu.* 4.

180. Quanto fuerit in corde viridior fides, tanto corpus ad officia omnia et ministeria promptius occurrit. *Ibid.*

181. Obedientia est simulationis, propriique desiderii omnimoda renuntiatio. *Ibid.*

JOAN. GERS. 182. Tanto erit obedientia tua placentior Deo, tibique fructuosior, quanto est indignior ille, cui propter Deum subjici non refugis. Tract. *de Præparat. ad Missam.*, consid. 3.

183. Oportet ut obedientia sit constans, sit vera, sit hilaris, sit affectuosa : constans illorum obedientia non est, qui ad ea quæ sibi placuerint, tantum obedire proponunt : vera illorum obedientia non est, qui pro lucro vel commodo temporali obediunt : hilaris illorum obedientia non est, qui cum murmure, vel responsione nolentis, quæ jubentur perficiunt : affectuosa illorum obedientia non est, qui etsi respondere non audent, rancorem tamen et malevolentiam in pectore versant. Serm. *de Verb. Dom.*

184. Nihil Deo adeo gratum est, et dæmonibus horrendum, sicut obedientia. Super prolog. *Regul. S. Bened.*, cap. 2. JOAN. TRIT.

185. Magna virtus obedientiæ est, quæ non solum in magnis, sed etiam in parvis Deo acceptabilis est. In cap. 3, *Regul. S. Bened.*, verbo *Nihil.*

186. Vera obedientia ex ore rapit imperium jubentis, ut eodem momento, quo imperat major, obtemperet minor. *Ibid.*, in cap. 5, verbo *Mox.*

187. Obedientia in difficilioribus gratior est, et inobedientia in facilioribus gravior. *Ibid.*, verbo *Acceptabilis.*

188. Monachus sine obedientia est monstrum diaboli. *Ibid.*, homil. 20.

189. Obedientia est Spiritus sancti domicilium, et quietum voluntatis propriæ sepulcrum. *Ibid.*

190. Obedientia est elationis et superbiæ omnis exterminium, et cunctorum persecutrix vitiorum. *Ibid.*

191. Obedientia est animæ vulneratæ remedium, et totius observantiæ monasticæ fundamentum. *Ibid.*

192. Obedientia armatura est fortissima, cui nulla poterunt adversa nocere. *Ibid.*

193. Vera obedientia non murmurat, non hæsitat, non tristatur, non quærit diverticulum, non tardat, non se excusat, sed ad mandatum excurrit læta *Ibid.*

194. Obedientia est, quæ animam Deo reconciliat, et præter effusionem sanguinis Martyres coronat. *Ibid.*

195. Quandiu homo obediens extitit Creatori, obediens mansit creatura homini. Lib. 1, *de Tent. relig.*, cap. 2.

196. Etiam in dubiis præceptis, pravis prælatis obediendum est : in præceptis autem manifeste malis, nullatenus est obediendum, etiam bonis prælatis. Epist. *ad Cludium ducem.* S. ISIDO[R.] HISPALE[N.]

197. Sicut sine duce non confiditur de victoria, et sine gubernatore non pervenitur ad portum : ita et absque obedientia impossibile est in hujus vitæ pelago non periclitari. *De Ligno vitæ*, tract. 6, *de Obedient.*, cap. 3. S. LAURI[E.] JUSTI[N.]

198. Importabile onus est obedientia super-

bienti, et humili voluntas propria. *De Compunct. et complanct.*, cap. 2.

S. LEO. I. 199. Obedientia mollit imperium, nec dura ibi necessitate servitur ubi diligitur quod jubetur. Serm. 4, *de Jejun. septimi mensis.*

200. Ubi est incolumitas obedientiæ, ibi sana est forma doctrinæ. Epist. 87, *ad Episc. African.*, cap. 1.

LUDOVICUS BLOSIUS. 201. Eximia virtus, eximia plane virtus, obedientia est : contra, nolle acquiescere, gravissimum omnino scelus est. In *Canon vitæ spirit.*, cap. 27.

202. O qui sciret quantus fructus in virtute obedientiæ lateat, quam religiose, etiam minima quæ sibi præscripta essent, impleret : quam prompte voluntatem alterius sua voluntate confracta relictaque faceret! Lib. 1, *Enchirid. Parvulor.*, document. 5.

203. Nulla virtus, nullum virtutis opus Domino placet, si vitio inobedientiæ contaminetur. *Ibid.*

204. Obedientia tanta virtus est, ut vel minimum aliquod opus ex ea factum, qualecunque illud fuerit, multo melius Deoque acceptius sit quolibet alio opere, quamlibet etiam magno, quod sine obedientia peragitur. In *Apolog. pro Taulero*, cap. 6.

205. Nullum in hac vita charius digniusque sacrificium Deo omnipotenti offerri potest, quam cor humile, atque obediens. *Ibid.*

PET. BLES. 206. Placeat Deo, ut sicut dispendium patimur primæ obedientiæ, ita mihi claudat obedientia cursum vitæ. Epist. 109, *ad Hubert. Cantuariens. Archiep.*

207. Sine omni delectu, sine omni exceptione faciat regulæ professor, quod injungitur sibi. Quid vero vel quale, vel quantum sit, quod injungitur, non discernat. *Ibid.*, epist. 134, *ad Vuilhel. electum.*

208. Vir obediens vincit mundum, diabolum et seipsum. *Ibid.* epist. 137, *ad Alexandr.*

209. Sicut obediendum est libenter, sic et hilariter, sic et velociter. *Prosec.*

210. Obedientia enim sine mora placet Deo, non placet autem Deo morosa, et disceptatrix obedientia : quæ si quid præcipitur, disputando quærit, cur, quare, quamobrem præcipiatur. *Ibid.*, serm. 32, *de S. Augustino.*

PHILO JUD. 211. Apud omnes qui recte sapiunt, nihil honestius habetur, nihil optabilius, quam Deo parere. *De Abrahamo.*

S. PROSPER. 212. Obedientiæ ac patientiæ virtute fundati, majorum suorum non discutiunt constituta, sed faciunt. Lib. 2, *de Vita contempl.*, præfatione.

S. THOMAS AQUINAS. 213. Subditi in iis tantummodo superioribus suis obedire tenentur, in quibus ipsis suis superioribus subjiciuntur, et in quibus ipsi superiores sublimioris potestatis præcepto non adversantur. 2, 2, quæst 104, art. 5.

214. Obedientia tanto magis est meritoria et laudabilis, quanto minus habet de suo. *Ibid.*, art. 2, argum. 3.

215. Perfectæ obedientiæ est, obedire in omnibus quæ non sunt contra Deum. Super 2, *Sent.*, dist. 45, quæst. 2, art. 1, ad. 2.

THOMAS A KEMPIS. 216. Perfecta obedientia de suo proprio quæsitu nihil habere debet, nec parum, nec magnum cum amore vitioso possidere. Serm. 17, *ad Novit.*, divis. 6.

217. Nil perfectius, nil salubrius, nil utilius, nil laudabilius, nil securius, nil quietius pro bona conscientia et pace cordis habenda, quam omni hora, sine contradictione, sine mora, sine fictione, sine aversione, prompte et libenter obedire. *Ibid.*, serm. 18, divis. 6.

218. Sancta et felix obedientia pro Christo, quæ cœli portam aperis morituro. *Ibid.*, serm. 19, divis. 10.

219. Fili, qui se subtrahere nititur ab obedientia, ipse se subtrahit a gratia. Lib. 3, *de Imit. Chr.*, cap. 13.

220. Ubi prompta obedientia, ibi læta conscientia. In *Hortulo rosar.*, cap. 18, sect. 2.

221. Sine obedientia, aut parva, aut nulla sunt opera nostra æstimanda, aut ponderanda. *Prosec.*

222. Cum autem humili et prompta obedientia, etiam complacent Deo valde parva et vilia servitia. In *Hospit. pauper.*, cap. 5.

223. Verus obediens non est tardus, nec negligens, nec querulosus, sed pro posse paratus ad omnia Deo placita. *Ibid.*

224. Sive obediens orat, sive laborat, sive vigilat, sive dormit, sive loquitur aut tacet, sive stat aut ambulat, sive scribit aut legit, sive intrat, aut exit, sive comedit aut jejunat; omnia ex virtute obedientiæ in bonum et ad meritum ipsi convertuntur. *Ibid.*

225. Multo tutius obedire, quam præcipere. In *Exercit. spirit.*, cap. 12.

226. Nemo tam quiete vivit, nemo tam secure moritur, sicut verus obediens. *Ibid.*

227. Omnis religiosus in obedientia vivens, paratus suam voluntatem frangere, atque prælato suo humiliter nitens obedire, iste veraciter in spiritu martyr efficitur, quamvis materiali gladio in collo non feriatur. Serm. 11, *ad Novit.*, divis. 5.

S. VALER. EPISC. 228. Qui ex voto domino suo paret, acquirit gratiam; invitus, accumulat injuriam. Homil. 3, *de Arcta vitæ.*

IN VITIS PATR. 229. Prima monachorum virtus, est obedientia. Lib. 4, cap. 4.

230. Ministerium monachi est obedientia, quam qui possidet, quod poscit exaudietur. Lib. 5, libell. 14 *de Obedient*, num. 11.

231. Qui ad obedientiam patris spiritualis animum dederit, majorem mercedem habet, quam ille qui solus in eremo recesserit. *Ibid.*, num. 19.

232. Obedientiæ elogia : obedientia salus est omnium fidelium; obedientia genitrix est omnium virtutum; obedientia regni cœlorum inventrix est; obedientia cœlos aperiens, et homines de terra elevans est; obedientia cohabitatrix angelorum est; obedientia sanctorum omnium cibus est. *Ibid.*, num. 19,

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 233. Gere morem parenti, pare cognatis, obsequere amicis, obtempera legibus. Lib. 4, *de Arte rhetor.*

PLATO. 234. Rebellem esse ei, qui nobis superior præsit, Deo et homini illud nefarium et turpe est. Sizygia. 1, *in Apolog.*

235. Deo mallem parere, quam hominibus. *Ibid.*

SIXTUS PHILOSOPH. 236. Qui sapienti non obtemperaverit, nec Deo obtemperabit. Sent. 237.

Vide etiam tit. *Discipulus*, sent. 44; *Dominium* sent. 16; *Exaudire*, sent. 10, 43; *Mandatum in genere*, sent. 42, 54; *Mandatum Dei*, sent. 14; *Monialis*, sent. 46; *Multitudo*, sent. 37; *Novitius*, sent. 77, *Parentes*, sent. 35, 95, 109, 149; *Perfectio*, sent. 51; *Privilegium*, sent. 20; *Præsumptio*, sent. 27; *Servitus*, sent. 25; *Subjectio*. sent. 38; *Timor pœnæ*, sent. 88.

OBLATIO.

COLLECTOR. *Definitio*. Oblatio est doni præsentatio.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ALBERT. MAGN. 1. Nihil aliquid ditius offertur Deo, bona voluntate, *De adhærendo Deo*, cap. 11.

S. AMBROS. 2. Quidquid ex affectu puro ac sincero promitur, hoc est decorum. Lib. 2 *Offic.*, cap. 21.

3. Perspicuum est Deum non muneribus oblatis placari, sed offerentis affectu. Lib. 2, *de Cain et Abel*, cap. 6.

S. AMBROS. & S. AUGUST. 4. Quatuor considerantur in omni sacrificio; cui offeratur; a quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur. Super. *Epist. ad Hebr.*, cap. 8. Et *S. August*, lib. 4, *de Trinit.*, cap. 14.

S. AUGUST. 5. Qui sua peccata redimere vult temporalium oblatione, caveat ut prius offerat mentem. *De Vera et falsa pœnit.*, cap. 15.

6. Ea est vis amoris, ut oculus mentis offerat quod ardentius mens desiderat. *De Amicitia*, cap. 26.

7. Non intendit Deus ad munus, sed in corde videt, et quem videt cum charitate offerre, ipsius sacrificium respicit : quem vero videt cum invidia offerre, ab ipsius sacrificio oculos avertit. Tract. 5, super *Epist. Joan.*, cap. 3.

8. Ille apud Deum plus habet loci, qui plus attulerit, non argenti, sed fidei. *De Ovibus*, cap. 16.

9. Offertur animo Deo moribus sanctis, cogitationibus castis, operibus fructuosis. Serm. 3, *de Nativit.*

10. Si obtulisti florem juventutis tuæ diabolo, saltem fæcem senectutis tuæ immolare non differas Christo. Serm. 8, *ad Fratres in eremo.*

11. Recte offertur sacrificium, cum offertur Deo vero, cui uni tantummodo sacrificandum est. Lib. 15, *de Civit. Dei*, cap. 7.

12. Cum me tibi totum offero, parum non est : offero enim quem vehementissime diligis. Epist. 32.

13. Voventur omnia, quæ offeruntur Deo. Epist. 59.

14. Quod offertur in locis Sanctorum, offertur Deo. Lib. 20, *contra Faust.*, cap. 21.

15. Ornamenta corporalia offerre nec possumus, nec debemus. Homil. 26, *ex* LIII *Homil.*

16. Quidquid pretiosius inveni, devote obtuli. Lib. *Medit.*, cap. 8.

V. BEDA. 17. In multis frustra laborat, qui sua magis quam seipsum Deo offerre studet. In suis *Proverb.*, verbo *In*.

S. BERNARD. 18. Oblatio, quam Deo immolamus, triformis esse debet, affectuosa, ut mens concordet voci; fructuosa, ut ædificationem pariat intuenti; Gratiosa, ut placeat Conditori, qui gratis dedit. In suis *Sentent.*, cap. *Oblatio.*

19. Duo minuta habeo, Domine, corpus et animam dico; utinam hæc tibi perfecte possim in sacrificium laudis offerre : bonum enim mihi longeque gloriosius atque utilius est, ut tibi magis offerar, quam auferar mihiipsi. Serm. 3 *Purif.*

20. In oblatione sit constantia virilis, sit continentia carnis, sit conscientia humilis. *Ibid.*

21. Si recte offers, et recte non dividis, peccasti : noli esse rectus oblator, et pravus divisor; munus mortuum offers Deo. Serm. 24, super *Cant.*

S. BONAV. 22. Considerandum est in oblationibus, quid, cui, quantum, quomodo, ubi, quando, quid, quia tuum, non alienum, neque deterius quod habes. Sed heu! id hodie faciunt multi : vilissimum denarium sacerdoti, vilissimum quod est in scutella pauperi, vilissimam prolem religioni offerunt. Cui, Deo : quidquid enim boni amore Dei facis, offers Deo. Sed heu! multi plus ventri quam Deo, plus simoniacis, meretricibus, histrionibus, cauponibus, et similibus offerunt, quam Deo, imo certe diabolo per manus talium offerunt. Quantum, quilibet secundum suam facultatem offerat :

cui enim Dominus plus benedixit in donis, plus merito ipsi offerre debet.

Quomodo, quia sincere. id est, sine rancore, sine mala affectione : non est enim acceptabilis oblatio tua, si habes odium in corde, quanto minus si exerceas crudelitatem in opere. Ubi, quia ad Altare : sed heu ! multi hodie plus ad aleam, et ad similia offerunt, quam ad altare. Altare tuum Christus est : quod in paupere, vel in tua mente ubique invenies. Quando, quia frequenter : quotidie enim innocentiam animæ et corporis cum aliis bonis operibus offerre debes. Sed heu ! festivis diebus multipliciter multi peccando, plus offerunt diabolo, quam Deo. Serm. 2, *Dom.* 5, *post Pent.*, super illud : *Si offers munus tuum.*

ÆSARIUS ARELAT. 23. Festinemus emendatam vitam Domino, antequam auferat, offerre. Homil. 17.

SSIODOR. 24. Non in solis facultatibus oblatio posita est, sed mentis affectu, ubi et pauper potest esse ditissimus. Super *Psalm.* LXVIII, vers. 37.

25. Humile ac mansuetum decet esse, quod studio pietatis offertur. Super *Psalm.* CXXXVI.

CLEM. ALEX. 26. Non munus, sed voluntatem divitem reputat Dominus, qui animam erudit. Hab. apud *D. Joan Damasc.*, lib. 3 *Parall.*, cap. 26.

ONYSIUS RTHUS. 27. Quemadmodum totum quod homo est, potest, et habet, a Deo omnipotente accepit : sic totum quod est, quod potest, quod habet, Deo rependat et offerat, necesse est. *De Profect. spirit.*, art. 14.

ELIGIUS. 28. Unusquisque peccator quando offert Deo pecuniam, offerat illi et animam suam. Homil. 8.

PHRÆM. 29. Præbe Deo non tua, ut tibi det quæ sunt sua. *De Pœnitent.*

NCISCUS TELM. 30. Qui indigne assistunt divinis oblationibus, potius iram Dei provocant, quam placant : et frustra laborat offerentis devotio, ubi eorum pro quibus fit oblatio, immunditia et indignitas, quo minus exaudiantur, obstat. In *Annot.* super cap I. *Job*, in illud : *Et sanctificabat eos.*

LEBERT. RET. 31. Quidquid cum dilectione offertur, non potest ejus delectatione non perfrui ipse qui offert. Serm. 34 super *Cant.*

32. Non potest gratis suscipi, quod non cum gratia offertur. *Ibid.*, serm. 32.

SS. ORD. 33. Deo teipsum, et tuas actiones offer, et ab ipso auxilium expecta. Super *Psalm.* XXXVI.

34. Quidquid in unitate fidei Deo offertur, apud eum recipitur : quidquid vero extra, impietati deputatur. Super *Ecclesiastic.*, cap. 50.

SAINT. 35. Oblatio impiorum abominabile est Domino, quæ offertur ex scelere. Super *Matth.*, cap. XXVII.

36. Oblatio hæreticorum, cibus est dæmonum. Super *Ezech.*, cap. XXXIX.

REGOR. MAGNUS. 37. Tunc est apud Deum oblatio veræ rectitudinis, cum de radice justitiæ procedunt rami pietatis. Lib. 19 *Moral.*, cap. 20, super illud *Job* XXIX : *Oculus fui cæco.*

38. Iram judicis placare nescit oblatio, nisi ex munditia placeat offerentis. *Ibid.*, lib. 22, cap. 12, super illud *Job.* XXXI : *Foris non mansit peregrinus.*

39. Recte offertur, cum recta intentione quid agitur. *Prosec.*

40. Qui agere dissimulat, etiam recte offerens peccat., *Ibid.*, lib. 3, cap. 10.

41. Latro in cruce, clavi manus ejus, pedesque ligaverant, nihilque in eo a pœnis liberum, nisi cor et lingua remanserant, inspirante Deo, totum illi obtulit. *Ibid.*, lib. 18, cap. 23, num 25.

42. Nihil offertur Deo ditius bona voluntate. Homil. 5, super *Evang.*

43. Non Abel offerens ex muneribus, sed ex Abel offerente munera oblata placuerunt. Lib. 7, in *Registro*, indict. 2, cap. 126, epist. 126, *ad Recharedum regem visigot.*

44. Deo victimas offert, qui de virtute quam habet inaniter non extollitur sed omne quod perficit, gratiæ tribuit Conditoris. Lib. 4, in I *Reg.*, cap. V, super illud : *Ego quidem descendam ad te.*

S. GREG. NAZ. 45. Nihil adeo parvum est, si Deo fuerit oblatum, licet sit minimum, licet parvo pretio dignum, cui penitus aditus denegetur, aut non suscipiat misericors ille, qui cuncta justa novit expendere statera. *Prosec.*

46. Hoc pulcherrimum est, et piissimum, quod Deus nequaquam ex dignitate dantis, sed virtute et qualitate fructificantis mensurat donum. Orat. 5, *de Sua excusat.*

47. Deo dare, accipere est : quantumcumque enim attuleris, semper plus est reliquum, et nihil dabis proprium, quoniam omnia sunt a Deo. *Prosec.*

48. Da aliquid Deo, quo te gratum ostendas, ac inter illos recensearis, qui benefacere possunt, et non eos qui beneficio indigeant. Orat. 17, *de Paupert.*

49. Deus alacritatem ipsam pro magna acceptat commendatione. Orat. 3, *de Sancto lavacro.*

50. Virtute nullum gratius donum Deo :

Quidvis licet des, nil tamen dignum feres,
Hoc offer ergo, quod queat pauper dare.
Meretricis horret purus ille præmium.

In *Tetr.* hab. apud *D. Joan Damasc.*, lib. 1 *Parall.*, cap. 32.

S. HIERON. 51. Quidquid supra justitiam offertur Deo, non debet impedire justitiam, sed adjuvare. Epist. 14, *ad Celantiam.*

52. Seipsum offerre Deo, proprie christianorum est, et apostolorum. Epist. 28, ad Lucinum.

53. Certe Christus pro animi voluntate, omnia in acceptum refert. Epist. 35, *ad Exuperantium.*

54. Majoris gratiæ est, offerre quod non debeas, quam reddere quod exigaris. Lib. 1, *adversus Jovian.*

55. Grandis fidei est, grandisque virtutis, Dei templum esse purissimum, totum se holocaustum offerre Domino. *Ibid.*

56. Totum Deo dedit, qui seipsum obtulit. Epist. 1, *ad Paulin.*

57. Amice, videto cui des, et videto cui te des. Epist. 51, *ad Rufin. ne ducat uxorem.*

HUGO A S. VICTORE.

58. Offeramus animas nostras in turture per castitatem, in columba per simplicitatem, in passere per contemplationem. Serm. 37, *de Divers.*

HUGO CARD.

59. Deus non quantum, sed ex quanto considerat. Super *Genes.*, cap. IV.

60. Si recte offeras, et recte non dividas, peccasti : recte autem offertur, cum recta intentione quid agitur; sed non recte dividitur, si non hoc quod pie agitur, etiam subtiliter discernatur. Super *Levit.*, cap. II.

61. Multis se onerat, qui de oblationibus vivens, offerentibus se obligat. Super *Num.*, cap. XVIII.

62. Multi multa offerunt vanæ gloriæ quæ Deo videntur offerre. Super *Psal.* LXVII.

63. Quidquid offert justus, totum est placatio Deo : sive cogitationes devotæ, sive desideria sancta, sive opera bona. Super *Prov.*, cap. XV.

64. Oblatio peccatoris, abominatio est; quia fœtida, et immunda, et maligna : fœtida Deo, immunda sibi, maligna proximo. *Ibid.*

65. Nostram Deus reputat dationem, quando ex amore est, non ex timore. Super *Prov.*, cap. III.

66. Unusquisque prius se debet offerre Deo, quam sua : nec placet Deo, si sua offert, et se Deo subtrahat. Super *Matth.*, cap. V.

67. Oblatio tantum pro duobus fit, aut in signum oblationis cordium, aut in necessitatem sustentationis ministrorum. Super *Apocal.*, cap. XXI.

S. JOANNES CHRYSOST.

68. Eum qui Deo offert, et offert ex his quæ Dei sunt, oportet quantum sibi conceditur, pretiosissima offerre. Homil. 8, super *Genes.*

69. Oportet offerentem Deo in discernendo magnam adhibere diligentiam : et quantum differunt, qui offert et qui accipit, tanta et in discretione facienda diversitas. *Ibid.*

70. Si hominibus, quos veneramur, prima et præcipua damus, illaque offerre maxime volumus, quæ præ omnibus illis digna videntur sic hominem offerentem Deo, oportet illi pretiosiora et magis eximia offerre. *Ibid.*, homil. 26.

71. Vere nihil est dignius quod offeramus Deo, quam oratio fidelis. Homil. 21, super *Matth. Oper. imperf.*

72. Melius est nihil omnino offerre, quam deteriora offerendo Deum provocare. Homil. 72, super *Joan.*

73. Non quid offeras Deus aspicit, sed dantis voluntatem; hoc enim sibi curæ est. *Ibid.*, homil. 73.

74. Nihil mali respiciat oculus, et factus est hostia : nihil turpe loquatur lingua, et facta est oblatio : nihil iniqui committat manus, et facta est holocaustoma. Serm. 20, super *Epist. ad Rom.*

JOAN. TRIT.

75. Quod semel Deo est consecratum, in humanos usus non est amplius revocandum. Lib. 1, homil. 1, *ad Monachos.*

S. ISIDORUS PELUSIOTA.

76. Si munus Deo vere offerre cupis, muneris sequestrum ne aspernare. Lib. 1, epist. 349, *ad Silvan.*

S. PETRUS DAMIAN.

77. Nulli liceat ignorare, quia omne quod Domino consecratur; sive fuerit homo, sive animal, sive ager, vel quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino, et ad jus pertinet sacerdotum. Lib. 1, epist. 13, *ad Alexand. Papam.*

78. Spontanea oblatio lætificat offerentem : coacta, tabescentem obnubilat voluntatem. Lib. 8, epist. 14, *ad Sorores.*

79. Quod in terra Deo datur, in cœlo recipitur : et inde sperandum est præmium, quo præcessit munus oblatum. Opusc. 9, cap. 6.

PHILO JUD.

80. Liquet micam thuris oblatam ab homine pio, Deo gratiorem esse multis hostiis, si offerenti non adsit probitas. Lib. 2, *de Victimis.*

81. Perspicuum est Deum non delectari victimarum multitudine, sed offerentis bona mente atque puritate spiritus. *Ibid.*

82. Certissime colligitur non victimam, sed mentem offerentis et alacritatem probari, confirmatam virtutibus. *Ibid.*

PRUDENT.

83. Quod dulce cordi est, quod unicum, Deo libenter offerendum credito. In præfat. *Psychomachiæ.*

RUPERTUS ABBAS.

84. Non satis Deo charus est, imo Deo indignus est, qui rem suam illi quidem offert, seipsum autem sibi retinet. Lib. 2, super *Levit.*, cap. 46.

SALVIANUS.

85. Offerat quisque cum compunctione, cum lacrymis; offerat cum dolore, cum luctu. *Prosec.*

86. Aliter quippe oblata non prosunt, quia non pretio, sed affectu placent : nec enim animus dantis datis, sed animo commendatur. Lib. 1, *ad Eccles. catholic.*

87. Totum oblaturus quod habet, non offerat quod habet, si non putat se debere totum quod habet : non offerat totum pro debito, si debere se totum non putat pro reatu. *Ibid.*

88. Unusquisque nostrum totum pro se offerat quod habet, quia non potest offerre quod debet. *Ibid.*, lib. 2.

89. Nihil durum aut austerum christianis videri debet, quia quantalibet pro sempiterna beatitudine Christo offerant, vile est quod datur, ubi tam grande est quod accipitur. *Ibid.*, lib. 4.

THEODORETUS. 90. Quæ non cum sincero affectu offeruntur, judex justus non suscipit. Super *Oseam*.

THOMAS A KEMPIS. 91. Non est oblatio dignior, quam seipsum pure et integre cum oblatione corporis Christi in Missa, et in communione Deo offerre. Lib. 4, *de Imit. Christi*, cap. 7.

92. Quidquid præter teipsum das, nihil curat Deus : quia non quærit datum tuum, sed te. *Prosec.*

93. Sicut non sufficeret tibi, omnibus habitis præter Deum ; ita nec illi placere poterit, quidquid dederis te non oblato.

94. Offer te illi, et da te totum Deo, et erit accepta oblatio. *Ibid.*, cap. 8.

S. THOMAS A VILLA-NOV. 95. Non aspicit quantum, sed ex quanto. Serm. *Dom. Septuag.*

S. VALER. EPISC. 96. Quamvis parva, ex voto offerentis magna fiunt munera. Homil. 3, *de arcta vita.*

97. Omnis oblati muneris gratia perit, ubi causa repetitionis incumbit. *Ibid.*, Homil. 4, *de Promissis.*

URB. IV, PAP. 98. Illas oblationes dignas Deus reputat et acceptat, quæ fiunt de substantia illa bona, cujus non est peccatum in conscientia. Super *Psalm.* L, vers. 20.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

PLATO. 99. Grave indignumque esset, si Deus ad nostra dona atque sacrificia respiceret, non vero ad animum, si quis pius et justus nimirum sit. Sizygia 4, in *Dialog.* 2, *Alcibiadis.*

PLINUS II. 100. Videtur dignum templo, dignum Deo donum. Lib. 3, epist. 6, *ad Severum.*

SENECA. 101. In victimis, licet optimæ sint, auroque præfulgeant, non est honos, sed pia ac recta voluntas. Lib. 1, *de Benef.*, cap. 6.

102. Non aspicias quam plenas quisque manus Deo, sed quam puras admoveat. In suis *Proverb. in sine positis.*

Vide etiam tit. *Decima*, sent. 40 ; *Immunditia*, sent. 20 ; *Martyrium*, sent. 10 ; *Munus*, sent. 46 ; *Pecunia*, sent. 28 ; *Voluntas propria*, sent. 78, 80, 83, 87 ; *Votum*, sent. 31.

OBLIVIO.

S. AUGUST. *Definitio.* Nihil est oblivio, nisi privatio memoriæ. Lib. 10, *Conf.*, cap, 16.

S. BONAV. Oblivio est memoriæ lubricatio. Exposit. 2, super *Psalm.* CXVIII, vers. 11, cap. 9, art. 2.

S. JOAN. DAM. Oblivio nihil est aliud, quam memoriæ jactura. Lib. 2, *de Fide orthod.*, cap. 20.

PLATO. Oblivio est scientiæ exitus. Sizygia 5, *de Convivio.*

S. CYRILL. ALEX. *Productio.* Oblivio omnis impuritatis altrix et mater est. Homil. 6, *de Festis Paschal.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIN. 1. Tria sunt, quæ faciunt hominem oblivisci sui, Dei, proximi, scilicet : prosperitas mundialis, curiositas criminalis, voluptas carnalis. Part. 1, tit. 2, cap. 9, § 2.

S. AUGUST. 2. Melior est animus cum obliviscitur sui, præ charitate incommutabilis Dei. Lib. 3, *de Lib. arbitr.*, cap. 25.

3. Obliviscere quod es, et attende quod futurus es. *De Verbis Dom.*, serm. 25.

4. Dedit Deus viam fidei in oblivionis cæcitate. Lib. 3, *de Lib. arb.*, cap. 20.

5. Oblivione plures simul numeri, quamvis paulatim absterguntur. Lib. 6 *de Musica*, cap. 4.

6. Cum labore meminimus, sine labore obliviscimur. Lib. 22, *de Civit. Dei*, cap. 22.

S. BERNARD. 7. Quantos videmus quasi oblitos sui, et peccatorum suorum, Dei quoque, et beneficiorum ejus immemores, sic non redimere, sed amittere tempus, ut de moribus et affectionibus suis vix ultima apud ipsos mentio fiat. Serm. *contra Vitium ingratitud.*

8. Bona oblivio, si teipsum nescias, ut proximo prosis. Epist. 42, *ad Henric. Senonens. archiep.*

9. Omnium recordaris, et teipsum oblivisceris ? Serm. *de Miseria humana.*

S. BONAV. & S. CÆSARIUS ARELAT. 10. Percutitur hac animadversione peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui dum viveret oblitus est Dei. Lib. 3, *Pharetræ*, cap. 28. *Arelat. Epist. S. Cæsarius*, homil. 13.

CASSIODOR. 11. Oblivio non natura nobis venit sed ab originalis peccati infirmitate descendit. Super *Psalm.* CXVIII, vers. *Non obliviscar sermones tuos.*

12. Proxima est oblivioni protracta longinquitas. Super *Psalm.* CXXXVIII.

S. CYRILLUS HIEROSOL. 13. Cum Dei oblivisceris, tum demum cogitas perversa, et iniqua perficis. *Cateches.* 2.

FRANCISCUS ASSISIAS. 14. Videte ne Dominum oblivioni tradatis; quia omnes illi, qui eum oblivioni tradunt, ab eo oblivioni traduntur. In suis *Opusc.* epist. 15, *ad Populor. rectores.*

GLOSS. ORD. 15. Non quod obliviscatur misereri Deus, sed cum differt auxiliari, videtur oblitus, ut sic accendat desiderium, et dulcius sit solatium. Super *Thren.*, cap. V, in illud : *Oblivisceris nostri.*

S. GREGOR. MAGNUS. 16. Cor quid de se intrinsecus agatur, obliviscitur, dum extrinsecus occupatur. Lib. 25, *Moral.*, cap. 7, num. 8.

17. Sicut mors interimit vitam, ita oblivio ex-

tinguit memoriam. *Ibid.*, lib. 4, cap. 10, super illud *Job.* III : *Obscurent eum tenebræ.*

18. Sicut mors hoc quod interficit, agit ut non sit in vita : ita et oblivio; hoc quod intercipit, agit ut non sit in memoria. *Ibid.*, cap. 17, super illud *Job.* III : *Et umbra mortis.*

19. Quia per mortem funditus oblivioni traditur, quidquid vivendo cogitatur, quasi quædam umbra mortis oblivio est. *Prosec.*

20. Sicut agit mors interveniens non esse quod fuit in vita : ita interveniens agit oblivio, non esse quod fuit in memoria. *Ibid.*, lib 25, cap. 4,
HESYCHIUS. num. 4.

21. Oblivio delere solet mentis custodiam, sicut
S. HIERON. aqua extinguit ignem. *Centur.* 2, sent. 1.

22. Qui semper præteritorum obliviscitur, et futura desiderat, ostendit se præsentibus non esse
HUGO CARD. contentum. Epist. 23, *ad Ctesiphont.*

23. Oblivio non cadit in Deum, sed quemadmodum oblivisci dicitur, quando non juvat : ita dicitur recordari, quando juvat. Super *Genes.*, cap. VIII.

24. Duo oblivioni danda sunt : bona præterita, ne eorum fiat recordatio ad gloriam; et mala præterita, ne eorum fiat recordatio ad delectationem. *Ibid.*, cap. XIX.

25. Mens obliviosa est quasi saccus pertusus, in quem quidquid mittitur, perditur. Super *Prov.*, cap, III.

26. Oblivio Dei malitiosa est, et omnia parit
S. JOANNES CHRYSOST. vitia. Super *Ezech.*, cap. XXII.

27. Nunquam potest aliquis oblivisci quod diligit, nec retinere quod odit, Homil. 32, super *Matth. Oper imperf.*

28. Oblivio nihil quidquam parit, quod maneat ornamenti. Serm. *Quod nulla resideat vitio-*
S. JOAN. DAM. *rum memoria.*

29. Fieri non potest, ut quispiam a recta via deflectat, nisi animus ipsius Dei oblivione prius
S.LAURENT. JUSTIN. laborarit. Lib. 1, *Parall.*, cap. 12.

30. Æquissime percutitur hac animadversione peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui dum viveret oblitus est Dei. *De Contemptu mundi*,
S. PETRUS DAMIAN. cap. 15.

31. Sicut oblivio mandatorum Dei, proculdubio vitium est : sic illatæ injuriæ oblivio, non parva virtus est. Lib. 6, epist. 5, *ad Monac. Cluniac.*

PHILO JUD. 32. Mors reminiscentiæ est oblivio. *De Migrat. Abrahæ.*

33. Oblivio non est passio voluntaria, sed externum quoddam accidens.

34. Oblivio morbus est memoriæ. *De Congressu quærendæ erudit. Gratian.*

35. Tanta secundarum rerum prosperitate corrumpimur, tanta morum insolentium pravitate vitiamur, ut et Dei penitus obliviscamur et nostri. Lib. 6, *de Gubern. Dei.*

S. THOMAS AQUINAS. 36. Oblivio parvipensionis est evidens signum, ea enim, quæ magna æstimamus, magis memoriæ infigimus. 1, 2. Quæst. 47, art. 2, ad. 3.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

MIMUS PUB. 37. Etiam oblivisci quod scis, interdum expedit. In suis *Sent.* sent., 108.

Vide etiam tit. *Civitas*, sent. 38; *Injuria*, sent. 14; *Misericordia Dei*, sent. 70.

OBSTINATIO.

S. BONAV. *Definitio.* Pertinacia est voluntas fugiens minorationem prohibitis, dicta vel facta sua irrevocabiliter defendens. Part. 1, *Centiloquii*, sect. 18.

HUGO CARD. & PETRUS LOMBARD. Obstinatio est induratæ in malitia mentis pertinacia. Super *Ecclesiastic.*, cap. III, *Petrus Lombardus*, lib. 2, dist. 43.

HUGO A S. VICTORE. *Divisio.* Sunt tres species obstinatorum : prima eorum, qui non penitus obstinati, ex correctione proficiunt ; secunda eorum, qui ex commonitione deteriores fiunt ; tertia eorum, qui emendationem promittunt, sed non faciunt. Ex correctione Manasses factus est melior ; Nabal ex commonitione deterior ; Pharao ex afflictione durior. Lib. 2, *de Claustro animæ*, cap. 15.

HUGO CARD. Obstinatio in duobus consistit : in præsumptione, in desperatione. Super *Matth.*, cap. IV.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Qui obstinatione mentis diem claudit extremum, reus est illo irremissibili peccato in Spiritum sanctum. In *Enchirid.*, cap. 83.

2. Obdurate vivit, sive qui non convertitur, desperans de indulgentia peccatorum suorum, sive qui sic misericordiam Dei sperat, ut usque in vitæ præsentis in suorum criminum perversitate permaneat. *Prosec.*

3. Sicut enim misericordia suscipit absolvitque conversos, ita justitia repellet punietque obduratos. *De Fide ad Petrum*, cap. 3.

4. Ut est optimi propositi, laudandique consilii facile ad veriora traduci : ita improbi obstinatique judicii est, nolle citius ad tramitem rationis inflecti. Lib. 2, *de Anima et ejus orig.*, cap. 16.

S. BERNARD. 5. Si deprehensæ falsitati penitus non renuntietur, et cognitæ non adhæreatur veritati, obstinatio diabolica est. Serm. 1, *Advent.*

6. Rogo et obsecro vos, fratres, fugite obstinationem. Serm. 1, *de Septem panibus.*

7. Quam difficile est accedere ad cor ejus, quod lapidea quædam obstinatio clausit ! Serm. 2, *Paschæ.*

8. Obstinati ita sequuntur errorem suum, ut nullis velint consiliis acquiescere. *Ibid.*, serm. 3.

9. Nequissima plane et pernitiosissima pestis

est obstinatio, quoniam universos turbat, et fit omnibus discordiæ fomes, et materia scandalorum. Serm. 1 *de Septem panibus*.

10. Obstinatio non permittit nos ad alterius cor ingredi. Serm. 5 *Assumpt. B. M.*

11. Crudelis obstinatio viam misericordiæ intercludit. Serm. 11, super *Qui habitat*.

12. Obstinatio est summa quædam religionis subversio, et vere venenum insanabile. *Ibid.*, serm. 13.

13. Quæ est obstinationis cauda? finis intentionis humanæ : dum hinc quidem propriæ quisque inhæret voluntati, inde finem aliquem meditatur, et fugit animo quod desiderat adipisci. *Ibid.*

14. Nulla gravior phrænesis judicatur, quam impœnitentia cordis, et peccandi obstinata voluntas : siquidem manus nefarias injicit sibiipsi, nec carnem, sed mentem lacerat et corrodit. Serm. *de Convers. ad clericos*, cap. 4.

S. BONAV. 15. Sigillum diaboli obstinatio est. Serm. 8, *Pent.*

CASSIODOR. 16. Obstinatorum hominum ira irrevocabilis est; qui ne docentium prædicationes audiant, procurant sibi voluntariam surditatem. Super *Psalm.* LVII, vers. 4.

17. Multi peccatorum in sua obstinatione mansuri sunt. Super *Psalm.* LXXIV, vers. 8.

S. GREGOR. MAGNUS. 18. Obstinari nonnunquam deteriores existunt ex verbere, quia aut contumaci pertinacia duriores sunt, aut, quod pejus est, in blasphemiæ etiam exasperationem prosiliunt. Lib. 26 *Moral.*, cap. 22, num. 28.

19. Divino judicio cum obstinatis agitur, ut qui noluerunt mala vitare cum possent, non possint vitare cum volunt. *Prosec.*

20. Sæpe enim ad Dominum cum precibus veniunt, liberari a peccatis petunt, sed exaudiri non possunt, quia cum possent, noluerunt. Lib. 4, in I *Reg.*, cap. II, super illud : *Greges quoque vestros addecimabit.*

21. Durus ille, qui dum superbo corde corporalia agit, ejus mentem gratia sancti Spiritus non emollit *Ibid.*, cap. 3.

HUGO A S. VICTORE. 22. Obstinatos corripere, insipientia est. *De Inst. novit.*, cap. 14.

23, Obstinationi tribus modis mederi oportet : emplastro, unguento, ferro : exemplo bonis operis, verbo commonitionis, disciplina correptionis. Lib. 2 *de Claustro anim.*, cap. 13.

24. Inter abusiones hujus sæculi, sola major est senis obstinatio. *Ibid.*, cap. 15.

25. Obstinatio carnalibus delectatur, loquacitate gaudet, importuna et gravis est omnibus, more pecorum prona ad vitia, iracundia tumens, ad injurias manifesta, ad omnia mobilis, luce veritatis carens, seipsam palpans. *Ibid.*

26. Pertinaciæ est, ex irrationabili, et inflexibili mentis obstinatione, meliori nolle cedere. *De Fructu carnis et spiritus*, cap. 4.

S. JOANNES CHRYSOST. 27. Ex duritia infidelitas nascitur. Hom. 6, super *Epist. ad Hebr.*

28. Sicut solida corpora et dura non obsequuntur manibus medicorum : sic et animæ obduratæ non obsequuntur verbo Dei. *Ibid.*

JOAN. TRIT. 29. Pessimum malum senis, est obstinatio. Super prolog. *Regul. S. Bened.*, cap. 2, text. 4.

30. Suis homo demeritis induratur, et dum quod in se est, facere negligit, quod Deus facit, gratiam largiendo, nequaquam sentit. Epist. 8, *ad Monach. laps.*

LACT. FIRM. 31. Contumacia redargui non potest, nisi exemplo. Lib. 4, *de Div. inst.*, cap. 24.

RICHARD. A S. VICTORE. 32. O odiosa durities ! qua se homo non sentit, nec alium : nec pietate flectitur, nec precibus movetur, exemplis non inducitur, minis non terretur, beneficiis duratur, flagellis non eruditur, frontosus ad turpia, pronus ad illicita, subdi nescius. Part. 1, *de Grad. charit.*, cap. 4.

THALLASSIUS. 33. Obduratos horrenda tormenta excipient : nam sine magnis laboribus molle fieri nequeunt. *Hecatontad.* 2, sent. 67.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 34. Ferox et adversus omne remedium contumax est. *De Consolat. ad Helviam*, cap. 16.

Vide etiam tit. *Accedere ad Deum*, sent. 18; *Damnatio*, sent. 9; *Defensio*, sent. 14; *Discere*, sent. 21; *Peccatum in genere*, sent. 330; *Præsumptio*, sent. 16; *Voluntas in genere*, sent. 95.

OBVIATIO.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Fortis est viri non dissimulare, cum aliquid immineat, sed prætendere, et tanquam explorare de specula quadam mentis, et obviare cogitatione provida rebus futuris. Lib. 1 *Offic.*, cap. 38.

S. AUGUST. 2. Hæresibus pullulantibus est celeriter obviandum. Epist. 91.

CASSIODOR. 3. Cum possis obviare perversis, si declinas obviare, consensus erroris est. Super *Psalm.* LXXXI.

S. CYPRIAN. 4. Primis quisque titillationibus obviare debet. *De Jejunio et tent. Christi*, cap. 6.

5. Præoccupandus est aditus, cunctis insidiis, ne hostilitas prior obrepens occurrat improvidis. *Prosec.*

6. Salutare remedium est in insidiis prævenire potius, quam præveniri. Anticipare potius, quam anticipari, viribus fortibus congruit. *De Singularit. clericor.*, cap. 23.

S. CYRILL. 7. Quicunque sunt sanctitatis amatores, de-

ALEX. bent diaboli fraudibus perquam impigre obviam ire, totaque se illi contentione virium opponere. Hom. 12, *de Festis Paschal.*

8. Oportet nos generose admodum voluptatibus, quæ ad pravitatem impellunt, obviare. *Ibid.*, hom. 18.

S. CYRILLUS HIEROSOL. 9. Priusquam floreat, radicitus erue malum, ne si ab initio neglexeris, postea ne quidquam incidas, et ignem magis excites. *Prosec.*

10. Lippitudinem inceptantem tempestive, cura, ne cum excæcatus fueris, tum demum frustra medicum quæras. *Catech.* 2.

S. DAMASUS PAPA. 11. Qui potest obviare et perturbare perversos, et non facit, nihil est aliud quam favere impietati eorum. Hab. in *Decretis Gratiani*, part. 2, causa 23, quæst. 3, can. *Qui.*

S. FRANCIS. ASSISIAS. 12. Instant religioni discrimina : nisi detractoribus obvietur. In suis *Opusc.*, apophthegm. 17.

GLOSS. INT. 13. Qui desinit obviare, cum potest, consentit. Super *Psalm.* LXXXI.

S. GREGOR. MAGNUS. 14. Sicut nemo obsistit largitati Dei vocantis, ita nullus obviat justitiæ relinquentis. Lib. 11 *Moral.*, cap. 5.

15. Si parvæ rei aditus, antequam diu patescat, non clauditur, usu fit latior, et erit consuetudine licitum, quod ratione constat esse prohibitum. Lib. 7 *in Registro,* ind. 2, cap. 119, epist. 119, *ad Syagrium episc. Augustod.*

S. GREGOR. TAUMAT. 16. Perspicuum est hominem, iis, quæ supra se sunt, reluctari atque obsistere non posse. Super *Eccles.*, cap. VI.

HUGO CARD. 17. Qui sapientiæ obviat in vita, ipsa obviabit ei in morte, suscipiendo in gloria. Super *Ecclesiastic.*, cap. XV.

S. INNOC. III 18. Negligere, cum possis obviare, nihil est aliud quam fovere perversos. *Prosec.*

19. Non caret scrupulo consensionis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare. Hab. in *Decret. Gratiani,* dist. 83, can. *Error.*

S. LEO I. 20. Quidquid sublimibus desideriis, obviat, amputandum est. Serm. 7, *Quadrag.*

PETR. BLES. 21. Non caret scrupulo societatis perversæ, qui manifesto facinori desinit obviare. Serm. 45 *ad Sacerdotes.*

S. PETRUS MAURITIUS ABB. CLUN. 22. Non tutum est valido obviare torrenti. Lib. 3, epist. 6 *ad Pontium.*

THOMAS A KEMPIS. 23. Tunc facilius hostis vincitur, si extra limen, statim ut pulsaverit, illi obviatur. Lib. 1 *de Imit. Chr.*, cap. 13, sect. 5.

24. Qui parvos non vitat defectus, paulatim labitur ad majores. *Ibid.*, cap. 25.

S. VALER. 25. Suum corpus texit, qui armato hosti precibus obviavit. Hom. 13.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

PLINIUS II. 26. Occurrendum augescentibus vitiis, et medendum est. Lib. 9, epist. 37 *ad Paulin.*

OCCASIO.

COLLECTOR. ***Etymologia.*** Occasio dicitur, quasi occurrens actio.

COLLECTOR. *Definitio.* Occasio est occurrens opportunitas temporis casu proveniens.

CICERO. Occasio est pars temporis habens in se alicujus rei idoneam faciendi aut non faciendi opportunitatem. Lib. 1, *de Invent. rhet.*

PLATO. Occasio est temporis vigor ad id quod conducit. Sizygia 6, *de Definit*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTON. 1. Qui occasionem damni dat, damnum quoque dedisse videtur. Part. 2, tit. 1, cap. 9.

2. Si qui occasionem præstat mortis corporalis, reus tenetur, et incurrit pœnam inferni : quanto magis, qui est occasio mortis animæ alterius. Part. 2, tit. 4, cap. 5, § 1.

3. Occasiones malorum, sunt vana quæ ingeruntur sensibus nostris. Part. 3, tit. 16, cap. 10, § 1.

S. BASILIU MAGNUS. 4. Turpe est præsentis temporis occasionem dimittere : et postea aliquando quod præteritum est revocare. Conc. 25, *ad Adolescentes.*

V. BEDA. 5. Occasiones deesse non possunt perituris. In suis *Prov.*, verbo *Occasiones.*

S. BERNARI 6. Subtrahenda nobis occasio est, et opportunitas fugienda peccati. Serm. *de Septem donis Spiritus sancti.*

S. BONAV 7. Qui opportunitatem deserit, opportunitas eum fugit. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 12.

8. Ad vitium vix occasio deerit, si qualibet admittatur. *Ibid.*, cap. 22.

9. Qui vitium cavere desiderat, vitii occasionem præcaveat. *Ibid.*, cap. 32.

CASSIODO 10. Gravissimum apparet esse peccatum, quando aliquis occasionem præbuerit, unde alterius conscientia polluatur. Super *Psalm.* LXXII, vers. 22.

DIONYSIU CARTHUS 11. Ubi major peccandi occasio, ibi diligentior adsit custodia. In *Hymnum temp. feriali ad Primam.*

S. EPHRÆ 12. Ne occasionem præbeas quærentibus occasionem. *De Recta vivendi ratione*, cap. 18.

13. Quamdiu quis occasiones noxias non vitat, impossibile erit a corde ejus perturbationes pravarum cogitationum, et incendium improbarum concupiscentiarum recedere. *De Mala conversatione.*

S. EUSEB EMISSE 14. Tolle originem causæ, et mox occasionem removebis offensæ. Serm. *contra Diversa vitia.*

S. GREG 15. Nonnunquam culpa fortium, occasio vir-

MAGNUS. tutis fit : et virtus infirmorum, occasio peccati. Lib. 11 *Moral.*, cap. 26, num. 26.

16. Cum occasio reprobis perpetrandi peccati deest, desideriorum cogitationes eorum cordibus nullatenus desunt. *Ibid.*, lib. 14, cap. 9, num. 9.

17. Occasio rapiendi subtrahitur, si bene prius jus possidendi disponatur. Part. 3, *Pastor.*, cap. 1, admonit. 22.

S. HIERON. 18. Arripe occasionem, et fac de necessitate virtutem. In *Regula monachor.*, cap. 30, *de Pœnitent.*

19. Qui malos percutit, eo quod mali sint, et habet causam interfectionis, ut percutiat pessimos, minister Dei est. Lib. 3, super *Ezech.*, cap. IX, super illud : *Et unusquisque vas interfectionis.*

20. Aufer occasionem his, qui volunt occasionem. Super *Epist. ad tit.* cap. II, in illud : *In sermone suo.*

HUGO CARD. 21. Occasiones peccatorum faciunt ruere in peccatum, et peccata faciunt ruere in infernum. Super *Hierem.*, cap. 4.

S. INNOC. III 22. Qui occasionem damni dat, et damnum dedisse videtur. Serm. 1, *Dom.* 1, *Advent.*

JOANNES CASS. 23. Occasiones commotionum in conversatione humana deesse non poterunt. Lib. 9, *Cænob. inst.*, cap. 7.

24. Sicut occasionem salutis diversis modis Deum cognoscimus operari : ita nostrum est occasionibus a divinitate concessis, vel enixius vel remissius famulari. Collat. 3, *Abbat. Paphnutii.*, cap. 12.

S. JOANNES CHRYSOST. 25. Seipsos homines occasionibus hujus mundi, ex ipso mundo nascentibus; invicem comedunt et impugnant. Homil. 39, super *Matth. Oper. imper.*

26. Sicut bonus rogat, ne occasionem peccandi incurrat; sic et malus optat, ut inveniat occasionem nocendi. *Ibid.*, homil. 46.

JOAN. GERS. 27. Volentibus non abest occasio justa vel injusta : sumunt enim occasionem iniqui, valde insolens et intolerabile existimant, quidquid illud non sonat, quod intus amant. In *Dialog. duorum milit. Franci et Angli*, in addit.

JOAN. TRIT. 28. Melius est occasionem fugere, quam incaute perire. Lib. 1 *de Tent. relig.*, cap. 10.

29. Difficile est assueta relinquere, et a pristinis vitiis, præsente occasione, abstinere. *De Inst. vitæ sacerd.*, cap. 2.

30. Culpa nunquam melius vincitur, quam ubi occasio tentationis evitatur. Orat. 5, *in Conventu abbat. habita.*

S. ISID. HISP. 31. Tolle occasionem peccandi, aufer materiam delinquendi, si vis esse tutus : sæpe occasio peccandi, voluptatem facit. Lib. 2, *de Synonym.*, cap, 4.

PETR. BLES. 32. Qui opportunitatem deserit, opportunitas eum fugit. Epist. 11, *ad Quemdam cleric.*

PHILO JUD. 33. Ubi vulgus in compositum occasionem peccandi accepit, non facile desistit, novis erratis priora cumulans. Lib. *in Flaccum.*

THOMAS A KEMPIS. 34. Quantæ virtutis quisque fuerit, melius patet occasione adversitatis : occasiones namque hominem fragilem non faciunt, sed qualis sit, ostendunt. Lib. 1 *de Imit. Chr.*, cap. 16.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 35. Deo occasio quidem est, tempus autem opportunum non est : eo quod nihil sit Deo conferens. Lib. 1 *Prior.*, cap. 37.

CATO. POET. 36. Rem tibi quam nosces aptam, dimittere noli :
Fronte capillata est, sed post occasio calva.
Lib. 2 *Distichor.*, metr. 58.

37. Quamprimum rapienda tibi est occasio prima :
Ne rursus quæras, quæ jam neglexeris ante.
Ibid., lib. 4, metr. 91.

SENECA. 38. Non tantum præsentis, sed et vigilantis est, occasionem observare properantem. Epist. 22.

Vide etiam tit. *Peccatum*, sent. 315; *Perire*, sent. 50; *Vitium*, sent. 97, 98.

OCCISIO, SEU HOMICIDIUM.

S. ISID. HISP. *Etymologia.* Homicidii vocabulum compositum est ex homine, et cæde : qui enim cædem in hominem fecisse compertus erat, homicidam veteres appellabant. Lib. *Etymolog.*. cap. 26, verbo *Homicidii.*

S. REMIGIUS Homicidium dicitur ab homine et cædo, verbo : unde dicitur homicida, hominem cædens. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 1, can. 29.

S. ANTONIN. *Definitio.* Homicidium est hominis occisio illegitime facta. Part. 2, tit. 8, *de Ira*, cap. 8.

S. ANSELM. *Divisio.* Tria sunt genera homicidii, quæ pari pœna plectuntur : interfectio fratrum, detractio et odium. *De Similitudinibus*, cap. 147.

S. CLEMENS PAPA. Homicidiorum tria sunt genera, et pœna eorum parilis est : qui occidit fratrem suum, et qui odit, et qui detrahit. Epist. 1.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Mihi quidem etsi præstabilius communi videatur usui, sapientem de periculo, quam insipientem evadere; tamen non videtur quod vir christianus, et justus, et sapiens quærere sibi vitam aliena morte debeat : utpote qui etiamsi in latronem armatum incidat : ferientem referire non possit : ne dum salutem defendit, pietatem contaminet. Lib. 3 *Offic.*, cap. 4.

S. ANTONIN. 2. Judices occidendo reos, juridice occidunt mandato Dei, qui lege statuit ut rei occiderentur. Part. 2, tit. 14, cap. 4, § 9.

3. Si in justo bello homo occidat, non est homicidium. Part. 2, tit. 7, *de Ira*, cap. 8, § 1.

4. Latronem insidiantem in itineribus secun-

dum leges cuilibet licet occidere. *Ibid.*, cap. 8, § 2.

S. AUGUST. 5. Si homicidium est hominem occidere, potest tamen accidere aliquando sine peccato. *Prosec.*

6. Nam miles hostem, et judex vel minister ejus nocentem, et cui forte invito atque imprudenti telum manu fugit, non mihi videtur peccare, cum hominem occidunt, et homicidæ isti appellari non solent. Lib. 1 *de Lib. arbit.* cap. 4.

7. Non lex justa est, quæ dat potestatem vel viatori ut latronem, ne ab eo ipse occidatur, occidat? vel cuipiam viro, aut fœminæ, ut violenter sibi stupratorem irruentem ante illatum stuprum, si possit, interimat? nam lex in eo populo, quem regit, minoribus malefactis, ne majora committerentur, dedit licentiam. *Prosec.*

8. Multo est enim mitius, eum qui alienæ vitæ insidiatur, quam eum qui suam tuetur, occidi : et multo est immanius invitum hominem stuprum perpeti; quam eum a quo vis illa infertur, ab eo cui inferre conatur, interimi.

9. Sed illi homines lege inculpata, quomodo inculpati queant esse, non video : non enim lex eos cogit occidere, sed relinquit in potestate.

10. Liberum ejus itaque est neminem necare pro iis rebus, quas inviti possunt amittere, et ob hoc amare non debent.

11. De vita enim fortasse cuipiam fit dubium, utrum animæ nullo pacto auferatur, dum hoc corpus interimitur : sed si auferri potest, contemnenda est : si non potest, nihil metuendum.

12. De pudicitia vero quis dubitaverit, quin ea sit in ipso animo constituta, quandoquidem virtus est? Unde a violento stupratore eripi nec ipsa potest.

13. Quidquid igitur erepturus erat ille qui occiditur, id totum in potestate nostra non est : quare quemadmodum nostrum appellandum sit, non intelligo : quapropter legem quidem non reprehendo quæ tales permittit interfici : sed quo pacto istos defendam, qui interficiunt, non invenio.

14. Quomodo apud divinam providentiam, sunt isti peccato liberi, qui pro iis rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt? Lib. 1 *de Lib. arbit.*, cap. 5.

15. Cum homo ab homine occiditur, multum distat utrum fiat nocendi cupiditate, vel injuste aliquid auferendi : sicut fit ab inimico, sicut a latrone : an ulciscendi, vel obediendi ordine, sicut a judice, sicut a carnifice : an evadendi, vel subveniendi necessitate, sicut interimitur latro a viatore, hostis a milite. Epist. 54, *ad Macedonium.*

16. Aliquando, qui causa mortis fuit, potius in culpa est, quam ille qui occidit. *Ibid.*

17. De occidendis hominibus ne ab eis quisquam occidatur, non mihi placet consilium, nisi forte sit miles, aut publica functione teneatur. Epist. 154, *ad Publicolam.*

18. Fas non est ut reus occidatur, cui venia, si ipsum pœnituerit, reservatur. Epist. 184, *ad Bonifac.*

19. Apud belligeros viros, victus dicitur victor occisus. Epist. 190.

20. Cum David Saulis occidendi potestatem accepisset, maluit parcere, quam ferire. *De Spirit. et littera*, cap. 31.

21. Cum minister judicis occidit eum, quem judex jussit occidi, profecto si id sponte facit, homicida est; etiamsi eum occidat, quem scit occidi a judice debuisse. In *Quæst. super Exod.*, quæst. 39.

22. Si non licet privata potestate hominem occidere, vel nocentem, cujus occidendi licentiam lex nulla concedit; profecto etiam qui seipsum occidit, homicida est : et tanto fit nocentior, cum se occiderit, quanto innocentior in ea causa fuit, qua se occidendum putavit. *Prosec.*

23. Nam si Judæ factum merito detestamur, eumque veritas judicat, cum se laqueo suspendit, sceleratæ illius traditionis auxisse potius, quam expiasse commissum : quoniam Dei misericordiam desperando exitiabiliter pœnitens, nullum sibi salubris pœnitentiæ locum reliquit :

24. Quanto magis a sua nece se abstinere debet, qui tali supplicio quid in se puniat non habet?

25. Judas enim cum se occidit, sceleratum hominem occidit : et tamen non solum Christi, verum etiam suæ mortis reus finivit hanc vitam : quia licet propter suum scelus, alio scelere occisus est. Lib. 1 *de Civit. Dei.*, cap. 17.

26. Non ipse occidit, qui ministerium debet jubenti, sicut adminiculum gladius est utenti. *Ibid.* cap. 21.

27. Samson non aliter excusatur, quod seipsum cum hostibus ruina domus oppressit, nisi quia spiritus latenter hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat. *Ibid.*

28. His exceptis, quos vel lex justa generaliter, vel ipse fons justitiæ Deus specialiter occidi jubet, quisquis hominem, vel seipsum occiderit, homicidii crimine innectitur. *Ibid.*

29. Duæ sunt maxime viles, atque usitatæ mortes eorum, qui seipsos interimunt, laqueus et præcipitium. Lib. 2, *contra Litt. Petilianas*, cap. 49.

30. Illi acerbius sanguinem fundunt, qui Christum, quantum in ipsis est, in homine occidunt. Tract. 5, super cap. 1, *Evang. Joan.*

31. Christiane, quid tu persequeris in Christiano? hoc tu persequeris in christiano, quod melius habet. Hoc enim vis auferre unde vivit; vivit temporaliter secundum spiritum vitæ, quo corpus

animatur : hoc illi vis tollere quod accepit a Domino, hoc illi vis tollere unde vivit. *Ibid.*

32. Homicida dicitur diabolus : non gladio armatus, non ferro accinctus ad hominem venit; verbum malum seminavit, et occidit. *Prosec.*

33. Noli putare te non esse homicidam, quando fratri tuo mala persuades : si fratri tuo mala persuades, occidis. *Ibid.*, tract. 42, cap. 8.

34. Nondum manus armata est, nondum faucem obsedit, nondum insidias præparavit, nondum venena quæsivit, et reus homicidii in oculis Dei, qui fratrem odit, tenetur. *Prosec.*

35. Adhuc vivit, quem quærit occidere, et occidisse jam judicatur. Homil. 5 *ex.* LIII *Homil.*

36. Qui odit fratrem suum, homicida est. Gladium non eduxisti, non vulnus in carne fecisti, non corpus plaga aliqua trucidasti ; cogitatio sola odii in corde tuo est, et teneris homicida, reus es ante oculos Dei. *Ibid.*, homil. 42.

37. O si possemus videre animas homicidarum, sine dubio plus plangeremus quam putrescentia corpora ulceratorum. Serm. 2 *Sabbat.*, *post* 3, *Dom. Quadrag.*

38. Ipse occidit Christum, qui eum tradidit occidendum. Serm. 2, *Fer.* 2, *post Dom. Palmar.*

39. Hæc tria animam capitaliter occidunt, scilicet blasphemus, homicida, castitatis suæ proditor. Serm. 1 *Fer.* 3, *post Dom. Palmar.*

40. Periculose decipiuntur, qui existimunt eos tantum homicidas esse, qui manibus hominem occidunt, et non potius eos, per quorum consilium et fraudem et exhortationem homines extinguuntur. Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 2, *de Pœnit.* dist. 1, can. *Periculose.*

41. Si quis metuens, ne quid ei mali accidat, hominem occiderit, homicida erit. Lib. 1 *de Lib. arb.*, cap. 4.

42. Qui metuens hominem occidit, cupit utique sine metu vivere. *Ibid.*

43. Tu occidere vis inimicum tuum, et ideo forte non facis, quia times judicem hominem, non quia cogitas Deum : ignoras quia ille est testis cogitationum? illo vivo quem vis mori, te homicidam tenet in corde. *De Decem chordis*, cap. 3.

44. Quamvis lex det potestatem occidendi hominem pro rebus, quas invite quis amittere potest : tamen lex non cogit occidere, sed relinquit in potestate. Lib. 1, *De Lib. arb.*, cap. 5.

45. Nefas est seipsum occidere. Epist. 52.

46. Christus non nisi ab inimicis potuit occidi. Epist. 59, in solut quæst. 6.

47. Non licet alterum occidere, etiam volentem et petentem, et vivere jam non valentem. Epist. 61.

48. Innocens invitus virgis cædendus non est, ne alius occidatur. *De Mendac.*, cap. 9.

49. Miles cum obediens potestati, sub qua legitime constitutus est, hominem occidit, nulla civitatis suæ lege reus est homicidii; imo nisi fecerit, reus est imperii deserti atque contempti. Lib. 1, *De Civit. Dei.*, cap. 26.

50. Multi quantalibet sævitia crudelitatis occidi, quam Christum negare malueruut. *Ibid.*, lib. 22, cap. 6.

51. Cum multi innocentes ab aliis occiduntur, a seipso nullus innocens occiditur. Lib. 1 *contra Gaudent.*, cap. 13.

52. Plus peccat, qui potestati innocentem occidendum livore tradit, quam potestas ipsa, si cum timore alterius majoris potestatis occidit. Tract. 116, super *Joan.*

53. Omnis qui sine ulla legitimæ potestatis auctoritate hominem occidit, homicida est. Epist. 61.

54. Propterea judex torquet accusatum ne occidat nesciens innocentem. Lib. 19 *de Civit. Dei*, cap. 6.

55. Miles in hoste interficiendo minister est legis. Lib. 1 *de Lib. arb.*, cap. 5.

56. Ipse se interimit, qui præcepta medici observare non vult. Tract. 12 super *Joan.*

S. BERNARD.

57. *Non occides.* Id maximum malum est, quod proximis potest inferri, ac propterea primo omnium debuit prohiberi. Serm. 4, super *Salve Regina.*

58. Fit homicidium multis modis, manu, præcepto, consilio, consensu, neglectu. *Prosec.*

59. Si moriturum aliquo modo vivificare valeas, et negligis, proculdubio ejus mortis reus teneris. *Ibid.*

60. Si in voluntate alterum occidendi, te potius occidi contigerit, moreris homicida. *Prosec.*

61. Si vero voluntate superandi vel vindicandi occidis hominem, vivis homicida. Serm. *ad Milites templi*, cap. 1.

62. Si quis nec ulciscendi zelo, nec vincendi typo, sed tantum evadendi remedio interficit hominem, ne hanc quidem bonam dixerim victoriam : cum de duobus malis, in corpore quam in anima mori levius et securius sit. *Ibid.*

CASSIODOR.

63. Interficere innocentem est de religioso facere sacrilegum, ejusque animam perpetua morte damnare. Super *Psalm.* IX, vers 30 : *Ut interficiat innocentem.*

64. Non interest quis occidat, si innocentem aliquis occidendum pronuntiet. Super *Psalm.* LXIII, vers. 3.

S. CYPRIAN.

65. Madet orbis mutuo sanguine, et homicidium cum admittunt singuli, crimen est : virtus tamen vocatur, cum publice geritur : impunitatem sceleribus acquirit, non innocentiæ ratio, sed sævitiæ magnitudo. Epist. 2 *ad Donat.*, cap. 4.

DIONYSIUS CARTHUS. 66. Dicitur aliquis homicida quatuor modis : primo provocatione, secundo voluntate, tertio procuratione, quarto opere. Super I *Joan.*, cap. III, art. 4.

67. Si malus malum occiderit, non excusat occisi nequitia; sed cum justitia excusat, ut si juste a justo judice occidatur. Super *Apocalyps.*, cap. XVIII, art. 19.

GILLEBERT. ANGLUS. 68. Martyres Christi occidi possunt, flecti nequeunt. Serm. 23 super *Cant.* apud. D. *Bernard.*

GLOSS. DEC. 69. Furem nocturnum, sed non diurnum, nisi telo se defendat, licet occidere. In *Decret. Gratiani.*

GLOSS. ORD. 70. Diabolus non vi, sed callide interficit. Super *Job*, cap. XL.

71. Homicida non solum est, qui ferro sed etiam qui verbo occidit; ut diabolus primos parentes. Super *Joan.*, cap. VIII, in illud : *Ille homicida erat ab initio.*

GLOSS. INT. 72. Omnis homicida est, qui vel ferro percutit, vel odio insequitur. Super I *Joan.*, cap. III, in illud : *Omnis qui odit.*

GLOSS. ORD. 73. In perpetuum cum Cain damnabitur qui hoc genere homicidii tenetur, ut discordet a fratribus. *Ibid.*, cap. III, in illud : *Omnis homicida non habet.*

GLOSS. INT. 74. Si malus malum occidit, occisorem non excusat nequitia occisi. Super *Apocal.*, cap. XVIII.

S. GREGOR. MAGNUS. 75. Aliquando perversus homo homicidium, quod facere vel metuit, vel erubescit, voto et voce peragit, etiam cum a læsione proximi manibus cessat. Lib. 5 *Moral.*, cap. 31.

76. Nulla lege necesse est perimi, qui lege nunquam potuit teneri. *Ibid.*, lib. 26, cap. 20, num. 25.

77. Tot occidimus quot ad mortem ire quotidie tepidi et tacentes videmus. Homil. 11 super *Ezech.*

78. Quis sanctior David? qui cum Saulis persecutionibus urgeretur, non solum persequentem occidere non voluit, sed ipsi persecutori, cum ipsum occidere posset, pepercit. *In Septem Psalm. pœnit.*, super *Psalm.* IV, in prolog.

S. HIERON. 79. Cum homicidium ex odio sæpe nascatur, quicunque odit, etiamsi necdum gladio percusserit, animo tamen homicida est. Epist. 36 *ad Castorinam.*

80. Non moritur quisquis victurus occiditur. Epist. 49, *ad Innocent.*

81. Voti, tempore persecutionis, christiani erat, pro Christi nomine gladio percuti. Epist. 50, *de Vita Pauli eremitæ.*

82. Mors omnium, est homicidium pessimorum. Epist. 22, *ad Rufin.*

83. Vetus sententia est, homicidam esse eum, qui cum possit hominem de morte liberare, non liberat. Lib. 3 *Dialog. advers. Pelagianos.*

84. Nullus tam crudelis homicida est, quam qui ita erga alterum sævit, ut non parcat sibi. Epist. 5, *ad Virginem in exilium missam.*

85. Occidere hominem, non semper criminosum est : sed malitia, non legibus occidere, criminosum est. Epist. 18, *ad Rufin. de Symbolo*, super illud : *Remissionem peccatorum.*

86. Homicidas, et sacrilegos, et venenarios morte punire, non effusio sanguinis, sed legum ministerium. Lib. 4 super *Hierem.*, cap. XXII, super illud : *Et sanguinem innocentem non effundatis.*

87. Non est nostrum mortem arripere, sed illatam ab aliis libenter accipere; unde et in persecutionibus non licet propria perire manu. Super *Jonam*, cap. I, super illud : *Tollite me.*

88. Qui voluntatem habet occidendi, etiams non percutiat, occidit. Super *Psalm.* LXI, vers. 3.

89. Judex non est auctor sceleris, homines occidendo. Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 23, quæst. 5, can. *Judex.*

90. Non est crudelis, qui crudeles jugulat : sed crudelis ideo vocatur, quia crudelis patientibus esse videtur. Non latro suspendendus patibulo, crudelem judicem putat. Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 23, quæst. 5, can. *Non est.*

91. Omnis iniquitas, et oppressio, et injustitia judicium sanguinis est : et licet gladio non occidas, voluntate tamen interficis. In *Decretis Gratiani*, part. 2, *de Pœnit.* dist. 1, can. *Omnis.*

92. Hæc vivorum mors est, vivere cædibus. Super *Psalm.* CXXIII. S. HILAR.

93. Homicidium fit multis modis : manu, lingua, consensu : manu fit, cum quis alium actualiter vita privat, vel in locum mortis, ubi vita privetur, præcipitat, vel in carcerem, vel alium quemlibet talem locum : lingua fit duobus modis, scilicet præcipiendo, vel suggerendo; Judæi Christum occiderunt, dum ut occideretur, judici suggesserunt : consensu duobus modis fit, vel dum mortem alterius desideramus et cupimus; vel si dum eum a morte liberare possumus, vitam ejus negligimus, id est, adjutorium non impendimus. Lib. 1, *de Sacram.*, part. 12, cap. 7. HUGO A S. VICTORE.

94. In natalitio occisus est Sedechias a Nabuchodonosor, Joannes ab Herode, Judas ab Antiocho, pistor a Pharaone. Super *Gen.*, cap. XL. HUGO CA.

95. Occisiones meditari, diabolicæ malitiæ est. Super *Joan.*, cap. VIII.

96. Ne homicidium perpetretur, ira odiumque succidatur : sine quibus homicidii crimen nullo modo valebit admitti. Lib. 8 *Cœnob. institut.*, cap. 19. JOANN. CASS.

97. Radix homicidii est invidia, et fructus invidiæ homicidium. Homil. 54 super *Genes.* S. JOAN. CHRYSO.

98. Innocentem perimere, nefas est : patrem occidere, scelus. Serm. *de Absalom.*

99. Homicidium sæpe adulterii fructus efficitur. Homil. 1 *in Psalm.* L.

100. Latro truculentissimus fuit homicida, sed paradisi civis effectus est. Homil. 68 super *Matth. Oper. perf.*

101. Ex ira homicidium generatur : tolle iram, et homicidium non erit. Hom. 11 super *Matth. Oper. imperf.*

102. Præstat hostis, dum nocet : beneficium tribuit, cum occidit. Homil. 3 *ex Divers. in Matth.*

103. Si alios occidere fas non est, multo magis nefas est seipsum occidere. *Epist. ad Galat.*, cap. 1.

104. Homo scelestus hac vita desperata, ne ejus quidem rationem habet, purpura decoratus est. Homil. 9 super I *Thess.*

JOAN. TRITH. **105.** Qui sanguinem fundit humanum, occidit : qui diffamat innocentem, occidit : qui scandalizat malo exemplo videntem seu audientem, occidit. In cap. 4 *Regul. S. Bened.*, verbo *Omnia.*

LACT. FIRM. **106.** Pro belluis immanibus sunt habendi, qui contra jus humanitatis, et fas omne occidunt. Lib. 6 *de Divin. inst.*, cap. 10.

107. Quid immanius homicidio? quid similius feris belluis existimandum est? *Ibid.*, cap. 19.

108. Hoc in sæculo necantur homines vi ferro, insidiis, venenis. *Ibid.*, lib. 7, cap. 22.

109. Homicidium pecunia diaboli est, ille enim ab initio homicida est : fecisti homicidium, diaboli pecuniam suscepisti. Homil. 6 in cap. XV *Genes.*

S. PETRUS CHRYSOL. **110.** Christus dum occiditur, illud quod omnes occidebat, occidit. Serm. 82.

PHILO JUD. **111.** Homicidæ censendi sunt, non solum qui interimunt, sed et qui conantur clamque palamque, ut interficiant, etiamsi non perpetrarint facinus. Lib. 2 *de Specialib. legibus.*

S. PROSPER. **112.** Non qui gladio tantum, verum etiam qui odio sæviunt, homicidæ sunt. *De Promiss.*, part. 1, cap. 36.

SALVIANUS. **113.** Homicidium non sola tantummodo occidentis manu, sed etiam odientis animo perpetratur. Lib. 3 *de Gubern. Dei.*

114. Homicidia in servis rara sunt, terrore ac metu mortis : in divitibus autem assidua, spe ac fiducia impunitatis. *Ibid.*, lib. 4.

115. Non sunt longe ab occidentibus, qui animo occisionis oderunt. *Ibid.*, lib. 8.

S. SYMMAC. PAPA. **116.** Mortem languentibus probatur infligere, qui hanc cum possit, non excludit. Hab. apud *Gratian.* in *Decretis*, part. 1. dist. 83, can. *Providendum.*

S. THOMAS AQUINAS. **117.** Si aliquis homo sit periculosus communitati, et corruptivus ipsius propter aliquod peccatum, laudabiliter et salubriter occiditur, ut bonum commune conservetur. 2, 2, quæst. 64, art. 2.

118. Ille qui occidit justum, gravius peccat, quam ille qui occidit peccatorem. *Ibid.*, art. 6.

119. Non licet quemquam se defendendo occidere, nisi quis se defendere intendat cum moderamine inculpatæ tutelæ. *Ibid.*, art. 7.

120. Nemo illum homicidii crimen evasisse æstimet, quem excusatum secularis judicii corrupti sententia absolverit. Homil. 1 *de Bono disciplinæ.* S. VALER. EPISC.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

121. Lex non jubet seipsum quempiam occidere : quæ vero non jubet, vetat. Lib. 5 *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 11. ARISTOTEL.

122. Mortem sibi consciscere ob fugiendam paupertatem, aut amorem, aut molestum aliquid, non fortis est hominis, sed potius timidi. Lib. 3 *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 7.

123. Intueri lucem non fas est ei, qui a se hominem occisum esse fateatur. Orat. 38, *pro Milone*, num. 7. CICERO.

124. Me Anitus et Melitus occidere sane possunt, lædere vero non possunt. In suo *Enchirid.*, cap. 79. EPICTETUS.

125. Bis interimitur, qui suis armis perit. In suis *Sent.*, sent. 56. MIMUS PUB.

126. Homicida sui, insepultus abjiciatur. Lib. 8 *Declamat.*, controv. 4. SENECA.

127. Optimum misericordiæ genus est, civitatis curandæ causa occidere. Lib. 1 *de Ira*, cap. 16.

128. Mors per omnes it, qui occidit, sequitur occisum. Epist. 92.

129. Misericordiæ genus est, cito eum occidere, qui occidendus est : qui tormentum ultimum, finem sui secum affert, et quod antecedit tempus, maxima venturi supplicii pars est. Lib. 2 *de Benefic.*, cap. 5.

130. Crimen relinquit vitæ, qui mortem appetit. In suis *Proverb. in fine positis.*

131. Mortis quidem ipse tibi causa non fias : si quis autem vult te corpore exuere, ne indigneris. Sent. 312. SIXTUS PHILOSOPH.

132. Sapientem si quis de corpore extrudat injuste, in iniquitate sua beneficium ei præstat, absolvitur enim tanquam e vinculis. *Ibid.*, sent. 313.

Vide etiam tit. *Crimen*, sent. 29 ; *Discordia*, sent. 14 ; *Excommunicatio*, sent. 9 ; *Fraternitas*, sent. 10 ; *Fuga*, sent. 28 ; *Hæresis*, sent. 51 ; *Ira*, sent. 152 ; *Judas*, sent. 36 ; *Laqueus*, sent. 10 ; *Martyrium*, sent. 74, 77 ; *Militia*, sent. 12 ; *Odium in genere*, sent. 29.

OCCUPATIO.

Definitio. Occupatio est distractio, et illaqueatio mentis, quæ avertit, et dissipat, et illaqueat eam, HUGO CARD.

ne cogitare valeat ea, quæ salutis sunt. Super *Ecclesiasten*, cap. I.

Divisio. Triplex est occupatio : prima mala, secunda pejor, tertia pessima. Prima est necessitatis, quæ cum sit miseriæ præsenti necessaria, mala est ad miseriam, non ad culpam : quia etsi pœnam habeat a beatitudine alienam, culpam tamen non habet justitiæ contrariam. Secunda est curiositatis, qua mens humana instat scrutari aut quæ scire non convenit, aut quæ scire noxium est. Tertia est cupiditatis, qua mens humana in acquirendis et conservandis temporalibus distenditur. Super *Ecclesiasten*, cap. I.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIN. 1. Occupatio mundi multum inquietat mentes hominum : nunc rapit animum insatiabilis amor, et spes lucrorum. *Prosec.*

2. Nunc dejicit dolor de amissione bonorum ; nunc gaudium vanum, quando succedunt ad votum concupita.

3. Nunc timor amittendi optata : nunc decipit, nunc decipitur.

4. Nunc rapit alieno, modo auferuntur : nunc torquetur suspicionibus, nunc irascitur, nunc molestatur. Part. 3, tit. 16, cap. 10, § 4.

S. ANTONIUS DE PADUA. 5. Animus distensus per multa, multis laceretur curis necesse est. Serm. 1 *Pentecost.*

S. AUGUST. 6. Impossibile est illis qui negotiis secularibus implicati sunt, ut cor semper sursum habeant. Super *Psalm.* LI.

S. BERNARD. 7. Spiritualis gratiæ plenitudinem occupata mens secularibus non admittit, non recipit animus, non capit affectus. Serm. 6 *Ascens.*

8. Quid servilius indigniusque Deo servienti, quam (non dico omni die, sed pene omni hora) insudare rebus et pro rebus secularium? Lib. 1, *de Consid. ad Eugen. Pap.*

9. Arbitratur se non esse minoribus occupandum, qui se ad majora sentit idoneum. *De Duodecim grad. humil.*, grad. 7.

10. Nimis difficile est, terrenas occupationes absque peccatis ministrare. Lib. *Medit.*, cap. 2.

11. Mens occupata in terrenis curis, semper est in angustiis. Serm. 8 *ad Sororem.*

12. Qui curis terrenis se implicat, ab amore Dei se separat. *Ibid.*

S. BONAV. 13. Imperitus efficitur ad singula, qui confusa mente dividitur ad multa. Super *Sap.* in Prolog.

14. Occupatio prodest tristibus, ut obliviscantur tristitiæ. Lib. 1 *de Profectu relig.*, cap. 33.

S. CÆSARIUS ARELAT. 15. Non sint ita nimiæ occupationes, ut nos Deo vacare non sinant. Homil. 10.

16. Istas malas occupationes, quæ et animam et corpus debilitant, fugiamus : et videbimus quod nobis remanet tempus, in quo aliquid de salute animæ cogitemus. Homil. 20.

S. CYPRIAN. 17. Molestiis et laqueis secularibus obligari non debent, qui divinis rebus et spiritalibus occupati sunt. Epist. 66, *ad Clerum et plebem Furnitanorum.*

S. GREGOR. MAGNUS. 18. Cor quid de se intrinsecus agatur obliviscitur, dum extrinsecus occupatur. Lib. 25 *Moral.*, cap. 7.

19. Occupatorum mens quanto per mundi concupiscentiam in exteriora resolvitur, tanto per inaffectionem suam interius obduratur, si amore damnabili mollescit foris. *Ibid.*, lib. 31, cap. 7.

20. Cum occupationes extrinsecus perstrepunt, intrinsecus in amore Dei pacatissima quies teneatur : ut occupationem tumultus exterius perstrepentis dispenset interius præsidens judex ratio, et tranquillo moderamine, ea quæ circa se minus sunt tranquilla disponat. *Ibid.*, lib. 18, cap. 25.

21. Nequaquam mens ad superna attolitur, si curarum tumultibus continue in infimis occupetur. *Ibid.*, lib. 5, cap. 8.

22. Sæpe qui contemplari Deum quieti poterant, occupationibus pressi ceciderunt : et sæpe qui occupati bene humanis usibus viverent, gladio suæ quietis extincti sunt. *Ibid.*, lib. 6, cap. 17.

23. Mens concupiscentiis exterioribus occupata, igne divini amoris non calet. *Ibid.*, lib. 8, cap. 26, num. 30.

24. Sicut vigor mentis frænandis præest motibus carnis, sic sæpe superimpositos tumultus occupationis bene regit amor quietis. *Ibid.*, lib. 18, cap. 25, num. 29.

25. Æternæ lucis quanta sit claritas nesciunt, qui transitoriis occupationibus obcæcantur. *Ibid.*, lib. 27, cap. 7. num. 10.

26. Ita occupationum onera hominem deprimunt, ut ad superna animus nullatenus erigatur. Lib. 1, in *Registro*, indict. 9, cap. 7, epist. 7, *ad Anastas. episc. Antioch.*

27. Locum sanctitatis accipimus, et terrenis actibus implicamur. Homil. 1, super *Evang.*

28. Impar quisque invenitur ad singula, dum confusa mente dividitur ad multa. Part. 1 *Pastoral.*, cap. 4.

29. Pulchra species quietis animæ, terreni actus pulvere fœdatur : cumque se ad exteriora sparserit, etiam cum interiora appetit, ad hæc proculdubio minor redit. Lib. 1, *Dialogi, in Præfatione.*

30. Cum animus dividitur ad multa, fit minor ad singula, tantoque ei in una qualibet re surripitur, quanto latius multis occupatur. *Ibid.*, cap. 4.

31. Quanto quisque in mundi occupationibus profecerit, tanto ab amore Dei amplius decrescit. Lib. 1, in *Registro*, ind. 9, cap. 30, epist. 30, *ad Joan. exconsul.*

S. HIERON. 32. Facito aliquid operis, ut te semper diabolus inveniat occupatum Epist. 2, *ad Rustic.*

HUGO A S. VICTORE. 33. Occupatio mundana est distractio et illigatio mentium, quæ avertit et dissipat et illaqueat animas, ne cogitare prævaleant ea quæ salutis sunt. Homil. 5, super *Ecclesiasten.*

34. Occupatio curiositatis, qua se mens ad illicita extendit, et instat scrutari, est investigare quod ei scire aut non convenit, aut noxium est; ipsa est pessima occupatio. *Ibid.*

35. O pessima mundi occupatio! o distentio pernitiosa! quo trahis animum? quantum promittis, et quantum tollis? promittis homini totum quod ipse non est, et totum quod ipse est: quid si totum dares, quod promittis, et totum tolleres, quod tollis? *Ibid.*, homil. 6.

HUGO CARD. 36. Non potest anima simul attenta esse temporalibus negotiis disponendis, et cœlestibus contemplandis. Super *Genes.*, cap. 35.

S. INNOC. III 37. Vere occupatio magna creata est omnibus hominibus: beati tamen, qui occupantur in bonis quia de bonis transibunt ad optima. *Prosec.*

38. Miseri vero, qui occupantur in malis, quia de malis transibunt ad pessima. Serm. 1, *Septuag.*

S. JOANNES CHRYSOST. 39. Occupatio virilium sollicitudinum, suggestionum voluptates plurimum excludit. Homil. 40, super *Matth. Oper. imp.*

JOAN. TRITH. 40. Minus pulsatur illecebris carnis, qui semper occupatus, utiliter nullum admittit fastidium mentis. Lib. 1, hom. 6.

S. ISID. HISP. 41. Quanto quisque curis mundi majoribus occupatur, tanto facilius vitiis premitur. *Prosec.*

42. Si enim vix valet peccata animus devitare quietus, quanto magis occupatione seculari detentus? Lib. 3, *de Sum. bono*, cap. 48, sent. 3.

PET. BLES. 43. Animam, quæ tot labyrinthis intricata est, necesse est ancillari. Epist. 16, *ad Quemdam episc.*

44. Occupationum secularium turba, mors animæ est. *Ibid.*

45. Magnis addictus es, noli minimis occupari: minima et vilia sunt, quæcunque ad sæculi quæstus, et non ad lucra pertinent animarum. *Ibid.*, tract. *de Inst. episc.*

PETRUS CHRYSOL. 46. Totus homo miser sic carni deditur, sic rebus præsentibus occupatur: ut nihil in se, quod futuræ vitæ, quod divinis bonis deserviat, derelinquat. Serm. 114.

PHILO JUD. 47. Difficile est, vel potius impossibile, in confusanea et occupata vita virtutem invenire. *De Profugis.*

48. Tantum homo impeditur et distrahitur, quantum sibi res attrahit. Lib. 2, *de Imit. Chr.*, cap. 1, sect. 7. THOMAS A KEMPIS.

49. Sicut homo nunquam invitus bene servit, ita nec occupatus bene commendata custodit. Hom. 3, *de Arcta vita.* S. VALER.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

50. Occupatorum animi velut sub jugo sunt, flectere se ac respicere non possunt. *De Brevit. vitæ*, cap. 10. SENECA.

51. Omnium occupatorum conditio misera est: eorum tamen miserrima, qui ne suis quidem occupationibus laborant. *Ibid.*, cap. 19.

52. Occupationes recidantur, et sibi totus animus vacet. Lib. 3, *Quæst.* in præfat.

53. Facile est occupationes evadere, si occupationum præmia contempseris. Epist. 22.

54. Mentiuntur, qui sibi obstare ad studia liberalia turbam negotiorum videri volunt: simulant occupationes et augent, et ipsi se occupant. *Prosec.*

55. Vaco, mi Lucili, vaco; et ubicunque sum, meus sum: rebus enim non me trado, sed commodo. Nec consector perdendi temporis causas, sed quocunque constiti loco, ibi cogitationes meas tracto, et aliquid in animo salutare verso. Epist. 62.

56. Resistendum est occupationibus, nec explicandæ, sed submovendæ sunt. Epist. 72.

57. Quam grande præmium non expectat, si occupationes nostras, et mala tenacissima abrumpimus! Epist. 75.

58. Impossibile est, o fili, utrisque simul intendere, mortalibus videlicet atque divinis: nam electione unius amittimus alterum: quotiesque unius cura remittitur, alterius actus intenditur. Lib. *de Potest. et Sap. Dei.* cui titulus *Pimander*, cap. 4. TRISMEGIST.

59. Satius est favorabili, quam invisæ rei vacare. Lib. 5, *Dictor. memorabil.*, cap. 3. VALER. MAX.

Vide etiam tit. afflictio, sent. 87; *Contemplatio*, sent. 61; *Cura*, sent. 9; *Delectatio*, sent. 32; *Labor*, sent. 44; *Negotium*, sent. 21, 24, 25, 37, 42, 48, 52, 53, 60; *Scientia*, sent. 76; *Scrutari*, sent. 24.

OCULUS.

Etymologia. Oculi sunt sic dicti, sive quia eos ciliorum tegmina occulunt ne incidentis injuriæ offensione lædantur: sive quia occultum lumen habent, id est, secretum vel interpositum. Serm. *Dom. 4, post Trinit.* S. ANTONIUS DE PADUA.

Oculus dictus est, quasi ocior lux, quod cito intenta respiciat: sive quod palpebris oculentibus probatur occultus. Super *Psalm.* VI, vers. 7. CASSIODOR.

HUGO A S. VICTORE. *Divisio.* Oculus triplex est, oculus carnis, oculus rationis, oculus contemplationis. *Prosec.*

Oculus carnis apertus est, oculus rationis lippus, oculus contemplationis clausus et cæcus.

Oculo carnis videtur mundus, ea quæ sunt in mundo : oculo rationis animus, et ea quæ sunt in animo ; oculo contemplationis Deus, et ea quæ sunt in Deo.

Oculo carnis videt homo, quæ sunt extra se : oculo rationis, quæ sunt in se : oculo contemplationis, quæ sunt intra se, et supra se. Lib. 3, *Cœlestis hierarchiæ*, cap. 2.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Carcer est totum corpus tenebroso inhorrens situ, nisi oculorum illuminetur aspectu. Lib. 6, *Hexam.*, cap. 9.

2. Discant viri cavere etiam oculos fœminarum : adamantur enim et qui nolunt amari. *De Joseph*, cap. 5.

S. ANTON. 3. Qui nolunt oculos aperire ad cognoscendas culpas, et lacrymis diluendas, sine fructu eos aperiunt in tormentis. Part. 1, tit. 3, cap. 7, § 4.

4. Quanto magis corporalis oculus ad infima inclinatur, terræque propior fit, tanto magis restringitur corporeus visus : sed e contra, si ad superiora elevatur. Part. 2, tit. 1, cap. 2, § 2.

S. ANTONIUS DE PADUA. 5. Ubi oculus, ibi rationes : habe semper oculum in te : mens est in oculo, oculus in te. Serm. *Dom.* 15, *post Trinit.*

S. AUGUST. 6. Mens sine oculis carnis humana est, oculi autem carnis sine mente belluini sunt. Lib. 14, *de Trin.*, cap. 14.

7. Frustra circumstat oculos præsens imago rerum, si oculis integritas desit. *De Quæst.* LXXXIII, quæst. 12.

8. Habent oculi in capite magnum honorem, sed minorem haberent si soli essent, et alia minoris honoris membra non essent. *De Bono viduit.* cap. 6.

9. Oculis ægris odiosa est lux, quæ puris amabilis est. Lib. 7 *Confess.*, cap. 16.

10. Pulchras formas et varias, nitidos et amœnos colores amant oculi. *Ibid.*, lib. 10, cap. 34.

11. Resisto seductionibus oculorum, ne implicentur pedes mei : et erigo ad Deum invisibiles oculos, ut evellat de laqueo pedes meos. *Ibid.*

12. Ideo generalis experientia sensuum, concupiscentia oculorum vocatur : quia videndi officium, in quo primatum oculi tenent, etiam cæteri sensus sibi de similitudine usurpant, cum aliquid cognitionis explorant. *Ibid.*, cap. 35.

13. Similitudo rerum, quæ ad oculos pertinet, mater est falsitatis. Lib. 2 *Soliloq.* cap. 6.

14. Lux visibilis excellit omnes sensus corporeos, quia et in ipsis sensibus, quibus anima per corpus utitur, nihil est oculis præferendum. *De Moribus Eccles.*, cap. 20.

15. Non dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos : quia impudicus oculus, impudici cordis est nuntius. Regula 3, *ad Clericos.*

16. Mundatus oculus, simplexque redditus, aptus et idoneus erit ad contemplandam interiorem lucem suam ; iste enim oculus cordis est. *Serm. Dom. in monte*, lib. 2.

17. Summe custodiendus est oculus, quia janua cordis est, et nuntius : nam claude oculum, et voluntas habendi non erit ; cesset voluntas, et ecce infernus clauditur. Serm. 31, *ad Fratres in Eremo.*

18. Oculi nostri dicuntur lumina, et tamen nisi aut nocte lucerna accendatur, aut per diem sol exeat, lumina ista sine causa parent. Tract. 2, *in Joan.*

19. Illi oculis carnis vident vanitatem, nos cordis oculis veritatem. *Ibid.*, tract. 7.

20. Corporis oculos habes sanos, cordis oculos habes saucios. *Ibid.*, tract. 14.

21. Oculus solus videt in corpore, sed non soli sibi oculus videt, et manui videt, et pedi videt. *Ibid.*, tract. 32.

22. Oculus carnis alia videt, se non potest. Tract. 47.

23. Quibus oculis videtur fides, ipsis oculis videtur Deus. Homil. 38, *ex* LIII. *Hom.*, cap. 3.

S. BASILIUS MAGNUS. 24. Oculus plenus sit visu, et conspectu eorum quæ decent. Homil. 11, *Hexam.*

V. BEDA. 25. Nil peccant oculi, si mens velit his dominari. In suis *Proverb.*, verbo *Nil.*

26. Oculi petulantes cordis luxuriosi sunt proditores *Ibid.*, verbo *Oculi.*

S. BERNARD. 27. Oculi loquentis fidem faciunt dictis : nec potest ita affectum exprimere digitus, quomodo vultus. Epist. 66, *ad Gaufridum abbat. S. Theodorici.*

28. Egregium instrumentum corporis est oculus. *De Vita solit.*

29. Si oculus exterior ad interioris exemplum seipsum negligens vacat circa aliena, etiam cum vult non sufficit redire ad seipsum *Ibid.*

30. Mens per oculos capitur, per oculos intrat in mentem impuri sagitta amoris. Serm. 23, *ad Sororem.*

CLEMENS ALEX. 31. Melius est labi pedibus, quam oculis. Lib. 2 *Pædagogi.*, cap. 6.

S. EUSEBIUS EMISSEN. 32. Quam facile potest in puncto temporis evagari velocitas oculi, tam sollicite præcavenda est irruentis noxa delicti. Homil. 4, *de Epiphan.*

GLOSS. ORD. 33. Oculi Sanctorum cum interius et ardentius invisibilia concupiscunt, ab intuitu visibilium deficiunt. Super *Thren.*, cap. 2, in illud : *Defecerunt præ lacrymis oculi mei.*

S. GREGOR. MAGNUS. 34. Lucerna corporis est oculus carnalis, lucens toti corpori. Lib. 28 *Moral.*, cap. 6, num. 13.

35. In pœna sua oculos aperit, quos in culpa clausos tenuit. *Ibid.*, lib. 25, cap. 3, num. 3.

S. GREGOR. NAZ. 36. Corporis lychnus, est oculus : non is tantum qui corporaliter videt et videtur; sed et qui spiritualiter considerat, et consideratur. Epist. 18, *ad Cæsariens.*

HAYMO. 37. Oculi carnalium nihil magnum noverunt, nisi quod corporeis oculis intueri possunt. Super *Apocal.*, cap. 18.

S. HIERON. 38. Impudici oculi non norunt animæ pulchritudinem considerare, sed corporum. Epist. 22, *ad Eustoch.*

39. Multo melius est spiritu videre, quam carne; et illos oculos possidere, in quos peccati festuca non possit incidere. Epist. 33, *ad Castrutium.*

40. Reprimendi sunt oculi, quasi quidam raptores ad culpam. Lib. 2, super *Lament. Hierem.*, cap. 3, super illud : *Oculus meus.*

41. Frequenter et oculi et vultus, mentis indicium sunt. *Prosec.*

42. Quando cor nostrum vulneratum est contra aliquem, non possumus eum aspicere rectis oculis : vultus ipse et oculi quasi speculum animæ nostræ sunt. Super *Psalm.* CXLIX, vers. ult.

HUGO A S. VICTORE. 43. Oculus cuncta videt, seipsum non videt; et eo lumine quo reliqua cernimus, ipsam, in qua positum est lumen, faciem nostram non videmus. In *Soliloq. de Arrha animæ.*

44. Oculus, quasi speculator, bene eminentiorem cunctis locum obtinuit, ut quæ cæteris sensibus superventura sunt, ante periculum prævidere possit. Lib. 7 *de Trin.*, cap. 7.

S. JOANNES CHRYSOST. 45. Nihil prosunt corporales oculi, si oculi mentis fuerint excæcati. Homil. 43, super *Genes.*

46. Sicut oculi corporales nihil amplius præterquam visibilia spectare possunt : ita oculi fidei non quæ videntur spectant, sed illa vident, quæ multo post futura sunt. *Ibid.*, homil. 66.

47. Oculus carnalis non est oculus, sed est speculum oculi illius interioris, scilicet mentis. Homil. 12, super *Matth. Oper. imperf.*

48. Inter membra oculus præstantissimus est, qui totum corpus gubernat ac regit. *Prosec.*

49. Oculus ornamentum et lucerna est omnium membrorum; quod enim sol mundo, hoc oculus corpori. Homil. 55, super *Joan.*

50. Sicut oculi corporis nihil vident intelligibile, ita oculi fidei nihil vident sensibile. Serm. *de Verb. Apost. Habentes eumdem spiritum.*

S. JUST. ORGELITAN. 51. Nihil est magis quod faciem ornet in corpore, quam dispositio oculorum. Super *Cant.*, cap. 1, explicat. 22, in illud : *Oculi tui columbarum.*

ORIGENES. 52. Cum lasciviunt oculi per illicitas concupiscentias, et per spectacula diabolica, quid aliud nisi ignem sibi congregant? Homil. 9, in *Levitic.*

S. PETRUS CHRYSOL. 53. Est membrorum commercio salutari pretiosus oculus, sed si perseverat in corpore; alioqui ubi corpori defuerit, sibi non aderit. *Prosec.*

54. Debent illi membra omnia suæ lucis obsequium, sed et ipse oculus sentit corpori se debere quod lux est. Serm. 132.

55. Oculus mortis est janua, invidiæ fax, livoris caminus : qui toto cupiditatis incendio velocius per aliena percurrit, quam currit ignis arida et terrena per gramina. *Prosec.*

56. Dei est, quod oculus in orbem sic apertus arctatur angustissimus in pupillam; quatenus moderate visum videat, non invideat : prævideat, non proripiat : prospiciat : non despiciat.

57. Oculus sit animæ fenestra, speculum sit mentis, sit lumen corporis, membrorum dux sit, non introitus vitiorum. *Ibid.*, serm. 139.

S. PROSPER. 58. Ante oculos habemus quæ diliguntur, et in quibus delectatur animus, in hisque moratur aspectus. Super. *Psalm.* c, vers. 4.

59. A re mala oculos avertere, est quidquid Deo displicet, non amare. *Ibid.*

SALVIANUS. 60. Certum est fenestras quodammodo esse nostrarum mentium, lumen oculorum, et omnes improbas cupiditates in cor per oculos, quasi per naturales cuniculos introire. Lib. 3, *de Gubern. Dei.*

61. Oculi duces sensuum, cito cor vagum inficiunt. *De Exercit. spirit.*, cap. 4, sect. 2.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

PLATO. 62. Oculus ut seipsum videre possit, in oculum per se intueri, et debet in illum quidem oculi locum, in quo inest oculi virtus. Sizygia 4, in *Dialogo* 1, *Alcibiadis.*

63. Tunc cogitationis oculus incipit acute cernere, cum primum corporis oculus desinit vim illam suam exerere. Sizygia 5, *de Convivio.*

SENECA. 64. Oculi irritamenta sunt vitiorum, ducesque scelerum. *De Remed. fortuitor.*

65. Nihil peccant oculi, si oculis animus imperet. In suis *Proverb. in fine positis.*

SIXTUS PHILOSOPH. 66. Non oculus peccat, sed male uti oculo, peccatum est. *Sent.* 9.

Vide etiam tit. *Adversitas*, sent. 76; *Adulterium*, sent. 9; *Aspectus*, per totum; *Cadere*, sent. 120; *Castitas*, sent. 4; *Impudicitia*, sent. 6; *Laqueus*, sent. 21; *Virginitas*, sent. 98; *Visio Dei*, sent. 61.

ODIUM IN GENERE.

CASSIODOR. *Etymologia.* Odium dictum est, quasi oris repudium. Super *Psalm.* CXXXVIII., vers. 22.

S. AUGUST. *Definitio.* Quid est odium? Ira inveterata : ira in-

veterata si facta est, jam odium dicitur. Homil. 42, *ex Hom.*

S. BONAV. Odium est voluntas affectans proximo malum ut careat contristante bono. Part. 1, *Centiloquii*, sect. 19.

S. GREGOR. NYSS. Odium est alienatio ab eo quod est injucundum, et aversio ab eo quod molestia afficit. Homil. 8, super *Ecclesiasten*.

HUGO A S. VICTORE. Odium est, quod motum irati animi morosius et tenacius spe vindictæ mordaciter abscondit, et hominem ipsum, non tantum vitia ejus, malevolentia persequitur. *De Fruct. carnis et spirit.*, cap. 5.

HUGO CARD. Odium est mala voluntas, qua quis vult alii malum. Super *Ecclesiasticum*, cap. 5.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Qui odit, non alium prius quam seipsum occidit. *Precat.* 2, *ante Missam.*

S. ANTONIN. 2. Odium prima filia est invidiæ, et oritur frequenter ex ira. Part. 2, tit. 8, *de Invidia*, cap. 3.

S. AUGUST. 3. Injustus sic odit justum, ut nolit eum esse. Super *Psalm.* XXXVI, conc. 2.

4. Hoc est perfecto odio odisse, ut nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines. Super. *Psalm.* CXXXVIII., vers. 21 : *Perfecto odio oderam illos.*

5. Sit hominis in animam suam amor ut pereat, odium ne pereat. Si male amaveris, tunc odisti : si bene oderis, tunc amasti. Felices, qui oderunt custodiendo, ne perdant amando. Tract. 51, super *Evang. Joan.* cap. 12.

6. Necesse est ut nos oderit mundus, quos cernit nolle quod diligit, *Ibid.*, tract. 87, cap. 15.

7. Festuca in oculo, ira est : trabs in oculo, odium est. Festuca initium trabis est : nam trabs quando nascitur, prius festuca est : rigando festucam, perducis ad trabem. Alendo iram malis suspicionibus, perducis ad odium. *De Verb. Dom.*, serm. 16.

8. Odium tenebræ sunt : non enim potest fieri ut qui odit alterum, non sibi prius noceat : illum lædere conatur extrinsecus, se vastat intrinsecus. *Prosec.*

9. Lædit animum suum, qui odit alterum. : ipse enim sibi inimicus est, qui odit alterum. *Ibid.*, serm. 16.

10. Deus odit et amat, odit tua, amat te : odit quod fecisti, amat quod ipse fecit. Quæ sunt tua, nisi peccata? Et quis es tu, nisi quod fecit Deus? *Ibid.*, serm. 54.

11. Reus in oculis Dei concepto odio jam tenetur. Homil. 5, *ex* LIII. *Hom.*

12. Amor perversus ab odio, odium rectum ab amore est. *Ibid.*, hom. 37.

13. In odio perseverare, diabolicum est. Serm. 9, *ad Fratres in eremo.*

14. Nec Deum laudare, nec ab eo exaudiri meretur, qui odium servat in corde. *Ibid.*

15. Qui odium in corde portat, secundus diabolus est. *Ibid.*, serm. 28.

16. Inveterascens ira fit odium. Epist. 149.

17. Mala vota sunt, optare habere quem oderis, vel quem timeas, ut possit esse quem vincas. Lib. 4, *de Civit. Dei*, cap. 15.

18. Perfectum odium debet malis, qui secundum Deum vivit, ut nec propter vitium oderit hominem, nec amet vitium propter hominem : sed oderit vitium, amet hominem : sanato enim vitio, totum quod amare, nihil autem quod debeat odisse, remanebit. *Ibid.*, lib. 14, cap. 6.

19. Superbia odit cum sociis æqualitatem. *Ibid.*, lib. 19, cap. 12.

20. Gratis odit, qui nullum ex odio commodum quærit, vel incommodum fugit, sic oderunt Dominum impii. Tract. 91, super *Joannem*.

S. BASILIUS MAGNUS. 21. Sicut qui charitatem habet, is Deum habet : sic qui odium habet, is diabolum in seipso nutrit. *De Instit. monachor.*

V. BEDA. 22. Frustra niti, nec aliud se fatigando nisi odium quærere, extremæ dementiæ est. In suis *Proverbiis*, verbo *Frustra.*

23. Tecta odia pejora sunt quam aperta. *Ibid.*, verbo *Tecta.*

S. BERNARD. 24. Odium nec per passionem deletur, nec per martyrium purgatur, nec per sanguinem effusum abluitur. Serm. 36 *ad Sororem.*

BOETIUS. 25. Apud sapientes nullus prorsus odio locus relinquitur : nam bonos quis nisi stultissimus oderit? malos vero odisse, ratione caret. *Prosec.*

26. Nam sicuti corporum languor, ita odii vitiositas quidam est quasi morbus animorum : cum ægros corpore minime dignos odio, sed potius miseratione judicemus. Lib. 4, *de Consolat. philos.*, prosa 4.

S. BONAV. 27. Ubi odium est, ibi voluntatis dissidium. *Expos.* 2, super *Psalm.* CXVIII, cap. 8, vers. 1, art. 1.

28. Si culpa malorum sit odienda, natura tamen est amanda. Super *Joan.*, cap. XV, in illud : *Mundus vos odit.*

DIONYSIUS CARTHUS. 29. Odium via est ad homicidium. Super *Epist.* I *Joannis*, cap. 3, art. 4.

GLOSS. ORD. 30. Gratis odit, qui nullum ex odio commodum quærit, vel incommodum fugit : sic impii oderunt Christum. Super *Joan.*, cap. XVI, in illud : *Quia odio habuerunt me gratis.*

S. HIERON. 31. Frustra niti, neque aliud se fatigando, nisi odium quærere, extremæ dementiæ est. In *Præfatione super Esdram.*

32. Quid ab odio mercedis accipit, qui odit, nisi horribiles animæ tenebras, et confusæ mentis horrorem? Qui vultu semper animoque mœrente, voto quo alteri vult nocere, seipsum cruciat. Epist. 1, *ad Demetriadem.*

33. Nihil tam contrarium, nihil tam execrabile Deo, quam aliquem odisse. Epist. 14 *ad Mauricii filiam.*

S. HILARIUS 34. Quam dedecorosus est odiorum stimulus, et livoris anxietas! Quanta perturbatio eorum est! Super *Psalm.* CXXV.

35. Religiosum est odium, quoties is nobis odio est, qui Deum odit. Super *Psalm.* CXXXVIII.

HUGO CARD. 36. Odire eum, qui non læsit, diabolicum est. Super *Joan.*, cap. VIII.

S. IGNATIUS MART. 37. Ubi ira et odium, ibi Deus minime habitat. Epist. 9, *ad Philadelph.*

S. JOANNES CHRYSOST. 38. Odium telum est diaboli. Hom. 3, super *Gen.*

39. Odium fratrum, gravis afflictio est : et quando animam invaserit, non prius eam relinquit, donec in extremam absurditatem eam inducat. *Ibid.*, hom. 61.

40. Odio dignus est, qui aliud quam quod profitetur, exercet. *Prosec.*

41. Contumaciæ crimen est, quod oderis facere, quod damnaveris velle, quod horrueris exercere.

42. Amare probatur, qui quod odit exercet : et odisse vicissim, qui quod se amare mentitur non facit. Serm. *de Moyse*

43. Qui nescit odisse, nec tristari cognovit : sed continue gaudens, bonis suis perfruitur. Hom. 62, super *Matth. Oper. perf.*

44. Odium spiritus est tenebrarum, et ubicunque insederit, sordidat pulchritudinem sanctitatis. Homil. 13, super *Matth. Oper. imperf.*

45. Non potest hominem odisse, qui Deum amat : nec potest Deum amare, qui hominem odit. *Ibid.*, hom. 42.

46. Odium omne malum suggerit. *Ibid.*

47. Apertum extremæ malitiæ indicium est, fratrem odisse. Serm. 7 super *Epist. ad Romanos.*

48. Etiamsi hostes, et si ethnici sint, non tamen odisse oportet. Odisse vero non illos, sed dogma : non hominem, sed opus malum. Homo enim Dei opus est, error diaboli. Hom. 33, super I *Cor.*

JOAN. TRITH. 49. Quisquis fratrem suum odio persequitur, se primum a capite dividit, ac deinde injuriam Christo facit. Part. 1 *de Regione claustral.*, tract. 2, reg. 2, art. 4.

S. ISIDORUS HISPALENS. 50. Bonorum discretionis est, non odisse personas, sed culpas. Lib. 2 *de Summo bono,* cap. 3, sent. 8.

51. Odium a regno Dei hominem separat, a cœlo subtrahit, a Paradiso dejicit; nec passione adimitur, nec Martyrio expiatur, nec sanguine effuso deletur. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 7.

52. Nulli christiano quemquam odisse permittitur : quia nemo nisi in remissione peccatorum salvatur. Serm. 10 *Quadrag.* S. LEO. I.

53. Ingens malum, ingens prorsus malum est odium in proximum, quo animam occupante, nihil jam geritur, nihil fit quod Deo placeat. *Prosec.* LUDOVICUS BLOSIUS.

54. Quamvis multum jejunes, quamvis eleemosynas largiter tribuas, quamvis templum assidue ingrediaris, jugiterque ores, si fratrem odisti, non ex numero filiorum Dei es. In *Canon. vitæ spirit.*, cap. 31.

55. Odium perfectum, sive perfectorum est, si peccatum in homine, non hominem in peccato habetis exosum. Epist. *ad Henricum Bajocens. Episcopum.* PETR. BLES.

56. Infinita virtus est odium vicisse beneficiis : nam ille inter cæteros palmas perfectæ virtutis obtinet, qui ad vicem veneni pocula dulci melle componit. Homil. 12. S. VALER. EPISC.

57. Integræ dilectionis est cumulus, odium amore repensare. *Ibid.*

58. Sæpe odiis odia compensantur, et ad compensandum facinus vicaria injuria. *Ibid.*

59. Odiorum semina abundantissimos iniquitatis fructus reddunt, et scelerum pœnas operantur. *Ibid.*

60. Cessant odia, ubi non reputatur injuria. *Ibid.*

61. Non habet in eo locum ruina vitiorum, qui calcatis odiis iterum charitatis custodit affectum. *Ibid.*

62. Vitemus semper odia, sed ut odia vitare possimus, ante omnia causas vitemus odiorum. *Ibid.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

63. Odium amicitiæ venenum est. *De Amicit.* CICERO.

64. Turpe est odisse quem laudes : quanto vero turpius ob id aliquem odisse, propter quod misericordia dignus est? Lib. 3, *de Ira*, cap. 29. SENECA.

65. Nullum est odium perniciosius quam beneficii violati pudere. Epist. 81.

66. Pejora sunt tecta odia, quam aperta. *De Moribus.*

67. Quamvis agas id, ut ne quis merito tuo te oderit, erunt tamen semper qui oderint. In suis *Proverbiis in fine positis.*

Vide etiam tit. *Correptio*, sent. 188; *Diabolus*, sent. 127; *Differentiæ*, sent. 37; *Ingratitudo*, sent. 33; *Injuria*, sent. 101; *Ira in genere*, sent. 29, 234; *Læsio*, sent. 62; *Malum*, sent. 74; *Occisio*,

sent. 33, 34, 35, 36, 71; *Parentes*, sent. 74, 77, 81; *Sæculum*, sent. 31.

ODIUM DEI.

COLLECTOR. *Definitio*. Odium Dei est actus voluntatis, Deum ut disconvenientem aversantis.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Absit ut hoc in nobis Deus oderit, in quo nos reliquis animantibus excellentiores creavit. Epist. 222.

2. Deus non odit homines, in quantum homines sunt, sed in quantum peccatores. *Contra Adimant.*, cap. 17.

3. Tria sunt hominum genera, quæ odit Deus : remanentem, retrocedentem, et aberrantem. *De Cantico novo*, cap. 4.

4. Odit Deus præsumptores de viribus suis. *Ibid.*, cap. 8.

5. Non te amat Deus qualis es, sed odit te qualis es : ideo tui miseretur, quia odit te qualis es, ut faciat te qualis nondum es. *De Decem chordis*, cap. 8.

6. Mala quæ odit Deus, ipse non fecit. Tract. 110, super *Joan.*

7. Deus odit, et amat : odit tua, amat te. Odit quod fecisti, amat quod ipse fecit. Quæ sunt tua, nisi peccata? Quis es tu, nisi quod fecit Deus? Serm. 54, *de Verb. Dom.*

S. BONAV. 8. Tria sunt quæ Deus odit : vanitas, iniquitas, et malignitas : et quartum est quod detestatur, id est impietas. Super *Psalm.* xxv.

DIONYSIUS CARTHUS. 9. Diligere Dei, est velle alicui bonum conferre : odisse vero, est gratiam juste subtrahere. Super *Epist. ad Romanos*, cap. IX, art. 13.

HUGO CARD. 10. Qui reus est divini odii, reus est æterni supplicii. Super *Matth.*, cap. XII.

S. JOANNES CHRYSOST. 11. Sicut in imagine sua rex honoratur, vel contemnitur : sic Deus in homine vel diligitur, vel oditur. Hom. 42, super *Matth. Oper. imperf.*

LACT. FIRM. 12. Nihil est tam invisum Deo, quam mens incesta, et animus impurus. In *Epitome*, cap. *Cohibenda.*

S. LAUR. JUSTIN. 13. Nihil odit Deus, nil punit in homine, nisi delictum. *De Casto connub.*, cap. 21.

S. THEODOR. 14. Peccatum, Dei odium conciliat. Super *Malachiam*, cap. II.

ODIUM SUI.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Æger ægrotantem se odit qualis est. *De Decem chordis*, cap. 8.

2. Odi quod sum, et non sum quod amo. Epist. 106.

3. Dilectio sui in malo, melius odium sui vocatur. *De Doctrina christiana*, cap. 23.

4. Qui non diligit Deum, etiam si se diligat, se odisse dicitur. Lib. 14, *de Trinitate*, cap. 14.

5. Sit hominis in animam suam amor ut pereat, odium ne pereat. Si male amaveris, tunc odisti : si bene oderis, tunc amasti. Felices qui oderunt custodiendo, ne perdant amando. Tract. 51, super *Evangelium Joannis*, cap. XII.

6. Oportet ut oderis in te opus tuum, et ames in te opus Dei. *Ibid.*, tract. 12.

7. Homines ament fieri quod non sunt : oderint quod fuerunt. Hom. 27, *ex* LIII, *Hom.*

S. BONAV. 8. Nullus potest perfecte invenire Deum, qui se perfecte non odit. In *Stimulo amoris*, part. 2, cap. 3.

DIONYSIUS CARTHUS. 9. Nullus vere Deum seu perfecte diligit, qui non se veraciter oderit. *De Perfect. charit.*, art. 37.

S. FRANCIS. ASSISIAS. 10. Qui vere pauper est spiritu, seipsum odit, et alios diligit. In suis *Opusc.* in *Admonit. ad fratres*, cap. 14.

S. HIERON. 11. Gratias ago Deo meo, quod dignus sim quem mundus oderit. Epist. *ad Asellam.*

J. JOANNES CHRYSOST. 12. Hæc est pugna periculosa, et hæc est gloriosa victoria : quæ poterit odisse quod amat, et amare quod odit. Homil. 35 super *Matth. Oper. imperf.*

S. THOMAS AQUINAS. 13. Odium et abnegatio sui ipsius, est de necessitate salutis. *De Perfectione vitæ spirit.*, cap. 10.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

TRISMEGIS. 14. Nisi, o fili, tuum corpus oderis, teipsum amare non poteris : quamprimum vero non te, sed Deum ipsum dilexeris. Lib. *de Potest. et sap. Dei*, cui titulus *Pimander*, cap. 4.

OFFICIUM in genere.

S. AMBROS & S. ISID. HIS. *Etymologia*. Officium ab efficiendo dictum, quasi efficium : sed propter decorem sermonis una immutata littera, officium solet nuncupari, vel certe ut ea agas, quæ nulli officiant, sed prosint omnibus. Lib. 1 *Offic.*, cap. 8. Et *Isidorus Hispal.*, lib. 6, *Etymol.*, cap. 19.

COLLECTOR. *Definitio*. Officium est quod quisque efficere debet pro suæ personæ conditione.

GLOSS. ORD. Officium est, per quod dignitas constat. Super *Epist.* I *ad Cor.*, cap. XII.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Officium omne aut medium, aut perfectum est. Lib. 1 *Offic.*, cap. 10.

2. Si appetitus rationi obediat, facile id quod deceat in omnibus officiis conservari potest. *Ibid.*, cap, 24.

3. Non defendas improbum, et sancta indigno committenda arbitreris. *Ibid.*, lib. 2, cap. 24.

S. ASTERIUS 4. Pura ac sincera amicitia, humanitatis offi-

cia non vendit : gratis præstat, et citra mercedem. Homil. in *Festum kalendarum.*

S. AUGUST. 5. Non est finis miseriæ, quamdiu finis officiorum nostrorum in re instabili collocatur. Epist. 56, *ad Dioscorum.*

6. Noveris non officiis, sed finibus a vitiis discernendas esse virtutes. *Prosec.*

7. Officium est autem quod faciendum est : finis vero propter quod faciendum est. Lib. *contra Julianum,* cap. 3.

8. Cunctis officiis in sacris litteris præscribitur norma vivendi : omnis enim ad bene vivendum provocatur sexus, ætas et dignitas. *De Verb. Dom.,* serm. 19.

9. Dedit Deus facultatem bene operandi in laboriosis officiis. Lib. 3 *de Lib. arbit.,* cap. 20.

10. Nullæ sunt occultiores insidiæ, quam hæ quæ latent in simulatione officii. Lib. 19 *de Civit. Dei.*

11. Inter officium et finem hoc distat, quod officium est in eis quæ facere debemus, finis propter quem facimus. Lib. 2 *contra Advers. legis,* cap. 7.

S. BERNARD. 12. Arbitratur se non esse minoribus occupandum, qui se ad majora sentit idoneum. *De Duodecim grad. humil.,* grad. 7.

S. BONAV. 13. Liber a culpa non est, qui alienum usurpat officium. In *Speculo discipl.,* part. 1, cap. 5.

14. Cura officii diligens, maxima status integritas : neglectus officii, maxima vitæ corruptio, maxima religionis deformitas. *Ibid.,* cap. 16.

S. GREGOR. MAGNUS. 15. Ipse se ad officium ostendit prorsus indignum, qui commodis præsumit appetere, quod habere per gratiam non meretur. Lib. 4 in *Registro,* indict. 13, cap. 97, epist. 53, *ad Childebert. reg. Franc.*

16. Frustra pro quorumdam voluptatibus, quis privetur, quem sua culpa vel facinus ab officii quo fungitur gradu dejicit. *Ibid.,* lib. 10, indict. 5, cap. 8, epist. 8, *ad Columbum episcopum Numidiæ.*

17. Incassum tenet magistri locum, qui non exercet officium. *Ibid.,* lib. 25, cap. 12.

18. Non largus præmiis, sed dignus meritis in officio eligatur. *Ibid.,* cap. 67, epist. lib. 4, indiction. 13, cap. 67, epist. 23, *ad Castorium notarium.*

19. Ille ad quodlibet officium perducatur, quem morum gravitas commendat et actio. *Ibid.,* lib. 5, indiction. 14, cap. 107, epist. 7, *ad Theodor. episc.*

20. Ille ad officium eligatur, quem dignum vita et mores ostenderint : et nullus ex datione pecuniæ, vel quarumlibet patrocinio personarum, seu proximitatis, patiatur accedere. *Ibid.,* lib. 7, indiction. 1, cap. 5, epist. 5, *ad Brunichildam reginam Francorum.*

21. Omnibus cujuslibet officii valde onerosa est novitas. *Ibid.,* lib. 4, indict. 13, cap. 89, epist. 45, *ad Andræam scholastic.*

22. Incongruum valde est, a suscepto officio quemquam suspendi, quem culpa non removet. *Ibid.,* lib. 12, indiction. 7, cap. 1, epist. 1, *ad Marianum episc. Ravennat.*

23. Tolerabilius est antiquiorem fratrem in officio, quam novum et puerum tolerare. *Ibid.*

HAYMO. 24. Si quis mutato ordine officia deserit, ad aliena non assurgit. Super *Apocal.,* cap. I,

HUGO CARD. 25. Multi dimisso proprio officio, alienum officium usurpant. Super *Hierem.,* cap. 22.

S. JOANNES CHRYSOST. 26. Odio dignus est, qui aliud quam quod profitetur, exercet. Serm. *de Moyse.*

27. Quo majus est officium, eo majoris fit occasio contumeliæ. Homil. 5 *de Fide Annæ.*

28. Similitudo officiorum similitudinem exhibet meritorum. Serm. *de Zachæo.*

29. Nihil sic in arrogantiam extollere consuevit, sicut officiorum ambitio. Homil. 1 *ad Populum Antiochenum.*

30. Unumquemque oportet suo officio fungi. Lib. *contra Gentiles.*

31. Nullum officium Deo charius est, quam quærere utilitatem, et saluti prospicere fratrum suorum. Orat. *de B. Philogonio.*

JOAN. TRITH. 32. Officium curam requirit, cura mentem distrahit, distractio studium litterarum impedit. Lib. 2 *de vir. illustr. ordinis S. Bened.,* cap. 21.

S. ISIDORUS HISPALENS. 33. Conturbat ordinem totum, qui non suo contentus officio, subripit alienum. Lib. 2 *de Sum. bono,* cap. 5, sent. 10.

PETR. BLES. 34. Ille, qui te ad hoc officium vocari permisit, sic te vocaverit ut non repellat, sic te honoraverit ut non humiliet, sic te exaltaverit ut non confundat, non dejiciat, vel allidat. Epist. 132, *ad quemdam abbat.*

35. Ministerium tuum plus oneris habet, quam honoris. *Ibid.,* tract. *de Inst. episc.*

PHILO JUD. 36. Quod fieri debet, sæpe fit non ut debet : et quod non est officium, interdum fit officiose. Lib. *de Cherubin.*

S. THOMAS A VILLANOVA. 37. Si habes officium, officio satisfacias. Serm. *Dom.* 3 *Advent.*

S. VALER. EPISC. 38. Non est novum meritum, ubi alterius præcedit officium ; nec perfectioni adscribendum est, ubi muneribus munera, præmissis officiis redduntur officia. Homil. 12.

39. Nisi quis sobrius fuerit, ministerium suum implere non poterit. *Ibid.,* epist. *ad Monachos.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 40. Nullum est officium tam sanctum, quod

non avaritia comminuere atque violare soleat. Orat. 1 *pro Quintio.*

41. Nihil est ad officia conservanda accommodatius, quam ut appetitus rationi pareant. Lib. 1 *de Offic.*

42. Studiis officiisque scientiæ præponenda sunt officia justitiæ, quæ pertinent ad hominum utilitatem, qua nihil homini debet esse antiquius. *Ibid.*

43. Omne officium quod ad conjunctionem hominum, et ad societatem tuendam valet, anteponendum est illi officio, quod cognitione et scientia continetur. *Ibid.*

EPICTETUS. 44. Omnia officia in universum mutuis affectionibus sunt metienda. In suo *Enchirid.*, cap. 37.

PLATO. 45. Quanto maximum est munus, tanto et majore otio, ac proinde maxima arte et diligentia indiget. Sizygia 4, lib. 2 *de Repub.*

SENECA. 46. Turpe est cedere oneri, luctare cum officio, quod semel recepisti. Epist. 22.

OFFICIUM DIVINUM.

S. THOMAS AQUINAS. *Divisio.* Divinum officium in septem horas canonicas dividitur : Matutinum, Primam, Tertiam, Sextam , Nonam , Vesperas , Completorium. In *opusc. de Officio Sacerdotis.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Quantum flevi in hymnis et canticis tuis, suave sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter : voces illæ influebant auribus meis, et eliquabatur veritas tua in cor meum, et ex ea æstuabat inde affectus pietatis. Lib. 9 *Confess.*, cap. 6.

2. Cum reminiscor lacrymas meas, quas fudi ad cantus Ecclesiæ in primordiis recuperatæ fidei meæ, et nunc ipso commoveor non cantu, sed rebus quæ cantantur, cum liquida voce et convenientissima modulatione cantantur, magnam instituti hujus utilitatem rursus agnosco. Lib. 10 *Confess.*, cap. 34.

3. Adducor cantandi consuetudinem approbare in Ecclesia, ut per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgat. *Ibid.*

4. Cum mihi accidit ut me amplius cantus, quam res quæ canitur, moveat, pœnaliter me peccare confiteor, et tunc mallem non audire cantantem. *Ibid.*

S.BENEDICT. 5. Ad horam divini officii, mox ut auditum fuerit signum, relictis omnibus quælibet fuerint in manibus, summa cum festinatione curratur, cum gravitate tamen, ut non scurrilitas inveniat fomitem. In *Regula*, cap. 43.

6. Nihil operi Dei præponatur. *Ibid.*

S.BERNARD. 7. Divinum Officium bonum est, tum propter relevandos vitæ præsentis labores, qui utique tolerabiliores fiunt exultantibus in laude Dei : tum quia nihil ita proprie quemdam in terris repræsentat cœlestis habitationis statum, sicut alacritas laudantium Deum. Serm. 11 super *Cant.*

8. Oblatio laudis, quæ Deo immolatur, triformis esse debet ; affectuosa, ut mens concordet voci ; fructuosa, ut ædificationem pariat audienti ; gratiosa, ut placeat Conditori. In suis *Sententiis*, verbo *Oblatio.*

9. Usurpemus officium angelorum, quorum sortimur consortium. Serm. 7 super *Cant.*

10. Vos moneo, dilectissimi, pure, semper ac strenue divinis interesse laudibus : strenue quidem, ut sicut reverenter, ita et alacriter Domino assistetis ; non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra transilientes, non fractis et remissis vocibus, muliebre quiddam balba de nare sonantes ; sed virili, ut dignum est, et sonitu et affectu voces sancti Spiritus promentes ; pure vero, ut nil aliud dum psallitis, quam quod psallitis, cogitetis. Serm. 47 super *Cant.*

11. Isti qui stipendia accipiunt, si Officium divinum non impleant, injustitiam exercent, et contra præceptum faciunt. Serm. 1 *de Omnibus sanctis.* S. BONAV.

12. Officium divinum in Ecclesia Spiritus sanctus ordinavit fieri quinque de causis : primo, propter imitationem cœlestis concentus, quo Sancti et Angeli in cœlo assidue in præsentia Dei ejus laudibus sunt intenti ; secundo, ut beneficiorum Dei memores, certis horis gratias, pro his laudando et orando, ei jugiter referamus ; tertio, ut nosmetipsos sic assidue ad devotionem excitemus, et ignem amoris Dei per hoc nobis (ne per desidiam, seu alias occupationes tepescat) continue reaccendamus ; quarto, ut simplices fideles, qui per se nesciunt certa orandi tempora eligere, per hoc ad orationis studium assuefaciamus ; quinto, propter decorem religionis christianæ, quia decens est et congruum. *De Sex alis Seraph.*, cap. 8.

13. Impatientis et vani signum est hominis opus Dei non posse in choro usque ad finem expectare. *Prosec.*

14. Si monachum, sancto narrante Gregorio, lib. 2, *Dialog.* cap. 4, post completum officium continuo recedentem, visus et dæmon a choro retrahere, quid de his, qui nec ipsius expletionem officii præstolantur ? In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 22.

15. Officium divinum in choro et extra, non perfunctorie quidem, simiaticis, ut aiunt, labiis, sed devote semper et integre persolvendum est. *Ibid.*, part. 2, cap. 1.

16. Dormitatio in officio tunc maxime imputa-

tur, et omissi dicitur restitutione redimenda : quando ei occasionem quis præstat. *Ibid.*, part. 1, cap. 15.

DIONYSIUS CARTHUS. 17. Officium divinum cum præcipua devotione incipere, alacriter continuare, delectabiliter consummare debemus. *De Fructuosa temp. deductione*, art. 1.

18. Signo surgendi audito, mox omni mora postposita, omni torpore excusso, omni pigritia conculcata, cum interna jucunditate promptissime consurgendum est : utpote clangore buccinæ summi Regis excitante, atque ad Creatoris ac Regis cœlestis præconium, spiritaleque prælium invitante, audito. *Prosec.*

19. Erubescat ergo tunc monachus, vel ad punctum tardare, aut caput sub operimento celare : et quamvis intensum sit frigus, nihilominus confestim de lectulo ad alloquendum, ad adorandum, ad laudandum Deum suum exsiliat. *Ibid.*

20. In Ecclesia, in choro tempore divini Officii, refrænandi ac custodiendi sunt oculi, ne aliquid devotionis atque internæ recollectionis impedimentum ingerant cordi. *De Profectu spirit.*, art. 5.

21. Nunquam tædium tibi insit in Dei obsequio occupari. *Ibid.*, art. 10.

S. EUSEBIUS EMISSEN. 22. Studeamus ut cum obsequiis labiorum vita concordet et consonet; sic enim pietas Dei ad nos flectit auditum. Hom. 4 *Epiphaniæ.*

S. FRANCIS. ASSISIAS. 23. Clerici dicant divinum officium cum devotione coram Deo, non attendentes melodiam vocis, sed consonantiam mentis : ut vox concordet menti, mens vero concordet Deo. In suis *Opusc.* epist. 11, *ad Capitul. generale.*

GLOS. DECR. 24. Presbyter excommunicatus tenetur ad horas dicendas. In *Decretis Gratiani.*

GLOSS. ORD. 25. Non oportet ut qui semper adstare debet Officio divino, inhiet terreno lucro, cui Deus hæreditas est. Quid ergo deesse potest illi, qui omnia habentem habet? Super *Deuter.*, cap. 18.

26. Dignum est ut quanto quis prælatus est cæteris, tanto devotior sit in divinis Officiis. Super I *Paralip.*, cap. IX.

27. Divina obsequia cum instanti fervore magnæ devotionis exercenda sunt. Lib. 5, in I *Reg.*, cap. II.

S. GREGOR. MAGNUS. 28. Assuescas exemplo ad orationes et psalmos nocte consurgere, mane hymnos canere, tertia, sexta, nona hora stare in acie, quasi bellatricem Christi. Epist. 7, *ad Lætam.*

S. HIERON. 29. Nullius est meriti ore divina Officia verbositare, et misera mente, quæ extrinsecus eminet, vagando circumire. In *Regula monachar.*, cap. 33.

30. Hora tertia oramus, hora sexta oramus et nona : media nocte consurgimus, deinde gallicinio oramus; videte quibus horis semper ad obsequium Dei suscitamur : videte quid dicat hora tertia, sexta, nona, medio noctis. gallicinio; hoc totum facimus, et non consideramus. Super *Psalm.* CXLIX, vers. penult.

HUGO CARD. 31. Qui assumpti sunt ad divinum Officium, non debent nimium affectum erga parentes habere. Super *Gen.*, cap. XIV.

S. JOANNES CHRYSOST. 32. Si totum vitæ tempus oris obsequia occupent, laudes teneant, gratiarum actiones insistant, non poteris pensare quod debes. *Prosec.*

33. Danda est opera, ut totis viribus devotio mentis in divina obsequia exerceatur, et laudum gloriam os per omne tempus frequentare cogatur; non quo in istis debitum compensetur, sed ut devotionis voluntas his exercitiis dignoscatur.

34. Quidquid fragilitas detrahit ad complendum, hoc devotio conferat ad promerendum. Serm. *Quomodo primus homo.*

35. Nihil amarum, nihil durum ea lingua proferat, quæ divinis Officiis assueta est. Hom. super I *Tim.*

S. PETRUS DAMIANUS 36. Divini cultus obsequium tunc est proculdubio laude dignum, cum fuerit laudabiliter consummatum. Lib. 4, epist. 16, *ad quemdam episc.*

37. Omnis monachorum sedulitas in orbem divini notatur obsequii. Serm. 59, *de S. Nicolao.*

38. Si Regi, vel terreno cuilibet optimati suæ ditionis officiales reverenter assistunt : cum ante terribilem majestatis divinæ conspectum laudum præconia jubilamus. qua præsumptionis audacia sedere præsumimus? Opusc. 39, cap. 2.

39. Cui virtutes angelicæ trementes assistunt, terreni et corruptibiles homines stare despiciunt? *Ibid.*, cap. 3.

40. Ecclesiasticis Officiis rite creditur angelicam semper adesse præsentiam. *Ibid.*, cap. 3.

PETRUS MAURITIUS ABB. CLUN. 41. In divinis Officiis non parva temporis portio consumetur, quibus tractim et intente canendis, tanto te majus necesse est studium adhibere, quanto non velut gratuitum in his obsequium Deo impendis, sed quasi debitum pensum ut servus Domino reddis. Lib. 1, epist. 20, *ad Gislebert.*

RABANUS 42. Tertiæ horæ Officium ideo fit, quia tertia hora Christi passio cœpit, cum per Judæorum linguas tunc Dominus crucifixus est, et post resurrectionem ejus in die Pentecostes tertia hora Spiritus sanctus super apostolos descendit. Lib. 2, *de Instit cleric.*, cap. 4.

43. Qui divinum Officium, non dulce canticum, sed grave onus judicat, indicat se parum amare eum, cui psallit. Super *Psalm.* LXXX.

THOMAS A KEMPIS. 44. Valde graviter Deum offendunt multi, ad Officium pigre surgendo, tarde sæpius veniendo,

tepide psallendo, verba corrumpendo, crebrius oscitando, vage circumspiciendo, male advertendo, negligenter inclinando, de longitudine Psalmorum attædiando, ad finem festinando. *Ibid.*, serm. 16, divis. 1.

45. Ex divinis colloquiis nascitur amor Dei, ædificatio proximi, odium mundi, desiderium regni cœlestis, dolor de peccatis, fervor charitatis, renovatio totius interioris hominis. *Ibid.*

46. Non pigeat, Fratres, omni nocte surgere ad vigilias nocturnales; sed facto signo, abjicite torporem ab oculis, evagationem a cordibus, dissolutionem a moribus. Serm. 1, *ad Novit.*, divis. 2.

47. Spiritus sancti opere et arte, divinum Officium ordinatum est. *De Discipl. claustr.*, cap. 8.

48. Væ illis, qui in divino Officio amore non calent, sed ad extraneas fabulas se convertunt : qui nec orant, nec alios orare permittunt. *De Discipl. claustr.*, cap. 8, sect. 6.

49. Qui a Dei laudibus torpescit, aut tacet, aut se absentat, non est amicus Dei. *Ibid.*, sect. 5.

S. VALER. EPISC. 50. Auctori tuo oris munuscula quotidie lætus exhibeas, ejusque sacrificium laudis verborum suavitate componas, atque ad officium operis deputati devotus occurras. Hom. 3, *de Arcta vita.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

TRISMEGIS. 51. Divina Officia præcedere, humana sequi debent. Lib. *de Potest et sap. Dei.*, cui titulus, *Pimander*, cap. 4.

Vide etiam tit. *Chorus*, sent. 38; *Evagatio mentis*, sent. 8, 9, 10. 11; *Laus Dei*, sent. 109.

ONUS.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Gravia, fili, gravia nimis delictorum pondera; nullum gravius est onus, quam peccatorum farcina, et pondus flagitiorum deprimit animam, curvatque usque ad terram, ne se erigere possit. Lib. 5, epist. 18, *ad Herontianum.*

2. Suscipite jugum Christi, nolite timere quia jugum est, festinate quia leve est : non conterit colla, sed honestat. *Prosec.*

3. Quid dubitatis? quid procrastinatis? non alligat cervicem vinculis, sed mentem gratia copulat, non necessitate constringit, sed voluntate bonis operis dirigit. *De Helia et Jejunio*, cap. 22.

S. ANTONIN. 4. Sicut pondus grave, quod solus unus portat, alleviatur ex societate alterius secum portantis : sic onus tristitiæ levius et melius fert unus, si alius secum ferat. Part. 2, tit. 8, *de Invidia*, cap. 5, § 3.

S. AUGUST. 5. Magnum onus et arduum, etsi ad sustinendum difficile, vereor ne ad suscipiendum temerarium sit. Lib. 1, *de Doctrina christiana*, cap. 1.

6. Justus injusto oneri est; quanto enim bonus est, tanto magis oneri est iniquitati illius. Super *Psalm.* XXXVI, conc. 2.

7. Jugum Christi amanti suave est, non amanti durum est. *De Verbis Apostoli*, serm. 12.

8. Habes sarcinam Christi, unde portes cum altero onus proprium. Pauper est, dives es : onus illius paupertas est, tu tale onus non habes. *Prosec.*

9. Vide ne forte cum te interpellabit paupertas, dicas : Paupertas non est onus meum, sed est onus fratris mei.

10. Vide ne divitiæ sint majus onus tuum : nam non habes onus paupertatem, sed habes onus divitias.

11. Si bene intendas, onus est. Ille alterum onus habet, tu alterum : porta cum illo, et portet tecum, ut invicem onera vestra portetis.

12. Quod est onus paupertatis? non habere. Quod est divitiarum onus? plus quam opus est habere. Et ille oneratus est, et tu oneratus es : porta cum illo non habere, portet tecum plus habere, ut fiant æquales sarcinæ vestræ.

13. Si enim dederis indigenti, minuis illi non habenti onus ipsius, quod erat non habere : si ei dederis, incipit habere; minutum est illi onus, quod vocatur non habere; minuit et ipse onus tuum, quod vocatur plus habere *Ibid.*, serm. 22.

14. Virilis animi est et præclaræ mentis, dejicere a cervicibus animæ inimicum pondus. Serm. 1, *Vigil. Pent.*

15. Quoniam tui plenus non sum, oneri mihi sum. Lib. 10, *Confess.*, cap. 28.

16. Onerant me potius majora, quam præparant. Lib. 3, *contra Academ.*, cap. 15.

17. Ubi succumbo quia oneror, ibi etiam quia diligor, sublevor. Epist. 131.

18. Quæ hic honorant, in alia vita onerant. Epist. 203.

19. Sarcina quæ infirmitati gravis est, levis efficitur charitati. *De Grat. et lib. arb.*, cap. 17.

20. Non nos terreat sarcina, levis erit, si Christi erit; Christi erit, si fides aderit. Lib. 2, *de Conjug. adult.*, cap. 19.

S. BASILIUS MAGNUS. 21. Magna onera transfert homo, mentis industria magis quam viribus corporis. Hom. 10, *in Hexam.*

V. BEDA. 22. Nulli imponas quod ipse pati non possis. In suis *Proverbiis*, verbo *Nullis.*

S. BERNARD. 23. Onerat nos, cum exonerat Deus : onerat beneficio, cum exonerat peccato. Serm. 15, super *Qui habitat.*

24. Inhumane eorum redarguis opera, quorum onera refugis. Serm. 13 super *Cant.*

25. Pulcherrimus ordo est, et saluberrimus

onus quod portandum imponis, tu portes prior. Epist. 201, *ad Balduin. abbat.*

26. Grave pondus, grave est periculum. Serm. 1, *de Nativit. Domini* sibi adscripto.

S. BONAV. 27. Totum te Deo committe, et quod tibi est grave, fiet cito portabile. In *Alphabet. relig.*, lect. 19.

S. EUSEBIUS EMISSEN. 28. Nemo Dominicum esse intolerabile conqueratur jugum. *Prosec.*

29. Qui duri est animi, qui cordis est asperi, ipse sibi facit durum atque asperum jugum Christi.

30. Vere enim gravi premitur sarcina mens subjugata peccato : onus vero Domini scit relevare, nescit opprimere. Hom. 1 *Epiphan.*

S. FRANCIS. ASSISIAS. 31. Onus quod humeris portas, magnum est et grave, animas videlicet multorum. Epist. 7, *ad Fratr. Eliam.*

S. FULGENT. 32. Sarcina Christi cum onerat, sublevat : et miro modo quem onerat, non permittit comprimi; quem sublevat, non sinit extolli. Lib. 3 *ad Monimum*, cap. 1.

GLOSS. ORD. 33. Jugum Dei suave est, et onus leve : quæ natura sua dura sunt et aspera, amor Dei et spes præmii facit levia. Super I *Joan.*, cap. v, in illud : *Mandata ejus gravia non sunt.*

S. GREGOR. MAGNUS. 34. Tantorum pondera unusquisque sustinere compellitur, quantis in hoc mundo principatur. Lib. 9 *Moral.*, cap. 10.

35. Quod valde importabile esse ex dolore ostenditur, consideratione provida, et remuneratione levigatur *Ibid.*, lib. 8, cap. 5.

HAYMO. 36. Nunquam poterit homo sine jugo esse, aut Christi, aut diaboli. Serm. *de Confessione Jesu.*

S. HIERON. 37. Noli subire onus quod ferre non potes. Epist. 8, *ad Lætam.*

38. Ultra vires sumpta onera minime probo. Epist. 27, *ad Eustoch.*

39. Magnitudo oneris impositi ita cervices premit, ut ante sub fasce ruendum sit, quam levandum. In *Præfat super Esdram.*

40. *Jugum meum suave est, et onus meum leve :* suave est volentibus, durum est nolentibus. Super *Psalm.* XVI, vers. 5.

HUGO A S. VICTORE. 41. Levius est pondus tunicæ, quam loricæ. Lib. 1, *de Claustr.*, cap. 11.

42. Tria sunt, quibus gravamur : carcer, captivitas, infirmitas : gravatur infirmus, debilitate, et dolore ; incarceratus, catenis et compedibus ; captivus, servitute et labore. *Ibid.*, lib. 3, cap. 10.

43. Onus fertur, fertur si colligitur. ad terram inclinat, grave est cum ligatur super humeros. Lib. 4, *de Propriet. rer.*, cap. 13.

44. Non sit pondus tibi majus et minus, ut aliter tibi, aliter proximo metiaris, imponens gravia, quæ nec digito velis movere. Lib. 1, *Miscellan.*, codic. 2, tit. 103.

HUGO CARD. 45. Onus mundi, præbendæ sunt, et divitiæ, et honores. Super *Psalm.* LXXX.

46. Levius fertur quod cum alio fertur. Super *Matth.*, cap. v.

S. INNOC. III 47. Beati qui jugum Christi portant, quod est grave in principio, sed semper in fine suave. *Prosec.*

48. Miseri vero, qui jugum diaboli portant, quod suave est in principio, sed in fine semper est grave. Serm. 1 *Septuag.*

49. Est onus Christi, onus mundi, onus diaboli : primum gratiæ, secundum pœnæ, tertium culpæ. Super *Psalm.* XXXVII., vers. 4.

S. JOANNES CHRYSOST. 50. Pondus terrestrium dominorum atterit paulatim ministrantium vires, pondus autem Christi magis adjuvat bajulantem. Homil. 28, super *Mat. Oper. imperf.* in illud : *Tollite jugum meum.*

51. Nihil onerosum sentit, cui particeps Christus existit. Serm. *de Fide, spe, et charitate.*

52. Qui plus accipit, quam ferre non potest, inutile, et damnum affert et ignominiam. Homil. 29, super I *ad Cor.*

JOAN. GERS. 53. Quod male fers, assuesce, feres. Tract. *de Parvul. ad Christum trahend.*, consid. 1.

S. ISID. HISP. 54. Ubi jam suave jugum et leve onus Christi est, ibi durum et grave est portare servitium sæculi. In *Regula monachor*, cap. 4.

LACT. FIRM. 55. Virtutis via non capit magna onera portantes. Lib. 7 *de Divin. inst.*, cap. 1.

S. LAURENT. JUSTIN. 56. Tollat quisque super se jugum suave amoris Dei, ut secum habeat coadjutorem laboris sui. *Prosec.*

57. Jugum enim hoc non premit, sed roborat ; non perimit, sed reficit ; non onerat, sed refugium præstat.

58. Nam onus istud portat portantem se, et in laboribus fortitudinem subministrat. *De Discipl. monast. conversat.*, cap. 2.

PETR. BLES. 59. Ego homo sum, non asinus, ut non spontaneus inviter ad onera, non compellar invitus. Epist. 123, *ad Richard. Londonens. episc.*

SALVIANUS. 60. Non omnibus sunt onerosa hæc tolerantibus, sed tolerare nolentibus : sive enim gravia hæc, sive levia, animus tolerantis facit. Lib. 1, *de Gubern. Dei.*

THOMAS A KEMPIS. 61. Onus ordinis diurnum et nocturnum collo monachi impositum, ostendit cito quantum portare potest pro amore Dei, et sustinere. Serm. 14, *ad Novit. divit.* 6.

62. Nemo invenitur tam bonus, cui non occurrat aliquid oneris et gravitatis. In *Hortulo rosar.*, cap. 7.

63. Jugum Christi amantibus est suave, tepidis grave, superbis amarum, mitibus leve, humilibus charum. *Ibid.*, cap. 8, sect. 2.

64. Unusquisque sufficiens onus sibi ipsi est : quid ergo prodest quod alienis te ingeris oneribus, et plus tollis quam portare vales? *Ibid.*, cap. 11, sect. 3.

65. Qui onus sibi impositum patienter sustinet, Jesum et hunc crucifixum in humeris suis portat. *Ibid.*, cap. 17.

S. VALER. EPISC. 66. Debet quæ sunt onerosa deponere, qui vult ad judicium securius venire. Homil. 2, *de Arcta vita.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 67. Grave est tenere cervici jugum. *De Divin. Provid.*, cap. 4.

68. Debet semper plus esse virium in labore, quam in onere : necesse est opprimant onera, quæ ferente majora sunt. *De Tranquillit. animi*, cap. 5.

69. Turpe est cedere oneri. Epist. 22.

70. Circumspicias quantum feras tecum, et quam magna pecunia instruas otium, nunquam exitum invenies; nemo cum sarcina enatat *Ibid.*

Vide etiam tit. Mandatum, sent. 36; *Mandatorum facilitas*, sent. 54, 55, 56, 66; *Pastor*, sent. 130.

OPINIO.

S. BERNARD. *Definitio.* Opinio est quasi pro vero habere aliquid quod falsum esse nescitur. Lib. 5, *de Confid. ad Eug. Pap.*

S. THOMAS AQUINAS. Opinio est actus intellectus, qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius. Part. 1, *Summæ*, quæst. 79, art. 9.

PLATO. Opinio est sermo explicatus non ad alium neque voce, sed silentio apud seipsum. Sizygia 2, *de Scientia.*

Falsum opinari est alienam opinionem suscipere, et non ut illud est, cogitatione ponere. *Ibid.*

Falsa opinio est ea, quæ iis quæ sunt contraria, vel ea quæ non sunt, opinatur. Sizygia 2, in *Dialog. sophistæ.*

S. ISID. HISP. *Divisio.* Quadrimoda est sentiendi ratio, qua aut bene sentiendo, quod bene proferatur; aut nil sentiendo, nil dicitur; aut parum sentiendo, loquacitas sola ostentatur; aut optime sentiendo, non eleganter profertur quod intelligitur. Lib. 2, *de Sum. bono*, cap. 29, sent. 15.

PLATO. Duo sunt opinionum genera; unum verum, alterum falsum. Sizygia 2, *de Scientia.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Non despiciat quid de se unusquisque et maxime optimus sentiat. *Prosec.*

2. Nam negligere bonorum judicia, vel arrogantiæ, vel dissolutionis est : quorum alterum superbiæ adscribitur, alterum negligentiæ. Lib. 1, *Offic.*, cap. 47.

3. Quales haberi volumus, tales simus. *Ibid.*, lib. 2, cap. 19.

4. Magnanimus magis curat veritatem, quam opiniônem. Part. 2, tit. 4, cap. 1, § 3. S. ANTONIN.

5. Maxima multitudo est hominum, qui in varias noxiasque opiniones ita labuntur, ut emergere inde ac liberari, aut nunquam, aut ægerrime queant. *De Quantitate animæ*, cap. 7. S. AUGUST.

6. Temeritas afferendæ incertæ dubiæque opinionis, difficile sacrilegii crimen evitat. *De Genesi ad litt. imperf.*, cap. 1.

7. Non parvum malum est, perversis opinionibus abduci. *De Viginti et una sententiis*, sent. 3.

8. Opinari duas ob res turpissimum est : quod discere non potest, qui sibi jam se scire persuasit, si modo illud disci potest; et per seipsam temeritas non bene affecti animi signum est. *De Utilit. credendi*, cap. 11.

9. Quod intelligimus, debemus rationi : quod credimus, auctoritati : quod opinamur, errori. *Ibid.*

10. Aliquid aliter sapere quam se res habet, humana tentatio est : nimis autem amando sententiam suam, vel invidendo melioribus usque ad sacrilegium pervenire, diabolica præsumptio est : in nullo autem aliter sapere, quam res se habet, angelica perfectio est. Lib. 2, *de Baptismo*, cap. 5.

11. Pertinet ad nos ne perniciosa opinione fallamur, ut quia non possumus hominum indagare conscientiam, de ipsis rebus habeamus veram certamque sententiam. Tract. 90, super *Evang. Joan.*, cap. xv.

12. Opinio aut in errore, aut in veritate ratiocinantis est, vel credentis. Lib. 3, *de Lib. arb.*, cap. 8.

13. Falsæ opiniones vitam contaminant, si rationalis mens ipsa vitiosa est. Lib. 4 *Confess.*, cap. 15.

14. Si falsis opinionibus tanto quisque inseritur, quanto magis in eis familiarusque volutatur, multo id facilius in rebus veris animo occidit. Epist. 117.

15. Quod neque intelligi, neque sentiri potest, temerariam nimis atque nugatoriam gignit opinionem. Epist. 218.

16. Magna est vis veternosarum opinionum, et diu defensæ, atque creditæ falsitatis. *De Duab. animab.*, cap. 3.

17. Malæ opiniones si pertinaciter defendantur, tot hæreses facere possunt. Lib. 3, *de Anima et ejus orig.*, cap. ult.

18. Omnino sufficit adversus os loquentium S. BERNARD

iniqua, opinio bonorum cum testimonio conscientiæ. Serm. 24, super *Cant.*

19. Decor tuus, splendor bonæ opinionis est. Lib. 3, *de Consid. ad Eugen. Pap.*

20. In his quæ fidei sunt cavenda est confusio, ne aut incertum opinionis fides figat, aut quod firmum fixumque est fidei, opinio revocet in quæstionem. *Prosec.*

21. Opinio si habet assertionem, temeraria est : fides si habet hæsitationem, infirma est. *Ibid.*, lib. 5.

22. Mirum, imo et injustum videtur, ut plus in malo quam in bono humanæ valeat intentionis opinio. *De præcepto et dispens.*

S. BONAV.

23. Ejus, quem videre me non licet, bona me pascit opinio. Lib. 4 *Pharetræ*, cap. 47.

IONYSIUS ARTHUS.

24. Senti bene de omnibus, nullum despicias nisi te ipsum. *De Perfect. charit.*, art. 47.

LOSS. DEC.

25. Veritas præjudicat opinioni. In *Decret. Gratiani.*

. GREGOR. MAGNUS.

26. Unguenti more bonorum fragrat opinio. Lib. 7 in *Registro*, indict. 2, cap. 124, epist. 124, *ad Claudium in Hispania.*

27. Habet hoc proprium antiqui hostis invidia, ut quos in pravorum actuum perpetratione, Deo sibi resistente, dejicere non valet, opiniones eorum falsa simulando dilaceret. *Ibid.*, lib. 2, indict. 10, cap. 23, epist. 23, *ad Justinum.*

. GREGOR. NAZ.

28. Fratrum potius quam opinionum nostrarum amatores fiamus. Orat. 5, *de Pentecoste.*

. GREGOR. TAUMAT.

29. Pessima et falsa opinio per homines plerumque grassatur, tum de justis, tum de sceleratis ; de utrisque enim contraria existimant : nam et qui justitia præditus est, non talis habitus est ; et rursus impius cordati viri opinionem tulit, quem errorem gravem et perniciosum esse statuo. Super *Eccles.*, cap. VIII.

. HIERON.

30. Quæ hæc est tanta levitas animi, quæ tanta vanitas, relicta propria conscientia, alienam opinionem sequi, et quidem fictam atque simulatam? Epist. 14, *ad Celantiam.*

31. Multos decipit bona de malis existimatio. Epist. 12, *advers. Vigil.*

32. Eo perducta res est, ut neglecta veritate meriti, de sola opinione curemus. Epist. 1, *ad Demetriad.*

UGO CARD.

33. Falsa opinio, quam habet homo de se, transgressionem mandatorum inducit. Super lib. *Judic.*, cap. XVII.

JOANNES HRYSOST.

34. Omnis homo secundum se æstimat alterum, nec potest esse melius sentire de alio, quam ipse senserit de se. *Prosec.*

35. Fornicarius neminem æstimat castum, et castus non facile de fornicario suspicatur. Homil. 39, super *Matt. oper. imp.*

36. Vilis et temerarius vir in parvis rebus maximam sibi de se opinionem effingit. Homil. 1, super I *Cor.*

37. Non paupertas tristitiam, aut divitiæ voluptatem gignunt : sed hoc et illud opinio nostra parit. *Ibid.*, homil. 38.

38. Sola opinio omnibus rebus pretium facit. Homil. 17, super I *Tim.*

39. Multo melior est opinio bona pecuniis : illa enim si mala fuerit, non facile abluitur; pecunias autem nihil est acquirere. *Prosec.*

40. Opinio bona sit adsit, prodest plurimum : si vero absit, facit probrosum totum hominem, facit infamem, et ridiculum constituit omnibus et exosum. Homil. 1, super *Epist. ad Hebr.*

JOAN. TRIT.

41. Nunquam bonorum opinio, malorum pravitate corrumpitur. Epist. 14, *ad Nicol. presbyt. Mernicens.*

S. JUSTIN. MART.

42. In discrimen deducenda non est opinio, quæ de existimatione nostra habetur. Epist. *ad Zenam.*

PHILO JUD.

43. Quod vanæ opinioni demitur, id veritati apponitur. *De Profugis.*

44. Opinio, ut veteribus placet, est perfecta excisio : nam qui inani opinione intumescit, emendationem non sustinet. *Hab.* apud *D. Joan. Damasc.*, lib. 3 *Parall.*, cap. 96.

45. Opinio inanis, natura, res impura est. *Ibid.*

S. PROSPER

46. Non te inflet opinio secunda, nec sinistra dejiciat. Lib. 1 *de Vita contemplat.*, cap. 8.

SALVIANUS.

47. Fallunt te opiniones tuæ, fallit pravæ et cæcæ mentis improbitas. Lib. 5 *de Gubern. Dei.*

48. Incidere in falsæ opinionis errorem, priusquam vera cognoscas, imperiti animi est et simplicis : perseverare vero in eo postquam agnoveris, contumaciæ. Epist. 7, *ad Aprum et Verum.*

49. Res summæ salubritatis non est minoris pretii per opinionis incertum. *Ibid.*, epist. *ad Salonium episc.*

S. THOMAS AQUINAS.

50. Ex hoc ipso quod aliquis malam opinionem habet de alio sine causa sufficienti, indebite ipsum contemnit, eique injuriatur. 2, 2, quæst. 60. art. 3.

THOMAS A KEMPIS.

51. Nostra opinio et noster sensus, sæpe nos fallit, et modicum videt. Lib. 1, *de Imit. Chr.*, cap. 3.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL.

52. Fides omnem opinionem sequitur, persuasio fidem, ratio persuasionem. Lib. 3, *de Anima*, cap. 3.

53. Opinionis rectitudo, veritas est. Lib. 6, *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 9.

54. Opinio est actionum domina atque arbitra. Lib. 7 *Moral.*, cap. 3.

CICERO.

55. Omnis opinio ratio est : bona quidem ratio, si vera opinio est : mala autem, si falsa. Lib. 3, *de Natura deorum.*

56. Negligere quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti. Lib. 1 *de Offic.*

57. Irrideat si quis vult, plus apud me vera ratio valebit, quam vulgi opinio. *De Paradox.*, cap. 2.

EPICTETUS. 58. Homines perturbantur non rebus, sed iis quas de rebus habent, opinionibus. In suo *Enchirid.*, cap. 10.

MIMUS PUB. 59. Bona opinio homini tutior pecunia est. In suis *Sententiis*, sent. 53.

PLATO. 60. Omnes hominum opiniones non sunt peræque colendæ : verum aliæ quidem, aliæ non item : neque omnium hominum, sed quorumdam quidem, aliorum vero minime. Sizygia 1, in *Dialogo Critonis.*

61. Necesse est eum qui opinatur, eorum quippiam opinari, vel quæ novit, vel quæ non novit. Sizygia 2, *de Scientia.*

62. Qui unum quid opinatur, aliquid eorum quæ sunt opinatur. *Ibid.*

63. Qui id quod non est opinatur, nihil opinatur, nec opinatur quidem. *Ibid.*

64. Fieri non potest, ut id quod non est, in opinationem cadat, neque earum rerum quæ sunt ratione, neque ipsum per seipsum. *Ibid.*

65. Aliud est falsa opinari, quam ea quæ non sunt opinari : non enim hoc modo falsa in sapiente est opinio. *Ibid.*

66. Cum quis rem turpem pro pulchra, et pulchram pro turpi opinatur, tunc revera opinatur falsa. *Ibid.*

67. Opinari vera omnino ab errandi periculo liberum et immune est, et quæ ex sana illa opinione proficiscuntur, omnia et pulchra et bona existunt. *Ibid.*

68. Vera opinio ad rectam rationem non minus est efficax dux, quam prudentia, sive sapientia. Sizygia 4 *de Virtute.*

69. Non minus utilis est recta opinio, quam scientia. *Ibid.*

70. Opinionem veram si dux præierit, uniuscujusque rei actionem deteriorem non præstat, quam præstet scientia. *Ibid.*

71. Recta opinio nec scientiæ cedit, nec minus ad res gerendas utilis est : neque is qui rectam opinionem habet, eo qui scientiam, minus utilis est censendus. *Ibid.*

SENECA. 72. Sæpe quod est incredibile, de facto bene existimamus : de faciente male. Lib. 3, *de Ira*, cap. 28.

73. In illis quæ mala vocantur, nihil tam terribile ac durum invenio, quam opinionem vulgi. *De Consol. ad Helviam*, cap. 5.

74. Quæcunque opinio veritati repugnat, falsa est. Epist. 76

75. Mala opinio bene parta delectat. Epist. 113.

76. Opiniones tuæ judicia sint. *De Quatuor virt.*

77. Male opinantur de te homines, sed mali. *De Moribus.*

OPUS. OPERARI.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. In omnibus operibus nostris, tanto quisque attentius; quanto difficilius operamur. Lib. 6, *Musicæ*, cap. 5. S. AUGUST.

2. Quæcunque iniquitas in malis operibus exercetur, ut fiant : superbia etiam bonis operibus insidiatur ut pereant. *Ibid.*

3. Laudandus est, non attractus ad opus serviliter animus, sed liberaliter et sponte devotus. Lib. 2, super *Exod.*, quæst. 170.

4. In illa requie ubi opera servilia jubentur cessare, magna est altitudo gratiæ Dei : tunc enim fiunt cum requie opera, cum fides per dilectionem operatur. *Ibid.*, quæst. 172.

5. Tanto magis delectat opus bonum, quanto magis diligitur Deus, summum atque incommutabile bonum, et auctor qualiumcunque bonorum omnium. Lib. 2 *de Pec. mer. et rem.*, cap. 17.

6. Bonum opus intentio facit, intentionem fides dirigit. Super *Psalm.* XXXI.

7. Antequam stes in opere, sta in consilio. Super *Psalm.* XLIV, vers. 1.

8. Nullum est opus bonum, cujus non sit in mente cogitatio. Super *Psalm.* LXVII.

9. Bonum opus non multum laborat, malum opus habet laborem. Super *Psalm.* XCII.

10. Sicut iniqui male utuntur bonis operibus Dei, sic contra Deus bene utitur malis operibus iniquorum. Tract. 27, super *Evang. Joan.*, cap. 6.

11. Negligis quod factus es, diligis quod fecisti : amas extra te opera tua, negligis in te opus Dei. *De Verb. Dom.*, serm. 54.

12. Ratio operibus, et opera ratione indigent, ut quod mente concipimus, opere perpetremus. Hab. in *Gloss. ord.* super illud *Levit.* 8, *Cumque lavisset eos.*

13. Nisi injustus voluntatem mutaverit, bonum operari non potest. *Contra Adim.*, cap. 26.

14. Dedit Deus facultatem bene operandi in laboriosis officiis. Lib. 3 *de Lib. arb.*, cap. 20.

15. Bene operari non possumus, nisi dono Dei adjuti. Epist. 119, cap. 10.

16. Cum bene operamur, ipse dicitur operari in nobis, cujus munere operamur. *Ibid.*

17. Discamus in similitudine operum, discernere animos operantium. Epist. 48.

18. Operibus debitum redditur. Epist. 106.

19. Quicunque dicit, voluntas mea mihi suffi-

cit ad facienda opera bona, declinat in dexteram. Epist. 47.

20. Mali filii mala opera, bona opera boni filii sunt. Epist. 59.

21. Bona opera non pereunt, etiam quæ de bonis pereuntibus fiunt. Epist. 70.

22. Ex mundi bonis facias bona opera, et propter mundi bona non facias opera mala. *Ibid.*

23. Tunc recte fit opus bonum, cum in ejus laudem fit, cujus gratia donatur ut fiat. Epist. 120, cap. 29.

24. Nolite esse pigri in operibus bonis, ut ad vestri seminis messem suo tempore veniatis. Epist. 138.

25. Non præjudicat bono malus, quem in consensione mali operis socium non habet criminis. Epist. 152.

26. Cum cœperit tibi displicere quod fecisti, inde incipiunt bona opera tua, quia accusas mala opera tua : initium bonorum operum confessio est operum malorum. Tract. 12, super *Joan.*

27. Opera Dei videmus bona, quietem vero ejus post bona opera nostra videbimus. Lib. 4 *de Genesi ad lit.*, cap. 13.

28. Tunc est vere opus bonum, cum a charitate jaculatur agentis intentio : et tanquam ad locum suum rediens, rursus in charitate requiescit. *De Catechiz. rud.*, cap. 11.

29. Malorum operum tanquam fructum malorum voluntas ipsa est velut arbor mala. Lib. 14 *de Civit. Dei.*, cap. 11.

30. Non ad malum opus perveniretur, nisi præcessisset mala voluntas. *Ibid.*, cap. 13.

31. Non fit opus malum nisi a malis. *Ibid.*

32. Ipsa bona opera nostra Dei potius intelliguntur esse, quam nostra. *Ibid.*, lib. 22, cap. 30.

33. Deus ita magnus est in operibus magnis, ut minor non sit in minimis. Lib. 21, *contra Faust.*, cap. 5.

34. Opera sunt ex fide, non fides ex operibus. *De Gratia et lib. arb.*, cap. 7.

35. Nec opera bona voluntas mala, nec mala opera facit voluntas bona. Lib. 1, *contra Jul.*, cap. 6.

36. Necesse est mortua opera faciat anima, donec Christi gratia reviviscat. *De Natura et grat.*, cap. 24.

37. Noli deficere in bonis operibus, quia curat Deus humana. *Annot. in Job.*, cap. 22.

38. Oportet ut oderis in te opus tuum, et ames in te opus Dei. Tract. 12, super *Joan.*

39. Quæris mercedem, opus præcedat. *Ibid.*, tract. 40.

40. In omnibus bonis operibus tuis labora, non propter amorem sæculi hujus, sed propter requiem sempiternam, quam promittit Deus. *De Decem chordis*, cap. 9.

41. Da quibus operibus tibi placeam. Lib. *Medit.*, cap. 2.

42. In mercede tu nihil agis, in opere non solus agis : corona tibi est ab ipso, opus autem abs te, sed non nisi ipso adjuvante. Homil. 14, *ex* LIII *Hom.*, cap. 2.

43. Deus retribuet mercedem operibus bonis. *Ibid.*, cap. 5.

44. Anima sancta æternis bonorum operum margaritis componitur, ut ad cœlestis sponsi consortium, et nuptiale convivium feliciter ornata perveniat. *Ibid.*, homil. 26.

45. Percutimus adversarium bonis operibus. *Ibid.*, homil. 50, cap. 3.

46. Hominibus nos exemplum bonorum operum præbere præcipimur. Epist. 224.

47. Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est. In *Exposit. sup. Epist. ad Galat.*, cap. 5.

48. Ipse ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. *De Grat. et lib. arb.*, cap. 17.

49. Cum transierit tempus bene operandi, non restat nisi recipiendi. Homil. 18, *ex* LIII *Hom.*

50. Ille in te laudetur, qui per te operatur : noli ad laudem tuam operari quod bonum agis, sed ad laudem illius, a quo habes ut bonum agas. Tract. 8, in *Epist. Joan.*

51. Deus et ubi non habitat, operatur. Lib. 6, *contra Julian.*, cap. 14.

52. Non hoc est eligere opera, quod operari; opus virtuti debetur. *De Morib. eccles.*, cap. 16.

S. BERNARD.

53. Nisi opus tuum in unitate feceris, Deo qui unus est, acceptum profecto non erit. Serm. 5, *Assumpt. B. M.*

54. Ille bene operatur, qui jam operatur, non ut ipse Deo placeat, sed quia placet ei Deus; vel quia placeat Deo quod operatur. In suis *Sent.*, verbo *Quatuor.*

55. Spiritualis homo omne opus suum, trina quadam consideratione prævenit : primum an liceat, deinde an deceat, postremo an expediat. Lib. 3 *de Consid. ad Eugen. Pap.*

56. Quisque in omni opere suo hoc dicat sibi ipsi : Si modo moriturus esses, faceres istud? In *Speculo monachor.*

S. BONAV.

57. Qui vult opus altum incipere, debet prævidere, si velit perseverare. Super *Luc.*, cap. 14, in illud : *Sedens computat.*

S. BRUNO.

58. Sicut cibo corporeo corpus pascitur, ita bonis operibus anima saginatur. Super *Psalm.* XXXVI, vers. 4.

S. CÆSARIUS

59. Infructuosa et inania vitæ hujus opera, pa-

ARELAT. leæ sunt nimium flammis amica materia. Homil. 4.

DIONYSIUS CARTHUS. 60. Signum virtutis est delectatio operis. Super Epist. *ad Philipp.*, cap. 4, art. 4.

61. Quanto quis diligentius ac frequentius bonis insistit operibus, tanto fit ei facilius et delectabilius talibus immorari. Super 2 *Petr.*, cap. 1, art. 1.

S. EUSEBIUS EMISSEN. 62. Divina opera non discutienda sunt, sed credenda. Homil. 1, *de Symbolo.*

63. Si homo non imposuerit finem operi, nec Deus imponit remunerationi. *Prosec.*

64. Quantum enim serimus operibus, tantum metemus in fructibus. *Ibid.*, hom. *de S. Maximo.*

GLOSS. ORD. 65. Bona opera veræ divitiæ spiritus, ubi pura mentis sinceritate geruntur, sed sine fide nihil prosunt. Super *Proverb.*, cap. 31.

66. Nemo potest Deo servire, qui mortua habet opera. Super *Epist. ad Hebr.*, cap. 9, in illud: *Ad serviendum Deo viventi.*

S. GREGOR. MAGNUS. 67. Hoc opus coram Deo non placet, quod alterius operis injustitia polluit. Lib. 22 *Moral.*, cap. 17.

68. Nulla ante Dei oculos justitiæ pietatisque sunt opera, quæ corruptionis contagio monstrantur immunda. Lib. 21 *Moral.*, cap. 9 post med.

69. Comedere animæ est bonis operibus satiari. *Ibid.*, cap. 8.

70. Cum opus crescit, præmii fiducia proficit : cum vero opus torpuerit, spes a remuneratione lassescit. *Ibid.*, lib. 8, cap. 3.

71. Vili pretio opus vendit, qui magna impendit, sed minima recipit. *Ibid.*, cap. 25.

72. Duo sunt, quæ in bonis operibus, necesse est ut studiose formidentur, desidia videlicet et fraus. *Ibid.*, lib. 9, cap. 17.

73. Solus in Dei opere fraudem non facit, qui cum ad studia bonæ actionis invigilat : nec ad corporalis rei præmia, nec ad laudis verba, nec ad humani judicii gratiam anhelat. *Ibid.*

74. Sæpe bona opera desidia interveniente deficiunt, quia a fervore, quo cœpta sunt, frigescente amore tabescunt. *Ibid.*

75. In intentione operis æternitas, in usu vero temporalitas esse debet. *Ibid.*, lib. 15, cap. 27.

76. Ille veraciter vim divini timoris intelligit, qui se a cunctis pravis operibus custodit. *Ibid.*, lib. 19, cap. 6.

77. Sua bona perdit opera, qui aliena mala renuit perpeti. *Ibid.*, lib. 21, cap. 16, num. 16.

78. Necesse est, ut cum bona exterius agis, hæc interius cum magna cautela custodias, ne appetitus placendi hominibus subrepat, et omnis labor boni operis incassum fiat. Lib. 2 in *Regist.*; indict. 11, cap. 43, epist. 4, *ad Bonif. episc. Rheg.*

79. Opus Dei homo est, sed opus hominis vitium. *Ibid.*, lib. 4, indict. 13, cap. 80, epist. 36, *ad Eulog. Episc. Alexand.*

80. Is qui Spiritu Dei operatur, non desidia corrumpitur, non timore repellitur, non labore lassatur. *In Septem Psalm. Pœnit.* super *Psalm.* II, vers. 10.

81. Si inchoata bona fortis operantis manus ad perfectionem non sublevat, ipsa operandi remissio contra hoc quod operatum est, pugnat. Part. 3 *Pastoral.*, cap. 1, admonit. 35.

82. Magnæ humilitatis est, quod sua opera Sancti taceri appetunt; sed magnæ utilitatis est, quod eorum opera taceri non possunt. Lib. 1 *Dialogi*, cap. 9.

83. Opus ex dono est, non donum ex opere : omne quippe opus dona præveniunt, quamvis ex subsequenti opere ipsa etiam dona succrescunt. *Ibid.*, cap. 4, verbo *Opus.*

84. Facito aliquid operis, ut te semper diabolus inveniat occupatum. Epist. 4, *ad Rustic.* S. HIERON.

85. Non tibi ab opere cessandum est, quia Deo propitio nulla re indiges, sed ideo cum omnibus laborandum est, ut per occasionem operis nihil aliud cogites, nisi quod ad Domini pertinet servitutem. Epist. 8 *ad Demetriad.*

86. Constat in bonis operibus post propriam voluntatem, Dei nos niti auxilio; in malis autem, diaboli. Lib. 1 *Dial. advers. Pelag.*

87. Omne opus leve fieri solet, cum ejus pretium cogitatur. Epist. 1 *ad Demetriad.*

88. Quod voluntarie cœpistis, implete : omnis enim boni operis finis semper est expetendus : quia sicut factum inviti acceptum non est, ita voluntas infructuosa est habentibus eam sine facto. Super II *ad Cor.* cap. VIII, in illud : *Et facto perficite.*

89. Mala opera, malus finis expectat. *Ibid.*, cap. XI, in illud : *Quorum finis.*

90. Sicut in bonis operibus perfectio est Deus, sic in malis operibus perfectio est diabolus. Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 1, dist. 2, can. *Si enim*, § *Sicut.*

91. Valde sollicitus debet esse quisque in bono opere, ut in cunctis quæ agit semper cogitet de extremo fine. Super *Reg. D. Aug.*, cap. 11. HUGO A S. VICTORE.

92. Qui operari non vult, et potest, vivit, sed languet; vivit potestate, sed languet voluntate. Lib. 2 *de Claustro anim.*, cap. 13.

93. Nihil nobis gloriosius, nihil pretiosius, nihil laudabilius, nihil utilius bonis operibus. Serm. 5 *de Adventu.*

94. Si solus tu operaris, nil perficis; si solus Deus operatur, nil mereris. Operetur ergo Deus, ut possis : opereris et tu, ut aliquid merearis. Lib. 5 *Didasc.*, cap. 9.

95. Operatio bona via est, qua itur ad vitam : qui viam hanc currit, vitam quærit. *Ibid.*

96. Qui in opere strenuus est, orat ne deficiat. *Ibid.*

IDIOTA.

97. Opera bona eatenus Deo grata sunt, quatenus ab amore sunt imperata. Lib. 1 *Contemplat. de Amore Dei*, cap. 16.

JOANNES CASSIAN.

98. Non proventus considerandus est operis, sed operantis affectus. Collat. 6, *Abbat. Theodori*, cap. 9.

S. JOANNES CHRYSOST.

99. Maxime cogitanda est animæ nobilitas quanta sit : ne quid ea indignum operetur, et ne tam nobilis, tantaque dignitate sublimis coinquinetur illicitis operibus. Homil. 12 super *Gen.*

100. Etsi quis innumera bona opera fecerit, virtutemque omnem absolverit; si tamen magnum quid de se sentit, maxime omnium miserabilis est et miserior. *Prosec.*

101. Qui magna de se sentit, et alium contemnit, subito deterior fit, et omnes virtutum divitias lingua sua effundit, et se nudans exhauriensque perfert in portu naufragium. *Ibid.*, homil. 31.

102. Illa sunt vere bona opera animæ, quæ ex electione fiunt; animæ enim bonum opus est virtutem eligere, et malitiam fugere : animæ bonum opus est, ut ne plura quam oportet concupiscat, et facultates tribuat indigentibus. *Ibid.*, homil. 39.

103. Bona opera hominis, plagæ et vulnera sunt dæmonibus. Serm. in *Job et Abraham.*

104. Omne opus bonum quod agunt homines in hoc mundo, duplex est : sive honestum, sive inhonestum. Honestum, ut villæ cultura, seu agricultura : inhonestum, ut opus negotiationis, seu malitiæ. Homil. 41 super *Matth. Oper. imperf.*

105. Opera christiani authentica, opera sunt justitiæ : opera autem carnalia, super operationes dicuntur, non opera. Quia justitia ad vitam æternam pertinet; opus autem terrenum ad sustentationem vitæ hujus temporalis. *Ibid.*

106. Bonorum operum natura non facit gloriari, sed multorum testimonium et scientia. Homil. 26 super II *Cor.*

107. Si quis operatus fuerit murmurans, amputat et perdit mercedem suam. Homil. 33 super *Epist. ad Hebr.*

108. Si bona opera tua magna vis facere, noli ea magna putare : aliter enim magna esse non possunt. Homil. 3 super *Matth. Oper. imperf.*

S. ISIDORUS HISPALENS.

109. Æternitatis fructus est virtus boni operis. Lib. 2 *de Summo bono*, cap. 1, sent. 1.

110. Sæpe opera, quæ apud hominum judicium bona apparent, apud examen diligentissimi et acutissimi Judicis reproba deteguntur. *Ibid.*, cap. 27, sent. 4.

111. Optima est illa discretio, ut et nota sint opera nostra ad Dei gloriam, et occulta pro elatione vitanda humana. *Ibid.*, lib. 3, cap. 23, sent. 10.

S. LAURENT. JUSTIN.

112. Opera eo fiunt superno Judici gratiora, quo ardentiori fuerint facta charitate. *De Discipl. monast. conversat.*, cap. 6.

S. LEO I.

113, Non discrepat fructus operum, ubi idem est affectus operantium. Serm. 2 *Quadrag.*

S. NILUS.

114. Omne opus malum armat diabolum; armatus vero, graviter armantes accipit. *Parænes.* 214.

PETR. BLES.

115. Si non vis operari, dum potes ; justo Dei judicio non poteris, quando voles. Epist. 11, *ad quemdam cleric.*

S. PETRUS CHRYSOL.

116. Deus de cordibus, non de manibus facta metitur, et de sensu, non de luce operum colligit qualitatem. Serm. 8.

S. PETRUS DAMIANUS.

117. Quid prodest, si recte quis quodlibet opus incipiat, nisi illud recto fine concludat? Lib. 4, epist. 16.

118. Effectum boni operis adhibet, qui pii cordis movet affectum. Lib. 7, epist. *ad Raynerium.*

S. THOMAS AQUINAS.

119. Opera virtutum dicuntur fructus, quia possessores suos sancta et sincera dilectione reficiunt. 1, 2, quæst. 70, art. 1.

120. Opera bona ante peccatum commissa, ad aliquid valent, quia per pœnitentiam reviviscunt. Super I *Thess.*, cap. III.

121. Sicut opera peccatorum transeunt actu, et manent reatu : ita opera in charitate facta postquam transeunt actu, manent merito in Dei acceptatione, Part. 3, quæst. 89, art. 4.

THOMAS A KEMPIS.

122. Bonus et devotus homo opera sua prius intus disponit, quæ foris agere debet : nec illa trahunt eum ad desideria vitiosæ inclinationis, sed ipse inflectit ea ad arbitrium rectæ rationis. Lib. 1 *de Imit. Chr.*, cap. 3, sect. 3.

123. Pro utilitate indigentis opus bonum libere aliquando intermittendum est, aut etiam pro meliori mutandum : hoc enim facto, opus bonum non destruitur, sed in melius commutatur. *Ibid.*, cap. 15.

124. Multa bona potes operari, dum sanus es : sed infirmatus, nescio quid poteris. *Ibid.*, cap. 23, sect. 4.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ANTISTHEN. PHILOSOPH.

125. Regium est audire male, cum feceris bene. In *Sent.*

ARISTOTEL.

126. Non convenit agenti primo quod efficiat quodpiam opus bonum non perfectum, quandoquidem ipsum ipsum est bonum primarium ac supremum; cujus operi non debet quidquam boni convenientissemel deesse. Lib. 14 *Theolog.*, cap. 2.

127. In omni genere, præstantissima est ejus

operatio, quod optime dispositum ad id quod est præstabilissimum eorum, quæ ipsi objiciuntur : hæc autem perfectissima est et jucundissima operatio, voluptas autem perficit operationem. Lib. *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 4.

128. Dei operatio præcellens beatitudine, contemplative sine controversia est. *Ibid.*, cap. 8.

129. Sunt operationes artificiosissimæ, sordidissimæ, servilissimæ, ignobilissimæ : artificiosissimæ, in quibus minimum est fortunæ; sordidissimæ, in quibus maxime inquinatur corpus, servilissimæ, in quibus corporis est usus plurimum; ignobilissimæ, in quibus minimum requiritur virtutis. Lib. 1 *Polit.*, cap. 7.

EPICTETUS. 130. Opus aliquod aggressurus, ipse tibi subjicito cujusmodi sit illud opus. In suo *Enchiridio*, cap. 9.

131. Cum facies aliquid, quod faciendum esse statuisti, nunquam recuses inter id agendum conspici ; tametsi futurum est, ut vulgus de eo secus judicet. Nam si perperam facis, rem ipsam fuge : sin recte, quid eos vereris, qui non recte reprehendunt? *Ibid.*, cap. 52.

PITTACUS PHILOSOPH. 132. Quæ facturus es, ea ne prædixeris, frustratus enim rideberis. In *Dictis sapient. et Græcis*, dict. 1.

SENECA. 133. Omnia honesta opera voluntas inchoat, occasio perficit. Lib. 6 *Declamat.*, controvers. 7.

SIXTUS PHILOSOPH. 134. Quæ tibi facere est turpe, hæc et aliis imperare facienda turpissimum est. *Sent.* 170.

Vide etiam tit. *Bellum*, sent. 101; *Cogitatio*, sent. 11; *Confidentia*, sent. 26; *Conscientia*, sent. 61; *Devotio*, sent. 33; *Episcopus*, sent. 41; *Firmitas*, sent. 18; *Fervor*, sent. 13, 14, 38; *Gratia Dei*, sent. 110; *Jactantia*, sent. 22; *Incipere*, sent. 39, 75; *Latere*, sent. 33; *Luxuria*, sent. 44; *Melior*, sent. 39; *Misericordia in genere*, sent. 97; *Peccatorum remissio*, sent. 47; *Perseverantia*, sent. 37; *Placere*, sent. 47; *Propositum*, sent. 43, 44; *Pudicitia*, sent. 33, *Remuneratio*, sent. 42; *Semen*, sent. 17; *Spiritus sanctus*, sent. 107; *Timor in genere*, sent. 22; *Voluntas*, sent. 86, 97, 98.

ORATIO.

CASSIODOR. *Etymologia*. Oratio nomen omonymum est, cujus etymologia est oris ratio. Super *Psalm.* LXXXV, in *Proœmio*.

S. ANTONIUS DE PADUA. *Definitio*. Oratio est hominis Deo adhærens affectio, et familiaris quædam allocutio, et statio illuminatæ mentis ad fruendum quamdiu licet. Serm. *Dom.* 5, *post Pascha*.

S. BASILIUS MAGNUS. Oratio est petitio boni a piis ad Deum fiens. Conc. 5, *de Gratiarum actione*.

S. BONAV. Oratio est petitio decentium in Deo, vel a Deo. Tit. 2 *Dietæ salutis*, cap. 5.

Oratio est pius mentis affectus in Deum directus. In lib. 3 *Sent.*, dist. 7, art. 2, quæst. 3.

CASSIODOR. Deprecatio est cum pietate frequens oratio, et sola est quæ nimia decet, et importuna conciliat. Super *Psalm.* VI, vers. 9 : *Exaudivit Dominus deprecationem meam.*

DIONYSIUS CARTHUS. Oratio est explicatio desiderii, et interpres ac nuntia voluntatis : quia illud licet orare, quod licet desiderare. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 8, art. 12.

S. EPHRÆM. Omnis sancta et pura oratio, confabulatio cum Deo est. *De Agone spiritali.*

HUGO CARD. Oratio est pius affectus mentis in Deum tendens, plerumque ne pigritetur, in vocem prorumpens. Super *Psalm.* V.

Oratio est pius affectus animi in Deum directus, pro bonis æternis adipiscendis. Super *Ecclesiastic.*, cap. 37.

S. JOAN. CL. Oratio in qualitate sua, est conjunctio atque unitio hominis videlicet et Dei. *Gradu* 28.

S. JOANNES DAMASC. Nihil est aliud oratio, nisi mundi visibilis et invisibilis alienatio. *Ibid.*

Oratio est mentis in Deum ascensus; aut eorum a Deo postulatio, quæ postulare convenit. Lib. 3 *de Fide orthod.*, cap. 24.

S. LAURENT. JUSTIN. Oratio est ostensio voluntatis nostræ ei, a quo impetrare speramus id, quod desideramus. Part. 1 *de Ligno vitæ*, tract. 13, cap. 1.

Oratio est piæ mentis ad Deum conversio, fide, spe, charitate subnixa. *Ibid.*

Oratio est hominis Deo adhærentis affectio, et quædam familiaris et pia allocutio. *Ibid.*, cap. 7.

S. MAX. MART. Assidua oratio est, cum mens in cautione multa continetur, desiderioque applicatur Deo. *De Incarnatione Verbi.*

S. NILUS. Est oratio colloquium mentis cum Deo. *De Orat.* cap. 2.

Status orationis est habitus sine perturbatione qui mentem studiosam et spiritualem summo amore, in spiritualem altitudinem evehit, consummat. *Ibid.*, cap. 49.

S. BONAV. *Divisio*. Tria sunt genera adorantium : alii solis labiis, alii solo corde, alii labiis et corde : primi, dolosi; alii, devoti; alii, veraces. Super *Psalm.* XVI.

HUGO A S. VICTORE. Quadruplex est oratio : vocis, sine devotione; devotionis, sine voce; vocis, cum devotione; devotionis, cum voce. Lib. 2, *Miscellan.*, cod. 2, tit. 136.

S. BONAV. *Comparatio*. Sicut thus super carbones positum, spirat suavem et redolentem odorem : sic oratio incensa super carbones devotionis, multum fragrat in conspectu divinæ majestatis. Tit. 2, *Diætæ*, cap. 5.

Qui orat, debet clamare, sicut clamat parvulus,

qui vult ubera : sicut clamat catulus, cum sentit verbera ; et sicut clamat populus. cum videt pericula. *Ibid.*

Oratio est sicut armatura militem ornans, sicut lucerna viam demonstrans, et sicut columba olivam portans. *Ibid.*

S. LAURENT. JUSTIN. Sicut militem procedere ad conflictum non congruit, sine armorum protectione : ita nec homini christiano absque orationis munitione aliquid agere licet. Part. 1, *de Ligno vitæ*, tract. 13, *de Orat.*, cap. 6.

SENTENTIÆ PATRUM.

COLLECTOR. 1. Oratio est virtutis universæ fulcrum quoddam, et adversus cunctos hostes clypeus tutissimus.

S. AMBROS. 2. Bonum scutum oratio, quo omnia adversaria spicula repelluntur. *De Obitu Valentiniani imperatoris.*

3. Orationis tuæ cubiculum ubique tecum est, et ubique secretum est, cujus arbiter nullus est, nisi solus Deus. Lib. 1, *de Cain et Abel*, cap. 9.

4. Si pro te roges tantum, pro te solus rogabis : si pro omnibus roges, omnes pro te rogabunt. *Prosec.*

5. Magna remuneratio est, ut orationibus singulorum acquirantur singulis totius plebis suffragia, in quo arrogantia nulla, sed humilitas major est, et fructus uberior. *Ibid.*

6. Oratio inchoari debet a Dei laude, deinde habere debet supplicationem, tertio postulationem, quarto gratiarum actionem. Lib, 6, *de Sacram.*, cap. 5.

7. Volare facit orationem bona vita, et dat alas precibus spiritales, quibus ad Deum evehatur oratio. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 22, vers. 1.

8. Humili habitu mulieres orare debent, non in ornatus jactantia. *Prosec.*

9. Qui enim vult audiri, inclinare se debet, amota a se pompa, ut misericordiam Dei provocet.

10. Habitus enim superbus nec impetrat, nec recta de se facit credi. Super 1 *ad Timotheum*, cap. II, in illud : *Mulieres in habitu ornato.*

11. Ille sine intermissione orat, qui congruis temporibus mente et lingua Deum deprecatur, et in bonis operibus assiduus est. Super *Apocal.*, cap. 4.

S. ATHANAS. MAGNUS. 12. Orationibus ita frequenter instandum est, ut vix eas aliquod tempus interpolet. In *Exhort.*, *ad Monachos.*

S. AUGUST. 13. Hoc non est orare in multiloquio, si diutius oretur. Epist. 121, *ad Probam*, cap. 10.

14. Absit ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si fervens perseverat intentio. *Prosec.*

15. Multum loqui, est in orando rem necessariam superfluis agere verbis : multum autem precari, est ad Deum, quem precamur, diuturna et pia cordis excitatione pulsare : nam plerumque hoc negotium plus gemitibus, quam sermonibus agitur, plus fletu quam affatu. *Ibid.*

16. Hoc ultimum quod in Dominica oratione positum est, tam late tamque evidenter et manifeste patet, ut homo christianus in qualibet tribulatione constitutus, in hoc gemitus edat, in hoc lacrymas fundat, hinc exordiatur, in hoc immoretur, ad hoc terminet, orationem. *Ibid.*, cap. 11.

17. *Sine intermissione orate*; quid est aliud, quam beatam vitam, quæ nulla nisi æterna est, ab illo qui eam solus dare potest, sine intermissione desiderare? *Ibid.*, cap. 9.

18. Dicuntur fratres, in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen brevissimas, et raptim quodammodo jaculatas, ne illa vigilanter ejecta, quæ oranti plurimum necessaria est, per productiores moras evanescat, atque hebetetur intentio. *Ibid.*, cap. 10.

19. Ora in spe, ora fideliter et amanter. *Ibid.*, cap. 16.

20. In jejuniis, et vigiliis, et omni castigatione corporis, quam plurimum adjuvatur oratio. *Ibid.*, cap. 16.

21. Quid brevius auditur, aut legitur, aut quid facilius memoriæ commendatur oratione Dominica? In *Enchirid.*, cap. 7.

22. Hoc Deus bonum judicavit, ut orationibus humilium dignaretur salutem præstare sublimium. *Ibid.*, cap. 103.

23. Non vocem, sed affectum audit Deus. *De Catechis. rudib.*, cap. 9.

24. Oratio grandis munitio est animæ. *De Salutar. docum.*, cap. 28.

25. Fratres, nos orare admonemur in sinu nostro, ubi Deus videt, ubi Deus audit, quo nullus oculus humanus penetrat, quo non videt, nisi qui subvenit : ubi oravit Suzanna, et cum ejus vox ab hominibus non audiretur, a Deo tamen audita est. Super *Psalm.* XXXIV, vers. 16 : *Et oratio mea in sinu meo.*

26. Desiderium tuum oratio tua est : et si continuum desiderium, continua oratio : si non vis intermittere orare, noli intermittere desiderare. Super *Psalm.* XXXVII, vers. 9.

27. Multi languescunt in orando, et in novitate suæ conversionis ferventer orant, postea languide, postea frigide, postea negligenter. Super *Psalm.* LXV.

28. Non deficiamus in oratione : ille quod concessurus est, et si differt, non aufert; securi de pollicitatione ipsius non deficiamus in orando. *Ibid.*

29. Oratio tua locutio est ad Deum : quando legis, Deus tibi loquitur; quando oras, cum Deo loqueris. Super *Psalm.* LXXXV, vers. 4.

30. Tunc in toto corde clamatur, quando aliunde non cogitatur : tales orationes raræ sunt multis, crebræ autem paucis, omnia vero utrum cuiquam, nescio. Super *Psalm.* CXVIII, conc. 29.

31. Vere novit recte vivere, qui recte novit orare. Homil. 4, *Homil.*

32. Oratio spiritualis est, et ideo tanto est acceptior, quanto magis suæ naturæ implet affectum. *Prosec.*

33. Oratio tanto magis spiritali opere funditur, quanto magis animus, qui eam fundit, a carnali voluptate suspenditur. Serm. 1, *Dom. in oct. paschæ.*

34. Oratio justi, clavis est cœli : ascendit precatio, et descendit Dei miseratio. *Prosec.*

35. Licet alta sit terra, altum cœlum, audit tamen Deus hominis linguam, si mundam habeat conscientiam. Serm. 1, *Dom.* 15, *post Pent.*

36. Oratio refectio est jejuniorum, et advocat gratiam Spiritus sancti. *Prosec.*

37. Oratio duritiam cordis emollit, austeritatem temperat, jejunium dulcificat. Serm. 1, *Fer.* 4, *Dom.* 16, *post Pent.*

38. Oratio est ascensio animæ de terrestribus ad cœlestia; inquisitio supernorum, et invisibilium desiderium. *Ibid.*

39. Fides quærit orationem, oratio optat prudentiam. Serm. 17, *ad Fratr. in eremo.*

40. Oratio est columna sanctorum virtutum, deitatis scala, viduarum maritus, angelorum cognata, fundamentum fidei, monachorum corona, conjugatorum levamen. *Ibid.*, serm. 22.

41. Oratio debet esse ampla, devota, et pura. Ampla ut pro omnibus roget : devota ut non remisse petat, sed devote : pura, ut sit cum cordis munditia. *Ibid.*, serm. 42.

42. Justus nunquam desinit orare, nisi desinat justus esse : semper orat, qui semper bene agit. Hab. in *Glossa ord.*, super illud I *Thess.* v : *Sine intermissione orate.*

43. Non opus est locutione cum oramus, id est, sonantibus verbis, nisi ut homines audiant, non ut Deus. *De Magistro*, cap. 1.

44. Prorsus non oramus Deum, sed orare nos fingimus, si nos ipsos, non illum credimus facere quod oramus. Epist. 107.

45. Stantes oramus, quod est signum resurrectionis. Epist. 119, cap. 15.

46. Nostras orationes sæpe sauciat et debilitat caligo, et tumultus actionum secularium. Epist. 81.

47. Immunda erit oratio, optando terrena. *Annot. in Job*, cap. XVI.

48. Cum oratio nobis, non propter quod fuimus, sed quod erimus sit necessaria, molestum est nescire quid oremus. Lib. 4 *de Anima et ejus orig.*, cap. 9.

S. BASILIUS MAGNUS.

49. Perspicuum est orationem non oportere nos plene in syllabis constituere, quin potius ipsam suas vires plenius explicare, explereve in animæ orantis libera electione ac proposito, simul et in actionibus, quæ per omnem vitam intento perficiuntur. Hom. 5, *de Martyre Julitta.*

50. Est oratio illa bona, quæ compertam Dei notionem in animo ingenerat. Epist. 1, *ad S. Gregorium Theolog.*

51. Oratio munimentum grande est animæ. In *Admonit. ad filium spiritualem.*

S. BERNARD.

52. Oratio quanto efficacior est, si fiat ut debet tanto callidius impediri ab adversario solet, Serm. 4, *Quadr.*

53. Periculum est si fuerit oratio nimis timida : majus periculum est, si fuerit temeraria : tertium periculum est si sit oratio tepida, et non ex viva affectione procedens. *Prosec.*

54. Oratio timida cœlum non penetrat, quia restringit animum timor immoderatus, ut ratio nedum ascendere, sed nec procedere queat.

55. Oratio temeraria ascendit, sed resilit : resistitur enim ei, nec tantum non obtinet gratiam, sed et meretur offensam.

56. Oratio tepida in ascensu languescit et deficit, eoquod non habeat vigorem. Serm. 4, *Quadrag.*

57. Si fidelis, humilis et fervens oratio fuerit, cœlum sine dubio penetrabit; unde certum est quod vacua redire non poterit. Serm. 4, *Quadrag.*

58. Ubicunque fueris, intra temetipsum ora : si longe fueris ab oratorio, noli quærere locum, quoniam tu ipse locus es ; si fueris in lecto, aut in alio loco, ora, et ibi est templum. Lib. *Medit.*, cap. 6.

59. Oratio cordis est, non labiorum : neque enim verba deprecantis Deus intendit, sed orantis cor aspicit. *De Inter. domo*, cap. 48.

60. Ante tempus orare, est providentia; in tempore constituto orare, est obedientia : tempus orandi præterire, est negligentia. Serm. 49, *ad Sororem.*

61. Tanto crebrior debet esse oratio, quanto est utilior. *Ibid.*

S. BONAV.

62. Semper orare, hic intelligitur, ut oratio semper vel sit in ore per postulationem, vel sit in corpore per desiderium, vel sit in opere per præparationem. Super *Luc.*, cap. XVIII, in illud : *Oportet semper orare.*

63. Vere novit recte vivere, qui recte novit orare. Serm. 5, *de Uno confess.*

64. Frequens oratio, vitiorum expugnationem extinguit : instans vero oratio impetrat veniam de peccatis. Super *Luc.*, cap. XVIII.

65. Oratio linguæ venenatæ, non est clamor orantis, sed sibilus serpentis : lingua enim serpentis sibilare potest, clamare non potest. Serm. 3, *Dom.* 2, *Quadrag.*

66. Semper orat justus, dum secundum Deum omnia agit : nec desinit orare, nisi cum desinit justus esse. Serm. 4, *Dom.* 9, *post Pentecost.*, super illud : *Oportet semper orare.*

67. Levanda est vox orationis cum lacrymis contritionis : levanda est autem vox cordis plus quam oris. Serm. 2, *Dom.* 13, *post Pent.*

68. Non desinit unquam orare, qui non desinit bene facere : plus est enim orare corde et opere, quam ore : non ergo orare desinit, qui bene facere non desistit. Serm. 5, *de Uno confess.*

69. Nunquam bene orat, qui carnalia cogitat, sive quem caro delectat, unde non impetrat quod postulat. *Ibid.*

70. Multa est virtus orationis, quæ Deum lenit, angelos ad se trahit, et dæmones dejicit atque affligit. Serm. 4, *de Angelis.*

71. Si vis angelum tibi semper assistere, non cesses semper orare. *Ibid.*

72. Frequens et fervens oratio dissipat omne malum : ollæ ferventi muscæ non insident. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 2.

73. Tanto securior, quanto secretior existit oratio. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 12.

74. Oratio est hostis flagellum, peccatoris subsidium, proximi solatium, Dei sacrificium. *Ibid.*

75. Iram Dei placat, peccatorum veniam impetrat, tentationis impetum sedat, vitia cordis expellit, in periculo liberat, a periculis defendit, difficultates complanat, familiaritatem Dei confert; dona Spiritus sancti impetrat, donum sapientiæ, gratiam prædicandi, revelationem secretorum; omnia contraria saluti reprimit; necessaria confert, et conservat, et perficit. Lib. 2, *de Profectu relig.*, cap. 66.

76. Quanto frequentius quis orat, tanto fiet ei oratio delectabilior et efficacior : et quanto rarius, tanto insipidior et tædiosior. *Ibid.*, cap. 69.

77. Omnis orationis fructus et finis, est Deo inhærere. *Ibid.*, cap. 72.

78. Oratio hausorium est, quo Spiritus sancti gratia hauritur de fonte superfluentis dulcedinis illius beatissimæ Trinitatis. *De Perfect. vitæ, ad Sorores*, cap. 5.

...SSIODOR.

79. Vox in Deum non est labiorum crepitus, sed cordis affectus : qui non auribus audiri, sed mentis lumine consuevit intelligi. Super *Psalm.* V, vers. 1.

80. Oratio illa perfecta est, quam affectus mentis inflammat. *Ibid.* vers. 2.

81. Ipsius est oratio perfecta, cujus et causa clamat et lingua, actus et sermo, vita et cogitatio. Super *Psalm.* XVI, vers. 1.

82. Oratio satisfactio est delictorum, confessio criminum, lavacrum culparum. Super *Psalm.* LXXXV, in procemio.

83. Semper supplicare nos decet, qui frequenti culpa delinquimus. Super *Psalm.* LXXXV, vers. 3.

84. Per orationem ira domini suspenditur, venia procuratur, pœna refugitur, præmiorum largitas impetratur. Super *Psalm.* LXXXIX, in proœmio.

S. CYPRIAN

85. Quando stamus ad orationem, invigilare, et incumbere ad preces toto corde debemus, cogitatio carnalis et secularis abscedat : nec quidquam tunc animus aliud, quam id solum cogitet, quod precatur. *Prosec.*

86. Claudatur contra adversarium pectus, et soli Deo pateat : nec ad se hostem Dei tempore orationis venire patiatur. *De Orat. Dominica*, cap. 13.

S. DIONISIUS AREOPAGIT.

87. Antequam aliquid agamus, aut dicamus, maximeque quod ad Deum pertineat, a precibus nobis ordiendum est. *De Divin. nomin.*, cap. 3.

S. EDMUND

88. Quatuor habere debemus in oratione, scilicet : perfectum amorem, certam spem, firmam credulitatem, veram humilitatem. In *Speculo Ecclesiæ*, cap. 17.

S. ELIGIUS.

89. Cogitatio omnis carnalis tempore orationis abscedat, nec quidquam animus cogitet, quam id solum quod precatur. Homil. 11.

90. Sedulæ preces provocant animam judicis ad misericordiam. *Ibid.*

91. Sicut militi sine armis ad bellum exire non convenit, ita homini christiano procedere quolibet sine oratione non expedit. *Prosec.*

92. Egredientes de hospitio armet oratio, regredientibus de platea animo occurrat.

93. Quidquid christianus inchoat, antea dirigat orationem ad Dominum : quidquid perficit, et hoc cum oratione perficiat; et semper sensu, mente, voce, et opere, omnipotentem Dominum oret. *Ibid.*

S. EPHRÆM.

94. Oratio est, temperantiæ custodia, iracundiæ frænum, animi elati repressio, ad modestiam revocatio, odii ob receptas injurias medicina, invidiæ destructio, impietatis correctio, corporum robur, rei familiaris administratio, recta juris regumque constitutio, regni potentia, trophæum belli atque vexillum, tutela pacis. *De Orat.*

95. Oratio est virginitatis sigillum, fides nuptiarum, viatorum præsidium, dormientium custos, evigilantium custodia, agricolarum fertilitas, navigantium salus. *Ibid.*

96. Oratio est reorum patrona, vinctorum relaxatio, mœrentium consolatio, lætantium jucunditas, lugentium solamen, celebritas festi natalitii, conjugum corona, morientium sepultura, cum Deo colloquium, par cum angelis honor, proborum promotio, ab improbis aversio, peccantium emendatio. *Ibid.*

97. Nulla est alia in tota vita humana pretiosior oratione possessio. *Ibid.*

S. FRANCIS. ASSISIAS.

98. Orationis gratia viro religioso firmiter est desideranda, sine qua nihil in Dei servitio prosperabitur, nec aliquid ab ipso consequetur. In suis *Opusculis*, oraculo 3.

S. FRANCIS. TITELMAN.

99. Cum ad Deum fit oratio, ipsi tam est cognitum quod intus premitur, quam quod foris enuntiatur. In *Annot. super Psalm.* VII.

100. Orationis studium admodum singulare, et promptum valde refugium est adversus omnia, iis qui sibi illam familiarem student efficere. In fine *Argumenti super Psalm.* XXXXI.

GILLEBERT. ANGLUS.

101. Nescit itinere directo ad Deum ire oratio, quæ succensa non fuerit. Serm 15, super *Cant.*

102. Frequenter vocem eripit oratio vehemens. Serm. 23, super *Cant.*

GLOSS. ORD.

103. Illa oratio vocem habet, quæ est digna audiri. Super illud *Psalm.* V : *Intende voci orationis meæ.*

104. Virtus veræ orationis est celsitudo charitatis. Super *Hierem.*, cap. 15.

105. Magna est virtus puræ orationis, quæ quasi persona quædam ad Deum intrat, et ibi mandatum peragit, quo caro pervenire nequit. Super illud. *Psalm.* LXXXVII : *Intret in conspectu tuo.*

GLOSS. INT.

106. Contra commune periculum, communis fiat oratio. Super *Jonam*, cap. 1.

107. Qui bene orat, mentem sursum a terrenis elevat. Super *Matth.*, cap. 14.

S. GREGOR. MAGNUS.

108. Ille postmodum cum Deo judex veniet, qui hic ei modo in prece familiaris extiterit. Lib. 11 *Moral.*, cap. 13.

109. Ille veram Deo orationem exhibet, qui semetipsum quia pulvis sit humiliter videt, qui nihil sibi virtutis tribuit, qui bona quæ agit esse de misericordia conditoris agnoscit. *Ibid.*, lib. 2, cap. 27, num. 40.

110. Conditoris auribus maxime illa oratio commendatur, quæ pro inimicis intercedere nititur. *Ibid.*, lib. 9, cap. 9, num. 13.

111. Cum Deus in oratione non quæritur, citius in oratione animus lassatur. *Ibid.*, lib. 15, cap. 27.

112. Ad orationem homo non sufficit, dum incentiva vitiorum in se funditus suffocare festinat, si plus justo caro restringitur. *Ibid.*, lib. 30, cap. 14, num. 28.

113. Veraciter orare est, amaros in compunctione gemitus, et non composita verba resonare. *Ibid.*, lib. 33, cap.2 1, num. 27.

114. Virtus veræ orationis est celsitudo charitatis. Homil. 27, super *Evang.*

115. Pervenire ad Deum oratio nequaquam potest, quæ ex intentione promitur, ut solum ab hominibus agnoscatur. Lib. 4, in I *Reg.*, cap. 2, super illud : *Et locutus est ea in auribus Domini.*

116. Ut ad aures Dei viam precibus faciatis, vigilantius studendum est, ut vestræ voces actibus adjuventur. Lib. 9, in *Registro*, ind. 4, cap. 45, epist. 45.

S. GREGOR. NYSS.

117. Nihil ex iis, quæ per hanc vitam coluntur, et in pretio sunt, orationi præstat. Orat. 1, *de Orat. Dominica.*

118. Oratio est pudicitiæ præsidium, castitatis tutamen, iræ moderatio, superbiæ sedatio, arrogantiæ repressio, injuriarum expugnatio, invidiæ profligatio, injustitiæ sublatio, impietatis correctio, robur corporum, abundantia domus, recta juris ac legum constitutio, regni vires, civitatis protectio, belli trophæum, pacis securitas, dissidentium conciliatio, conjunctorum conservatio, virginitatis sigillum, matrimonii fides, viatorum scutum, dormientium custos, vigilantium fiducia, agricolarum fertilitas, navigantium salus, reorum patrona, nexorum relaxatio, vinctorum solutio, fatigatorum requies, mœrentium consolatio, gaudentium delectatio, lugentium solatium, morientium funus, bonorum progressus, malorum subversio, peccatorum emendatio, præsentium fructus, futurorum reprehensio. *Ibid.*

HAYMO.

119. Duo sunt, quæ in oratione sollicite considerare debemus : primo ut ea petamus, quæ Deus velit : secundo ut nostra vita a nostris precibus non discordet. *Prosec.*

120. Frustra enim orationi insistit, qui vel ea petit quæ Deo displicent : vel si bona sunt quæ petit, perverse vivendo se indignum exhibet. Serm. 2, *Fer.* 2, *Litaniar.*

S. HIER.

121. Cum orationem facere desideras, talem te exhibe, quasi quæ sis cum Deo locutura. Epist. 14, *ad Mauritii filiam.*

122. Non multum juvat frequenter orare, cui contigerit aliquando cessare. Homil. super *Evang. Matth.*

S. HILAR.

123. Despiciuntur orationes leves, dissidentes inutiles, sæculi curis anxiæ, et rerum corporalium desideriis implicatæ. *Prosec.*

124. Ubi operatio iniquitatis extat, illic despicitur oratio deprecantis. Super *Psalm.* LIV.

HUGO A VICTOR.

125. Attende, ut oratio tua sit discreta, secreta, dulcis, humilis : discreta propter idiotas ; secreta propter hypocritas, dulcis affectu, humilis appetitu. Lib. 3, *de Claustro anim.*, cap. 29.

126. Qui precibus insistit, ne orando offendat : meditatur quid orandum sit. Lib. 5 *Didasc.*, cap. 9.

UGO CARD. 127. Oratio quasi quædam avicula volat ante Deum, ibique mandatum peragit, quo caro pervenire nequit : cujus alæ sunt jejunium et eleemosyna. Jejunium quidem levem facit orationem, ut cito evolet : sed eleemosyna pinguem reddit, ne deficiat in via. Super *Tob.*, cap. XII.

128. Oratio est scutum animæ. *Prosec.*

129. Sicut enim miles, dum est in bello, non debet amovere scutum; ita homo, dum est in hac vita, quæ militia est, non debet a se amovere orationem. Super *Psalm.* LXV.

130. Oratio humilis sicut bonus nuntius ad Deum intrat, et ibi mandatum peragit, quo caro pervenire nequit Super *Prov.*, cap. XXV.

131. Oratio est pro duobus tantum, aut pro bonis adipiscendis, aut pro malis amovendis. Super *Apocal.*, cap. XXI.

INNOC. III 132. Tria sunt quæ orationem ad Deum transire non sinunt : Sartago, Murus, Nubes : luxuria, in qua velut sartagine caro frigitur : cupiditas in qua opes velut lapides in muro congeruntur : jactantia, quæ velut nubes sine aqua circumfertur a ventis. Sartago ferrea, est mentis duritia : murus fictilis, iniquitatis defensio : nubes obscura, mentis caligo. In *Proœmio super Psalm. Pœnit.*

133. Oratio Dominica multis ex causis cæteris orationibus antecellit : auctoritate Doctoris, brevitate sermonis, sufficientia petitionum, fœcunditate mysteriorum : auctoritate Doctoris, quia fuit ipsius Salvatoris ore prolata ; brevitate sermonis, quia facile discitur et profertur ; sufficencentia petitionum, quoniam utriusque vitæ continet necessaria ; fœcunditate mysteriorum, quoniam immensa continet Sacramenta. Lib. 5, *Myster. Missæ*, cap. 17.

JOAN. CASS. 134. Quidquid ante orationis horam anima nostra conceperit, necesse est ut orantibus nobis per ingestionem recordationis occurrat. *Prosec.*

135. Quamobrem quales orantes volumus inveniri, tales nos ante orationis tempus præparare debemus : ex præcedenti enim statu, mens in supplicatione formatur. Collat. 9, *Abbat. Isaac*, cap. 3.

136. Sicut ad orationis perfectionem, omnium tendis structura virtutum : ita nisi hujus culmine omnia fuerint colligata atque compacta, nullo modo firma poterunt, vel stabilia perdurare. *Ibid.*, cap. 2.

137. Non est perfecta oratio, in qua se monachus, vel hoc ipsum quod orat, non intelligit. *Ibid.*, cap. 31.

138. Frequenter quidem, sed breviter est orandum, ne immorantibus nobis inserere aliquid nostro cordi insidiator possit inimicus. *Ibid.*, cap. 36.

S. JOANNES CHRYSOST. 139. Preces magna sunt arma, magna securitas, magnus thesaurus, magnus portus, et refugii locus. Hom. 30.

140. Magnum bonum sunt preces : nam si cum homini quis loquatur virtute prædito, non parvum inde fructum percipit ; quantis bonis fruetur is, cui cum Deo colloquium fuerit ? *Ibid.*

141. Oratio colloquium est cum Deo. *Ibid.*

142. Quanto purior frequentiorque fuerit celebrata oratio, tanto celerior veniet inimico vindicta. Serm. *de Moyse.*

143. Licet tibi colloqui cum Deo orando, licet cum eo fabulari, cum velis, licet precibus mercari quod optas. *Ibid.*

144. Hostis, dum oras, premitur : dum cessas, erigitur. *Ibid.*

145. Oratio jugis, infirmitas hostis. *Ibid.*

146. In conspectu Dei orat, qui orat, undecumque colligens mentem suam, nihil habens cum terra commercii, sed ad ipsum Deum totus commigrans, omni cogitatione humana ab animo depulsa. Hom. 2, *de Fide Annæ.*

147. Nihil æque pollet ac deprecatio : hæc enim est quæ ex impossibilibus possibilia facit, ex difficilibus facilia. *Ibid.*, hom. 4.

148. Oratio continua necesse est ut agnoscat quis oret, quid oret, et ad quem oret. Homil. super *Psalm.* XXIX.

149. Tu cum Rege regum colloquens, cui cum horrore serviunt angeli omisso cum illo cœpto sermone, de luto, de pulvere, de telis aranearum loqueris. Homil. 1, *de Verb. Isayæ.*

150. Dicendo Pater noster, et veniam peccatorum, et justificationem, et sanctificationem, et liberationem, et filiorum adoptionem, et hæreditatem, et fraternitatem cum unigenito copulatam, et sancti Spiritus dona largissima unico hoc vocabulo consequitur. Homil. 20, super *Matth. Oper. imperf.*

151. Potentior est oratio mitis, quam violenta. *Ibid.*, homil. 56.

152. Qui pro se orat, non gratiæ opus exequitur, sed naturæ : qui autem pro inimico suo orat, digne exauditur, quia gratiæ opus exequitur. Homil. 13, super *Matth. Oper. imperf.*

153. Sicut thymiama bene confectum delectat hominem odorantem, sic oratio justi suavis est ante Deum. *Ibid.*

154. Orans nihil novum faciat, quod aspiciant homines ; nec voce clamet, nec manus expandat, nec oculos tollat, nec pectus percutiat, ut notabilis fiat. *Ibid.*

155. Tu qui vis, cum oras, ut exaudiaris, fac ut non videaris : in auribus enim Dei, non in oculis hominis loqueris. *Ibid.*

156. Testis qui alterius est cordis orantem gravat, non adjuvat : quia Deus orationibus non exigitur, sed placatur. *Ibid.*

157. Christianus non solum pro se, sed etiam pro alio orat : pro se enim orare naturæ est, pro alio autem, gratiæ : pro se orare, necessitas rei cogit : pro alio autem, charitas fraternitatis hortatur. *Ibid.*, homil. 14.

158. Dulcior est ante Deum oratio, non quam necessitas rei transmittit, sed quam charitas fraternitatis commendat. *Ibid.*

159. Religiosæ mentis est Deum non voce, vel sono vocis, sed devotione animi ac fide cordis orare. Homil. 8, *ex Divers. in Matth.*

160. Non sic ignis sordes purgare solet, ut oratio nocturna sordes peccatorum. Homil. 26, super *Acta Apost.*

161. Leonis rugitus non sic bestias fugat, ut justi oratio dæmones. *Ibid.*, homil. 53.

162. Qui cum fervore deprecatur, inflammatur et non exuritur ; sed velut aurum igne probatum, fit splendidior. Homil. 5, super II *Cor.*

163. Oratio magnum quoddam et salutare bonum est, animarumque firma custodia, tutissimumque præsidium. Homil. 3, super *Epist. ad Philem.*

164. Fortis armatura est oratio, si cum attentione fuerit, si sine vana gloria, si cum animo sincero. Homil. 27, super *Epist. ad Hebr.*

165. Non est quærendus locus ut ores, sed loci principium : Hieremias erat in cœno, et Deum exoravit : et Job erat in stercore, et Deum reddidit propitium : Jonas in ventre ceti, et facilem habuit. Licet in balneo sis, ora ; ubicunque sis, ora. Homil. 79, *ad Popul. Antioch.*

166. Aptissima arma oratio, thesaurus perpetuus, divitiæ inexaustæ, portus quietus, occasio tranquillitatis : auctor, parens, fons, et radix bonorum omnium oratio est. Homil. 5, *de Incomprehens. Dei natura.*

167. Nostrum sit opus continuis insistere precibus, et non ægre ferre, si differatur quod petimus, sed longanimes esse. Homil. 30, super *Gen.*

168. Omnis locus, omne tempus, orationis accessui convenit. *Ibid.*

169. Non pudet loci Deum, ut oretur : unam postulat mentem, scilicet ferventem, animamque modestam. *Prosec.*

170. Non habitu corporis, aut locorum temporumve opportunitate opus est ad orandum, sed animo probo ac excitato. Homil. 4, *de Fide Annæ.*

171. Oratio quanto gloriosa est, tanto caute servanda est, ne propter homines facta vilescat. Homil. 13, super *Matth. Oper. imperf.*

172. Ille orat, qui jam non peccat : qui autem orat et peccat, non rogat Deum, sed deludit Deum. *Ibid.*, homil. 15.

173. Nihil dum oras, immiscere orationi decet : sive illud inutile sit et otiosum, sive utile et necessarium ; sed orationi et operi distribuenda sunt tempora. *Gradu* 18. S. JOAN. CL.

174. Verus obediens, mox ut ad orationem stare cœperit, illustratur totus. *Ibid.*

175. Qui pulchritudinem orationis attigerit, fugiet turbas ut onager. *Ibid.*, gradu 28.

176. Oratio secundum actionem, est reconciliatio Dei, lacrymarum mater earumque item filia, peccatorum propitiatio, tentationum pons, tribulationum interpositus paries, bellorum confractio, angelorum opus, incorporearum omnium virtutum cibus, futura lætitia, infinita operatio, virtutum fons, gratiarum ministra, profectus invisibilis, nutrimentum animæ, mentis illuminatio, desperationis amputatio, spei et fidei demonstratio, tristitiæ solutio, monachorum divitiæ, solitariorum thesaurus, iræ minutio, speculum profectus, mensurarum indicium, status insinuatio, futurorum revelatio, clementiæ significatio. *Ibid.*, gradu 28.

177. Oratio iis, qui recte orant, curia et judicium et tribunal Domini ante futurum tribunal est. *Ibid.*

178. Noli conari in oratione multum loqui, ne mens tua ad inquisitionem verborum distendatur, et non ad Deum. *Prosec.*

179. Multum enim in oratione loqui, mentem sæpe imaginibus illusit, intentionem dissolvit : parum autem, aut unum etiam verbum in oratione loqui, colligere mentem consuevit. *Ibid.*

180. Cum in oratione dulcedine perfundi, vel compungi te sentis, in ipsa persiste. *Ibid.*

181. Oratio pia Deo vim infert. *Ibid.*

182. Orationis initium, est luctus in animo : finis autem, raptus ad Deum. *Ibid.*

183. Noli, cum in oratione perduras, dicere ; nihil profeci ; jam enim satis profecisti. *Ibid.*

184. Mater orationis est solitudo : oratio enim secessum requirit. In *Orat. de Transfigurat.* S. JOANNE DAMASCEN

185. Efficacior est oratio, quæ spiritualior est, et a carnalibus desideriis remotior. Serm. *de Orat. in concil. Constant.* JOAN. GERS

186. Efficacior est oratio pro inimicis, quanto videtur difficilior. *Ibid.*

187. Efficacior est oratio, quanto verecundior est sub Deo. *Ibid.*

188. Est semper orandum, quia frequens oratio diabolum expugnat, angelos in orantis auxilium JOAN. TRIT

invitat, Deum placat, et os inferni obstruit. Super prolog. *Regulæ S. Benedicti*, cap. 2.

189. Orationibus fidelium omnis nocendi potestas dæmonibus aufertur : quia plus eum urit devota oratio, quam non ejus impugnatio. *Ibid.*

190. Oratio oranti est subsidium, Deo sacrificium, dæmonibus autem flagellum. *Ibid.*

191. Eo magis necessaria est oratio, quo periculosior imminet certatio. *Ibid.*

192. Nihil sic mentem a terrenis ad cœlestium amorem elevat, nihil carnis voluptates tam cito et valenter exterminat, nihil adeo illustrat intellectum, nihil quoque in tantum confundit adversarium, sicut oratio pura. Lib. 1, homil. 8, *ad Monachos.*

S. ISIDORUS HISPALENS.

193. Frequens oratio vitiorum impugnationem extinguit : itaque quoties quis quolibet tangitur vitio, toties ad orationem se subdat. Lib. 3, *de Summo bono*, cap. 7, sent. 1.

194. Vera oratio cordis est, non labiorum : neque enim verba deprecantis Deus intendit, sed orantis cor aspicit. *Prosec.*

195. Quod si tacite cor oret et vox sileat, quamvis homines lateat, Deum latere non potest, qui conscientiæ præsens est.

196. Melius est autem cum silentio corde, sine sono, quam solis verbis sine intuitu mentis orare. *Ibid.*, sent. 4.

197. Mens qualem se in oratione offert, talem post orationem se conservet. *Prosec.*

198. Nam nihil proficit oratio, si denuo committitur, unde jam iterum venia postuletur. *Ibid.*, sent. 6.

199. Nunquam est sine gemitu orandum, nam peccatorum recordatio mœrorem gignit : dum enim oramus, ad memoriam culpam reducimus, et magis reos tunc nos esse cognoscimus. *Ibid.*, sent. 5.

200. Pura est oratio, quam in suo tempore, non interveniunt curæ sæculi : longe autem est a Deo animus qui in oratione cogitationibus sæculi fuerit occupatus. *Prosec.*

201. Tunc ergo veraciter oramus, quando aliunde non cogitamus. *Ibid.*, sent. 8.

202. Duobus modis oratio impeditur, ne impetrare valeat postulata : scilicet si aut quisque adhuc mala committit, aut si delinquenti sibi debita non dimittit. *Prosecutio.*

203. Nihil proficit oratio illius, cujus adhuc dolor in mente, vel odium manet in pectore. *Ibid.*, sent. 12.

204. Oratio privatis locis opportunius funditur, magisque obtentu impetrat, dum Deo tantum teste deponitur. *Ibid.*, sent. 27.

205. Non conciliat Deum multiplex orantis sermo, sed pura sinceraque orationis intentio. *Ibid.*, sent. 29.

206. Oratio fervens diaboli jacula submovet, oratio continua diaboli tela superat. *Prosec.*

207. Hæc prima est virtus adversus tentationem incursus, hæc prima tela adversus hostium tentamenta. Lib. 2, *de Synon.*, cap. 3.

208. Dæmonia oratione vincuntur, oratione dæmonia superantur. *Ibid.*

209. Omnibus malis prævalet oratio. *Ibid.*

S. LAUR. JUST.

210. Oratio est animæ sanctæ subsidium, angelo bono solatium, diabolo supplicium, Deo gratum obsequium, vitiorum extinctio, virtutum mater, animæ speculum, conscientiæ robur, cognitionis via, confidentiæ nutrix, charitatis incentivum, laborum solatium, compunctionis causa, cœli porta, cogitationum malarum interemptrix, coadunatio dispersionis mentis, ignitarum affectionum receptaculum, angelorum imitatrix, spiritualium omnium bonorum interventrix. *De Ligno vitæ*, tract. *de Oratione*, cap. 2.

LUDOVICUS BLOSIUS.

211. Oratio est impenetrabilis armatura, certum perfugium, securus portus, tutissimum asylum. In *Canon. vitæ spirit.*, cap. 17.

212. Nulla præstantior oratio est, quam ut quis petat gratissimam Dei voluntatem in se, et in omnibus aliis fieri. *De Instit. Spirit.*, cap. 8.

S. MACHAR.

213. Verum fundamentum orationis, est quies cogitationum. Homil. 6.

S. NILUS ABB. MART.

214. Cum oras, mentem ad Deum attolle : et etiamsi inde abstracta descenderit, iterum tamen ipsam recollige. *Parænes.* 69.

215. Si vis esse templum Dei, sacrificium assiduitatis assiduam scilicet orationem, assidue ipsi offeras. *Ibid.*, parænes. 118.

216. Sancta est orationis ara, pertrahit enim ad nos sancte sanctum sanctorum. *Ibid.*, parænes. 176.

217. Oratio est doloris et malitiæ expultrix. *De Orat.*, cap. 14.

218. Si cupis orare, ut decet, ne animam dolore afficias, alioqui frustra curris. *Ibid.*, cap. 18.

119. Si tolerans fueris, semper lætus orabis. *Ibid.*, cap. 21.

220. Oratio sine distractione, est summa intelligentia mentis. *Ibid.*, cap. 33.

221. Si orare vis, repudia omnia, ut totum possideas. *Ibid.*, cap. 34.

222. Sive cum fratribus, sive solus oras : contende non consuetudine, sed sensu orare. *Ibid.*, cap. 39.

223. Non poteris orare pure rebus ac negotiis terrenis implicatus, et assiduis curis onustus : oratio enim est depositio cogitationum. *Ibid.*, cap. 65.

224. Ne ores pharisaice, sed more potius publicani in sacro loco orationis, ut tu a Deo justificeris. *Ibid.*, cap. 96.

225. Stude, ut ne oratione tua contra ullum ores : ne quæ ædificas, evertas, faciasque orationem tuam execrabilem. *Ibid.*, cap. 97.

226. Prætermitte necessitates corporis, dum preces adhibes : ne pungente publice, aut pediculo, aut culice, aut musca, jacturam facias maximam orationis. *Ibid.*, cap. 99.

227. Habe oculos in oratione, non distractos ac vagos; et cura carni atque animæ denegata, fac adsis mente. *Ibid.*, cap. 104.

S. NILUS. 228. Beata mens, quæ expedite ac sine distractione orat, huic semper plus desiderii accedit *Ibid.*, cap. 112.

229. Hic orat, qui primordia cogitationum et notitiarum mentis suæ Deo dedicat. *Ibid.*, cap. 120.

230. Non spectat ad laudem orationis, quanta sit tantum, sed qualis. *Ibid.*, cap. 145.

231. Sobrii oratio volat, ut aquila : ebriosi autem, gravis humi repit. *Ibid.*, orat. 1 *de Gula*.

PETR. BLES. 232. Orationis efficacia magna est : itaque urgente necessitatis instantia, viriliter ad orationis arma currendum est. Epist. 125, *ad Gualterium Rothomagensem epist.*

233. Oratio nunquam in terram vacua cadit, quia etsi non prosperatur ei, pro quo mittitur, saltem in sinum revertitur supplicantis. *Ibid.*, epist. 139, *ad Quemdam abbat.*

S. PETRUS DAMIANUS. 234. Oratio sit verecunda, ut erubescamus peccata nostra; sit pura, ut nihil a Deo præter ipsum quæramus; sit devota, ut eam in pinguedine spiritus eam protendamus; sit ampla, ut extendamus eam usque ad inimicos; sit continua, ne intermissione fiat remissior; sit pacata, ne turbulentis cogitationum fluctibus submergatur. Serm. 56, *de S. Martino.*

235. Furtivæ orationes inferunt cœlo; et indulgentiam rapiunt, dum frequenter in tenebris cœlesti numine perfunduntur. Opusc. 13, cap. 22.

S. PROSPER. 236. Orandum est pro inimicis, ut aut obtineatur eorum conversio, aut in nobis inveniatur divinæ bonitatis imitatio. Apud *D. August.*, sent. 202.

ROBERTUS BELLARM. 237. Studium præcipuum justi, est oratio. Super vers. 3.

RUPERTUS. 238. Oratione magis longa et eleganti, quam rerum veritate non flectitur Deus. Lib. 5, super *Matth.*, cap. v, in illud : *Nolite multum loqui.*

239. Oratio Dominica est cunctarum exemplar orationum. *Ibid.*, cap. vi, super illud : *Sed libera nos a malo.*

SALVIANUS. 240. In oratione impiorum aliud ora, aliud corda agunt : et dum verbis præterita mala plangunt, sensu futura meditantur : ac sic oratio eorum rixa est magis criminum, quam exoratrix. Lib. 3 *de Gubernatione Dei.*

TERTULL. 241. Oratio de tali spiritu emissa debet esse, qualis est spiritus ad quem mittitur. *De Oratione Dominica*, cap. 10.

S. THEODOR. 242. Nunquam peccandi satietas capit hominem justum. Super *Psalm.* iv, vers. 2.

S. THOMAS AQUINAS. 243. Hoc licet orare, quod licet desiderare. 2, 2, quæst. 83, art. 6.

THOMAS A KEMPIS. 244. Oratio, quanto efficacior est, ægrius ab adversario impediri solet. *De Apparit. Christi.*

245. Frequens oratio, firma protectio. In *Hortulo rosar.*, cap. 8, sect. 2.

246. Si non potes semper ore orare, ora spiritu et mente, ora desiderio et pia intentione : semper enim orat qui bene facit; qui de præteritis malis dolet, et pro futuris bonis gemit, orare non desinit. *Ibid.*, cap. 12.

247. In omni tribulatione et tentatione ad orationem recurre, sicut ad portum animæ tutum. Quanto citius, tanto melius : quanto tardius, tanto pejus : quanto sæpius, tanto utilius : quanto ferventius, tanto Deo acceptius. *Ibid.*, cap. 12, sect. 3.

IN VIT. PAT. 248. Assidua oratio cito corrigit mentem. Lib. 5, libell. 12, num. 12.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 249. Audacter roga Deum, nihil illum de alieno rogaturus, roga bonam mentem, bonam valetudinem animi, deinde corporis. Epist. 10.

250. Qualis vir, talis oratio. *De Moribus.*

SIXTUS PHILOSOPH. 251. Qualis vis esse, dum Deum oras, talis semper esto. *Sent.* 72.

252. Nefas est Deum Patrem invocare, et aliquid inhonestum agere. *Ibid.*, sent. 216.

Vide etiam tit. *Æstimatio*, sent. 62; *Cadere*, sent. 164; *Christus*, sent. 1, 37; *Devotio*, sent. 34; *Dubitatio*, sent. 13; *Egredi*, sent. 51; *Evagatio*, sent. 33, 49; *Exaudire*, fere per totum; *Flagellum Dei*, sent. 74; *Jactantia*, sent. 72; *Injuria*, sent. 98; *Jesus*, sent. 139; *Lacryma*, sent. 32; *Lectio*, sent. 17; *Lingua*, sent. 62; *Oblatio*, sent. 69; *Perseverantia*, sent. 39; *Petitio*, sent. 20; *Probatio*, sent. 30; *Theologia*, sent. 7; *Verecundia*, sent. 23.

ORATIO MENTALIS.

Vide Meditatio.

ORATIO. ORATOR.

PLATO. *Definitio.* Oratio est fluxus vocis, quæ ab ore ad populum discurrens, cum sono egreditur. Sizygia 2, in *Dialogo sophistæ.*

PLINIUS II. Oratio est actionis exemplar, et quasi archetypus. Lib. 1, epist. 20, *ad Cornelium Tacitum.*

CICERO. *Comparatio.* Sicut nulla materies tam facilis ad exardescendum est, quæ nisi admoto igni ignem concipere possit : sic nulla mens est tam ad comprehendendam vim orationis parata, quæ possit accendi, nisi inflammata prius ad eam et ardens accesserit. Lib. 2 *de Oratore.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Oratio sit pura, simplex, dilucida atque manifesta, plena gravitatis et ponderis; non affectata elegantia, sed non intermissa gratia. Lib. 1 *Offic.*, cap. 22.

S. AUGUST. 2. Agat eloquens, cum et justa et sancta et bona dicit, ut intelligenter, ut libenter, ut obedienter audiatur : et hæc se posse si potuerit, et in quantum potuerit, pietate magis orationum, quam oratorum facultate non dubitet, ut orando pro se ac pro illis quos est allocuturus, sit orator antequam dictor. Lib. 4 *de Doctrina christ.*, cap. 15.

3. Oratoris officium est persuadere, quatenus rerum et personarum conditio patiatur. In princ. *Rhetorices*, cap. 2.

4. Non oratorum inflata et expolita mendacia ullo modo nostræ consonant libertati. Epist. 131, *ad Memorium episc.*

5. Omnis scientia disciplinaque artium diversarum, non nisi oratione tractatur. *De Decem categor.*, cap. 1.

6. Solas orationis partes auctore Aristotele nomen et verbum debemus accipere : nomen namque personam demonstrat, verbum quid quisque faciat patiaturve. *Ibid.*

7. Oratoris est docere, delectare, flectere. Lib. 4 *de Doctrina christiana*, cap. 12.

S. BASILIUS MAGNUS. 8. Orationis natura potens est bonorum quidem impetus augere, segnium vero ac socordium alacritatem excitare. Conc. 2 *de Jejunio.*

9. Oratio debilius quodammodo exequi solet mente concepta. Epist. 2 *ad S. Gregor. Theolog.*

10. Docentis auctoritas fidem orationi conciliat, attentioresque discipulos reddit. Apud *D. Joannem Damasc.*, lib. 1 *Parall.*, cap. 90.

S. CYRILLUS ALEX. 11. Nulla oratio, quæ ad parendum hortetur apud sapientes, qui rei de qua agitur utilitatem circumspiciunt, absurda est. Homil. 4 *de Festis Paschal.*

S. FRANCIS. ASSISIAS. 12. Tantum est homo bonus orator, quantum ipse operatur. In suis *Opusculis*, oraculo 7.

S. GREGOR. NYSS. 13. Quæ ad docendum comparatur oratio, est tractatu difficilis. *Adversus eos qui nolunt reprehendi.*

S. HIERON. 14. Quanto majus fuerit quod dicendum est, tanto magis obruitur, qui magnitudinem rei verbis non potest explicare. Epist. 3, *ad Heliodor.*

15. Orator ille eligendus est, qui sit vir bonus, dicendique peritus : ante vita, sic lingua irreprehensibilis quæritur, ut doctus merito suscipiatur. Epist. 41, *ad Occeanum.*

16. Prima causa est victoriæ, diligenter causam pro qua dicturus es, discere. Epist. 2 *ad Pammach.*

17. Prona et facilis dicendi via est, quæ ipsa ubertate materiæ cursum orationis accendit. Epist. 1 *ad Demetriad.*

18. Orationi quæ verborum sit fronde composita, facile vulgus cedit ignobile. Super *Ecclesiasten*, cap. x super illud *Psalm.* XI : *Eloquia Domini.*

S. HILARIUS 19. Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi : quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus. Lib. 4 *de Trinitate.*

HUGO CARD. 20. Epilogus magis confirmat memoriam, quam exordium. Super *Ecclesiasten*, cap. VII.

S. JOANNES CHRYSOST. 21. Potentior est oratio mitis, quam violenta. Homil. 56 super *Matth. Oper. perf.*

22. Verborum et orationis curiositas superflua est, turpis et indigna, ridicula et sophistis digna. Homil. 1 super *Joan.*

JOAN. TRIT. 23. Oratores dum ordinem et regulas dicendi transire metuunt, a proposito utilitatis cadunt. *De Laude scriptor.*, cap 1.

S. ISIDORUS PELUSIOTA. 24. Perspicuitas cum gravitate conjuncta, obscuritatem auditoribus minime parit. Lib. 2, epist. 154, *ad Ophelium.*

LACT. FIRM. 25. Oratorum scientia est, quomodo loqui deceat : sed sapientis doctrina est, quomodo vivere oporteat. Lib. 3, *de Divin. inst.*, cap. 13.

LUDOVICUS BLOSIUS. 26. Qui humiliter de se non sentit, qui Deum non diligit, elinguis est et infans, quantumlibet eruditus esse videatur, atque elegans. In *Canon. vitæ spirit.*, cap. 16.

S. PETRUS DAMIANUS. 27. Piscatorum sumus discipuli, non oratorum : ut ex ore christiani non latinitas Tullii, sed simplicitas resonet Christi. Opusc. 49, cap. 11.

S. SINESIUS EPISC. 28. Veritas verborum nobilitas est, nec pro loco ulla unquam vilior, aut gloriosior extitit oratio. *De Regno ad Arcadium Imperatorem.*

S. THEODOR. 29. Orationis prolixitas molestiam affert. Lib. 3, super *Epist. ad Hebr.*, cap. 13.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 30. Necesse est non solum dare operam, ut oratio fide digna demonstrativaque sit, sed ut ipse quoque ac judex qualis quidam efficiatur. Lib. 2 *Rhetor.*, cap. 1.

31. Exemplis in oratione utendum est, cum quod ipse affirmas, ubi minus verisimile sit, id te perspicuum facturum dicas. *De Rhetor. ad Alexand.*, cap. *de Exemplis.*

32. Elaborandum est, ut non circa verba orator duntaxat, verum etiam circa vitam suam, diligentiam omnem studiumque accommodet : nam vitæ compositio et ad suadendum, et ad boni et

æqui viri existimationem adipiscendam conducit plurimum. *Ibid.*, cap. *Peroratio.*

CICERO. 33. Non parum habet in se fructus copia dicendi, et commoditas orationis, si intelligentia et definita moderatione animi gubernetur. Lib. 1, *de Arte rhetor. ad Herenn.*

34. Oratoris officium est, de his rebus posse dicere, quæ moribus ac legibus constitutæ sunt, cum assensione auditorum. *Ibid.*

35. Oratoris officium est, apposite dicere ad persuasionem, finis vero persuadere dictione. Lib. 1, *de Invent. rhet.*

36. Nihil tam jucundum cogitatu atque auditu, quam sapientibus sententiis, gravibusque verbis ornata oratio. Lib. 1, *de Oratore.*

37. Perfecti oratoris moderatione et sapientia, non solum ipsius dignitatem, sed privatorum plurimorum salutem maxime contineri, perspicuum est. *Ibid.*

38. Hoc est proprium oratoris, oratio gravis et ornata, et hominum sensibus ac mentibus accommodata. *Ibid.*

39. Maxime in eo vis oratoris, magnitudoq cernitur, si rerum omnium naturam, mores hominum atque rationes penitus perspexerit. *Ibid.*

40. Philosophia oratori necessario est percipienda. *Ibid.*

41. Nihil perfecto oratore præclarius. *Ibid.*, lib. 2.

42. Hæc adjuvant in oratore, lenitas vocis, vultus pudoris significatio, et verborum comitas. *Ibid.*

43. Non semper fortis oratio quæritur, sed sæpe placida, submissa, lenis, quæ maxime commendet reos. *Ibid.*

44. Oratio, quæ ab oratore suscipitur, ad commutandos animos, atque omni ratione flectendos, intenat ac vehemens esse debet. *Ibid.*

45. Composite et apte sine sententiis dicere, insania est : sententiose autem sine verborum et ordine et modo insania. *De Perfecto oratore.*

46. Optimus est orator, qui dicendo animos audientium et docet, et delectat, et permovet. Docere debitum est : delectare, honorarium : permovere, necessarium. *De Optimo genere oratorum.*

47. Nihil perfecto oratore arbitror cogitari posse divinius. *Ibid.*

48. Duæ sunt artes quæ possunt locare homines in amplissimo gradu dignitatis : una imperatoris, altera oratoris boni. Orat. 23, *pro Muræna*, num. 30.

49. Duæ sunt artes, quibus perfecte ratio et oratio compleatur : una inveniendi, altera differendi. Lib. 4, *de Finibus*, num. 10.

50. Oratorem irasci minime decet, simulare non dedecet. Lib. 4 *Tusc.*, num. 54, *quæst.*

51. Nihil est tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile : nihil tam horridum, nihil tam incultum, quod non splendescat oratione. *De Paradox.*, cap. 1.

52. Est oratoris proprium, apte, distincte, ornate dicere. In Prologo lib. 1, *de Officiis.*

53. Popularibus verbis est agendum et usitatis, cum loquimur de opinione populari. Lib. 2, *de Officiis.*

54. Difficile est dictu quantopere conciliet animos comitas affabilitasque sermonis. *Ibid.*

55. Magna est admiratio copiose sapienterque dicentis : si vero inest in oratione mixta modestiæ gravitas, nihil admirabilius. *Ibid.*

56. Qualis homo ipse est, talem esse ejus orationem necesse est : orationi autem facta simillima, factis vita. Lib. 5, Tusc., *quæst.*

57. Oratio blanda, melleus laqueus. In *Sentent.*, sent. 5. DIOGENES.

58. Habet suum venenum blanda oratio. In suis *Sentent.*, sent. 167. MIMUS PUB.

59. Hæc est oratoris virtus, ut vera dicat. Sizygia 1, in *Apolog.* PLATO.

60. Oratio, quæ cum vera opinione accedit, perfectissima scientia existit. Sizygia 2, *de Scientia.*

61. Oratio alia est vera, alia falsa : vera quæ res ipsas, ut vere existunt, annuntiat. Sizygia 3, in *Dialogo Cratili.*

62. Illud primum omnium substernendum est ei orationi, quæ recte sit instituenda, ut ejus qui dicit animus, vera illarum rerum, de quibus dicturus est, cognitione informetur. Sizygia 5, in *Dialogo Phædri.*

63. Tanta est veritatis vis atque efficacia, ut orator qui eam noverit, etiamsi aliud agat, auditorum animos alliciat atque perducat. *Ibid.*

64. Quanto magis ad ostentationem ornatumque orationis sunt composita, tanto longius absunt a veritate. Sizygia 3, in *Dialogo Axiuchi.*

65. Si alienæ laudes parum æquis auribus accipi solent, quam difficile est obtinere, ne molesta videatur oratio de se aut de suis disserentis. Lib. 1, epist. 8, *ad Pompeium Saturninum.* PLINIUS II.

66. Ut corpori ferrum, sic oratio animo in ictu magis quam mora imprimitur. Lib. 1, epist. 20, *ad Cornelium Tacitum.*

67. Non amputata oratio et abscissa, sed lata, magnifica et excelsa tonat. *Ibid.*

68. Difficile est ut oratio, dum recitatur, satisfaciat omnibus. Lib. 7, epist. 17, *ad Celerem.*

69. Oratio, quæ veritati operam dat, incomposita debet esse, et simplex : alioquin multum habet inanitatis et vani, plus sonat quam valet. *Prosee.* SENECA.

70. Lenienda sunt, quæ exterrent : compes-

cenda, quæ fallunt : inhibenda est luxuria, corripienda avaritia.

71. Aliquando insurgat, sed salva dignitate morum, quam violentia et nimia vis exuit.

72. Habeat vires magnas, moderatas tamen : perennis sit unda, non torrens. Epist. 40.

73. Veritatis oratio simplex est. Epist. 49.

74. Oratio sollicita philosophum non decet. Epist. 99.

75. Argumentum est luxuriæ publicæ, orationis lascivia. Epist. 114.

76. Ubicunque videris orationem corruptam placere, ibi mores quoque a recto descivisse non erit dubium. *Ibid.*

77. Iracundi hominis, iracunda oratio est : commoti, nimis incitata : delicati, tenera et fluxa. *Ibid.*

78. Viri sani oratio robusta, fortis, virilis est. *Ibid.*

79. Cujuscunque orationem videris sollicitam et politam, scito animum quoque non minus esse pusillis occupatum. Epist. 115.

80. Oratio vultus animi est : si circumtonsa est, et fucata, et manufacta, ostendit illum quoque non esse sincerum, et habere aliquid fracti : non est ornamentum virile, concinnitas. *Ibid.*

81. Oratorem te puta, si tibi ante omnes quod oportet persuaseris. *De Moribus.*

82. Qualis vir, talis oratio. *Ibid.*

VALERIUS MAXIMUS. 83. Nihil est oratoria vi clarius. Lib. 3, *Dictor. memorabil.*, cap. 4.

ORDO IN GENERE.

AUGUST. *Definitio.* Ordo est parium dispariumque rerum, sua cuique loca tribuens dispositio. Lib. 19, *de Civitate Dei*, cap. 13.

JOAN. GERS. Ordo est dispositio plurium, tribuens unicuique quod suum est. Part. 4, in *De script. terminor.*

SENTENTIÆ PATRUM.

AMBROS. 1. Ordinis ignorantia conturbat negotiorum naturam, formamque meritorum. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 4, vers. 3.

2. Non ordo rectus, aut ordo appellandus est omnino, ubi deterioribus meliora subjiciuntur. Lib. 1, *de Libero arbitrio*, cap. 8.

AUGUST. 3. Quanquam in ordine suo temporalia recte locata sint, perversus tamen animus eis sequendis subjicitur, quibus Deus ordine prælatus est. *Ibid.*, cap. ultimo.

4. Omnem rem ubi mensuram et numerum et ordinem videris, Deo artifici tribuere ne cuncteris. *Ibid.*, lib. 2, cap. 20.

5. Aliud est tenere ordinem, aliud ordine teneri. Lib. 6, *de Musica*, cap. 14.

6. Omnia corporalia in ordine suo divinæ providentiæ legibus subdita administrantur. *De Agone Christi*, cap. 8.

7. Si aliqua inciderit necessitas, qua noster ordo turbetur, flectamur facile, ne frangamur : ut quem Deus nostro præposuit ordini, ipse sit noster. *De Catechiz rudib.*, cap. 14.

8. Conturbatio ordini contraria est : ordo est autem a carnalibus ad spiritalia surgere, non a spiritalibus ad carnalia cadere. In *Exposit. Epist. ad Galat.*, cap. III.

9. Si certus est ordo rerum, certus est ordo causarum. Lib. 5, *De Civitate Dei*, cap. 9.

10. A Deo est omnis modus, omnis species, omnis ordo. *Ibid.*, lib. 11, cap. 15.

11. Seculorum ordo, tanquam pulcherrimum carmen est. *Ibid.*, cap. 18.

12. Miseri in ipsa sua miseria, præter ordinem esse non possunt. *Ibid.*, lib. 19, cap. 13.

13. Bonum est ut suum ordinem meritumque quisque cognoscat. *De Duabus animabus*, cap. 12.

14. Malus ordo tunc dicitur, cum ipse minus servatur. *De Natura boni*, cap. 23.

15. Ubi est aliquis ordo, est aliquod bonum : ubi nullus ordo, nullum bonum est. *Ibid.*

S. BERNARD. 16. Quid prodest ei velle et scire quoque disponere prout necesse est, si quod scit et vult, non potest ? Lib. 4, *de Consid. ad Eug. Pap.*

17. Nullus ordo quippiam recipit ordinatum : quod vero inordinatum est, ordo non est. In *Apologia ad Guillelmum abbatem*, verbo *Jam.*

18. Quid est, homo, quod omnia ordinas, et teipsum non vis ordinare? Serm. *de Miseria humana.*

S. BONAV. 19. Congruus ordo est in omnibus ubique provide servandus. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 16.

20. Ordinatum animum, ordinis decor, et condecet, et condelectat. *Prosec.*

21. Nam inordinati est animi, etiam in exterioribus ordinem non curare. *Ibid.*

22. Omne ordinatum, decorum esse necesse est. *Ibid.*, cap. 32.

GLOSS. ORD. 23. Quidquid inordinate agitur, meritum perfectionis amittit. Super I *Esdræ*, cap. III, in illud : *Singulis per ordinem.*

S. GREGOR. MAGNUS. 24. Cura sollicitudinis est adhibenda, ut quæ pro quiete religiosæ conversationis fuerint ordinata, nec dissimulatio negligere, nec quædam valeat præsumptio perturbare. Lib. 7, in *Registro*, indict. 2, cap. 111, epist. 115, *ad Virgilium episc.*

25. Si in rebus secularibus suum cuique jus, et proprius ordo servandus est, quanto magis in ecclesiasticis dispositionibus? *Ibid.*, lib. 12, indict. 7, cap. 31, epist 31, *ad Felicem episc. Siciliæ.*

S. GREGOR. NAZ. 26. Ordo optimus quidem est incipientibus pariter et utilissimus ; nunc autem sanctissimus

periclitatur ordo, ne dicam præ rebus cunctis ridiculosissimus; non enim digniorum, sed potentiorum sunt throni. Orat. 20, *in Funere Basilii.*

27. Ordo universum constituit, ordo cœlestia continet et terrestria. *Prosec.*

28. Ordo est in intelligentibus, ordo in sensibilibus, ordo in angelis, ordo in astris, ordo in anni partibus et temporibus, ordo in diebus et noctibus, mensuris et intervallis, ordo in elementis.

29. Ordo cœlum circumvolvit, aerem expandit, terram supposuit, ventos emisit et non remisit, aquam nubibus colligavit, et non cohibuit.

30. Ubi ordo dominatur, ibi universum ornatus est ac pulchritudo inconvulsa : ubi vero ordinis est defectus, ibi perturbationis et confusionis effectus.

31. Ordo hominem ex rationali irrationalique temperamento composuit, ac mystice et ineffabiliter colligavit.

32. Ordo civitates condidit, leges tulit, virtutem honoravit, malitiam punivit, artes invenit, conjugia copulavit.

33. Ordo existentium parens est, ac securitas.

34. Ordo etiam in Ecclesiis ita statuit, ut alii sint oves, alii vero pastores : ita ut hi imperent, illi vero obediant. Orat. 20, *de Modestia.*

35. Ubi non est ordo, ibi jam ruinæ ostium patet. Lib. 3, *de Theolog.*

S. HIERON. 36. Omnis ordo ecclesiasticus suis rectoribus nititur. Epist. 4, *ad Rusticum.*

HUGO A S. VICTORE. 37. Sine ordine, præsumptio est actio : sine actione, negligentia est ordo : sine scientia, actio reprehensibilis est, et ordo inutilis. Lib. 4, super cap. 3, *Cœlestis hierarch.*

38. Præter ordinem operari, aut contra, perversum est. *Ibid.*

HUGO CARD. 39. Triplex est ordo in religione; orantium, meditantium, sive studentium, et ministrantium. Super *Psalm.* LXIV.

S. JOANNES CHRYSOST. 40. In choro, in navi, in curru, in exercitu, si ordinem turbes, omnia perdis : sursumque deorsum omnia misces. Homil. 37, super I *Cor.*

S. JOANNES DAMASC. 41. Ordinis perturbatio, perspicuum argumentum est, neminem esse qui imperet, ordo autem principem ac moderatorem indicat. *Prosec.*

42. Ubi Princeps ac moderator non est, illic perturbatio ordinis atque confusio existat, necesse est. Lib. 1 *Parall.*, cap. 22.

43. Ordo rerum omnium pater est. *Ibid.*, lib. 3, cap. 83.

ORIGEN. 44. Unusquisque incedere debet secundum ordinem suum : secundum ordinem incedimus, et omnia secundum ordinem gerimus, si nihil inordinatum, nihil inquietum, nihil inhonestum inveniatur in nobis. Homil. 2 in cap. 2 *Numer.*

45. Agnoscat unusquisque ordinem suum, et quid dignum sit eo ordine, quem suscepit, intelligat, et ita libret actus suos, ita sermonem, incessum quoque ipsum et habitum moderetur, ut cum ordinis sui professione conveniat. *Ibid.*

PETR. BLES. 46. Ordo militum nunc est, ordinem non tenere. Epist. 94, *aa Joan. archidiac.*

S. THOMAS AQUINAS. 47. Ea quæ sunt ordinis committi non possunt, nisi ei qui ordinem habet. 2, 2, quæst. 187, art. 1.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 48. Nihil eorum quæ natura secundumque naturam fiunt, ordine vacat, natura namque universis est ordinis causa. Lib. 8, *Phys.*, cap. 1, text. 15.

PLATO. 49. Ordo, qui unicuique rei inest, bonum affert omnibus rebus. Sizygia 3, *de Rhetor.*

50. Quidquid certo quodam ordine continetur, et illius ductu regitur, non potest non esse cum maximis bonis conjunctum : contra vero cum nullus adest ordo, non potest non maxima rerum perturbatio inde existere. Sizygia 4, lib. 6, *de Legib.*

SENECA. 51. Nihil ordinatum est, quod præcipitatur et properat. Epist. 40.

ORDO SACER.

S. ANTONIN. *Definitio.* Ordo est signaculum quoddam, in quo spiritualis potestas traditur ordinato. Part. 3, tit. 14, *de Sacram.*, cap. 16.

CATECHISM. ROMANUS. Ordo est sacramentum, quo ministri ecclesiæ instituuntur.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Episcopus initiat ordinem, et Deus tribuit dignitatem : homo imponit manus, Deus largitur gratiam. *De Dignit. sacerd.*, cap. 5.

S. AUGUST. 2. Si fiat ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiamsi plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis ordinatis sacramentum Ordinationis. *De bono Conjug.*, cap. 24.

3. Ordinatus si ab unitate recesserit, sacramentum dandi baptismi non amittit. Lib. 1, *contra Donatist.*, cap. 1.

S. BERNARD. 4. Curritur passim ad sacros ordines, et reverenda ipsis quoque spiritibus angelicis ministeria homines apprehendunt sine reverentia, sine consideratione. Serm 1 *de Convers. ad clericos*, cap. 29.

S. BONAV. 5. Quanti hodie infelices ad sacros ordines accedunt, et divina mysteria accipiunt, non cœlestem panem, sed terrenum quærentes : non spiritum, sed lucrum : non Dei honorem, sed suam ambitionem : non salutem animarum, sed quæstum pecuniarum : non Christo servire, sed deliciari, ditari, superbire, et luxuriari de patrimonio Christi. *De Præparat. ad Missam.*, cap. 8.

6. Ordo debet esse sanctitatis totius speculum. Epist. *ad Ministr. provinc. et custod.*

CONCILIUM TRIDENT. 7. Cum divina res sit sancti sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius et majori cum veneratione exerceri posset, ut in ecclesiæ ordinatissima dispositione plures et diversi essent ministrorum ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent : ita distributi, ut qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent. Session. 23, cap. 2.

8. Episcopi per semetipsos, ordines conferant : quod si ægritudine fuerint impediti, subditos suos non aliter, quam jam probatos et examinatos, ad alium episcopum ordinandos dimittant. Session. 23, in *Decreto de reformat.*, cap. 3.

9. Prima tonsura non initientur, qui sacramentum Confirmationis non susceperint. *Ibid.*, cap. 4.

10. Nullus prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus constitutus, ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere. *Ibid.*, cap. 6.

11. Minores ordines iis, qui saltem Latinam linguam intelligant, per temporum interstitia nisi aliud episcopo expedire magis videretur, conferantur : ut eo accuratius, quantum fit hujus disciplinæ pondus, possint edoceri. *Ibid.*, cap. 11.

12. Nemo altioribus gradibus initietur, quem non scientiæ spes majoribus ordinibus dignum ostendat. *Ibid.*

13. Nullus in posterum ad subdiaconatus ordinem ante vigesimum secundum, ad diaconatus ante vigesimum tertium, ad presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoveatur. *Prosec.*

14. Sciant tamen episcopi non singulos in ea ætate constitutos, debere ad hos ordines assumi, sed dignos duntaxat, et quorum probata vita senectus sit.

15. Regulares quoque nec in minori ætate, nec sine diligenti episcopi examine ordinentur : privilegiis quibuscunque, quoad hoc, penitus exclusis. *Ibid.*, cap. 12.

S. CYPRIAN. 16. In ordinationibus clericorum, mores et merita singulorum ponderanda sunt. Epist. 33, *ad Clerum.*

GLOSS. DEC. 17. Ordinis susceptio obligat ad continentiam. In *Decret. Gratiani.*

18. Ordo purgat infamiam. *Ibid.*

GRATIANUS. 19. Nullus ordinetur clericus, nisi probatus fuerit, vel examine episcoporum, vel populari testimonio. In *Decret.*, part. 1, dist. 24, can. *Nullus.*

20. Nemo ad sacrum Ordinem permittatur accedere, nisi aut virgo, aut probatæ castitatis, et qui usque ad subdiaconatum unicam et virginem uxorem habuit. *Ibid.*, dist. 32, can. *Nemo.*

S. GREGOR. MAGNUS. 21. Pestiferum nimis est, et sanctæ Ecclesiæ universali contrarium, in sacrum quempiam Ordinem non meritis, sed pretio collocari. Lib. 4, in *Registro*, cap. 97, epist. 53, *ad Childebert. reg, Franc.*

22. Quisquis semel in hac Ecclesia Ordinem acceperit, egrediendi ex ea ulterius licentiam non habet. *Ibid.*, cap. 74, epist. 30, *ad Heliam presbyterum.*

23. Qui sacros Ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in divinis rebus, non solum nullam pecuniam, sed etiam humanam gratiam non requirit. Homil. 4, *Super Evang.*

24. Pueri ad sacros Ordines nullatenus admittantur, ne tanto periculosius cadant, quanto citius conscendere ad altiora festinant. Lib. 4 *in Registro*, indict 11, cap.86, epist. 47, *ad Columbum episc. Numidiæ.*

25. Nulla sit in ordinatione venalitas, potentia vel supplicatio personarum nihil obtineat. *Ibid.*

26. Proculdubio Deus offenditur, si ad sacros Ordines quisque non ex merito, sed ex favore, aut ex venalitate provehitur. *Ibid.*

27. Qui post acceptum sacrum Ordinem lapsus in peccatum carnis fuerit, sacro Ordine ita careat, ut sine pœnitentia singulari ad altaris ministerium non accedat. *Ibid.*, lib. 3, indict. 12, cap. 26, epist. 26, *ad Januar. episc. calaritanum.*

28. Ne ii, qui ordinandi sunt, pereant, provideri debet, quales ordinentur. *Ibid.*

29. Flens dico, gemens denuntio, quod cum sacerdotalis Ordo intus cecidit, foris quoque diu stare non poterit. *Ibid.*, lib. 4, indict. 13, cap. 95, epist. 51, *ad Virgilium episc. Arelat.*

30. Non loca vel Ordines Creatori nostro nos proximos faciunt, sed ei nos merita bona jungunt, aut mala disjungunt. *Ibid.*, lib. 6, indict. 15, cap. 193, epist. 29, *ad Anastas. presbyt.*

31. Ordinate ad Ordines ascendendum est; nam casum appetit, qui ad summa loci fastigia post positis gradibus per abrupta quærit ascensum. *Ibid.*, lib. 7, indict. 2, cap. 110, epist. 110, *ad Syagrium episc.*

32. Plerumque qui sacros Ordines appetunt, non vitam corrigere, non mores componere student : sed divitias, quibus honor sacer emitur, satagunt congregare. *Ibid.*, cap. 114, epist. 114, *ad Theodoric. et Theodebert. reges.*

33. Plerumque quod in laicis culpa non est, hoc crimen est in sacro Ordine constitutis. *Ibid.*, lib. 8, indict. 3, cap. 5, epist. 5, *ad Sabin. subdiac.*

34. Nos amatoribus usurarum nulla ratione manus imponimus. *Ibid.*, cap. 40, epist. 40, *de Eligendo episc.*

35. Filios et propinquos magis quam Dominum

honorat, qui ad sacros Ordines personas eligit, non ex conversationis honestate, sed amore propinquitatis. Lib. 2, super I *Reg.*, cap. III, super illud : *Honorasti filios tuos.*

36. Qui ad sacros Ordines ambitiose perveniunt, ardua religionis itinera a majoribus sibi ostensa deserunt, et perversa intentione in appetitu terrenarum rerum altius immerguntur. *Ibid.*, lib. 4, cap. 4.

37. Estote præcipue in ordinatione solliciti, et ad sacros Ordines aspirare, nisi provectiores ætate, et mundos opere, nullatenus permittatis : ne forte semper esse desinant, quod immature esse festinant. Lib. 2 in *Registro*, indict. 11, cap. 87, epist. 48, *ad Adeodatum episc.*

38. Ipse qui ad sacrum Ordinem simonia perducitur, jam in ipsa provectus sui radice vitiatus, paratior est aliis vendere quod emit. *Ibid.*, lib. 4, indict. 13, cap. 100, epist. 56.

39. Cum quem quis pretio ordinat, provehendo agit; ut hæreticus fiat. *Ibid.*

40. Valde periculosum est animæ, temere cuiquam manum imponere. *Ibid.*, cap. 89, epist. 45, *ad Andræam scholast.*

41. Quicunque pretii studet datione sacrum Ordinem mercari : dum non officium, sed nomen attendit, sacerdos non esse, sed dici tantummodo inaniter concupiscit. *Ibid.*, lib. 7, indict. 2, cap. 110, epist. 110, *ad Syagrium episc.*

42. Nullus pro adipiscendis ecclesiasticis Ordinibus dare aliquid commodum præsumat, vel pro datis accipere. *Ibid.*

43. Non ordinandos censemus illos, qui usuras accepisse convincuntur, aut in scena lusisse noscuntur. Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 1, dist. 33, can. *Maritum.*

S. HIERON. 44. Si tu ad Ordinem Sacerdotii gradiaris, gaudebo de ascensu, sed timebo de lapsu. Epist. 1, *ad Heliodor.*

HUGO CARD. 45. Pactum quod fecerunt clerici recipiendo Ordines, non tenuerunt. Super *Psalm.* XVII, *Moraliter.*

S. INNOC. III 46. Duo sacri ordines non possunt conferri eidem uno die, vel duobus continuato jejunio. Lib. 1, *Decret. const.*, const. 77.

47. Ordinatus ad sacros Ordines sine titulo, ab ordinatore juste petit beneficium. *Ibid.*, const. 83.

JOAN. TRITH. 48. Qui prior est ordine, sit etiam perfectior conversatione : gradus altior ornatum altiorem requirit. Epist. 1, *ad Novum presbyterum.*

S. ISIDORUS HISPALENS. 49. Ita præemineas merito, sicut et gradu. Lib. 3, *de Summo bono*, cap. 45, sent. 1.

S. LAURENT. JUSTIN. 50. Omnium prælatus est particeps, qui scienter propria ductus affectione promovet indignum. *De Regim. prælat*, cap. 16.

51. Quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici ordinantem, qualis est ille, qui non meruit ordinari ? Epist. 87, *ad Episc. African.*

S. LEO I. 52. Admittuntur passim ad Ordinem sacrum, quibus nulla natalium, nulla morum dignitas suffragatur. Epist. 1, cap. 1.

PETR. BLES. 53. Sane non honor debet esse Ordinis occasio, sed Christi charitas, et animarum salus. Epist. 123, *ad Richard. Londonens. episc.*

54. In sacro Ordine sine continentia invenimur; quanto ordine erigimur, tanto incontinentia deprimimur. *Ibid.*, serm. 45, *ad Sacerd.*

55. Ab Ecclesia rite introducti sunt quidam Minorum Ordinum gradus, per quos, tanquam per cantica graduum ascenditur ad sacerdotium. *Ibid.*, serm. 46.

S. PETRUS DAMIANUS. 56. Initiatur ad dignitatis ordinem, qui ad obtinendam ordinis constituitur dignitatem. Lib. 1, epist. 13.

S. THOMAS AQUINAS. 57. Character qui per sacramenta imprimitur ad ea peragenda, quæ divini sunt cultus, character Christi est, quo Christi fideles ei configurantur. Part. 3, quæst. 63, art. 3.

58. Peccat mortaliter tanquam infidelitatis reus, qui indignos ad ordines promovet. In *Supplem.* part. 3, quæst. 39, art. 4.

ORIGO.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Fons et origo omnis scientiæ Deus est, quem quanto plus quis bibet, tanto plus sitiet. *De Triplici habitaculo*, cap. 5.

2, Duæ sunt origines peccatorum, una spontanea cogitatione, altera persuasione alterius. Lib. 3 *de Lib. arbit.*, cap. 10.

3. Illud quod ignorans quisque non recte facit, et quod recte volens facere non potest, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt. *Ibid.*, cap. 19.

4, Ut meliores gigneret Adam quam ipse esset, non erat æquitatis, sed ex conversione ad Deum, ut vinceret quisque supplicium, quod origo ejus ex aversione meruerat. *Ibid.*, cap. 20.

5. Apud te rerum omnium mutabilium immutabiles manent origines. Lib. 1 *Confess.*, cap. 6.

6. Si origo animæ lateat, dum tamen redemptio clareat, periculum non est. Epist. 157.

7. Deus ex origine vitiatam mutare potest et sanare naturam. Lib. 2 *contra Julian.* cap. 1.

8. Non quæramus origines nominum : multum enim habet ista res loquacitatis, utilitatis parum, Lib. 2 *de Musica*, cap. 8.

S. BERNARD. 9, Origo fontium et fluminum omnium, mare est : virtutum et scientiarum Dominus Jesus Christus. Serm. 13 super *Cant.*

S. GREGOR. MAGNUS. 10. In terrenis rebus semper causa damni, est origo peccati. Lib. 9 in *Registro*, cap. 57, epist. 57, *ad Brunichildam reginam Francorum*.

HUGO CARD. 11. Timor oritur in consideratione Dei potentiæ, amor autem in contemplatione misericordiæ. Super *Sapient.*, cap. 15.

12. Ordo et processus malorum : oritur ex suggestione cogitatio, ex cogitatione affectio, ex affectione delectatio, ex delectatione consensus, ex consensu opus, ex opere consuetudo, ex consuetudine necessitas, ex necessitate desperatio, ex desperatione defensio, ex defensione gloriatio de peccato, ex gloriatione damnatio. Super *Ecclesiastic.*, cap. XXIII.

S. JOAN. CL. 13. Mater fornicationis est gulæ concupiscentia, acediæ vero inanis gloria. *Prosec.*

14. Tristitiæ origo est iracundia, superbiæ vero inanis gloria. *Gradu* 26.

LACT. FIRM. 15. Cupiditas a voluntate incipit, et cautio a metu oritur, et lætitia nihil aliud est quam profusum gaudium. Lib. 6 *de Divin. institut.*, cap. 15.

PHILO JUD. 16. Nascitur ex prudentia sapere, ex temperantia sobrium esse, e pietate Deum colere, et ex unaquaque cæterarum virtutum sua cujusque actio. *De eo quod det. potiori.*

TERTULLIA. 17. Nihil sine origine, nisi Deus solus. Lib. 5 *adversus Marcionem*.

ORNATUS.

S. ISIDORUS HISPALENS. *Etymologia.* Ornamenta dicta, quod eorum cultu ora vultusque decorentur. Lib. 19 *Etymolog.*, cap. 30.

COLLECTOR. *Definitio.* Ornatus est vestitus cultusque secundum conditionem personæ moderatio.

S. ANTONIN. *Divisio.* Duplex est ornatus, interior, et exterior : interior consistit in virtutibus ; exterior consistit in habitu, victu et incessu : in victu, ut conformet se moribus eorum cum quibus vivit; in incessu, ut æqualis sit et maturus, ut gravitate itineris maturitatem mentis ostendat. Part. 3, tit. 13, cap. 3, § 5.

S. BONAV. *Comparatio.* Ornatus comparatur feretro : quia sicut feretrum tunc solum ornatur, cum mortuus in eo ponitur : sic viri et mulieres præcipue tunc ornant feretrum corporis sui per exteriorum vestium paraturam, cum anima intus est mortua per superbiam. Tit. 1 *Diætæ*, cap. 3.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Fœminæ quæsitis coloribus ora depingunt, dum viris displicere formidant : et de adulterio vultus, meditantur adulterium castitatis. *Prosec.*

2. Quanta hæc amentia, effigiem mutare naturæ, picturam quærere, et dum verentur maritale judicium, prodere suum?

3. Prior enim de se pronuntiat, quæ cupit mutare quod nata est. Ita dum alii studet placere, prius sibi ipsa displicet.

4. Quem judicem, mulier, veriorem requirimus deformitatis tuæ, quam teipsam, quæ videri times?

5. Si pulchra es, quid absconderis? si deformis, cur te formosam esse mentiris, nec tuæ conscientiæ, nec alieni gratiam erroris habitura?

6. Ille enim alteram diligit, tu alteri vis placere : et irasceris, si amet aliam, qui adulterare in te docetur.

7. Male magistra es injuriæ tuæ, tolerabiliora enim propemodum in adultero crimina sunt : ibi enim pudicitia, hic natura adulteratur. Lib. 1 *de Virginibus*.

8. Mulierum cultus, tormenta potius quam ornamenta sunt. *Ibid.*

9. Si in vobis rejecta decoris cura, vera pulchritudo plus placet mentis, hoc ipsum quod vos non ornatis, ornatus est. *Ibid.*

10. Cernis ut pomparum ferculis similis incedat, quæ se componit ut placeat, omnium in se vultus, et ora convertens; eo ipso quo studet placere, deformior est. *Prosec.*

11. Certe laceræ vulneribus aures, et depressæ onera miseræ cervicis, non sunt alleviamenta pœnarum, sed discrimina metallorum.

12. Hinc collum catena constringit, inde pedem compes includit : nihil refert auro corpus oneretur, an ferro.

13. Si cervix premitur, si gravatur incessus, nil pretium juvat, nisi quod vos mulieres, ne pereat vobis pœna, trepidatis. *Ibid.*

14. Quam miserabilis illa conditio, quod tanquam mancipii forma venalis nuptura licitatur, et qui pretio vicerit, emat! *Prosec.*

15. Tolerabilius tamen mancipia væneunt, quæ sæpe sibi dominos legunt : viro vero si eligat, crimen est; si non eligat, contumelia.

16. Quæ quamvis pulchra sit et decora, et timet videri, et cupit : cupit ut se carius vendat, timet ne hoc ipsum dedeceat quod videtur.

17. Quanta autem votorum ludibria, et ad procorum eventus suspecti metus, ne pauper illudat, ne dives fastidiat, ne pulcher irrideat, ne nobilis spernat? *Ibid.*

18. Non vittæ capiti decus, sed ignobile velamen, usui nobile castitatis : non exquisita, sed abdicata lenocinia pulchritudinis. Lib. 5, epist. 31, *ad Valentinianum imperat.*

19. Pictus es, o homo, et pictus a Domino Deo tuo : bonum habes artificem atque pictorem. Noli bonam delere picturam : non fuco, sed veritate fulgentem : non cera expressam, sed gratia. *Prosec.*

20. Deles picturam, mulier, si vultum tuum materiali candore oblinias, si acquisitio rubore perfundas. *Prosec.*

21. Illa pictura vitii, non decoris est : illa pictura fraudis, non simplicitatis est : illa pictura temporalis est, aut pluvia, aut sudore tergitur.

22. Illa pictura fallit et decipit, ut neque illi placeas, cui placere desideras, qui intelligit non tuum, sed alienum esse quod placeas, et tuo displiceas Auctori, qui videt opus suum esse deletum.

23. Dic mihi, si supra artificem aliquem inducas alterum, qui opus illius superioris novis operibus obducat, nonne indignatur ille qui opus suum adulteratum esse cognoverit?

24. Noli tollere picturam Dei, et picturam meretricis assumere. Lib. 6 *Hexamer.*, cap. 8.

S. ANTONIN. 25. Diabolus sciens quod per mulierem multos capit et occidit, instigat ipsam ad se ornandum, ad hoc ut talis armatura ejus, sive gladius, sit acutior, et magis politus ad provocandum ad concupiscentiam sui, et laqueus magis efficax ad capiendum et detinendum. Part. 2, tit. 4, cap. 5, § 1.

26. Consideret attente vana mulier, quod tam mortibus digna est et pœnis inferni, quot per ejus vanum et excessivum ornatum ruere facit. *Prosec.*

27. Si enim quæ occasionem præstat mortis corporalis vel damni, tenetur et incurrit pœnam inferni : quanto magis, quæ est occasio mortis animæ alterius per ornamenta varia, et alias vanitates. *Ibid.*

28. Tanta diligentia et pompa ornatus, insinuat totaliter mundo deditam mentem. *Ibid.*, § 2.

29. Mulierum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri et argenti, aut indumenti vestimentorumque cultus. *Ibid.*, § 1.

30. Ipse ornatus mulieris ultra vitium immodestiæ est provocativus ad lasciviam : qui quanto major est, tanto plus allicit, et excitat concupiscentiam hominis. *Ibid.*

31. Multum erubescere debet mulier, quod corpus ornetur, et pulchrum appareat, et anima maculis plena inveniatur ex vanitate ornatus. *Ibid.*

32. Magna crudelitas reperitur, cum pauperes moriantur fame et frigore : et mulieres in tantis et in tam vanis ornamentis abundant. *Ibid.*, § 2.

33. Vanæ mulieres corpora sua, quæ ratione fidei sunt templum Spiritus sancti, faciunt templum diaboli. *Ibid.*, § 6.

34. Licet viris et mulieribus se ornare secundum consuetudinem civitatis, et statum et conditionem personæ se ornantis. *Ibid.*, § 8.

S. AUGUST. 35. Exterioris hominis ornamenta quanto magis appetuntur, tanto sunt interioris majora detrimenta : quanto autem minus appetuntur ornamenta exterioris hominis, tanto magis moribus pulchris homo interior adornatur. *De Verb. Apost.*, serm. 18, cap. 11.

36. Non amat Christus fallaciarum fucos, veris veritas delectatur. *De Bono viduit.*, cap. 19.

37. Fucari pigmentis, quo vel rubicundior, vel candidior fœmina appareat, adulterina fallacia est, qua non dubito etiam ipsos maritos se nolle decipi, quibus solis permittendæ sunt fœminæ ornari, secundum veniam, non secundum imperium. *Prosec.*

38. Nam verus ornatus maxime christianorum et christianarum, non tantum nullus fucus mendax, verum ne auri quidem vestisque pompa, sed mores boni sunt.

39. Execranda autem superstitio ligaturarum, in quibus etiam inaures virorum, in summis ex una parte auriculis suspensæ deputantur, non ad placendum hominibus, sed ad serviendum dæmonibus adhibetur.

40. Moneantur interim miseri, ut si obtemperare nolunt præceptis salubrioribus, saltem sacrilegia sua non defendant, ne majori se scelere implicent.

41. Quid autem cum eis agendum sit, si solvere inaures timent, et corpus Christi cum signo diaboli accipere non timent? Epist. 73, *ad Possidium.*

42. Quid est absurdius, quam mulierem de humili veste viro superbire, cui te potius expediret obtemperare candidis moribus, quam nigellis vestibus repugnare? Epist. 199, *ad Ecdiciam.*

43. Sicut talares et manicatas tunicas habere apud Romanos veteres flagitium erat; nunc autem honesto loco natis, cum tunicati sunt, non eas habere flagitium est. Lib. 3 *de Doctr. christiana.*

44. Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus. Regula 3 *ad Clericos.*

45. Terrenis ornamentis caro luxuriosa parvo tempore ornatur, ut carnalibus oculis, aut ad suam, aut aliorum male concupiscentium ruinam placere possit. Homil. 26 *ex* LIII *Homil.*

46. In mulieribus est quidam placendi appetitus, aut de elegantiore vestitu, quam tantæ professionis necessitas, aut capitis ligamento notabili : sive pro tumidis umbonibus capillorum, sive tegminibus ita teneris utuntur, ut retiola subtus posita appareant. *De Sancta virginitate*, cap. 34.

47. Habitus impudicus corporis, nuntius est adulterini cordis. Serm. 1, *Dom.* 24, *post Trinit.*

48. Quid, quæso, tantopere adornas fovesque quod paulo post est interiturum? Super *Psalm.* XXIX, vers. 11. S. BASILIUS MAGNUS.

49. Turpe est aliunde ornare eum, qui propria ipse virtute illustris est. Hom. 26, *de Mart. Mamante.*

50. Dum nimis ornatum corporum conspicimus, corporis et animæ offendimus Creatorem. Apud *Bedam*, in suis *Scintillis*, cap. 42.

S. BERNARD. SENENS. 51. Cauda mulieris nihil aliud est, quam multiplicatio expensarum, similitudo bestiæ, in hieme lutosa, in æstate pulverata, scopa stultarum, thuribulum infernale, pavo in luto, domus blasphemiæ, superba rapacitas, serpens inferni, quadriga dæmonum, diaboli gladius cruentatus, damnosa superfluitas. Serm. 47, *Fer.* 6, *post Dom. Pass.*, art. 2.

S. BERNARD. 52. In habitu jam non calor, sed color requiritur : magisque cultui vestium, quam virtutum insistitur. Hom. 4 super *Missus.*

53. Ornari non armari appetunt milites Christi; dum se præparare ad prælium et contra aereas potestates prætendere paupertatis insigne debuerant, in mollitie vestimentorum, pacis potius præferentes indicium, ultro se hostibus sine sanguine tradunt inermes. *Ibid.*

54. Omnis cura Sanctorum, spreto ornatu cultuque superfluo exterioris sui hominis, qui certe corrumpitur, omni se diligentia præbet et occupat excolendo ac pecorando interiori illi qui ad imaginem Dei est. Serm. 25 super *Cant.*

55. Non sis superfluus in victu, nec notabilis in vestitu. Epist. 42, *ad Henricum Senonensem archiepisc.*

56. Vestium curiositas, deformitatis mentium et morum indicium est. Lib. 3, *de Consid. ad Eugen. Pap.*

57. Quæritur ad induendum, non quod utilius, sed quod subtilius invenitur : non quod repellat frigus, sed quod superbire compellat; non quod vilius, sed quod vanius comparari potest. In *Apolog. ad Guillelm. abbat.*

58. Quando tu vestem empturus es, lustras urbes, fora circuis, percurris nundinas, domos scrutaris negotiatorum, cunctam evertis singulorum supellectilem; ingentes explicas cumulos pannorum, attrectas digitis, admoves oculis, solis apponis radio; quidquid grossum, quidquid pallidum occurrerit, respuis ; si quid autem sui puritate ac nitore placuerit, illud mox quantolibet pretio satagis tibi retinere. *Ibid.*

59. Mollia indumenta animi mollitiem indicant : non tanto curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutibus. *Ibid.*

60. Cur carnem tuam pretiosis rebus ornas, quam post paucos dies vermes devoraturi sunt in sepulcro? Lib. *Medit.*, cap. 3.

61. Vestis sumptuosa, probatio est pauci sensus. Epist. *de Cura et regimine rei familiaris.*

62. Vestis nimis apparens, cito vicinis tædium parit. *Ibid.*

63. Stude bonitate placere, non veste. *Ibid.*

64. Mulieris petitio habentis vestes, et vestes quærentis, non indicat firmitatem. *Ibid.*

65. Deus non delectatur in compositione vultus, sed in bonis moribus : non in corporis ornatu, sed in sancta conversatione. Serm. 64, *ad Sororem.*

66. Talia debent esse vestimenta servorum Dei, in quibus nihil possit notari novitatis, nihil vanitatis, nihil superfluitatis, nihil quod pertineat ad superbiam, et ad vanam gloriam. *Ibid.*, serm. 9.

67. Late patet vester hic error, qui ornari posse aliquid ornamentis existimatis alienis. Lib. 2, *de Consolat. philos.*, prosa 5. BOETIUS.

68. *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus,* ait Apostolus : quibus tegamur, dicit, non quibus ornemur. Super *Luc.*, cap. VII, in illud I *Timoth.* VI : *Habentes alimenta.* S. BONAV.

69. Vestis pretiosa, et vita deliciosa, sunt hominum mundanorum, non virorum spiritualium et christianorum. *Ibid.*, super illud : *Ecce qui in pretiosa veste sunt.*

70. Pensate quæ culpa sit ornatum vestium pretiosarum, etiam viros appetere, a quo curavit pastor Ecclesiæ etiam fœminas prohibere. *Ibid.*

71. Nemo vestimenta pretiosa, nisi ad gloriam, quærit; ut honorabilior cæteris habeatur : et hoc est reprehensibile, et peccatum. *Ibid.*, cap. XVI, in illud : *Induebatur purpura.*

72. Valde absurdum est putridum cadaver pretiosa veste ornari, unde possent multi pauperes sustentari. *Ibid.*

73. Mulier compta et pulchra, cum suis ornamentis, gladius est diaboli bene scindens, et bene limatus. Tit. 1 *Diætæ*, cap. 9.

74. Sine sapientia aut vitæ integritate et puritate, nullum ornamentum pulchrum est, et quodcunque his non decoratur, vile et abominabile est. *De Ornamentis Ecclesiæ*, cap. 12. S. BRUNO.

75. Non externi hominis aspectus, sed animus probitatis ornamento ornandus est. Lib. 3, *Pædagogi*, cap. 8. CLEM. ALEX.

76. Fuci, tincturæ, unguenta, et colores illiti, animam intrinsecus ægrotare significant. *Ibid.*

77. Ornantur ut aliis placeant, quæ in facie, non in corde gloriantur. *Ibid.*

78. Et si coccino induaris, et aureo ornamento orneris, et oculos tuos ungas stibio, frustra est pulchritudo tua. *Ibid.*

79. Magni pretii est, non gemma, non argentum, non vestis, non corporis pulchritudo, sed virtus. *Ibid.*, cap. 6.

80. Si mulieres sint pulchræ, sufficit natura, non contendat ars contra naturam : sin autem sint natura turpes, seipsas arguunt, ex eo quod sibi applicant quod non habent. Lib. 2 *Pædagogi*, cap. 12.

81. Vittæ et earum permultæ differentiæ et curiosæ ac supervacaneæ capillorum plicaturæ, et crinium innumerabiles figuræ, et pretiosæ speculorum structuræ, sunt fœminarum quæ omnem pudorem exuerunt. *Ibid.*, lib. 3, cap. 2.

S. CYPRIAN. 82. Quid ornata, quid compta procedit virgo? quasi maritum aut habeat, aut quærat. *De Discipl. et habit. virgin.*, cap. 3.

83. Ornamentorum ac vestium insignia, et lenocinia formarum, non nisi prostitutis et impudicis fœminis congruunt : et nullarum fere pretiosior cultus est, quam quarum pudor vilis est. *Ibid.*, cap. 6.

84. Fugiant castæ virgines et pudicæ incestarum cultus, habitus impudicarum, lupanarium insignia, ornamenta meretricum. *Ibid.*

85. Sericum et purpuram indutæ, Christum induere non possunt. *Ibid.*

86. Auro et margaritis et monilibus adornatæ, ornamenta cordis ac pectoris perdiderunt. *Ibid.*

87. Quod ornari te putas, quod putas comi, impugnatio est ista divini operis, prævaricatio est veritatis. *Ibid.*, cap. 7.

88. Dum ornari cultius, dum liberius evagari virgines volunt, esse virgines desinunt : furtivo dedecore corruptæ, viduæ antequam nuptæ, non mariti, sed Christi adulteræ. *Ibid.*, cap. 8.

89. Nec monilium aut vestium virgo quærat ornamenta, sed morum. *Ibid.*, cap. 10.

90. Mirum negotium! mulieres ad omnia delicatæ, ad vestium sarcinas fortiores sunt viris. *De Bono pudicit.*, cap. 6.

DIONYSIUS CARTHUS. 91. Vera matronarum ornamenta pudicitia est, non vestes. Super *Epist. I Petri*, cap. III, art. 6.

92. Nemo putet in studio pretiosarum vestium deesse peccatum. *Ibid.*

S. EPHRÆM. 93. Superfluus vestium ornatus, humeri detecti atque nudati, pedes lascive induti, ac vitiose directi, mortem conciliant. *De Humilit. comparanda*, cap. 51.

S. FULGENT. 94. Sanctæ mulieres, etiam conjugatæ, non sunt monilibus comendæ, sed moribus : et eo magis humilitate debent ornari, quam veste. Epist. 2 *ad Gallam*, cap. 12.

95. Habitus tuus talis sit, qui non ad lasciviam excitet, sed ad continentiam provocet : qui non alliciat ad libidinem, sed comprimat ad timorem : qui non accendat carnis concupiscentiam, sed extinguat. *Ibid.*

96. Vilibus caro tegatur operimentis, et pretiosis anima vestibus induatur. *Ibid.*

97. Sicut Christi virgo non debet monilibus, ita debet virtutibus adornari. *Prosec.*

98. Ornatus autem virginis est, virginitatis bonum non minus mente, quam carne servare. *Ibid.*, epist. 3 *ad Probam*, cap. 21.

99. Vestis talis sit virginis, quæ testis existat intimæ castitatis. *Ibid.*, cap. 14.

100. Nihil nitoris in habitu exterioris hominis quæratur, ne interioris hominis habitus sordidetur. *Ibid.*

S. GREGOR. MAGNUS. 101. Pravi cum tegendis membris vestimenta quærunt, non solum quæ tegant, sed etiam quæ excolant, expetunt. *Prosec.*

102. Et contra torporem frigoris, non solum quæ per pinguedinem muniant, sed etiam quæ per mollitiem delectent : et non solum quæ per mollitiem tactum mulceant, sed etiam quæ per colorem oculos seducant. Lib. 20 *Moral.*, cap. 15, num. 12.

103. Pro sola inani gloria vestimentum pretiosius quæritur, res ipsa testatur : quia nemo vult ibi pretiosis vestibus indui, ubi ab aliis non possit videri. Hom. 48 super *Evangel.*

104. Decor et honor corporis virginalis, est vestitus aureus. Lib. 6 in I *Reg.*, cap. I, super illud *Psalm.* XLIV : *In Vestitu deaurato.*

105. Nemo existimet in fluxu atque studio pretiosarum vestium peccatum deesse, quia si hoc culpa non esset, nequaquam Paulus Apostolus per epistolam fœminas a pretiosarum vestium appetitu compesceret. Hom. 6 super *Evang.*

S. GREGOR NAZ. 106. Sunt nonnulli, qui cultum subtilium pretiosarumque vestium non putant esse peccatum : quod si culpa non esset, nequaquam sermo Dei tam vigilanter exprimeret, quod dives qui torquebatur apud inferos, bysso et purpura indutus fuisset. *Ibid.*, hom. 40.

107. Ornatus mulierum non labra purpurea, non pictarum palpebrarum supercilium : flos unus est mulieribus amandus, bonus rubor, seu pudor. In sua *Poesi, contra Mulieres ornatas.*

108. Verum decorem mentis ornatum puta. *Ibid.*

HAYMO. 109. Pretiosa vestis nonnisi propter inanem gloriam requiritur. Serm. *Dom.* 16, *post Pent.*

S. HIERON. 110. Vestes pullas æque devita, ut candidas : ornatus ut sordes pari modo fugiendi sunt : quia alterum delicias, alterum gloriam redolet. Epist. 2 *ad Nepotian.*

111. Non absque amictu lineo incedere, sed pretium vestium linearum non habere, laudabile est. *Ibid.*

112. Sordidæ vestes, candidæ mentis indicia sunt : vilis tunica, contemptum sæculi probat. *Ibid.*, epist. 4, *ad Rustic.*

113. Talia virgo vestimenta paret, quibus pellatur frigus, non quibus vestita corpora nudentur. *Ibid.*, epist. 7, *ad Lætam.*

114. Quid pulchrius anima, quæ Dei filia appellatur, et nullos extrinsecus quærit ornatus? Epist. 10, *ad Furiam.*

115. Cultus corporis a plerisque et habitus vestium, unius horæ spatio commutatur. *Ibid.*

116. Genus fœmineum scimus libenter ornari. Epist. 12, *ad Gaudentium.*

117. Humilitatem vestium tumenti animo non appetas. Epist. 13, *ad Paulinum*

118. Gemmæ et sericæ vestes fœminarum, jactantiæ seminarium est. *Ibid.*

119. Neglecta mundities, et inculta vestis, cultus est sine cultu. Epist. 15, *ad Marcellam.*

120. Nunc vestes non ad usus tantum, sed ad delicias conquiruntur. Epist. 18, *ad Marcellam.*

121. Nec affectatæ sordes, nec exquisitæ munditiæ conveniunt christiano. Epist. 22, *ad Eustoch.*

122. Munditia corporis atque vestitus, munditia est animæ. Epist. 27, *ad Eustoch.*

123. Caliga virginis ambulantis nigella ac nitens stridore, ad se juvenes vocat. Epist. 47, *de Vitando suspecto contubernio.*

124. Crimen est, caput post chrismatis sanctificationem pulvere, aut alterius cujuslibet pigmenti fuco sordidari, aut auro, aut gemmis, vel cujusque terrenæ creaturæ specie comi. Epist. 14, *ad Mauricii filiam.*

125. Revera ornare se, et componere virgo debet : sed ornetur interioribus ornamentis, spiritualiter, non corporaliter componatur : quia Dominus non corporis, sed animæ decorem desiderat. *Ibid.*

126. Imperfectissimus mulierum affectus. Semper in vestibus, semper in auro, in lapidibus pretiosis, et ornamentis extrinsecis gloriam ponunt : non sufficit eis libido innata naturæ, sed occasiones quærunt explendæ libidinis. In *Regula Monachar.*, cap. 28.

127. Comam nutrire, vellere pilos, cutem polire, et ad speculum comi, proprie passio et insania fœminarum est. Super *Sophoniam*, cap. 1, super illud : *Disperierunt omnes involuti.*

HUGO A S. VICTORE.

128. Ex varietate vestimentorum, affectus placendi subministratur. Lib. 1 *de Claustro animæ*, cap. 4.

129. Propter ornatum corporis, mulier illa placet, quæ sine ornatu videntibus displiceret. *Ibid.*

130. Quid prodest ornari vestibus, nisi ornemur et virtutibus? Serm. 14, *de Divers.*

HUGO CARD.

131. Talis ornatus, ut homini placeatur, meretricius est : et potius sordidat, quam ornat. Super *Prov.*, cap. xv.

132. Habent multi mutatoria vestium juxta numerum dierum, et de pauperum nuditate non curant. Super *Luc.*, cap. 16.

S. INNOC. III

133. Superbus ut magnificus videatur, satagit vestiri duplicibus, indui mollibus, pretiosis ornari. *Prosec.*

134. Sed quid est homo pretiosis ornatus, nisi sepulcrum foris dealbatum, intus autem plenum spurcitia?

135. Hyacinthus et purpura, crocus et byssus, in limo putrescunt : aurum et argentum, lapides et gemmæ, in luto sordescunt. Lib. 2, *de Contemptu mundi*, cap. 37.

136. Sæpe quod virtus non potuit, vestis obtinuit : o vanitas vanitatum ! plus honoris defertur vestibus, quam virtutibus : plus venustati, quam honestati. *Ibid.*, cap. 39.

S. JOANNES CHRYSOST.

137. Quo supplicio non sunt digni, qui modis omnibus dant operam, ut sericis et auro intertextis induantur, et post se pompam trahunt in plateis, et in foro, Christum autem despiciunt nudum? Homil. 37, super *Gen.*

138. Maxima apud mulieres invenitur ornatus cupiditas, et intemperantia, cum auratis vestibus, et auro in capite, in cervice, et in aliis corporis partibus ornantur, et in his quoque superbiunt. *Prosec.*

139. Quot pauperum ventres possent inde pasci, et quot corpora in nuditate egentium possent contegi ex his, quæ a solo collo, auribus mulierum pendent; nullius alterius usus gratia, quam in damnum, et nocumentum animæ. *Ibid.*

140. Multa mulierum est mollities, et omne studium in cultu vestium, in aureis ornamentis et monilibus, et externo ornatu, animæ vero nulla est cura. *Prosec.*

141. Si vis ornari, vero te ornatu cole, qui decet mulieres pias : bonis te operibus orna, hic animæ cultus est. *Ibid.*, homil. 41.

142. A cultu externo innumera fiunt mala : inde nascitur arrogantia, despectus proximi, fastus spiritus, animæ corruptio, atque voluptatum illicitarum fomes. *Ibid.*

143. Pauper frigore rigescit, tu autem sericis indutus, ne respicis quidem, nullamque compassionem præ te fers, sed immisericorditer præteris ; qua venia sunt hæc digna? *Ibid.*, homil. 50.

144. Si viro placere vis, animam orna pudicitia, pietate, rei familiaris cura ; nam animæ bona præstantiora sunt, quam corporis. Hujus ornatus invidiam parit, hic autem omni malo affectu, omni caret inani gloria. Homil. 60, super *Joan.*

145. Si studendum est, ut viro placeas, anima ornanda est, non corpus corrumpendum. *Prosec.*

146. Neque enim aurum adeo amabilem ac desiderabilem uxorem reddet, ut modestia et charitas, et animus vitam exponendi pro marito. Hæc virum capiunt. *Ibid.*

147. Quid corpus ornas anima neglecta, et immunditiæ plena? certe illius major habenda est cura. *Ibid.*, homil. 68.

148. Quænam hæc amentia? qui turpem, informem et nigram habet animam, putat eam se auri splendore emendare : neque ornatu nigrum corpus album reddet, neque turpe speciosum. *Ibid.*

149. Narratur de quopiam philosopho, quod cum domum esset cujuspiam divitis ingressus, multo illustrem auro, multoque et marmorum et columnarum pulchritudine fulgentem, pavimentumque videret multis tapetis stratum, in faciem divitis domus hujus domini expuerit. Cumque ob factum culparetur, respondisse fertur, necessitate coactum faciei illius contumeliam fecisse, eo quod in universa domo locum non invenisset, quo expuere licuisset. Serm. 11, super *epist. ad Romanos.*

150. Non est pretiosis vestibus ornanda caro, ne ornatu illam perdas : nam molliorem inde facies, et illam corrumpes, dum nimia illam mollitie dissolvis. *Ibid.*, serm. 24.

151. Non puto mulierem in muliebri suo mundo ita gloriari, sicut virum in illis quæ conjugem suam exornant. Serm. 13, super *epist. ad Ephes.*

152. Mulieri peculiare ac commodum est ornari magis, quam viro. *Ibid.*

153. Quando vehementer ornaris, o mulier, tunc nuda quavis turpior facta es. Homil. 10, super *Epist. ad Coloss.*

154. Multa ex ornandi studio nascuntur, apertæ suspiciones, sumptus intempestivi, maledicentia, avaritiæ et fraudis argumenta. *Ibid.*

155. Placet pretiosa et serica vestis? at vermium ille contextus est, opinio est et humana præsumptio, nihil habet in se naturalis pulchritudinis. Homil. 17, super I *Timoth.*

156. Honesta mulier honestate decoratur : honesta autem illa est, quæ typhum non habet, quæ ornatum non sumit secularem; sed talibus vult adornari, quæ Dei imaginem decent. Homil. 28 super *Epist. ad Hebr.*

157. Animam orna; iste namque ornatus animæ, Deum ad se pertrahit : ille autem corporis, scelestos. *Ibid.*

158. Omnia in ornatu ad hoc facere, ut spectentur, meretricum est. *Ibid.*

159. Molle vestimentum animam dissolvit, diffundit, et frangit. *Ibid.*, homil. 29.

160. Quæ exterioris amictus utilitas, cum anima mendico sit omni miserius induta? Homil. 19, *ad Pop. Antioch.*

161. Studium in ornando corpore internam indicat deformitatem. Homil. 37 super *Gen.*

162. Quid dicis? Deum precatura pergis, et ornamenta aurea circumfers, flavosque crines, et ipsos auro compositos : an vero saltatura ad ecclesiam pergis? *Prosec.*

163. Numquid hic nuptias, et lasciviæ oblectamenta conquiris? Num ut tui spectaculum præbeas, advenisti? num tibi nunc extruendus est thalamus?

164. Illic nempe monilia, illic ornamenta aurea, illic ornatus crinium, illic pretiosa vestis locum aliquando fortassis habet : at vero nunc nullo tibi hujusmodi ornatu atque apparatu opus est.

165. Accessisti ut Deum pro peccatis tuis suppliciter depreceris, ut tuis in illum sceleribus veniam, cum gemitu et lacrymis petas.

166. Accessisti, ut Dominum tibi propitium facias : quid teipsam ornari, improbo atque intempestivo studio contendis?

167. Non iste supplicis est habitus, quod enim pacto ingemiscere potes, ac lacrymas fundere, atque intentissime, ut decet, orare, quæ hujusmodi ornatu compta procedis?

168. Nam etsi lacrymas fuderis, risum cernentibus hujusmodi lacrymæ movebunt : neque enim auro amicta debet incedere, quæ lacrymas pro peccatis profundere intendit.

169. Sobriæ atque ornatæ mulieri nihil ejusmodi congruit quam verecundia et pudicitia. Homil. 18, super I *Tim.*

170. Quanto curiositati ornatus plus vacas, tanto abominabilior facta es : Deum quidem a te avertis, amatores autem tuos allicis, tantoque magis fœda ac turpis Deo appares. In serm. *Quod regulares mulieres viris non cohabitent.*

171. Caro pretiosis ac deauratis indumentis cooperta, monilibus ornata, sertisque præclaris composita, quid aliud est quam caro fœtida, corruptibilis? *De Humilitate*, cap. 14. S. LAUR. JUST.

172. Exterior ornatus non reddit hominem gratum Deo, sed interior, qui in virtutum consummatione consistit. *De Regim. prælat.*, cap. 19.

173. Tota se ornare industria, pretiosis induere vestibus, fulgentibus margaritis ac gemmis componere, unguentis et aromatibus delinire, fucatis coloribus facies deturpare, scelus est nefandissimum, temeritas maxima, detestanda præsumptio, et delictum pene inexpiabile. Quasi qui universa creavit, nescierit putrescenti humano corpusculo, et vilissimo stercori, congruentem tribuere formam. *De Humilit.*, cap. 11.

S. PAULIN. 174. Ornet mulieres Christi gratia, non capilli : castitatis gemma, non lapides : et operum in his bonorum, non odorum fragret unguentum. Epist. 4, *ad Sever*.

PET. DAM. 175. Quid prodest quemlibet hodie auro, gemmis et purpura contegi, si cras contingit eum nudum et reum, omnique solatio destitutum ad inferni supplicia pertrahi? Lib. 7, epist. 15.

176. Quæ sit mens, ex veste colligitur : et juxta exteriorem cultum, quæ sit intentionis species judicatur. Opusc. 12, cap. 15.

177. Monachus, qui nitorem pretiosæ vestis affectat, non superni Regis, sed mundi hujus militiam bajulat. *Ibid.*

178. Vestis fluxa et delicata, Deum iratum reddit: vilis et abjecta, Judicem placat. *Ibid.*, cap. 16.

179. Non levis languor est animæ, de superstitioso corporalis amictus nitore gaudere. *Prosec.*

180. Gratiam siquidem sancti Spiritus, in qua delectetur, exclusit, qui se per exterioris ornatus desiderium spargit : cujus si sentiret in mente dulcedinem, nequaquam corporei cultus supervacuam concupisceret vanitatem.

181. Illius ergo vestis concupisce nitorem, qua coram oculis Dei perpetuo polleas : non qua fallacis ac frivolæ hujus vitæ momenta transcurras. Opusc. 29, cap. 3.

182. Gloriosius deputa veste alba cum Christo humiliter contegi, quam cum superbo et purpurato milite, flammis ultricibus irrecuperabiliter sepeliri. *Ibid.*

TERTULLIA. 183. Quid tam ornandi capitis onerositas salutem subministrat? quid crinibus vestris quiescere non licet, modo substrictis, modo relaxatis, modo suscitatis, modo elisis? Si te non pudet enormitatis, pudeat inquinamenti : ne exuvias alieni capitis forsitan immundi forsan nocentis et gehennæ destinati, sancto et Christiano capiti substituas. *De Cultu fœminar.*, cap. 7.

S. THOMAS AQUINAS. 184. Quanquam mulierum ornatus ad placendum viris suis, peccatum non sit, ad concupiscentiam tamen et vanitatem relatus, culpa non vacat. 2, 2, quæst. 169, art. 2.

THOMAS A KEMPIS. 185. Malus etsi ornetur foris, niger tamen est intus. In *Hortulo rosar.*, cap. 9, sent. 3.

186. Habitus exterior sine interiore virtute, vas est foris ornatum, sed intus vacuum. In *Valle lilior.*, cap. 1, sect. 2.

S. THOMAS VILLA NOV. 187. Væ miseris mulierculis, quæ in hoc fœno poliendo, adornando, decorando, totam vitam expendunt : vestes pretiosas, et jocalia, et murænulas, et alia puerilia, et vana curiosius perquirunt. *Prosec.*

188. Factæ velut laquei dæmonis ad capiendos stultos passeres, et veluti araneæ tela ad capiendas muscas. Serm. *Dom.* 3, *Advent.*

189. Si removeas ornamentorum cultum, nullum patieris in corporis contaminatione naufragium. Homil. 20, *de Avarit.* S. VALER. EPISC.

190. Ancilla Christi falsum idolum respuis, et in te colis, cujus ornatum, cujus imaginem non deponis. *Prosec.* S. ZENO EPISCOPUS ET MART.

191. Ad Ecclesiam Dei opere vario totum inaurata corpus, execrabili metallo procedis onusta : ipso cultus rigore in oratione non flecteris, non manus tendis, tumidum monilibus pectus prosternere dedignaris.

192. Quid a Deo impetrare te posse credis sic ornata, quæ eum per id per quod irascitur deprecaris? Aperi tandem oculos cordis, invenies te insultare potius, quam rogare. Serm. 2, *de Avarit.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

193. Longe pulchrius est ac regale magis, animo esse bene constituto, quam habitum corporis vestibus ornatum pulchris intueri. *De Rhetor. ad Alexand.* ARISTOTEL.

194. Adhibenda est munditia in ornatu, non odiosa, neque exquisita nimis, tantumque effugiat agrestem, et inhumanam negligentiam. Lib. 1 *Offic.* CICERO.

195. In vestitu mediocritas optima est. *Ibid.*

196. Mulieres in ornatu spem collocant omnem : quare opere pretium est, dare operam ut sentiant sibi non ob aliud honorem haberi, nisi quod et modestas se præbeant, et verecundas cum temperantia. In suo *Enchirid.*, cap. 62. EPICTETUS.

197. Verus philosophus, quæ ad corporis cultum spectant, contemnit. Sizygia 1, in *Dialogo Phædonis.* PLATO.

198. Scito hominem tam bene culmo, quam auro tegi. Epist. 8. SENECA.

199. Contemne omnia, quæ supervacuus labor, velut ornamentum ac decus ponit. *Ibid.*

200. Fideli mulieri ornatui ducatur pudicitia. Sent. 226. SIXTUS PHILOSOPH.

Vide etiam tit. *Avaritia*, sent. 142; *Aurum*, sentent. 39; *Episcopus*, sent. 50; *Facies*, fere per totum; *Fucus*, per totum; *Gemma*, sent. 23; *Gloria vana*, sent. 48; *Jejunium*, sent. 66; *Laqueus*, sent. 39; *Lascivia*, sent. 12; *Mensa*, sent. 24; *Meretricium*, sent. 22; *Modestia*, sent. 35; *Monialis*, sent. 38, 76; *Novitas mundana*, sent. 12; *Oratio*, sent. 8, 9, 10; *Placere*, sent. 76; *Pulchritudo*, sent. 108, 109; *Relinquere*, sent. 84; *Sacerdos*, sent. 18; *Sequi*, sent. 62; *Superfluitas*, sent. 31; *Suspicio*, sent. 35; *Templum*, sent. 30, 31; *Virginitas*, sent. 68, 69.

OSCULUM.

COLLECTOR. *Definitio.* Osculum est actus suo genere honestus, factus amicitiæ, urbanitatis, reconciliationis, conciciliandi amoris ac delectationis honestæ et castæ ergo : servatis circunstantiis loci, temporis, personarum.

S. BERNARD. Tria sunt oscula : reconciliatorium, muneratorium, contemplatorium : primum ad pedes, secundum ad manus, tertium ad os mentis. Serm. 54, *de Parvis sermon.*

HUGO A S. VICTORE. *Divisio.* Est osculum lasciviæ, osculum proditionis, osculum sanctitatis et concordiæ. *De Quæst. super Epist. II ad Cor.*, quæst. 146.

HUGO CARD. Est triplex osculum : osculum adulationis, osculum proditionis, osculum reconciliationis. Super II *Regum*, cap. 15.

Est osculum bonum, et malum unionis naturarum, pœnitentiæ, reconciliationis, congratulationis, fœderis, gratiæ, obedientiæ, gloriæ : meretricis, fraudis, superbiæ, avaritiæ. Super *Psalm.* LXXXIV.

Differentia. Est suavium, basium, osculum : suavium, impudicarum mulierum est; basium, conjugatorum; osculum, amicorum. Super *Cant.*, cap. 1, in illud : *Osculetur me.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Non osculatur semper pater filium, sed et aliquando castigat. Serm. 84.

2. *Juda, osculo Filium hominis tradis*? Hoc est, venenum infundis osculo, quo gratia charitatis infunditur : osculo, quod sacræ pacis insigne est : osculo, quo amicitia fida firmatur : osculo, quo fides sancta signatur? *Prosec.*

3. Hoc ergo osculo tradis periculo, quem propter osculi commercium, venerari deberes. Super *Psalm.* XXXIX.

S. ANTONIUS DE PADUA. 4. O quot hodie Judæ, qui osculo adulationis proximum tradunt, et sic ultimo laqueo se suspendunt æternæ damnationis ! Serm. *in die Parasceves.*

S. AUGUST. 5. Osculum spiritale proprie amicorum est, qui sub una lege amicitiæ tenentur : non enim fit oris attactu, sed mentis affectu, non conjunctione labiorum, sed commixtione spirituum. *De Amicitia*, cap. 6.

6. O anima, prius attende quæ sis, ne audeas ire fœda in pulchri oscula. Super *Psalm.* CIII, conc. 1, vers. 2.

7. Habent oscula columbæ, habent oscula et corvi : sed in corvis falsa pax, in columba vera pax. *Prosec.*

8. Discernuntur oscula corvorum ab osculis columbarum. Osculantur corvi, sed laniant : a laniatu innocens est natura columbarum; ubi vero laniatur, non est vera in osculis pax. Tract. 6, in *Evang. Joan.*, cap. 1.

9. O Juda, osculo sanguinem fundis, pro pignore amoris vulnus infligis, pacis argumento mortem immittis, servus Dominum tradis, discipulus magistrum prodis! Serm 1, *Fer.* 2, *post Dom. Palmar.*

10. O signum sacrilegum! o placitum fugiendum, ubi ab osculo incipitur bellum, et per pacis indicium pacis rumpitur sacramentum! Serm. 2, *Feriæ* 3, *post Dominicam Palmarum.*

11. Qui ficte inimicum osculatur, Judæ proditoris similem esse quis dubitare poterit? Serm 28, *ad Fratr. in eremo.*

S. BASILI MAGNUS 12. Formosorum oscula cavere oportet, non secus quam animalium venenatorum morsus. *Prosec.*

13. Diffunditur enim venenum ex osculo per omne corpus, et ad interitum perducit. *De Virginit.*

S. BERNAR 14. Felicia prorsus oscula labiis impressa lactentis, cui virgineo mater applaudebat in gremio. Serm. 1 *Assumpt. B. M.*

15. Felix osculum, ac stupenda dignatione mirabile, in quo non os ori imprimitur, sed Deus homini unitur. Serm. 2, super *Cantica.*

16. Scientia quæ osculo datur, cum amore recipitur; quia amoris indicium osculum est. *Ibid.* serm. 8.

17. Tantæ efficaciæ osculum sanctum est, ut ex ipso mox cum acceperit illud anima concipiat, tumescentibus nimirum uberibus, et lacte quasi pinguescentibus in testimonium. *Ibid.*, serm. 9.

18. Læta in prole mater, sed in amplexibus lætior : chara pignora filiorum, sed oscula plus delectant. *Ibid.*, serm. 85.

S. BONA 19. Osculi susceptio ex parte Christi, fuit benignitatis : sed ex parte Judæ, fuit miræ dolositatis. Super *Luc.*, cap. 22, in illud : *Juda, osculo Filium hominis tradis*?

20. Osculum diaboli est falsa securitas peccatoris : libentius deberes a Christo castigari, quam a diabolo osculari. Serm. 2, *Dom.* 3, *post Pascha.*

21. Osculum divinum, non conjunctio est labiorum, quæ interdum pacem mentitur, animorum, sed plane infusio gaudiorum, et revelatio secretorum. *De septem donis Spiritus sancti in specie*, de Dono intellectus, cap. 6.

22. Fugiant omnino fœminea oscula milites Christi, cum osculum etiam viris offerri non deceat; nisi forte ubi de proprio patre, vel aliis honestis personis, moris exactu, sine scandalo vitari non potest. *Prosec.*

23. Religionis personam, religionis honestas os indifferenter osculis communicare non patitur.

24. Nunquam mulierem quantumcunque sibi affinitate conjuncta sit, sive sororem, sive neptem,

quantumcunque pueriles; sed nec facile matrem propriam osculentur. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 30.

CLEMENS ALEX. 25. Dilectio non in osculo censetur, sed in benevolentia. Lib. 3, *Pædag.*

26. Osculum sanctum ore modesto et clauso benevolentiam animi ostendit, per quod maxime se exerit mansuetudo morum. *Ibid.*

27. Osculum seculare est incestum veneno plenum, sanctitatem simulans. *Ibid.*

28. Oscula impudicitiæ sæpe virus immittunt, et sic manifestum est osculum non esse dilectionem. *Ibid.*

S. CYRILLUS ALEXANDR. 29. Osculum manifestus est amicitiæ typus, sicut et amplexus unitatis. Lib. 6, *Glaphyr. in Genesin*, cap. 4, *de Joseph.*

DIONYSIUS CARTHUS. 30. Oscula, amplexus, et attactus, quæ effectus sensualis et inordinatæ affectionis sunt, non carent periculis. Super *Hymn. tempore feriali ad Sextam.*

S. EUSEBIUS EMISS. 31. Cavenda sunt impura oscula : impudici enim contactus osculi, quid aliud est quam morsus diaboli, et arrha peccati? *Prosec.*

32. Si quidem Tullius magister gentilis ita condemnavit hoc vitium, dicens : osculum pars adulterii est : per hoc enim crimini ostium, et mortis initium fit.

33. Etiamsi nondum in opere consummetur iniquitas, perfecta est jam in corde per osculum captivitas. Homil. *de Initio quadrages.*

S. GREGOR. NYSSENUS. 34. Osculum Christi purgamentum est cujusvis sordis. Homil. 1, super *Cantica.*

S. HIERON. 35. Labia viri venena præbent mulieri. In *Regula monachar.*, cap. 20.

36. Osculum pacis et amoris signum est. Lib. 2, super *Prov.*, cap. 24, super illud : *Labia deosculabitur.*

HUGO A S. VICTORE. 37. Proditor osculo pacem promittit, sed decipit. Lib. 2, *de Claustro animæ*, cap. 16.

38. Appropinquo ad osculum pacis, qui prius reconciliatus accedere debuissem ad osculum fratris. *Ibid.*, cap. 23.

39. Osculum duo corpora conjungit, delectat, certificat, signum pacis est, pignus amoris, arrha sponsaliorum. Lib. 4 *de Propriet. rerum*, cap. 13.

HUGO CARD. 40. Sicut Judas osculo Christum tradidit, sic et mundus quos osculatur tradet. Super *Genes.*, cap. 31.

41. Quemcunque mundus osculatur osculo collatæ dignitatis, vel cujuscunque prosperitatis, tradit in mortem. Super *Prov.*, cap. 31.

S. JOANNES CHRYSOST. 42. O signum sacrilegum! o conventus nefarius! o placitum puniendum, ubi ab osculo incipitur bellum, et per pacis indicium, pacis rumpitur sacramentum! Serm 1 *in Fer.* 5 *Passion.*

43. Per quod consueverunt gentes bella finire, per hoc traditor Judas bellum voluit inchoare. *Ibid.*

44. Sanctum osculum teneamus, quod animas sociat, reconciliat mentes, et unum corpus ostendit. Homil. *de Prodit. Judæ.*

45. Osculum sanctum est, quod dolo caret ac simulatione. Homil. 44, super I *Cor.*

46. Osculum unit homines, et quasi in unum redigit corpus. *Ibid.*

47. Propter hoc osculum datur, ut charitatis fiat symbolum, ut accendat affectionem, ut invicem diligantur homines, tanquam fratres fratres, tanquam filii patres, tanquam patres filios, immo et multo magis. Homil. 30 super II *Cor.*

48. Impossibile est non vulnerari mentem, dum osculo lasciviens contingis mulierem. *De Inst. vitæ sacerd.*, cap. 3. JOAN. TRITH.

49. Differt ab amore osculum : nam ille est animarum conjunctarum per mutuam benevolentiam, hoc autem nudam salutationem superficie tenus in occursu fortuito indicat. Lib. de eo, *Quis rerum divinar. hæres sit.* PHILO JUD.

50. Osculum sæpe fucatum specimen amicitiæ est. *Ibid.*

51. Oscula, quanquam secundum speciem non sint mortalia peccata, ut tamen libidinosa sunt inter mortalia numerantur. 2, 2, quæst. 154, art. 4. S. THOMAS AQUINAS.

52. Duplices osculum in ore gerunt, et retro pungere quærunt : sicut Judas fecit, nam per osculum fecit capi Christum. *De Modo confitendi de mendacio.*

Vide etiam tit. *Judas*, fere per totum ; *Meretricium*, sent. 70 ; *Mulier*, sent. 59; *Proditio*, sent. 16.

OTIOSITAS.

Definitio. Otiositas est cessatio ab his quæ nos ex officio attinet facere. S. BASILIUS MAGNUS.

Otiosum est quod nullam habet utilitatem, vel utilitatis intentionem. *De Vita solit.* S.BERNARD.

Productio. Otiositas est sentina omnium vitiorum. Epist. *ad Ministros provinciales et custodes.* S. BONAV.

Otiositas non est diu sola, sed parit alia vitia. Super I, *ad Thessal.*, cap. 5, art. 5. DIONYSIUS CARTHUS.

Verbositas et curiositas ex otiositate nascuntur. *Ibid.*

Otium stultitiam, labor scientiam generat. Lib. 2 *de Claustro animæ*, cap. 14. HUGO A S. VICTORE.

Otium sceleris origo est. Lib. 1 *Parall.*, cap. 89. S. JOANNES DAMASC.

Omnis mali et vitii auctor et initium, est otium. Super I *ad Timoth.*, cap. 5. THEOPHILACTUS.

Otium est vitiorum carnalium incentivum. Opusc. *de Perfect. vitæ spirit.*, cap. 9. S. THOMAS AQUINAS.

Comparatio. Assimilatur otiositas stagno : quia sicut stagnum abundantiam nutrit piscium, sic otiositas multitudinem cogitationum. Lib. 1, *de Nuptiis*, cap. 3. HUGO A S. VICTORE.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIN. 1. Otiositas est filia acediæ, et valde reprehensibilis, præcipue in tempore gratiæ. Part. 2, tit. 9 *de Acedia*, cap. 14.

2. Otiositas et voluptas sunt arma hostis antiqui ad miseras animas captivandas. *Ibid.*, cap. 14, § 1.

S. ANTONIUS DE PADUA. 3. Gravius libido urit, quem invenit otiosum. Serm 2, *Dom.* 3, *post Pascha.*

S. ATHANAS. MAGN. 4. Valde dæmones oblectantur crapula, et otio corporis. *De Virginit.*

S. AUGUST. 5. Nemo invideat otio meo, quia meum otium magnum habet negotium. Epist. 110, *ad Eradium*.

6. Utinam isti, qui vacare volunt manibus, vacarent et linguis. *De Opere monachor.*, cap. 22.

7. Non sic quisque debet esse otiosus, ut in eodem otio utilitatem non cogitet proximi, nec sic actuosus, ut contemplationem non requirat Dei. *Prosec.*

8. In otio non iners vacatio delectare debet, sed aut inquisitio, aut inventio veritatis, ut in ea quisque proficiat, et quod invenerit, teneat, et alteri non invideat. Lib. 19 *de Civit. Dei*, cap. 19.

9. Otium sanctum quærit charitas veritatis, negotium justum suscipit necessitas charitatis. *Ibid.*

10. Otium meum non impenditur nutriendæ desidiæ, sed percipiendæ sapientiæ. Tract. 57 super *Evang. Joan.*, cap. XIII.

11. Nihil Dei servis otiositate pejus. Serm. 1 *ad Fratr. in eremo.*

12. Fuge otium, et semper aliquid facere memento : fuge otium, quia mors est. *Ibid.*, serm. 17.

13. Quamdiu David exercitavit se in militia, non insultavit sibi luxuria : sed postquam in domo otiosus remansit, laboravit adulterio, et homicidium commisit. *Prosec.*

14. Samson dum cum Philistæis pugnavit, non potuit capi ab hostibus; sed postquam dormivit in sinu fœminæ, et otiose cum ea remansit, mox capitur et cæcatur ab hostibus.

15. Salomon, dum occupatus esset in ædificatione templi, non sensit luxuriam; sed mox recedens ab opere persensit insultum luxuriæ, et deficiens fœmina instigante ad idola, adoravit in thalamo vitulum aureum.

16. Vigilate ergo, fratres mei, vigilate, et nolite in otio deficere, quia nec sanctiores David, nec fortiores Samsone, nec sapientiores Salomone vos esse cognosco. *Ibid.*

17. Audivit semel Antonius : Antoni, cupis Deo placere? Semper aliquid facito : ora, et dum orare non poteris, manibus labora. Serm. 17 *ad Fratr. in eremo.*

18. Quid otium est, nisi vivi hominis sepultura? *Ibid.*

19. Hæc est illa otiositas pessima, quæ frequenter Sanctorum conventus destruit, pariens in eis luxuriam, nutriens in eis gulam, seminans in eis zizaniam, et generans omnia quæ sunt opera carnis. *Ibid.*

20. Tu qui in otia ac desidia vivis, scias quod otium mala faciendi principium est. Homil. 7 in *Hexam.* S. BASILIUS MAGNUS.

21. Otium sine timore Dei, pravitatis doctor est, his qui tempore uti non sciunt. *Ibid.*, homil. 8.

22. Omnino errat, qui per pacem et otium se assequi triumphum putat. In suis *Proverb.*, verbo *Omnino.* V. BEDA.

23. Variam dant otia mentem. *Ibid.*, verbo *Variam.*

24. Otiositas inimica est animæ. In *Regula*, cap. 48. S. BENED.

25. Cavendum est in otio otium; fugienda est otiositas, mater nugarum, noverca virtutum. Lib. 2 *de Consid. ad Eugen. Pap.* S. BERNARD.

26. Omnium tentationum et cogitationum malarum et inutilium sentina, otium est. *De Vita solit.*

27. Summa mentis malitia est otium iners. *Ibid.*

28. Pro vitando otio otiosa sectari ridiculum est. *Ibid.*

29. Luxuria gravius urit, quem otiosum invenit. Serm. 51, *ad Sororem.*

30. Ex consuetudine otii, homo mollis et piger efficitur, ut nihil velit pati, vel facere, nisi quod libet. Lib. 2 *de Profectu relig.*, cap. 14. S. BONAV.

31. Nunquam in te des otio locum, sed indesinenter fructuose te occupa. In *Exhort. ad novit.*, art. 2. DIONYSIUS CARTHUS.

32. Non debet miles Christi otiosus esse, hoste intra patriam manente. Super *Judith*, cap. XV. GLOSS. INT.

33. In desideriis est omnis otiosus. Super *Prov.*, cap. XXIV. GLOSS. ORD.

34. Dum lassum se quisque in otio remittit, dissolutam mentem corruptori prostituit. Lib. 2 *Moral.*, cap. 27. S. GREGOR. MAGNUS.

35. Nonnulli hominum ita otiosæ mentis sunt, ut si eos labor occupationis excipiat, in ipsa operis inchoatione succumbant. *Ibid.*, lib. 6, cap. 17, num. 26.

36. Otium est quædam ingenii rubigo. Epist. 49, *ad Innocent.* S. HIERON.

37. Non tibi sufficit a malis otiosum esse, si otiosa fueris a bonis. Epist. 1 *ad Demetriad.*

38. Omnis concupiscentiæ et immunditiæ, atque peccati mater est otiositas. In *Regula monachar.*, cap. 12.

39. Otiositas inimica est animæ, et facile ad vitia rapit. Super *Regul. D. Aug.*, cap. 9. HUGO A S. VICTORE.

40. Labore caro affligitur, otio nutritur. Lib. 2 *de Claustro animæ*, cap. 14.

41. Juvenis in otio, quasi juvencus sine jugo. *Ibid.*

42. Antiquus hostis, mox ut otiosam mentem invenerit, ad eam sub quibusdam occasionibus locuturus venit, et quædam ei de gestis præteritis ad memoriam reducit. Lib. 4 *de Anim.*, cap. 17.

HUGO CARD. 43. Diabolus illum qui recedit ab eo, fortius persequitur, omni peccatorum genere tentans, nunc de isto, nunc de illo : et si forte inveniat otiosum, cito subvertit eum. Super *Genes.*, cap. XXXI.

44. Humanam mentem otium contundit, et denigrat, et rubiginat, et consumit. Super *Ecclesiasten*, cap. X.

45. Otiositas multorum malorum fuit occasio : diabolus enim animam otiosam facile inclinat ad vanitatem cogitationum, de vanitate cogitationum ad voluptatem affectionum, et tandem ad consensum et operationem. Super *Ecclesiastic.* cap. XXXIII.

46. Otiositas nunquam sola est, sed eam multa mala comitantur. Super I *Timoth.* 5.

47. Otium corpori nocet, et animæ. Super *Epist. ad Hebr.*, cap. 6.

S. IGNATIUS MART. 48. Nemo inter vos otiosus sit, mater enim est egestatis inertia. Epist. 7, *ad Tarsenses.*

S. INNOC. III 49. Nihil magis est amicum voluptati, quam otium. Serm. *de Uno confess.*

JOAN. CASS. 50. Mens otiosi nihil aliud cogitare novit, quam de escis et ventre. Lib. 10 *Cœnob. inst.*, cap. 6.

S. JOANNES CHRYSOST. 51. Omnium vitiorum quasi magistra quædam, atque origo est otiositas. Homil. 36 super *Matth. Oper. imperf.*

52. Otiosus est, qui opus Dei non operatur ; si alienas res tollis, non es otiosus, sed mortuus : si autem aliena non tollis, et tamen de tuis rebus pauperibus non das, tunc otiosus es. Homil. 34 super *Matth. Oper. imperf.*

53. Quid injucundius homine otioso? quid ærumnosius? quid miserius? nonne hoc plurimis vinculis deterius? nihil vacatione molestius, nihil otio perniciosius. Homil. 35 super *Acta Apost.*

54. Sicut otium mala res est, ita et operatio quæ non congruit : igitur fugiendum est et opus otio deterius. *Ibid.*

55. Otium malitiæ causa est et radix : omnem quippe malitiam docuit otium. Serm. 16 super *Epist. ad Ephes.*

56. Sicut ex opere nascitur opus, ita ex otio trahitur otium. Serm. 8 super *Epist. ad Phil.*

57. Omnem malitiam docuit otiositas. Homil. 15 super I *Tim.*

58. Sicut otium corpus lædit, sic et animam otium a bonis remissiorem reddit et infirmam. Homil. 10 super *Epist. ad Hebr.*

59. Nihil periculosius otio, quoniam et carnem excitat in libidinem, et mentis omnem enervat virtutem, extinguitque spiritus fervorem. Lib. 1, homil. 7, *ad Monachos.* JOAN. TRITH.

60. Omnium fomes et nutrimentum malorum est otium.

61. Ubicunque fueris, semper otium, ut perniciosissimam animæ pestem fugito. *Ibid.*

62. Si otii tempus non haberet mens inquieta mortalium, non pateret tam facilis aditus sordibus vitiorum. *De Laud. Scriptor.*, cap. 2.

63. Otio etiam deditos cito luxuria subripit, vacantemque cito præoccupat. *Prosec.* S. ISID. HISP.

64. Gravius libido urit, quem otiosum invenerit : quapropter præcave otium, non deligas otium, non ducas vitam in otio. Lib. 2 *de Synon.*, cap. 4.

65. Nihil in sancto proposito otio deterius, quod non solummodo non acquirit nova, sed etiam acquisita consumit. *De Ligno vitæ, de Timore*, cap. 2. S. LAURENT. JUSTIN.

66. Otiosi mens nihil aliud cogitare novit, quam de escis aut de ventre : et qui otiosa quiete perfruitur, nisi spiritualiter vixerit, more pecudum vitam ducit. *De Ligno vitæ*, tract. 11, *de Sobriet.*, cap. 4.

67. Effœminari otio et torpere pigritia, nihil aliud est quam suffocare virtutem, nutrire superbiam, viamque construere ad gehennam. Epist. 9, *ad Quemdam.* PETR. BLES.

68. Qui ab otio alienus est, nec ulla ratione vacuus esse, atque a negotiis feriari potest. Epist. 57, *adversus Andronic.* S. SYNESUS EPISC.

69. Otiosorum præcipue sunt nugæ, futilisque loquacitas, et inutilis curiositas. Super II *ad Thessal.*, cap. III. S. THEODOR.

70. Otium introducit nequitiam. Super I *ad Timoth.*, cap. V.

71. Otium est vitiorum carnalium incentivum. *De perfect. vitæ spirit.*, cap. 9. S. THOMAS AQUINAS.

72. Otium et deliciæ prædones sunt castitatis. Serm. 5 *ad Fratr.*, divis. 4, part. 2. THOMAS A KEMPIS.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

73. Nihil agere, semper infelici est optimum. In suis *Sentent.*, sent. 242. MIMUS PUB.

74. Nihil est curiosius otiosis. Lib. 9, epist. 32, *ad Titianum.* PLINIUS II.

75. Otio prodimur. In *Panegyr. de Trajano augusto.*

76. Gloriari otio, iners ambitio est. Epist 68. SENECA.

77. Cito inerti otio vita torpescit. Epist. 81.

78. Honestior est, quem senectus ad otium retulit, quam quem in otio invenit ; et tunc incipiat laborare. *De Moribus.*

79. Otium quod industriæ et odio maxime con- VALERIUS

MAXIM. trarium videtur, vitari debet. Lib. 8 *Dictor. memorabil.*, cap. 8.

Vide etiam tit. *Cogitatio*, sent. 4; *Contemplatio*, sent. 228; *Curiositas*, sent. 38; *Dormire*, sent. 38; *Exercitium*, sent. 9, 10; *Labor*, sent. 90; *Luxuria*, sent. 98; *Militia*, sent. 79; *Negotium*, sent. 71; *Profectus*, sent. 89; *Pusillanimitas*, sent. 20; *Religiosus*, sent. 97; *Requies*, sent. 77; *Tempus*, sent. 94.

PÆDAGOGIA.

CLEM. ALEX. *Etymologia*. Pædagogia græce παίδων ἀγωγή, hoc est, puerorum educatio. Lib. 1 *Pædagogi*, cap. 5.

HUGO CARD. Pædagogus a pede et duco, vel παῖδος puer, ἀγωγὸς ductio. Super I *ad Cor.*, cap. 4.

CLEMENS ALEX. *Divisio*. Pædagogia multis modis appellatur : 1. est pædagogia ejus, qui ducitur et discit; 2. est pædagogia ejus, qui ducit et docet; 3. est pædagogia, ipsa deductio et institutio; 4. est pædagogia, ea quæ docentur, ut præcepta. Lib. 1, *Pædagogi*, cap. 7.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Lex hominem terrendo ad Christum diligendum pædagogi perducit officio. *De Perfect. just.*, cap. 5.

CLEMENS ALEX. 2. Pædagogus humanis præceptis, tanquam lenibus medicamentis, ad perfectam veritatis cognitionem eos, qui laborant, deducit. Lib. 1, *Pædag.*, cap. 1.

3. Quemadmodum quorum corpus ægrotat, iis medico opus est; ita quorum æger est animus, ii pædagogo indigent. *Ibid.*

GLOSS. ORD. 4. Sicut cum pædagogo traditur puer, si minus dignis imbutus appareat disciplinis, culpa ad pædagogum refertur ita nec puer a patre, ut pædagogus arguitur, nisi durus et lascivus et protervus pædagogi salutaria monita spreverit. Super *Num.*, cap. XXV.

HESYCHIUS. 5. Optimus corporis et animæ pædagogus est, indelebilis memoria mortis. Centur. 1, sent. 94.

S. HIERON. 6. Optimum te convenit habere pædagogum, qui te moneat, qui asperitate frontis te terreat. Epist. 47, *de Vitando suspecto contubernio*.

7. Pædagogus parvulis assignatur, ut lasciviens refrænetur ætas, et prona in vitia corda teneantur, dum tenera in studiis eruditur infantia, et ad majores philosophiæ, ac regendæ reipublicæ disciplinas, metu pœnæ coercita præparatur. *Prosec.*

8. Non tamen pædagogus, magister et pater est : nec hæreditatem et scientiam pædagogi is qui eruditur expectat, sed alienum custodit filium pædagogus, ab eo postquam ille ad legitimum capiendæ hæreditatis tempus advenerit recessurus. Lib. 2, super *Epist. ad Galat.*, cap. III, in illud : *Lex Pædagogus noster*.

9. Perfectæ ætatis discipuli non indigent pædagogo. Super *Epist. ad Galatas*, cap. III.

10. Pædagogus pueris tantum constituitur, ducit ad scholas puerum, docet, exercet, custodit, accusat cum peccat. HUGO CARD.

11. Adolescentum pædagogus, crux est. Homil. *de Cruce Dom.* S. JOANNES CHRYSOST.

12. Pædagogus non adversatus præceptori, sed adjuvat, arcens adolescentem ab omni vitio, reddens illum idoneum omni studio percipiendis quæ tradit præceptor. Super *Epist. ad Galat.*, cap. III.

13. Cum pædagogo traditur puer, si forte minus dignis, nec secundum paternam nobilitatem imbutus appareat disciplinis, continuo culpa ad pædagogum refertur : nec ita puer a patre, ut pædagogus arguitur, nisi durior fuerit, et pædagogi monita spreverit. Homil. 20, in cap. XXV, *Numer.* ORIGEN.

14. Necessarium est opus pædagogi donec parvulus est is qui sub pædagogo est, non est autem necessarium officium pædagogi, cum ad perfectionem venerit is qui sub pædagogo fuit. Lib. 3, in cap. III, *epist. ad Rom.*

15. Enormiter peccat, seque vitæ alienæ reum constituit, qui pueros in ætate tenera, nimia familiaritate et suavitate verbis emollit. Epist. 51, *ad Joan. episc. Salisberiens.* PETR. BLES.

16. Deterrimus quisque puer odit præceptores et pædagogos. *De Sacrific. Abel.* PHILO JUD.

17. Pueris arcta adhibetur custodia, dum sub pædagogis educantur. *Contra retrahentes ab ingressu relig.*, cap. 7. S. THOMAS AQUINAS.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

18. Unicuique nostrum videtur pœdagogum dari Deum. Epist. 110. SENECA.

19. Turpe est neminem esse in comitatu puerorum, cujus sana facies medicamentum desideret. Epist. 123.

20. Imbecillioribus ingeniis necessarium est aliquem præire : ut dicat, Hoc vitabis, hoc facies. Epist. 94.

PALATIUM.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Quid quærimus? cujus rei militamus? majorne esse poterit spes nostra in palatio, quam ut amici imperatoris simus? Et ibi quid non fragile, plenumque periculis? et per quot pericula pervenitur ad grandius periculum? et quandiu istud erit? Lib. 8, *Confess.*, cap. 6. S. AUGUST.

2. Quotidie perstrepunt in palatio leges, sed Justiniani, non Domini : hæ autem non tam leges, quam lites sunt et cavillationes, subvertentes judicium. Lib. 1, *de Consid.* S. BERNARD.

3. Rigida vita debet declinare mollium palatia, GLOSS. ORD.

quæ frequentant mollibus indutis adulantes. Super *Matth.*, cap. XI, in illud : *Ecce qui mollibus vestiuntur.*

S. HIERON. 4. Rigidam vitam et austeram vitare debere aulas regum, et mollium hominum palatia declinare certum est. Lib. 2, in *Matth.*, cap. XI, can. 5, num. 102, super illud : *Ecce qui mollibus.*

HUGO CARD. 5. Melius est religiosis tabernaculum habere, quam palatium. Super *Josue*, cap. XVIII.

6. Majus est saturari in palatio, quam in palatio gaudere. Super *Matth.*, cap. V.

PETR. BLES. 7. Frequenter in palatiis conversantur, qui mollibus et delicatis auribus principum, etiam in turpibus blando lenocinantur applausu, ponentes cervicalia sub capite, et pulvinaria sub omni cubito manus. *Prosec.*

8. Vix invenitur in curiis, qui non vendat oleum, qui caput peccatoris oleo non impinguet. Epist. 112, *ad Aurelianens. episc.*

S. THOMAS AQUINAS. 9. Frequentare palatia regum propter delicias, vel gloriam, vel cupiditatem, non competit religiosis : sed ea adire propter pias causas eis competit. 2, 2, quæst. 187, art. 2.

PANIS.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Posset panem angelorum manducare homo, nondum angelis adæquatus, si panis ipse angelorum hominibus dignaretur adæquari. Lib. 3, *de Lib. arb.*, cap. 10.

2. Palato non sano, pœna est panis. Lib. 7, *Conf.*, cap. 16.

3. Panis hominem alit, accipitrem necat. *De Morib. Manich.*, cap. 8.

4. Utilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus justitiam negligat, quam esurienti panis frangitur, ut injustitiæ seductus acquiescat. Epist. 48.

5. Unus panis, sacramentum est unitatis. Epist. 50.

6. Per panem intelliguntur omnia ad victum pertinentia. Lib. *Locutionum de Genesi.*

7. Vigilanti administratione curanda sunt opera, ut nec ipsi monachi panem suum, quoniam jam communis factus est, gratis manducent. *De Opere Monachor.*, cap. 25.

8. Panis alienus invito, quamvis valentiori, auferendus non est, ut alatur infirmior. *De Mendac.*, cap. 9.

9. Difficile est nobis a carnalibus abstinere, cum panis verissimus noster spiritalis sit. *De Duabus animab.*, cap. 13.

10. Cum labore nunc edimus panem, peccato transgressionis mortales ex immortalibus facti. *Ibid.*

11. Noster panis, non quilibet, sed certa consecratione mysticus fit nobis, non nascitur. Lib. 20, *contra Faust.*, cap. 13.

12. Creatura panis ideo restrictius est utendum ne ipsa concupiscentia, quod malum intus ac nostrum est, mentem corruptibili corpore, ex abundantiore materia multo magis aggravante, adversus nos vehementius concitetur. Lib. 3, *contra Julian.*, cap. 20.

13. Mensa sponsi tui panem habet integrum, et calicem sanctum. *De Cultura agri Dom.*, cap. 6.

14. Quod est panis, non est hoc aqua; Deus tibi totum est : si esurieris, panis tibi est; si sitieris, aqua tibi est. Tract. 13, super *Joan.*

15. Panem cœlestem spiritaliter manducate : securus accede, panis est, non venenum. *Ibid.*, tract. 26.

16. Veritas panis est, mentes reficit, non deficit *Ibid.*, tract. 41.

17. Apostoli manducabant panem Dominum, Judas panem Domini contra Dominum : illi vitam, ille pœnam. *Ibid.*, tract. 59.

18. Christus lacte te nutrit, ut pane pascat. Tract. 3 super. *Epist. Joan.*

19. Panis noster æternus Christus; panis noster quotidianus Christus in carne : æternus sine tempore, quotidianus in tempore. Homil. 14, *ex* LIII *Homil.*, cap. 1.

20. In horreis nostris habemus abundantiam, quæ flammas nostras, oblatione unius panis extinguat. *Ibid.*, homil. 39.

21. Norunt fideles quid accipiant, et bonum est eis accipere panem quotidianum huic tempori necessarium. *Ibid.*, homil. 42, cap. 4.

22. Panes quibus alimur in hac vita, tres sunt : S. BERNARD. purgatorius cum amaritudine, consolatorius cum dulcedine, solidus cum fortitudine. In suis *Sentent.*, verbo *Panes.*

23. Ubi curiosa ciborum diversitas, ibi divitis supellectilis discolor varietas oculos pariter pascit et ventrem, cœlestis panis jejunam deserit mentem. Epist. 2, *ad Fulconem.*

24. Panis animæ justitia est : et soli beati, qui esuriunt illum, quoniam ipsi saturabuntur. In *Declamat.*

25. Panis est stipendium vitæ præsentis. Lib. S. GREGOR. MAGNUS. 11, *Moral.*, super illud Job. XV : *Cum se moverit ad quærendum panem.*

26. Panis subsidium præsentis vitæ est. *Ibid.*, lib. 23, cap. 26, super illud *Job.* XXXIII : *Et laborem vestrum in saturitate.*

27. Qui indigenti etiam peccatori panem suum non quia peccator, sed quia homo est, tribuit : nimirum non peccatorem, sed justum pauperem

nutrit : quia in illo non culpam, sed naturam diligit. In *Pastoral.* part. 3, admonit. 21.

28 Panem suum in paradiso primus homo conditus habuit, quamdiu inconcusso mentis vestigio Conditoris sui præcepta servavit. *Prosec.*

29. Panis ejus fuit visionis divinæ delectatio, verbi Dei satietas, internæ quietis gaudium, lucis inaccessibilis splendor, sapientiæ refectio, angelorum societas, amor Dei, jubilum spiritus, contemplationis suavitas, collocutionis desiderium, securitas mentis, præsentia Creatoris.

30. Quem panem tunc perdidit, cum serpentis suggestioni consensit : tangens vetitum, oblitus est præceptum. *Super septem Psalm. Pœnit.* in *Psalm.* IV, vers. 3 : *Comedere panem meum.*

31. Panis alimentum corporis est, verbum mentis. Lib. 4, in I *Reg.*, cap, IV, super illud : *Ut comedas mecum.*

S. HIERON. 32. Satis dives est, qui pane non indiget. Epist. 4, *ad Rustic.*

33. Veraciter fame conficitur quisquis cœlesti pane satiari non meretur. In *Orat. Hierem.*, super illud : *Pellis nostra.*

34. Nihil ita vescentis animum roborat, quomodo panis vitæ. Lib. 1, super *Ezech.*, cap. IV.

JOAN. CASS. 35. Quotidianam panis refectionem, quotidiana comitetur esuries. Collat. 2, *Abbat. Moysis*, cap. 23.

S. PETRUS. CHRYSOL. 36. Manducat Deus in cœlo panem, quem perceperit pauper in terra. Serm. 42.

37. Nescit lassari, mori non potest, cui panis, cui vita Deus est. Serm. 166.

S. THOMAS AQUINAS. 38. Raptores non comedunt panem suum, sed alienum. Opusc. 7, super *Pater noster*, petit. 4.

PAPA.

HUGO A S. VICTORE. *Etymologia.* Dicitur Pontifex, quasi pons factus, vel pontem faciens, doctrinæ scilicet pontem, quo itur ad atria vitæ. Lib. 1 *de Sacram.*, cap. 40.

COLLECTOR. *Definitio.* Papa est Pontifex summus, caput totius Ecclesiæ in terris, primus Christi vicarius legitime electus.

HUGO A S. VICTORE. Papa dicitur, quia pater patrum : hic universalis dicitur, quia universæ præest Ecclesiæ. *Prosec.*

Hic quoque apostolicus appellatur, quia principis apostolorum vice fungitur.

Hic etiam summus Pontifex nuncupatur, quia caput est omnium episcoporum. Lib. 1 *de Sacram.*, cap. 43.

S. THOMAS AQUINAS. *Comparatio.* Sicut illa quæ pertinent ad cultum divinum excedunt temporalia : ita dignitas pontificalis excedit omnes alias dignitates. Super *Epist. ad Hebr.*, cap. V, lect. 1.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Multis virtutibus debet splendere vita Pontificis, ut gradui conferat decorem, quem ab eo non accepit. Part. 1, tit. 15, cap. 5, § 9. S. ANTONIN.

2. In summo honore, summa sit tibi humilitas : honoris laus est, humilitatis virtus. Serm. 7 *ad Fratres in eremo.* S. AUGUST.

3. Quid, si summus Pontifex sis? numquid quia summus Pontifex, ideo summus? infimum noris esse, si summum putas. Lib. 2 *de Consid. ad Eug. Pap.* S. BERNARD.

4. Cogitans te summum Pontificem, attendas pariter vilissimum cinerem non fuisse, sed esse. *Ibid.*

5. Plenitudo potestatis super universas orbis Ecclesias, singulari prærogativa apostolicæ Sedi donata est : qui igitur huic potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Epist. 131, *ad Mediolanenses.*

6. Considero gradum, et casum vereor : considero fastigium dignitatis, et intueor faciem abyssi jacentis deorsum : attendo celsitudinem honoris, et e vicino periculum reformido. Epist. 237, *ad Eugen. Pap.*

7. Nulla splendidior gemma in omni, præcipue ornatu summi Pontificis, quam humilitas : quo enim excelsior cæteris, eo humilitate apparet illustrior et seipso. Lib. 2 *de Consid. ad Eugen. Pap.*

8. Si summus sis, non ideo summus, quia summus es : infimum noris esse, si summum putas : et summum si infimum. Nisi te ad summum velim, non putare summum, aut velle putari antequam sis. *Ibid.*

9. Monstruosa res gradus summus, et animus infimus : sedes prima, et vita infima : ingens auctoritas, et nutans stabilitas. *Ibid.*

10. Summus Pontifex est princeps episcoporum, hæres apostolorum, primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus, *Ibid.*

11. In palatio Papam, domi te patrem familias exhibe. *Ibid.*, lib. 3.

12. Papa debet esse perfectissimus inter omnes. Serm. 22 in *Hexam.* S. BONAV.

13. Unus est pater patrum, qui Papa merito appellatur, tanquam unus primus et summus pater spiritualis omnium patrum, immo omnium fidelium, et hierarcha præcipuus, sponsus unicus, caput indivisum, Pontifex summus, Christi vicarius, fons et origo, regula cunctorum principatuum ecclesiasticorum. In *Breviloq.*, part. 6, cap. 12.

14. Si quis Ecclesiæ ordines considerare velit, S. BRUNO

quomodo super laicos clerici, super clericos presbyteri, super presbyteros episcopi, super episcopos archiepiscopi, super illos patriarchæ per ordinem sedeant, et Romanum Pontificem super eos sedere conspiciat. *De Laudibus Eccles.*, cap. 2, *De Arca Noe.*

S. CLEMENS PAPA. 15. Quid in præsenti sæculo, Pontifice summo clarius? Lib. 1 *Recognit.*

S. FULGENT. 16. Constat quod in Ecclesia nemo Pontifice potentior. Lib. 2 *de Verit. prædest.*

GLOSS. ORD. 17. Summus Pontifex cum suo collegio remedium adhibere debet, non solum statutis prælatorum inferiorum; sed etiam in suis, si nimis gravia videantur. Super *Acta Apostol.*, cap. xv.

18. Debet Pontifex habere maternam pietatem et patris severitatem; ut sit fortis superbis, et suavis modestis. Super *Epist. ad Tit.*

S. GREGOR. MAGNUS. 19. Quanto apostolicæ Sedi ab Ecclesiis reverentia cæteris exhibetur, tanto eam in earum decet esse tuitione sollicitam. Lib. 1 in *Registro*, indict. 9, cap. 71, epist. 71, *ad Petr. Subdiacon.*

S. GREGOR. NAZ. 20. Non magni ducere debemus, si plebem excellimus : sed pro detrimento habere, si dignitati nostræ non responderimus. In *Apologetico de sua fuga.*

S. HIERON. 21. Ecclesiæ salus in summi Sacerdotis dignitate pendet. Epist. 12, *advers. Luciferianos.*

22. Tanta debet esse scientia et eruditio Pontificis Dei, ut et egressus ejus, et motus, et universa, vocalia sint : veritatem mente concipiat, et toto eam habitu resonet et ornatu, ut quidquid agit, quidquid loquitur, sit doctrina populorum. Epist. 6. *ad Fabiolam, de Vestitu sacerdotum.*

HUGO A S. VICTORE. 23. Sedes apostolica cunctis in orbe terrarum præfertur Ecclesiis, atque supra se metropolitanum habere non potest. Lib. 2 *de Sacram.*, part. 3, cap 15.

24. Officium Papæ est missas et divina officia ordinare, canones etiam pro tempore ad utilitatem Ecclesiæ promulgare et immutare : augustum consecrare, pallia archiepiscopis, privilegia Ecclesiis dare, totam Ecclesiam vice Christi gubernare. *Prosec.*

25. Itaque Papa vicem et locum Christi tenet, episcopi apostolorum, presbyteri septuaginta duorum discipulorum, reliqui ministri diaconorum ab apostolis constitutorum. Lib. 1, *de Sacram.*

HUGO CARD. 26. In periculum animæ tuæ sit, si facis aliquem cardinalem, qui non sit dignus fieri Papa. Super *Prov.*, cap. XIII.

27. Dominus Papa nuncupat se servum servorum, quia quanto humilior est, tanto major est in conspectu Domini. Super *Luc.*, cap. IX.

28. Quanto Papa facit decretum contrarium alicui decreto quod prius fecit, non facit contra se sed magis pro se : quia in hoc ostendit suam dignitatem, qua potest mutare cursum consuetudinis. Super *Epist. ad Rom.*, cap. x.

S. INNOC. III 29. Papa est vicarius Jesu Christi, successor Petri, Christus Domini, Deus Pharaonis, inter Deum et hominem medius constitutus, citra Deum sed ultra hominem, minor Deo sed major homine, qui de omnibus judicat, et a nemine judicatur. Serm. 2 *in Consecrat. Pontific.*

JOAN. GERS. 30. Si Papa hæreticus est, in hoc minor est quolibet catholico. Cap. 4, part. 3, *de Eccles. auctoritate.*

31. Papa, qui nec impeccabilis est, neque confirmatus in gratia, subditus est legibus divinis et naturalibus, et in quibusdam ad leges humanas obligatur. *De Vita spirit. animæ*, lect. 3.

JOAN. TRITH. 32. Non omnia Deo placent, quæ per summum Pontificem in terra geruntur. *Prosec.*

33. Summum quidem Pontificem, ut vicarium Christi verum amplector, colo, veneror, cujus facta nequaquam reprehendo : sed hominem esse scio, qui ut homo, et falli potest et fallere. *De Ruina monast. ordin.*, cap. 4.

LUDOVICUS BLOSIUS. 34. Sicut Regibus subesse oportet, etiamsi mali sint : ita summo Pontifici, qui sedem Petri apostoli tenet, et supremus Christi vicarius est in terris. Epist. *ad Florentium.*

PETRUS BLESENS. 35. Illius servituti addictus est, cui servire, regnare est, se servum servorum reputans, qui tenet Ecclesiæ principatum. *Tract. de Inst. episc.*

36. Qualitates Papæ : studeas moribus implere pontificatum, et ut sancto Sanctorum devotæ servitutis impendas officium, induas sanctitatem; sis compositus ad mores, fervidus in dilectione, mansuetus in societate; sis stabilis in promisso, fortis ad patientiam, pronus ad concordiam, rigidus ad censuram; sis in judiciis rectus, in loquendo modestus, in jubendo discretus, in dispensatione industrius; sis in agendo strenuus, in auxiliando sollicitus, in consiliis fidus, in responsionibus circumspectus; exhibe te majoribus devotum, minoribus blandum, æqualibus mansuetum; exhibe te rigidum superbis, benignum humilibus, misericordem pœnitentibus, inflexibilem obstinatis; exhibe te Joannem incestuosis, Jehu et Matathiam apostatis, fornicantibus Phineem, Heliam idololatris, mentientibus Petrum, blasphemantibus Paulum, negotiantibus Christum. Epist. 15, *ad Episc. Carnotens.*

37. Est Christi vicarius, homo columbinus, veritatis filius, Ecclesiæ prælatus. *Ibid.*, serm. 48.

38. Animabus prælatus es, non corporibus; nihil prælato commune est cum Pilato. *Prosec.*

39. Christi villicus es, et vicarius Petri : nec te respondere oportet Cæsari de commissa tibi jurisdictione, sed Christo. *Ibid.*, *de Inst. episc.*

S. PETRUS DAMIANUS. 40. Apostolica Sedes est caput omnium Ecclesiarum. Lib. 1, epist. 20, *ad Cadaloum antipap.*

S. THOMAS AQUINAS. 41. Sicut illa quæ pertinent ad Dei cultum, excedunt temporalia; ita dignitas pontificalis excedit omnes alias dignitates. Super *Epist. ad Hebr.*, cap. v, lect. 1.

PARADISUS.

S ISID. HISP. *Etymologia.* Paradisi vocabulum ex Græco in Latinum vertitur hortus : porro Hebraice Eden dicitur, quod in nostra lingua deliciæ interpretatur. Lib. 14 *Etymol.*, cap. 3.

S. AUGUST. *Definitio.* Generale paradisi nomen est, ubi feliciter vivitur. Epist. 57.

S. BONAV. Quid est aliud paradisus, quam hians risus? Serm. 5, *de Uno martyre.*

CASSIODOR. Paradisus est amœnissimus locus, et felicissimæ jucunditatis æterna securitas. Super *Psalm.* CXXXVIII, vers. 10.

HUGO CARD. Paradisus est locus amœnitatis, imo amœnissimus locus, ad Dei inhabitationem proprie deputatus. Super *Prov.*, cap. XV.

S. JOANNES DAMASC. Paradisus est voluptatis omnis, ac jucunditatis animi promptuarium, suavissimo odore ac lumine plenum. Lib. 2, *de Fide orthod.*, cap. 11.

Paradisus est divina plane regio, dignumque eo, qui ad Dei imaginem conditus est domicilium. *Ibid.*

SENTENTIÆ PATRUM

S. AMBROS. 1. Quomodo voluptas ad paradisum revocare nos potest, quæ sola nos paradiso exuit? Lib. 10, epist. 2, *ad Vercellens. Ecclesiam.*

2. Extra paradisum vir factus est, et mulier intra paradisum : ut advertas quod non loci, non generis nobilitate, sed virtute unusquisque gratiam sibi comparat. *De Paradiso*, cap. 4.

S. ANTONIN. 3. In paradiso nulla infirmitas vel corruptio, nulla tentatio, nulla diversitas, opinionum vel voluntatum. Part. 4, tit. 6, *de Charitate*, cap. 8.

S. AUGUST. 4. Ecclesia in sanctis temperanter et juste et pie viventibus, paradisus recte dicitur, pollens affluentia gratiarum, castisque deliciis. Lib. 12 *de Genesi ad lit.*, cap. 35.

5. Lætitia bonæ conscientiæ paradisus est. *Ibid.*

6. Mens paradisus est, in qua cum cœlestia meditatur, quasi in paradiso voluptatis delectatur. *De Spiritu et anima*, cap. 37.

7. Tres generales sunt de paradiso sententiæ : una eorum, qui tantummodo corporaliter paradisum intelligi volunt : alia eorum, qui spiritualiter tantum : tertia eorum, qui utroque modo paradisum accipiunt, quam mihi fateor placere sententiam. Lib. 8 *de Genesi ad lit.*, cap. 1.

8. Credendum est quoniam locus paradisi a cognitione hominum est remotissimus. *Ibid.*, cap. 7.

9. Tria sunt, quibus non sunt meliora : anima sancti in bonis operibus perseverans, quæ speciosior est sole : sancti angeli qui eam suscipiunt : et paradisus in quem ducitur. *De Salutar. docum.*, cap. 40.

10. Superbia Adam de paradiso expulit, sed humilitas latronem in paradisum introduxit. Serm. 12 *ad Fratres in eremo.*

11. Patria nostra paradisus est, parentes nostri sunt patriarchæ, et prophetæ, et apostoli, et martyres : cives sunt angeli, rex autem noster Christus est. *Ibid.*, serm. 50.

12. Homo in paradiso ad se occidendum idoneus erat. In *Enchirid.*, cap. 106.

13. In paradiso nec aberat quidquam, quod bona voluntas adipisceretur, nec inerat quod carnem, animumve hominis feliciter viventis offenderet. Lib. 14 *de Civit. Dei*, cap. 10.

14. Superbus angelus per eamdem superbiam, a Deo ad semetipsum conversus, de spiritali paradiso cecidit. *Ibid.*, cap. 11.

15. Vivebat homo secundum Deum in paradiso et corporali et spiritali : neque enim erat tantum paradisus corporalis propter corporis bona, et propter bona mentis non erat spiritalis. *Ibid.*

16. Bene vivere sine adjutorio Dei, etiam in paradiso, non erat in potestate. *Ibid.*, cap. 27.

17. Filiorum in paradiso procreatio sine sexuum commixtione facta non fuisset. Lib. 1 *ad Bonifac.*, cap. 5.

18. Ubicunque sit paradisus, quisquis beatorum ibi est, cum illo ibi est, qui ubique est. Epist. 57.

19. Non ejecit Deus hominem de paradiso, ut hic faciat alium paradisum. Apud *D. Antonin.*, part. 4, tit. 4, cap. 2, § 4.

20. Paradisum habemus multo meliorem, et longe delectabiliorem, quam primi parentes habuerunt; et paradisus noster Christus Dominus est. Serm. 1 *Nativit.*

S. BERNAR[D]. 21. Paradisorum tria genera sunt : voluptuosa dulcedo visibilium, sincera puritas spiritualium, deliciosa veritas supercœlestium. In suis *Sententiis*, verbo *Paradisorum.*

22. Tuta habitatio paradisus, dulce pabulum verborum, opulentia multa nimis æternitas : nihil ibi formidatur, nihil fastiditur, nihil deficit. Serm. 33 super *Cant.*

23. Paradisus supercœlestis, regio beata et gloriosa, plena voluptatis et gratiæ, suavitatis et lætitiæ, benignitatis et gloriæ. *Prosec.*

24. Ibi requies a labore, jucunditas de novitate, de æternitate securitas; illic omnes vivunt, nullus moritur. Serm. *de S. Nicolao.*

S. BONAV. 25. Tres sunt Paradisi : primus terrestris, ubi Adam fuit; secundus fidelium, scilicet Ecclesia militans, tertius cœlestis, scilicet Ecclesia triumphans. Super *Psalm.* I.

26. Nulli cœlestis paradisi janua clauditur, si vexillum crucis ab eo feratur. *Prosec.*

27. Dicitur in quadam historia, quod latro qui fuerat cum Domino crucifixus, vadens ad Paradisum deliciarum, super se tulit crucis signum, quod dum vidit angelus custodiens paradisum, satim eum intrare permisit. Serm. *Exalt. S. Crucis.*

28. Paradisus cœlestis est habitatio Dei, locus gaudii, locus lucis, locus ordinati amoris. Tit. 5 *Diœtæ*, cap. 1.

29. Labore et dolore, cum gemitu et fletu acquiritur regnum Dei; deliciis autem et honoribus perditur paradisus. In *Alphab relig.*, lect. 11.

GLOSS. ORD. 30. Omnes oportet per ignem probari, quicunque ad paradisum redire desiderant. Super *Ecclesiastic.*, cap. III.

S. GREGOR. MAGNUS. 31. Quid paradiso jucundius? quid cœlo securius? et tamen homo ex paradiso peccando, et angelus cecidit e cœlo. Lib. 1 in *Registro*, indict. 15, cap. 169, epist. 5, *ad Cyriacum episc. Constantinop.*

32. Regio nostra paradisus est, ad quam Jesu cognito, redire per viam qua venimus, prohibemur. *Prosec.*

33. A regione etenim nostra superbiendo, inobediendo, visibilia sectando, cibum vetitum gustando, discessimus : sed ad eam necesse est ut flendo, obediendo, visibilia contemnendo, atque appetitum carnis refrænando redeamus.

34. Quoniam qui a paradisi gaudiis per delectamenta discessimus, ad hæc per lamenta revocamur. Homil. 10 super *Evang.*

S. HIERON. 35. Quos saturitas de paradiso expulit, reducat esuries. Epist. 22, *ad Eustoch.*

HUGO CARD. 36. Christi imitatores quanto descendunt ad vilia et aspera; tanto ascendunt ad gloriam et delicias paradisi. Super *Gen.*, cap. XXVIII.

37. Pessima negotiatio est, ubi pro modica delectatione transitoria, datur tota gloria paradisi, et emitur tota pœna inferni. *Ibid.*, cap. 42.

38. Paradisi via est in tribulationibus. Super *Psalm.* CXIV.

JOAN. TRITH. 39. Si paradisus est in terra, aut in monasterio, aut in eremo est. Lib. 1 *de Regim. claustr.*

40. Si uspiam est paradisus terrestris, in monasterio est. Lib. 1, homil. 6, *ad Monachos.*

41. Paradisus supercœlestis, regio beata et gloriosa, plena voluptatis et gloriæ, suavitatis et lætitiæ, gratiæ et benignitatis. *Prosec.*

S. PETRUS DAMIANUS. 42. Ibi requies est a labore, jucunditas de novitate, de æternitate securitas. Serm. 59, *de S. Nicolao.*

RICH. A S. VICTORE. 43. Peramplius atque perfectius erit multo quod recuperabimus in cœlo, quam perdidimus in paradiso : in paradiso erat posse peccare, et posse non peccare; in cœlo erit omnino peccare non posse : in paradiso erat posse mori, et posse non mori, in cœlo erit nunquam posse mori : in paradiso erat posse impugnari, et posse non impugnari; in cœlo erit, nec posse impugnari. Part. 1, *Quomodo Christus ponitur in signum populorum.*

ROBERTUS A SORBONA. 44. Plus sciet ille qui minus sciet in paradiso, quam omnes magistri qui sunt in mundo. Lib. *de Conscient.*

RUPERTUS ABBAS. 45. Paradisus voluptatis est, paradisus deliciarum est : alterius cœli, alterius temperiei, non vicibus jacens æstatis et hyemis, aut veris et autumni; sed perpetuæ voluptatis, et permanentium deliciarum paradisus est, semper floridus, semper lucidus, sempiterna suavitate, visu delectabilis ac gustu. Lib. 1 super *Genes.*, cap. XLI.

S. VALER. EPISC. 46. Ille secum magnas opes ad paradisum portat, qui onustum vitiis pectus studio religionis exonerat. Homil. 6, *de Otios. verb.*

S. VINCENT. FERRARIUS. 47. Civitas mirabilis est paradisus, in qua nullus est defectus, nec miseria, nullus infirmatur, nec senescit, nec moritur. Serm. 12, *Dom. 4 Advent.*

PARENTES.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Quam dulce pignus, quod a periculo incipit, et in periculis desinit : prius dolori futurum, quam voluptati; periculis emitur, nec pro arbitrio possidetur. Habet mater hæredes, sed auget dolores. Lib. 1 *de Virginibus.*

2. Pater non habet filium, qui nescit unde sit. Lib. 1 *de Fide ad Gratianum*, cap. 9.

3. Non possum salvo pietatis jure odisse patrem, cui debeo quod creatus sum : nec matrem longo decem mensium fastidio pii fœtus onera portantem, cui in absolutione plus periculi, in dilatione plus tædii est. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 15, vers. 1.

4. Tu matri debes pudoris injuriam, virginitatis dispendium, partus periculum, matri longa fastidia, matri longa discrimina, cui miseræ in ipsis votorum fructibus majus periculum est : et cui cum ediderit quod optavit, partu absolvitur, non timore. Lib. 2 super *Luc.*, cap. 2.

S. ANTON. 5. Magnus est amor inter parentes, et tanto major quanto strictior est parentela. Part. 1, tit. 6, cap. 2, § 2.

6. Quadruplex honor parentibus exhibendus

est : honor reverentiæ, honor obedientiæ, honor beneficentiæ, honor tolerantiæ. Part. 1, tit. 14, c. 4, § 7.

7. Pater, qui parcit virgæ, odit filium suum : qui autem diligit, instanter erudit. Part. 4, tit. 3, cap. 7, § 9.

S AUGUST.

8. Non ideo laudanda es, quia filios habes; sed quia pie nutrire atque educare studes : ut enim tibi nascerentur, fœcunditatis est; ut vivant, felicitatis; ut autem sic instituantur, voluntatis est, et potestatis. *De Bono viduit.*, cap. 14.

9. Magnificentia et nobilitas patris, generositas est veri filii. *De Quæst. vete. et novi Testam.*, quæst. 97.

10. Generat homo, creavit Deus : certe ille major est patre tuo, major est patria et ipsis parentibus tuis, ut quidquid jusserint parentes contra patriam, non audiantur. Serm. 6 *de Verb. Dom.*

11. Honorandus est pater, sed obediendum Deo est : amandus est generator, sed præponendus est Creator. *Ibid.*, serm. 7.

12. Feræ amant filios suos, amant filios aspides, amant filios tigrides, amant filios leones. Nulla enim bestia est quæ non filiis suis blande murmuret : ergo pater qui non amat filios suos, etiam bestiis pejor est. Serm. 1 *Fer 4, post Dom., Septuag.*

13. Qui parentes honorare dissimulat, hunc diaboli nequitia spiritaliter affligit et cruciat. Serm. 2 *Sabbat. post Dom. Quadr.*

14. O dolosa libertas? o grandis filiorum perditio? o paternus amor mortiferus! Ecce filios se dicunt parentes diligere, quos non corrigendo jugulari procurant : dicunt eos amare, quibus jam suspendia parant. Serm. 33 *ad Fratr. in eremo.*

15. Prodest parvulis fides parentum ut baptizentur, non obest postea perfidia ut damnentur. Epist. 23.

16. Quare Deus facit animas eis quos novit cito morituros? possumus respondere parentum hinc peccata vel convinci, vel flagellari. Epist. 28.

17. Renuntiandum est etiam parentibus propter Christum; qui enim amat parentes suos, perdet eos. Epist. 38.

18. Malos filios ne de his erubescant, etiam parentes abdicare solent. In exposit. *Epist. ad Galat.*, cap. IV

19. Habet quiddam erga parentes humana verecundia, quod nec ipsa nequitia possit auferre. Lib. 2 *de Civit. Dei*, cap. 4.

20. Filii mali eo tantum quo perdite vivunt, etiamsi nullas violenter inferant manus, parentum pietatem gravius persequuntur, quam cum illos pater et mater, quanto amplius diligunt, tanto amplius ad bonam vitam compellunt. Epist. 167.

21. Parentum iniquitates filiis obesse non possunt. Lib. 22 *contra Faust.*, cap. 64.

22. Gravius persequitur filius patrem male vivendo, quam pater filium castigando. *De Unit. Eccles.*, cap. 20.

23. Ad parentes suos homo aperit oculos; quisquis autem suis parentibus non defert honorem, quibus parere poterit? *De Decem chordis*, cap. 6.

24. Parentes tui Christum tenuerunt carne, tu tene corde; quoniam Christus absens, etiam præsens est. Tract. 50 super *Joan.*

25. In filiis nativitas, in patribus iniquitas. Tract. 2 super *Epist. Joan.*

S. BENEDICT.

26. Sicut Patris est gaudere in suorum profectibus filiorum : ita et filiorum est, augmentum patris sua lucra putare. Serm. *de S. Placido.*

S. BERNARD.

27. Conversos ad Dominum, non sollicitet carnalium cura parentum, et necessitudines illæ non impediant exercitium spirituale : quamdiu enim de mundo sumus, debitores nos constat esse parentibus, at postquam reliquimus nosmetipsos, multo magis ab eorum sollicitudine liberi sumus. Serm. 2 *post Octav. Epiph.*

28. Etsi impium est contemnere matrem, tamen propter Christum piissimum est. Epist. 104, *ad Galterum.*

29. O durum patrem! o sævam matrem! o parentes crudeles et impios! immo non parentes, peremptores; quorum dolor, salus pignoris : quorum consolatio, mors filii est, qui illum malunt perire cum eis, quam regnare sine eis. Epist. 111.

30. Quanta erga filios anxietas sit, soli novere parentes : secundum enim amorem, quo afficiuntur circa filios, extenditur sollicitudinis magnitudo, quem amorem exceptis parentibus nulli vere sciunt. Lib. *de Passione Dom.*, cap. 30.

S. BONAV.

31. Nihil prodest malis bonitas parentum, nec obest bonis pravitas. Super *Joan.*, cap. VIII.

32. Impius est, qui pro parentibus suis animæ suæ crudelis est. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 30.

S. CLEMENS PAPA.

33. Quod ex aliquo natum est, etiamsi multo tempore abfuerit, nunquam tamen scintilla propinquitatis extinguitur. Lib. 8, *Recognit.*

34. Nihil injustius vel inhonestius est, quam filios patribus rebelles et inobedientes existere. Epist. 3.

S. CYRILLUS HIEROSOL.

35. Non in illo jussum est parentibus obedire, in quo animæ periculum formidatur. Epist. *ad Augustin. de Miraculis divi Hieronymi.*

DIONYSIUS CARTHUS.

36. Honorare debemus parentes, reverentiam impendendo, et necessaria si indigeant ministrando. Super *Epist. ad Ephes.*, cap. VI, art. 6, in illud : *Obedite parentibus.*

S. EUSEBIUS EMISSEN.

37. Discant boni parentes erudire filios suos, ut quos se in hanc vitam gaudent munere acquisivisse naturæ, præparent æternitati sedulitate doctrinæ : insinuent fidem, doceant religionem, præcipiant castitatem. *Prosec.*

38. Majorem ad pignora vestra non potestis adhibere pietatem, quam si per vos cognoscant animarum parentem ; quam si per vos in boni patris transeant adoptionem, quam si per vos efficiantur cœli hæredes.

39. Quapropter studete eos ad Domini servitutem, quæ nobis sola est causa vivendi, non lingua erudire, sed vita.

40. Audiant vos, videant vos : ut quæ justa, quæ honesta, quæ sancta sunt vobis sectantibus et amantibus, in amore consuescant.

41. Duplex vobis commodum erit, cum salus ad filios vestros, de vestra salute transierit : ut cum per vos ad illos pervenerit, ex illis ad vos multipliciter revertatur. Homil. 4, *Epiphan.*

FRANCISCUS TITELM.

42. Quibus parentum deest auxilium, copiosius adest divinum. In *Annot. super Psalm* IX. vers. 38.

43. Qui matrem non diligit, est omnium qui vivunt ingratissimus, et prorsus vita indignus. In *Annot. super Psalm.* LXI.

GLOSS. DEC.

44. Filius patrem egentem cogitur alere. In *Decret. Gratiani.*

GLOSS. INT.

45. Ne sis ingratus maternis laboribus, ei redde te, quæ cum dolore dedit te. Super *Tobiam*, cap. IV.

46. Fortia facta patrum, documenta sunt filiorum. Super *Judith.*, cap. VIII.

GLOSS. ORD.

47. Qui honorem non defert parentibus, perdit, Super *Prov.*, cap. XXX.

S. GREGOR. MAGNUS.

48. Sæpe ad avaritiam cor parentis allicit fœcunditas prolis. Lib. 1 *Moral.*, cap. 4, num. 3.

49. Extra parentes et cognatos quisque ac proximos debet fieri, si vult parenti omnium verius jungi. *Ibid.*, lib. 7, cap. 14, super illud *Deuter.* XXXIII : *Qui dixerit patri suo.*

50. Omnino crudele est, ut mater, quæ ex filii persona debet sperare solatium, per eum magis necessitati cogatur, vel inopiæ subjacere. Lib. 9, in *Registro*, indict. 4, cap. 11, epist. 11, *ad Anthemium subdiacon.*

S. GREGOR. NAZ.

51. Nihil est materno affectu mollius. Orat. 31,

52. Cum filiis indulgenter agere, paterna lex est. Hab. apud *D. Joan. Damasc.*, lib. 3 *Parall.*, cap. 40.

S. HIERON.

53. Scriptura præcipit parentibus obsequendum ; sed quicunque eos supra Christum amat, perdit animam suam. Epist. 1, *ad Heliodor.*

54. Gladium tenet hostis, ut me perimat, et ego de matris lacrymis cogitabo ? *Ibid.*

55. Propter patrem militiam Christi deseram, cui sepulturam Christi causa non debeo, quam etiam omnibus ejus causa debeo ? *Ibid.*

56. Mementote vos parentes, filios magis exemplis doceri posse, quam voce. *Ibid.*, epist. 7, *ad Lætam.*

57. Non est parvi apud Deum meriti bene filios educare. *Ibid.*, epist. 9, *ad Salvinam.*

58. Sola causa pietatis est, ubi nulla carnis notitia est. Epist. 10, *ad Furiam.*

59. Honora patrem tuum, sed si te a vero patre non separat : tandiu scito sanguinis copulam, quamdiu ille suum noverit Creatorem. *Ibid.*

60. Grande præmium, parentis obliti. *Ibid.*

61. Pietatis genus est, impium esse pro Domino. Epist. 23, *ad Marcellam.*

62. Grandis in suos pietas, impietas in Deum est. Epist. 25, *ad Paulam.*

63. Illos putes parentes, fratres, affines, atque cognatos, qui tibi in Christo copulati sunt. Epist. 28, *ad Lucinum.*

64. Mater et filia nomina sunt pietatis, officiorum vocabula, vincula naturæ, secundaque post Deum fœderatio. Non est laus, si vos diligitis : scelus est, quod odistis. Epist. 47, *de Vitando suspecto contubernio.*

65. Bonis parentibus providendum est, ne ad iracundiam provocent filios suos, et nimietate duritiæ, etiam lenissimos asperos esse compellant. Epist. 16, *ad Theophil.*

66. Multa nos facere cogit affectus, et dum propinquitatem respicimus corporum, et corporis et animæ offendimus Creatorem. Epist. 6, *ad Fabiolam, de Vestitu sacerd.*

67. Quanti monachorum, dum patris matrisque miserentur, animas perdiderunt. *Ibid.*

68. Optat mater parvulum filium crescere, optat cito videre majorem nunquam sibi forsitan serviturum. Epist. 12, *de Honorandis parentibus.*

69. Nullus filiorum, auctorem lucis suæ cædat injuriis : nemo parentibus optet adversa, qui liberos suæ saluti anteponunt. *Prosec.*

70. Intolerabile nefas est ex illo ore protervum audire sermonem, aut illis pulsare manibus, quas amor diligit.

71. Meretur cæcitatis suæ subire supplicium, qui parentum vultus torvo visu despexerit, et elatis oculis læserit pietatem. *Ibid.*

72. Foveatur parentum senectus, et factis eorum, vicissitudo reddatur ; habet enim quamdam senectus infantiam. *Ibid.*

73. Propemodum naturale est, ut nurus socrum et socrus oderit nurum. Lib. 2 super *Michæam*, cap. VII, super illud I *Cor.* XI : *Uxor timeat virum.*

74. Si a parentibus contemptus es, a Deo electus es : parentum in filiis amor morte finitur, Dei amor crescit in omni tempore. Super *Psalm.* xxvi, vers. 16.

75. Ordinate in me charitatem; hic ordo in omni affectu necessarius est ; ama post Deum patrem, ama matrem, ama filios. *Prosec.*

76. Si autem necessitas venerit, ut amor parentum ac filiorum, Dei amori comparetur, et non possit utrumque servari, odium in suos, pietas in Deum est. Lib. 1 super *Matth.*, cap. x, can. 5, num. 96, super illud : *Qui amat patrem.*

77. Multos enim fuisse credendum, qui et parentibus obsequentes, cito mortui sint, et in parentes impii, usque ad extremam venerint senectutem. Lib. 3 super *Epist. ad Ephes.*, cap. vi, super illud : *Honora patrem tuum.*

78. Bonorum filiorum est, in omnibus bonos imitari parentes. Super I *ad Cor.*, cap. iv, in illud : *Imitatores mei estote.*

S. HILARIUS. 79. Si quis parentes pauperes abjicit, deterior est infideli. Super I *ad Tim.*, cap. v, in illud : *Si quis suorum curam non habet.*

80. Juxta Deum, et patrem et matrem, et conjugem et filios, et fratres odisse, devotum est. Super *Psalm.* cxxxviii.

HUGO A S. VICTORE. 81. Mater est in pariendo anxia, in educando sollicita, in custodiendo diligens, in amore fervens. Lib. 4, *de Propriet. rerum,* cap. 11.

82. Pater generat, revocat, nutrit, diligit, ditat, hæreditatem dat, erigit, corripit, sustinet. *Ibid.*, cap. 14.

HUGO CARD. 83. Multi filios et filias suas, quos deberent erudire ad bonum, erudiunt ad peccandum. Super *Psalm.* lvii.

84. Filius castitatis amator, virtutum varietate distinctus, ad bona agilis, visu fidei perspicax, sit tibi gratissimus. *Prosec.*

85. Gratus, quia filius ; gratior si castus ; gratissimus si fidelis. Super *Prov.*, cap. v.

JOAN. CASS. 86. Parentes deseruisse corporaliter nihil proderit, si corde eos incipiat intueri, ac memoriam quam seculo huic renuntians, quisque velut mortuus abdicavit, reviviscens eamdem rursus admiserit. Lib. 5, *Cœnob. inst.*, cap. 32.

87. Parentum perniciosa blandimenta devitanda sunt. Collat. 24, *Abb. Abrahæ*, cap. 12.

S. JOANNES CHRYSOST. 88. Non solum parentum debet esse pietas, sed et magna erga pueros diligentia. Homil. 21, super *Gen.*

89. Hoc unum curandum est, ut si parentes habeas virtute claros, imiteris eorum virtutem : si e diverso accidat, ut ex improbis sis parentibus, non putandum tibi aliquid accidere nocumenti. *Ibid.*, homil. 43.

90. Vere hæc materna dilectio est, quando pro puero suo parata est omnia ferre. *Ibid.*, homil. 53.

91. Non accusandi sunt ob parentum malitiam filii pie viventes, sed ut admirabiles habendi, eo quod, cum pietatem a parentibus non acceperunt, nec habuerunt qui manu ducerent, quasi in eremo et invio euntes, viam quæ in cœlum fert, invenire potuerint. *Prosec.*

92. Nullum crimen est habere patrem impium, sed imitari patris impietatem.

93. Crimen maximum est, non quod quis habeat improbos parentes, sed quod illorum non agit curam, et non adfert omnia, ut ab impietate sua eos eruat. Homil. *de Habenda cura salutis proximi.*

94. In omnibus obtemperandum est parentibus, præterquam in his quæ officiunt pietati. Homil. 36, super *Matth. Oper. perf.*

95. Cum sanctum sit honorem parentibus afferre; si plusquam oporteat quærunt veritati reluctantes, resistendum est. *Ibid.*

96. Qui parvis in rebus magnanimos, et ornamentorum contemptores filios reddit, iis etiam in magnis probatiores inveniet. *Ibid.*, homil. 50.

97. Qui liberis parcit, is eos perdit : qui autem castigat, et non parcit, is salutem eis præbet. *Ibid.*, homil. 56.

98. Melius est ut in te glorientur parentes, quam tu glorieris in parentibus. Homil. 3, super *Matth. Oper. imperf.*

99. Sicut post Deum diligere parentes, pietas est : sic plus quam Deum diligere, impietas est. Homil. 26, super *Matth. Oper. imperf.*

100. Carnalibus patribus præbete carnis obsequium, spiritualibus autem patribus animæ sanctitatem. *Ibid.*

101. Charitas de parentibüs ascendit in filios, de filiis autem non revertitur ad parentes : parentes quidem filios diligunt, sed non sic diliguntur a filiis. *Ibid.*, homil. 32.

102. O monache, habes duos patres, spiritualem et carnalem : utrumque amare non potes : si spiritualis amatur, carnalis contemnitur : si carnalis sequitur, spiritualis relinquitur. Homil. 17, ex divers. in *Matth.*

103. Ubi parentes nihil divina impediunt mysteria, nihilque offendunt, æquum et necessarium est filio parere. Homil. 20, super *Joan.*

104. Si iis qui juxta naturam parentes sunt, tanta debetur benevolentia, multo magis is præstandum est iis qui juxta spiritum sunt parentes. In *Orat. de B. Philogonio.*

105. Patrem non facit generatio, sed recta morum institutio. Lib, 1, *advers Vituperat. vitæ monast.*

106. Cognatio recidivis obtutibus renovatur. Homil. *de Lazaro resuscitato.*

S. JOAN. CL. 107. Utilius est parentes mœrore afficere, quam Deum. Gradu 1.

S. JOANNES DAMASC. 108. Parentibus obtemperare, pium est ac Deo gratum. Lib. 3 *Parall.*, cap. 36.

S.ISID.HISP. 109. Qui mundo renuntiant, et curas proprias aspernantur, dum propinquorum curas procurant, a Dei amore se separant. *Prosec.*

110. Vir spiritualis ita prodesse debet suæ propinquitati, ut dum illis gratiam carnis præstare studet, ipse a spirituali proposito nequaquam declinet.

111. Multi enim amore parentum, non solum terrenis curis, sed etiam forensibus jurgiis involvuntur, et pro suorum temporali salute suas animas perdiderunt. Lib. 3, *de Sum. bono,* cap. 21, sent. 3.

112. Interdum ordinata discretio est, dum negatur proximo quod præstatur extraneo : noveris non prohiberi pietatis officium, sed negari carnalitatis affectum. *Prosec.*

113. Parentibus enim carnaliter præstatur quod extraneis pie intenditur.

114. Non parentes odio a nobis habendi sunt, sed eorum impedimenta, quæ nos ab itinere recto præpediunt. *Ibid.*, sent. 5 et 6.

115. Mater dicitur, quod exinde efficiatur aliquid : mater enim est quasi materia, nam pater causa est. Lib. 9 *Etymol.*, cap. 5.

116. Pater dictus est, eo quod patratione peracta filium procreet : patratio enim est rei venereæ consummatio. *Ibid.*

.ACT. FIRM. 117. Adversus impios parentes nullum vinculum est naturæ. Lib. 3, *de Divin. inst.*, cap. 17.

.LAURENT. JUSTIN. 118. Quamdiu in mundo sumus, debitores nos esse constat parentum. *De Ligno vitæ,* tract. 6, *de Obedient.*, cap. 3.

. LEO. IX. 119. Ne matrem offendas dum vis bonus esse parenti. *Advers. præsumpt. Michael. et Leonis episc.*, cap. 6.

S. PAULIN. 120. Necessitudines nostræ, quanto chariores nobis sunt, tanto magis nos discruciant et fatigant. Epist. *ad Quemdam militem.*

121. Non differat, non evacuet propositum tuæ conversionis proditoria ac seductrix affectio parentelæ : noli eos diligere contra Christum, quos teneris odio habere pro Christo. Epist. 11, *ad Quemdam clericum.*

PETRUS BLESENS. 122. Si erga patrem tuum humilitatem et dilectionem in veritate non exhibes : quanto celebrior est laus tua, tanto in majus et communius opprobrium convertetur. *Ibid.*, epist. 47, *ad Henricum regem anglor.*

123. Utinam scires quam dulce, quam jucundum sit habere, et habitos venerari parentes. *Prosec.*

124. Hæc suavissima jucunditas, et frequenter dum parentes vivunt, ignoratur : et ex sola parentum amissione cognoscitur. *Ibid.*

125. Fallax et proditoria est affectio parentelæ. *Ibid.*, epist. 134 *ad Willelm. electum.*

126. Revera filium se nescit, visceribus caret, naturam negat, ingratus est patri, qui auctorem vitæ suæ non obsequiis placat, non devincit cultu, muneribus non honorat. Serm 10. S. PETRUS. CHRYSOLOG

127. Quidquid filiis parentes impenderint, repensabit parentibus parens omnium Deus. Serm 33.

128. Si pater est, non potest non amare : si amat, nisi quod bonum est dare nescit. *Prosec.*

129. Negat patrem, qui de patris suspectus est largitate : ignorat se filium, quem data paterna sollicitant.

130. Totum quod est pietatis excludit, qui salutare non credit quidquid dederit pater. Serm 55.

131. Certe dignum est ut dilectio spiritualis amorem superet carnis. Lib. 5, epist. 5, *ad Almeric. archid.* S. PETRUS DAMIANUS.

132. Qui suis genitoribus non obedit, sortis funiculum in terra viventium non admittit. Lib. 8 epist. 3 *ad Albert.*

133. Divinæ legis mandata proculdubio despicit, qui deferre parentibus parvipendit. *Ibid.*

134. Sicut genitoribus maledicens, dignus est mortis ultione percelli : ita qui reverenter obtemperat, meretur divinitus benedici. *Ibid.*

135. Perpende quantæ crudelitatis sit illos despiciendo contemnere, per quos habes et ipsum esse. *Ibid.*

136. Qui parentes inhonorat, in hac vita confunditur, et divinitus abdicatur. *Ibid.*

137. Quanti monachorum, dum parentibus suis plus justo consulunt, suas animas perdiderunt? Serm 5, *de S. Bened.*

138. Juxta conversationem parentum, sæpe proveniunt merita filiorum : ut et honestis progenitoribus proles honesta respondeat, et reproba reprobis in pravitate concurrat. Serm 28, *de S. Alexio.*

139. Nihil tam caninum est, quam ignorare parentes : et illis qui nos genuerunt, reverentiam non deferre. Opusc. 44, cap. 6.

140. Parentes infideles nescire, præceptum est : fideles autem propter perfectionis amorem nescire, consilium est : scire vero interdum, permissum est. Lib. 5 *de Spiritu sancto,* cap. 21. RUPERTUS ABBAS.

141. Nullus melior filiorum amor, quam quem Deus docuit, qui ipsos filios dedit : neque possunt pignora melius amari, quam si in eo ipso a quo data sunt, amentur. Lib. 1 *ad Eccles. cathol.* SALVIANUS

142. Nullos parentum pietas minus respicit, quam quos præcipue religio commendat. *Prosec.*

143. Si quis a parentibus filii offeruntur Deo, omnibus aliis filiis postponuntur oblati : indigni judicantur hæreditate, qui digni fuerint consecratione : et una tantum re parentibus viles fiunt, quia cœperint Deo esse pretiosi. *Ibid.*, lib. 3.

144. Nulli parentibus magis noxii, quam filii nimis amati. *Ibid.*

S. THEODOR. 145. Non naturæ, sed virtutis quærit Deus cognationem. Lib. 4 super *Epist. ad Rom.*, cap. 9.

THEOPHILACTUS. 146. Postquam quis se tradiderit Deo, non debet denuo ad vitæ hujus curas converti : oportet sane et parentes venerari, sed magis oportet venerari Deum. Super *Matth.*, cap. 8 in illud : *Sine mortuos sepelire.*

S. THOMAS AQUINAS. 147. Si non recognoscis beneficium vitæ naturalis, quam habes a parentibus, indignus es vita gratiæ, quæ major est, et per consequens vita gloriæ, quæ maxima est. Opusc. 9 *de Decem præcep.*, præcept. 4, verbo *Honora.*

IN VIT. PATR. 148. Nemo unquam, qui parentibus inobediens fuit, salvus factus est. Lib. 1 in *Vita S. Basilii*, cap. 8.

149. Vera cognatio non ex sanguine et carne, sed ex virtute mentis cognoscitur. Lib. 1 in *Vita S. Joan. Eleemosynar.*, cap. 15.

150. Pater non est, qui filii felicitate dolere atque angi videtur, sed potius hostis vocandus est. Lib. 1 in *Vita SS. Barlaam et Josaphat*, cap. 24.

S. ZENO EPISCOPUS ET MART. 151. Detestabilis certe filius, quem pater pius punit, quem pater damnat invitus. Serm. 3 *de Isaia.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 152. Cum liberi ea parentibus tribuunt, quæ tribuenda sunt genitoribus, parentes filiis, quæ natis tribui debent. Lib. 8 *Ethic. ad Nicom.*, cap. 7.

153. Parentes diligunt natos, ut aliquid sui : nati vero parentes, ut aliquid ex illis : atque magis sciunt parentes eos, qui sunt ex ipsis, quam nati se esse ex illis. *Ibid.*, cap. 12.

154. Unusquisque honorem parentibus reddat, oportet : nemo enim unquam dignum reddere potest. *Ibid.*, cap. 14.

155. Oportet omnia patri tribuere, in omnibusque obtemperare. *Ibid.*, lib. 9, cap. 2.

156. Videtur parentibus maxime alimentis filios, ut debentes opitulari oportere : et honestius esse, iis qui causa sunt essendi, quam sibiipsis subvenire. *Ibid.*

157. Non omnem parentibus honorem, ut diis tribuere oportet, neque eumdem patri matrique : sed patri paternum, et similiter matri maternum. *Ibid.*

158. Matres filios magis amant, quam patres : generatio namque laboriosa est magis, et mag[...] sciunt esse suos. *Ibid.*, cap. 7.

159. Matres effusius quam patres, liberos suos amant : quia magis suum opus esse eos arbitrantur : magis utique generando mater affligitur. Lib. 7 *Ethic. ad Eunomium.*

CATO POET. 160. Dilige non ægra charos pietate parentes : Nec matrem offendas, dum vis bonus esse parenti. Lib. 2 *Distichor.*, metr. 3.

MIMUS PUB. 161. Ames parentem, si æquus est : si aliter, feras. In suis *Sent.*, sent. 8.

PITTACUS PHILOSOPH. 162. Quæ feceris parentibus, eadem a liberis expecta. In *Dictis sapient. ex Græcis*, dict. 7.

PLATO. 163. Parentum gloria, præclarus est liberis magnificusque thesaurus. Sizygia 4 in *Dialogo Menexeni.*

164. Si quis non furiosus patrem vel matrem, avum aviamve pulsare aut ferire audebit, verberibus mulctetur, et perpetuo exilio extra Imperii fines deportetur, et sacris arceatur. Sizygia 4, lib. 6 *de Legibus.*

165. Parentes negligere neque Deus neque homo sanæ mentis compos, cuiquam unquam erit auctor. *Ibid.*, lib. 10.

166. Parentis adversus liberos imprecatione, et quidem justissima de causa, nihil perniciosius excogitari potest. *Ibid.*

167. Patres et avos senio confectos, et matres eadem plane ratione, ubi quis colit, Deus gaudet, nihilque apud eum est pretiosius. *Ibid.*

168. Si quis minus quam decet parentes colat, neque magis eos quam filios, nepotesve, et seipsum etiam diligat, ut omnibus obsequiorum officiorumque generibus illis obtemperet, illorumque voluntatibus, et mandatis obsecundet, pœnis afficiatur secundum legem constitutam. *Ibid.*

PLINIUS II. 169. Ubi liberi pudicitius continerentur, quam sub oculis parentum? Lib. 4, cap. 14, *ad Cornelium Tacit.*

SENECA. 170. Parentes suos non amare, impietas est : non agnoscere, insania. Lib. 3 *de Benefic.*, cap. 1.

171. Nulla vi verborum, nulla ingenii facultate exprimi potest, quantum opus sit, quam laudabile, hoc posse dicere : Parentibus meis parui, cessi, imperio eorum obsequentem submissumque me præbui. *Prosec.*

172. Felices, qui parentes vicerint beneficio, felices qui vincentur.

173. Quid eo adolescente præclarius, qui sibiipsi dicere potest : Patrem meum beneficiis vici? *Ibid.*, cap. ultimo.

174. Præstabis parentibus pietatem, cognatis indulgentiam, omnibus æquitatem. *De Moribus.*

SIXTUS PHILOSOPH. 175. Excrucient te liberi male viventes magis quam morientes. *Sent.* 145.

THALES PHILOSOPH. 176. Qualem gratiam retuleris parentibus tuis, talem et expecta a liberis tuis. In suis *Sent.* sent. 6.

Vide etiam tit. *Monialis*, sent. 67, 68; *Obedientia*, sent. 52; *Officium divin.*, sent. 94; *Prælatio*, sent. 134, 135, 154, 159; *Propositum*, sent. 40; *Religiosus*, sent. 29; *Relinquere*, sent. 70, 71, 72.

PARVULUS, PARVUS.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Maximæ res cum a parvis quæruntur, magnos eos solent efficere. Lib. 1 *contra Academ.*, cap. 2.

2. Ego dedignabar esse parvulus, et turgidus fastu mihi videbar. Lib. 3 *Confess.*, cap. 5.

3. Parvulus sum, sed vivit semper pater meus. *Ibid.*, lib. 10, cap. 4.

4. Deus non est parvus in parvis. Epist. 3.

5 Prodest parvulis fides parentum, ut baptizentur : non obest autem postea perfidia ut damnentur. Epist. 23.

6. Quoslibet parvulos dæmoniorum sacrilegiis obligare conantes, spiritaliter sunt homicidæ. *Ibid.*

7. Parvulos Deus discernit, quos merita nulla discernunt. Epist. 106.

8. Cum parvuli sumus, majorum cibos non appetamus. *De Agone christ.*, cap. 33.

9. Deus ita est artifex magnus in magnis, ut minor non sit in parvis, quæ parva artificis sapientia metienda sunt. Lib. 11 *de Civitate Dei*, cap. 22.

10. Nolo despicias parvulum, non te grandis forma juvabit. *De Quinque hæresibus*, cap. 6.

11. Anima in puero parvulo appetit quidquid mulcet, fugit quidquid offendit. Tract. 15 super *Joan.*

12. Loquitur parvulis parvus, sed ipse ita parvus, ut et magnus : nos autem parvi, sed in illo magni. *Ibid.*, tract. 21.

13. Fiduciam dat nobis, qui magnus propter nos factus est parvus : nisi enim quod in nobis abjectum et minimum est voluisset communicare; putaremus eum noluisse nobis dare magnum suum, qui suscepit parvum nostrum. *Ibid.*, tract. 22.

14. Nec sic parvuli sunt lactandi, ut semper non intelligant Deum Christum : nec sic ablactandi, ut deserant hominem Christum. *Ibid.*, tract. 98.

15. In eo quod parvus apparet, magnus latet. Orat. *adversus Judæos*, cap. 4.

16. Parvulus in quo adhuc rationis nullus est usus, voluntate quidem propria nec in bono est, nec in malo : quia nulla in alterutro cogitatione versatur. Lib. 2 *contra Julian.*, cap. 4.

17. In parvulorum redemptione, laudari Dei misericordia potest; in quorum perditione, accusari Dei veritas non potest. *Ibid.*, lib. 3, cap. 12.

18. Parvuli opus diaboli substantialiter non sunt, sed opere diaboli originaliter rei sunt : et ideo Christus etiam pro parvulis mortuus est. *Ibid.*, cap. 25.

19. Parvuli eo volente regenerantur, quo creante generantur. *Ibid.*, lib. 4, cap. 8.

20. Parvuli credunt in Christum per corda et ora gestantium. *Ibid.*, lib. 6, cap. 3.

21. Trajecerunt parentes in parvulo, quod jam non erat in eis. *Ibid.*, cap. 14.

22. Venit parvus ad parvos. Homil. 32 *ex* LIII *Hom.*, cap. 3.

S. BERNARD. 23. Plus minimus quam minor vocari confundere : minor quippe vilitas est minorem videri quam minimum. Epist. 42 *ad Henricum Senonensem archiepisc.*

S. CYPRIAN. 24. Ad parvulos venit Christus, et cum parvulis conversatur. *De Nativit. Christi.*

S. GREGOR. MAGNUS. 25. Magnus est, qui æterna concupiscit : parvulus, qui terrena diligit. Lib. 5 *Moral.*, cap. 32.

26. Qui magni sunt meritis, parvi sint per humilitatem. Lib. 4 in I *Regum*, cap. illud : IV *Cum aspexisset Samuel Saul.*

S. HIERON. 27. Salus infantium, majorum lucrum est. Epist. 7, *ad Lætam.*

28. Optat mater parvulum filium crescere, optat cito videre majorem, nunquam sibi forsitan serviturum. Epist. 12, *de Honorandis parentibus.*

PETRUS BLESENSIS. 29. Enormiter peccat, seque vitæ alienæ reum constituit, qui pueros in ætate tenera nimia familiaritate et suavitate verbis emollit. Epist. 51 *ad Joannem episc. Sarisberiens.*

PASSIO IN GENERE.

COLLECTOR. *Definitio.* Passio est appetitus sensitivi motio immediate efficiens extraordinariam corporis transmutationem.

Passio est receptio qualitatis disconvenientis, cum abjectione convenientis.

Divisio. Passio dividitur in animalem et corporalem.

Passio animalis est receptio qualitatis disconvenientis immediate in animam.

Passio corporalis est receptio qualitatis disconvenientis immediate in corpus.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANSELM. 1. Si Michael diceret Petro : Tu Dominum negasti, posset Petrus respondere : Verum quidem est quod dicis, sed tu pro Domino nunquam vel ullum colaphum sustinuisti. *De Similitud.*, cap. 78.

2. Multi prius se putant infirmos, qui in ipso articulo passionis apparent fortissimi, dum omnia viriliter patiendo superant. Super *Epist. ad Romanos*, cap. V.

S. AUGUST. 3. Nemo quod tolerat, amat, etsi tolerare amat :

quamvis enim gaudeat se tolerare, mavult tamen non esse quod toleret. Lib. 10 *Conf.*, cap. 28.

4. Servi Dei humiles et sancti dupliciter mala temporalia patiuntur, quia et ab ipsis impiis, et cum ipsis patiuntur : habent tamen consolationes suas, et spem futuri sæculi. Epist. 122, *ad Victorianum.*

5. Mala temporalia sicut Job sustinete, sed pro hac sustinentia non temporalia bona sperate, quæ illi aucta redierunt, sed æterna potius, quæ in Domino præcesserunt. Epist. 120, *ad Honorat.*, cap. 10.

6. Cruciatus corporis malas animas miserabiliter affligit, bonas autem fortiter purgat. *De Agone christiano*, cap. 7.

7. Vis desideriorum facit tolerantiam laborum et dolorum. *De Patient.*, cap. 4.

8. Nemo nisi pro eo quod delectat, sponte suscipit ferre quod cruciat. *Ibid.*

9. Sicut omnes qui sciunt, non sunt participes scientiæ : ita omnes qui patiuntur , nec sunt participes patientiæ. *Prosec.*

10. Sed qui passione recte utuntur, hi patientiæ munere coronantur. *Ibid.*, cap. 6.

11. Quanto major est in sanctis charitas Dei, tanto magis pro eo quod diligitur, omnia tolerantur. *Prosec.*

12. Quanto autem est in peccatoribus cupiditas mundi, tanto magis pro eo quod concupiscitur, omnia tolerantur. *Ibid.*, cap. 17.

13. Quanta pro falsis divitiis, quanta pro vanis honoribus, quanta pro ludicris affectionibus, periculosissima et molestissima patientissime tolerantur? *De Patientia*, cap. 3.

14. Si tanta suffert anima ut possideat unde pereat, quanta debet sufferre ne pereat? *Ibid.*, cap. 7.

15. Vir mitis et benignus, etiamsi patitur mala, pro nihilo ducit, et tranquillo animo, et serenissimo vultu procedit. *De Salut. docum.*, cap. 22.

16. Tantum interest, non qualia, sed qualis quisque patiatur. Lib. 1 *de Civit. Dei*, cap, 8.

17. Bellum gravius et amarius cogitari non potest, quam ubi voluntas sic adversa est passioni, et passio voluntati, ut nullius earum victoria tales inimicitiæ finiantur, et ubi sic confligit cum ipsi natura corporis vis doloris, ut neutrum alteri cedat. *Ibid.*, lib. 19, cap. 28.

18. Non ex passione certa est justitia, sed ex justitia passio gloriosa est. Lib. 1 *contra Epist. Parmeniani*, cap. 7.

19. Brevis est molestia tua, æterna erit beatitudo tua : ad modicum doles, sine fine gaudebis. Super *Psalm.* XXXVI, conc. 2, vers. 18.

20. Melior est tristitia iniqua patientis, quam lætitia iniqua facientis. Super *Psalm.* LVI, vers. 9.

21. Multi dolores, sed multæ consolationes : amara vulnera, sed suavia medicamenta. Super *Psalm.* XCIII, vers. 19.

22. Bonum est quod vis, sed tolera quod non vis, ut assequaris quod vis. Super *Psalm.* LXXIX vers. 17.

23. Non hæc quæ pateris mala, mala sunt : si enim juxta sunt, bona sunt, sed tibi patienti hæc mala sunt. *Prosec.*

24. Non vis ut mala sint tibi quæ justa sunt Dei? non sit mala in conspectu Dei iniquitas tua. Super *Psalm.* CII, vers. 3.

25. Considera ubi sis, quid egeris vide, quare patiaris vide, et ibi vides quid patiaris. Super *Psalm.* CXLV, vers. 5.

26. Christus prædicit labores usque in finem venturos ipsi sæculo, et tu vis ab istis laboribus exceptum esse christianum : quia christianus est, aliquid plus passurus est. *De Pastoribus*, cap. 5.

27. Si exceptus es a passione flagellorum, exceptus es a numero filiorum. *Ibid.*

28. Quisquis dum id quod non vult patitur, non peccat : nam si juste patitur, non in eo peccat quod patitur invitus, sed in eo peccavit quod ita fecit volens, ut quod nollet jure pateretur. Lib. 3 *de Lib. arbitr.*, cap. 16.

29. Nihil est animæ sua carne propinquius, ideo mundi hujus perfectus contemptor, cum alibi patitur, nihil patitur. Epist. 120, cap. 13.

30. Non omnis qui aliquid patitur, habet eam virtutem quæ patientia nuncupatur. *De Continent.*, cap. 12.

31. Nemo se immeritum pati aliquid asperum dicat : quia si non factis, saltem verbis peccatur : et si non verbis, saltem temeraria præsumptione intus in corde, vel sermonibus cogitationum ; et quoniam Deum non latent, nemo flagellatus dicat indigne se accipere disciplinam. *Annot. in Job.*, cap. XXXVIII.

32. Non debet quid quisque patiatur, sed quare patiatur, attendi. Lib. 4 *contra Crescon.*, cap. 46.

33. Homo es, humani nihil abs te alienum puta, et in eis quæ non pateris, compatere patientibus. Lib. 4 *contra Julian.*, cap. 16.

34. Dignare æquo animo pati per meritum tuum, quod Christus pati dignatus est, ut te a sempiterna morte liberaret. Tract. 3 super *Joan.*

35. Quid times pati pro te? prior patior pro te. *Ibid.*

36. Quod te Deus non vult pati, non pateris : quod te permiserit pati, flagellum corrigentis est, non pœna damnantis. *Ibid.*, tract. 7.

37. Quando mali aliquid pateris, Deum accusas. *Ibid.*, tract. 28.

38. Pateris malum, noli teipsum pati malum. Hom. 29 *ex* LIII *Hom.*, cap. 3.

39. Hostem quem patimur, pagani non patiuntur, illos ipse possidet. *De Utilit. jejunii*, cap. 8.

V. BEDA. 40. Bonorum mens, quo duriora pro veritate tolerat, eo certius æternitatis præmia sperat. In suis *Prov.*, verbo *Bonorum*.

41. Quod omni modo necesse est pati, patienter sustine. *Ibid.*, verbo *Quod*.

42. Ultra modum sunt delicati, qui nulla adversa volunt pati. *Ibid.*, verbo *Ultra*.

S. BERNARD. 43. Triplex est in patiendo malum : quod a te pateris, quod a proximo, quod a Deo : primum est austeritas pœnitentiæ; secundum vexatio alienæ malitiæ; tertium, flagellum correctionis divinæ : in eo quod a te pateris, debes voluntarie sacrificare; quod a proximo, patienter ferre; quod a Deo, sine murmure, et cum gratiarum actione sustinere. Serm. 1 *de SS. Petro et Paulo.*

44. Sunt plerique qui laborem et dolorem patiuntur; sed necessitas in causa est, non voluntas. Serm. *Fer.* 4, *hebdom. pœnosæ*.

45. Devotus miles non sentit sua, cum benigni ducis contuetur vulnera. Serm. 61 super *Cant.*

46. Quidquid pati potuerimus, amaritudini Dominicæ passionis comparatum, aut parum, aut nihil poterit æstimari. Lib. *de Passione Dom.*, cap. 23.

47. Tanto quisque convincitur minus sapiens, quanto minus est patiens. Serm. 35 *ad Sororem.*

S. BONAV. 48. Quid tu, o christiane, times pati, cum te rex tuus præcesserit ad passionem? *Prosec.*

49. Turpe est, et valde alienum, immo contra naturam, ut sub capite dolente membrum non doleat, et sub capite vulnerato membrum non sentiat, et sub capite moriente membrum vita non careat.

50. Quis miles de bello exire præsumpserit, et non voluerit voluntarie pati, si rex suus ad mortem fuerit vulneratus? Serm. 2 *de Plur. mart.*

51. Proh dolor! et dolore tabesco, quia non est hodie qui velit pro Domino pati, non dico fracturam, non mutilationem membrorum, non diruptionem ossium, vel suffossionem costarum, sed nec modicum verbum, immo nec signum ei contrarium. *Ibid.*

52. Perfectius est adversa tolerare patienter, quam bonis operibus insudare. *De Grat. virt.*, cap. 2, *de Satisfactione.*

ISIDOR. 53. Nulla tribulatio passionis terreat, quos resurrectionis spes magna lætificat. Super *Psalm.* XXIX.

S. CYPRIAN. 54. Non potest accipi dolorum et passionum corona, nisi præcedat in dolore et passione patientia. *De Bono Patient.*, cap. 4.

DIONYSIUS CARTHUS. 55. Fructuosissimum ac saluberrimum est in præsenti, paterne castigari, multipliciter tribulari, adversitatibus exerceri, corripi et tentari, dummodo patienter feratur. *Prosec.*

56. Nonne insipientiæ et nimiæ imperfectionis, imo insaniæ est indicium, non velle adversitates, correptiones, tentationes, tribulationes libenter sufferre, sed statim irasci, indignari, turbari, dejici! Super *Epist. Jacobi*, cap. 1, act. 1, in illud : *Omne gaudium existimate.*

S. EUSEBIUS CÆSARIENS. 57. Vis regnare cum Christo? patiaris cum Christo. Epist. *ad Damas. Pap. de morte D. Hieron.*

S. FRANCIS. ASSISIAS. 58. Modica passio, gloria infinita. In suis *Opusc.*, colloquio 33.

FRANCISCUS TITELM. 59. Donec excessus doloris nullus cernitur, passionum acerbitas, non quanta fuerit, æstimatur In *Annot.*, super cap. III, *Job.*

GLOSS. ORD. 60. Sancti in omnibus quæ extra et intus patiuntur, nec in injuriis Dei excedunt, nec in contumeliis pravorum. Super *Job*, cap. II.

61. Non sit grave pati, cito finiendi sunt labores, et præmia danda : brevis labor, festinata gloria. Super *Apocal.*, cap. 1.

S. GREGOR. MAGNUS. 62. Maledicus patitur, qui passionis suæ tempore, in sui saltem injuriam persecutoris effrænatur. Lib. 3 *Moral.*, cap. 12, super illud I *Petri* IV : *Nemo vestrum patiatur quasi maledicus.*

63. Quo se interius gaudiis animus robustius inserit, eo minus exterius dolores sentit. *Ibid.*, lib. 10, cap. 12.

64. Pia mens cum se adversa ab hominibus perpeti conspicit, in divinæ gratiæ consolatione requiescit. *Ibid.*, lib. 2, cap. 9, num. 14.

65. Justa sunt cuncta quæ patimur; et valde injustum est, si de justa passione murmuramus. *Ibid.*, cap. 13, num. 18.

66. Valde minoris laboris est, aut docere cum nihil toleras : aut tolerare cum nihil doces. *Ibid.*, lib. 3, cap. 12.

67. Justitia exigit, ut ea inviti patiamur, quæ arbitrio et sponte volentes fecimus. *Ibid.*, lib. 4, cap. 24.

68. Tanto quisque se ad fortitudinem profecisse verius demonstrat, quanto aliena mala robustius tolerat. *Prosec.*

69. Qui in eo conferre contrarietatem non valet, pusillanimitatis suæ gladio confossus jacet. *Ibid.*, lib. 5, cap. 13.

70. Quo unicuique plus dulce fit, quod de æternis desiderat, eo magis ei grave ostenditur, quid pro præsentium amore tolerat. *Ibid.*, lib. 8, cap. 5, num. 9.

71. Mala præsentis vitæ tanto durius animus sentit, quanto pensare bonum, quod sequitur, negligit : et quia non vult præmia considerare, quæ restant, gravia æstimat esse quæ tolerat. *Ibid.*, lib. 10, cap. 12.

72. Perfectæ magnitudinis laus est, adversa perpeti : et exterius fortiter, et interius clementer. *Ibid.*, lib. 22, cap. 7, num. 12.

73. Plerumque nimis taciti, cum nonnulla injusta patiuntur, eo in majorem dolorem prodeunt, quo ea quæ sustinent, non loquuntur. Part. 3 *Pastoral.*, cap. 1, admonit. 15.

74. In his quæ patimini, nullum contra Deum murmur cordi vestro surrepat : quia ad quid hoc Creator noster operetur, ignotum est. Lib. 8 in *Registro*, indict. 3, cap. 31, epist. 31, *ad Libertinum expræfect.*

75. Creatori nostro in cunctis adversitatibus gratias referamus, atque de ejus misericordia confidentes, patienter omnia toleremus : quia semper minus patimur, quam meremur. *Ibid.*, cap. 41, epist. 41, *ad Dominic. episc. Carthagin.*

S. GREGOR. NAZ. 76. Nil ita vincit persecutorem, sicut promptitudo passionis. Orat. 21, *ad Heronem.*

S. HIERON. 77. Magnus est, qui vicerit magna : ingentis virtutis est, ingentia superare. Epist. 6, *ad Amicum.*

78. Nemo id necessitate pati non potest, quod pro Deo pati voluntate delectat. In *Regula monachor.*, cap. 8, *de Laudibus eremi.*

79. Nihil est quod non toleret, qui perfecte diligit. In *Regula monachor.*, cap. 28, *de Charitate.*

S. HILARIUS. 80. Breve est quidquid patimur ab adversariis Dei, et habet victoriæ præmium, licet non habeat prælii longi laborem. Super *Psalm.* CXXIV.

HUGO A S. VICTORE. 81. Qui dolorem capitis non patiuntur benigne, pro Christo capitis abscissionem quomodo paterentur? Lib. 1 *de Claustro animæ*, cap. 12.

HUGO CARD. 82. Boni patiuntur et mali : sed boni salubriter mali vero ad cumulum damnationis. Super *Gen.*, cap. XL.

83. Quidquid mali patimur, vitii nostri est, qui dulcem Deum vertimus in amarum, et cogimus sævire nolentem. Super *Psalm.* LXXVII.

84. Quod jure quis patitur, non est injuria : aliud est enim pati injuriam, aliud pati supplicium : injuriam patimur injuste, supplicium juste. Super *Psalm.* XLV.

85. Facta præcedentium recolamus, et gravia non erunt, quæ sustinemus. In *Prologo.*

86. Patiuntur sancti a mundo, a se, a Deo, a diabolo. Super II *Tim.*, cap. III.

S. JOANNES CHRYSOST. 87. Gratia vere maxima est, dignum censeri propter Christum aliquid pati : et corona vere perfecta, et merces futura retributione non minor. Homil. 5, *de Fide Annæ.*

88. Magna consolatio est, aliquid propter Christum pati. Homil. 31, super *Acta Apost.*

89. Non ad punitionem aliquas passiones hic susceperunt sancti : sed ut clarius in luctamine vicisse cognoscerentur. Homil. 42, super *Matth. Oper. imperf.*

90. Pro Christo pati, gratuitum munus est, ac majoris admirationis, quam sit revera mortuos excitare, et signa miranda patrare. Serm. 4, super *Epist ad Philip.*

91. Si in hac vita male patimur, gaudeamus : peccatorum quippe est expiatio. Homil. 5, super *Epist. ad Hebr.*

92. Quanto quis acerbiora passus fuerit, tanto magis gloria excrescit. *Ibid.*, homil. 22.

93. Quod male fers, assuesce, feres. Tract. *de Parvul. ad Christum trahendis*, consid. 1. JOAN. GERS.

94. Omnes cupimus vivere et regnare cum Christo, sed non omnes pati volumus cum Christo. Super Prolog. *Regul. S. Bened.*, cap, 2, text. 8. JOAN. TRITH.

95. Tanto spes in Deo solidior surgit, quanto pro illo quisque graviora pertulerit. In cap. 4, *Regul. S. Bened.*, verbo *Justus.*

96. Si vis esse in numero filiorum, sis prius in collegio patientium. *Ibid.*, in cap. 7, grad. 4, verbo *Quanto.*

97. Nemo patiens, nisi doctus : eum itaque æstimaverim doctum, qui sapienter patitur quod viderit patiendum. *Prosec.*

98. Non est virtus pati, nisi sit voluntas resignata patiendi : patiuntur fures supplicium, et quia non est Deo subjecta voluntas, patiendo impatientes dicuntur. Epist. 3, *ad Quasdam moniales.*

99. Considerare unumquemque secum decet, quanto satius sit, pro perpetuis bonis, mala brevia perferre, quam pro brevibus et caducis bonis mala perpetua sustinere. Lib. 6, *de Divin. inst.*, cap. 4. LACT. FIRM.

100. Omnia amara et gravia patienter ferenda sunt. *Ibid.*

101. Passio passione vincitur, et cruciatus cruciatibus superatur. *De Casto connub.*, cap. 8. S. LAURENT. JUSTIN.

102. Pati pro Deo res tantæ dignitatis est, ut homo jure se reputare debeat eo honore indignum. *De Instit. spirit.*, cap. 8. LUDOVICUS BLOSIUS.

103. Qui acerba tolerat, læta etiam adipiscetur : et qui tristia fortiter sustinet, non carebit jucundis. *De Orat.*, cap. 87. S. NILUS ABB. MART.

104. Si dura sunt quæ sentis, reputes te durioribus esse dignum. Epist. 134, *ad Vuillelm. electum.* PETRUS BLESENSIS.

105. Expedit, tolerari dura ne veniant duriora. *Ibid.*, epist. 137, *ad Alexandr. de S. Albano.*

106. Tunc leve nobis videtur omne quod pati- S. PET. DAM.

mur, si gravius esse perpendimus quod meremur. Lib. 8, epist. 14, *ad Strores.*

PHILO JUD. 107. Proprium est creaturæ pati. *De Cherubin.*

TERTULLIA. 108. Nihil amarius quam id ipsum pati quod feceris aliis. Lib. 2, *advers. Marcionem*, cap. 18.

THOMAS A KEMPIS. 109. Heu me miserum et infelicem! parvam corporis læsionem sentio, et gravissimas Domini mei pœnas non pondero. Medit. 22, *de Chr. passione*, cap. 9.

110. Si nihil adversitatis vis pati, quomodo eris amicus Christi? Sustine cum Christo et pro Christo, si vis regnare cum Christo. Lib. 2, *de Imit. Christi*, cap. 1, sect. 4.

111. Qui melius scit pati, iste est victor sui et dominus mundi, amicus Christi, et hæres cœli *Ibid.*, cap. 3.

112. Satis cito sentimus et ponderamus quid ab aliis sustinemus : sed quantum alii de nobis sustinent, non advertimus. *Ibid.*, cap. 5, sect. 1.

113. Pati tibi remanet, si Jesum diligere, et perpetuo illi servire placet. *Ibid.*, cap. 12, sect. 12.

114. Utinam dignus esses aliquid pro nomine Jesu pati, quam magna gloria remaneret tibi. *Ibid.*, cap. 12, sect. 13.

115. Merito deberes libenter modicum pati pro Christo, cum multi majora patiantur pro mundo. *Ibid.*

116. Nihil Deo acceptius, nihil tibi salubrius in mundo isto, quam libenter pati pro Christo. *Ibid.*, cap. 12, sect. 14.

117. Si dixeris te non posse multa pati, quomodo tunc sustinebis ignem purgatorii? de duobus malis minus est semper eligendum : ut ergo æterna futura supplicia possis evadere, mala præsentia studeas pro Deo æquanimiter tolerare. *Ibid.*, lib. 3, cap. 12, sect. 2.

118. Sive parva, sive magna sint, stude cuncta patienter sufferre. *Ibid.*, cap. 19, sect. 1.

119. Non est verus patiens qui pati non vult, nisi quantum sibi visum fuerit, et a quo sibi placuerit. *Ibid.*, cap, 19, sect. 3.

120. Sine certamine non potes venire ad patientiæ coronam : si pati non vis, recusas coronari. *Ibid.*, cap. 19, sect. 4.

121. Noli, miles Christi, desperare, nec æstimes te a Deo derelictum, si multa tibi occurrunt ad patiendum : quia non est melior Christo passo nec martyribus sanctior atrociter interfectis. Serm. 14, *ad Novit.*, divis. 7.

IN VITIS PATR. 122. Porta cœli injuriarum atque tribulationum est perpessio. Lib. 3, num. 84.

123. Quanto magis homo exterior patitur, tanto amplius interior viret. Lib. 10, cap. 5.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

124. Quod merito pateris, patienter ferre memento. Lib. 3 *Distichor.*, metr. 37. CATO POET.

125. Quando præstitimus quod debuimus, moderate quod evenit, feramus. Lib. 6, epist. 4, *ad Torquatum.* CICERO.

126. Est utilis ad persuadendum ea quæ acciderunt ferri posse, et oportere, enumeratio eorum qui talia tulerunt. Lib. 4, *Tusc. quæst.*

127. Optimum est pati quod emendare non possis. Epist. 107. SENECA.

128. Quod pati non vis ab alio, neque id facias. *Sent.* 169. SIXTUS PHILOSOPH.

Vide etiam tit. *Correctio*, sent. 112; *Jesus*, sent. 38; *Innocentia*, sent. 37, 57; *Martyrium*, sent. 76, 166; *Murmur*, sent. 46; *Onus*, sent. 60; *Persecutio*, sent. 24, 26.

PASSIO CHRISTI.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Doles, domine, non tua, sed mea vulnera : non tuam mortem, sed nostram infirmitatem. Lib. 10, super *Luc.*, cap. XXII, in illud : *Tristis est anima mea.* S. AMBROS.

2. Passio Christi nostra redemptio est, mors Christi vita nostra est. Serm. 56, *de Cruce Christi.*

3. Passio Christi est regni apertio. Serm. *Dom.* 2 *post. Trinit.* S. ANTONIUS DE PADUA.

4. Sanandæ nostræ miseriæ convenientior modus alius non fuit, nec esse oportuit, quam per Christi passionem. *Prosec.* S. AUGUST.

5. Quid tam necessarium fuit ad erigendam spem nostram, mentesque mortalium, quam ut demonstraretur, quantum Deus nos diligeret? Lib. 13 *de Trinit.*, cap. 10.

6. Christus esurivit, qui omnes pascit; sitivit, per quem creatur omnis potus; ab itinere terrestri fatigatus est, qui se ipsum nobis viam fecit in cœlum; Obmutuit et obsurduit coram conviciantibus se, per quem mutus locutus est, et surdus audivit; vinctus est, qui de infirmitatum vinculis nos solvit; flagellatus est, qui omnium dolorum flagella de hominum corporibus expulit; crucifixus est, qui cruciatus nostros finivit; mortuus est, qui mortuos suscitavit; resurrexit nunquam moriturus, ne ab illo quisquam sic disceret mortem contemnere quasi nunquam futurus. *De Catechiz. rudib.*, cap. 22.

7. Inspicite vulnera pendentis, cicatrices resurgentis, sanguinem morientis, pretium credentis, commercium redimentis. *De sancta virginit.*, cap. 54.

8. O error horrendus! itane, o Caipha, ut placeas Deo percutis placentem Deo, et templum Dei vivum te feriente prosternitur, ne Dei templum

lapideum deferatur ! o execrabilis cæcitas ! Tract. 93 super *Evang. Joan.*, cap. XVI.

9. Morte Christi pejus nihil fuit inter omnia genera mortium : mors protendebatur, ne dolor citius finiretur. *Ibid.*, tract. 36.

10. Passurus Christus exitia, præmisit obsequia, non solum eis pro quibus erat subiturus mortem, sed etiam illi qui eum fuerat traditurus ad mortem. *Ibid.*, tract. 55, cap. XIII.

11. Non est mors Christi nostrorum gloria meritorum, sed medicina malorum. *Ibid.*, tract. 110.

12. Sciebat Christus quare cicatrices in corpore suo servaret, ut vulnera dubitationis in cordibus discipulorum sanaret. *Prosec.*

13. Sicut demonstravit Thomæ non credenti, nisi tangeret et videret, ita etiam inimicis suis vulnera demonstraturus est sua : non ut eis dicat sicut Thomæ, *Quia vidisti, credidisti* : sed ut convincens eos veritas dicat : Ecce hominem quem crucifixistis, ecce Deum et hominem in quem credere noluistis ; videtis vulnera quæ infixistis ? agnoscitis latus quod pupugistis ? quoniam et per vos et propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis.

14. Qui non estis redempti pretio mei sanguinis, non estis mei : *discedite a me in ignem æternum.* Lib. 2 *de Symbolo,* cap. 8.

15. Tuta et firma requies est infirmis et peccatoribus in vulneribus Salvatoris. *Prosec.*

16. Securus illic habito, patent mihi viscera per vulnera : quidquid ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini mei. In *Manuali*, cap. 21.

17. Vulnera Jesu Christi plena sunt misericordia, plena pietate, plena dulcedine et charitate. *Ibid.*

18. In omnibus adversitatibus non inveni tam efficax remedium, quam vulnera Christi : in illis dormio securus, et requiesco intrepidus. *Prosec.*

19. Cum me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi.

20. Cum me premit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei resurgo.

21. Cum diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordiæ Domini mei, et recedit a me.

22. Si ardor libidinis moveat membra mea, recordatione vulnerum Domini mei extinguitur. *Ibid.*, cap. 22.

23. Nihil tam ad mortem amarum, quod morte Christi non sanetur. *Ibid.*

24. Si passio Redemptoris ad mentem reducitur, nihil tam durum quod non æquo animo toleretur. *Prosec.*

25. Christus opprobria, irrisiones, contumelias, alapas, sputa, flagella, spineam coronam, cæteraque sustinuit, et nos miseri ad nostram confusionem uno sermone fatigamur, uno verbo dejicimur. *De Conflictu vitior. et virt.*, cap. 9.

26. Christi passiones imitandæ sunt, non a christiano deliciæ conquirendæ. *De Pastoribus*, cap. 5.

27. Ad confortandum cor tuum venit Christus pati, venit ille mori, venit ille sputis liniri, venit spinis coronari, venit opprobria audire, venit postremo ligno configi : omnia hæc ille pro te, tu nihil pro illo, sed pro te. *Ibid.*

28. Filius Dei ad crucem ducitur : expalmatur, qui est vera palma victoriæ ; spinis coronatur, qui spinas peccatorum venit confringere ; ligatur, qui solvit compeditos ; ligno suspenditur, qui erigit elisos ; aceto potatur fons vitæ ; disciplina cæditur ; salus vulneratur ; vita moritur ; occiditur ad tempus vita, ut in perpetuum a vita occideretur mors. *De Quatuor virt. Charit.*

29. Ecce pro impio pietas flagellatur, pro stulto sapientia illuditur, pro mendace veritas necatur : damnatur justitia pro iniquo, misericordia afficitur pro crudeli, pro misero repletur sinceritas aceto, inebriatur felle dulcedo, addicitur innocentia pro reo, moritur vita pro mortuo. Serm. 1, *Dom. in Ramis.*

30. Accusatur Christus et tacet : bene tacet qui defensione non eget, non ut reus excusat se tacendo, sed despicit falsidicos refellendo. *Prosec.*

31. Taciturnitas negat quod objicitur, cum non vult respondere ad quod quæritur. Serm. 1 *Fer.* 2, *post Dom. Palmar.*

32. Quid profuit Pilato testimonium perhibuisse innocentiæ, et velut reum addixisse nequitiæ, nisi quod gravius peccatum est unum eumdemque et pronuntiare justum, et tradere criminosis. *Ibid.*, serm. 2.

33. Aceto potatus est Christus, ut nos inebriaret dulcedine cœlestis desiderii, et æterni gaudii. Serm. 1 *Vigil. Pent.*

34. Nihil tam salutiferum nobis est, quam quotidie cogitare quanta pro nobis pertulit Deus et homo. Serm. 32 *ad Fratr. in eremo.*

35. Extremum moriendi genus elegit Christus, ut nullam mortem martyres formidarent. Apud *Bonavent.*, serm. 6, *in Parasceve.*

36. Proh dolor! jacet extensus ante hominem Deus, et supplicium patitur rei, in quo nullum peccati vestigium potuit inveniri. Hab. in *Glossa ord.*, super *Matth.* cap. XXVII.

S. BASILII SELEUC.

37. Via ad salutem, passio : et crux, regni conciliatrix. Orat. 31.

S. BERNARD.

38. Opportune processioni passio conjuncta est, ut discamus in nulla lætitia hujus sæculi habere fiduciam. Serm. 2 *Dom. Palm.*

39. In passione Christi tria specialiter convenit intueri : opus, modum, causam; nam in opere patientia, in modo humilitas, in causa charitas commendatur. Serm. *Feriæ 4, hebdom. pœnosæ.*

40. Christus est appetitus insidiis, interrogatus contumeliis, pulsatus injuriis, vexatus suppliciis, lacessitus conviciis. *Ibid.*

41. Quam fortiter, Domine Jesu, tam indigna quam aspera pro hominibus passus es, dura verba, duriora verbera, durissima crucis supplicia. Serm. 2 *Pentec.*

42. O duri et indurati et obdurati filii Adam! quos non emollit tanta benignitas Salvatoris, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amator, qui pro vilibus sarcinulis tam pretiosas merces expendit sanguinis sui. *Ibid.*

43. Pudeat sectari gloriam membra, quibus caput suum tam inglorium exhibetur. *Prosec.*

44. Pudeat sub spinato capite membrum fieri delicatum. Serm. 5. *Omn. Sanctorum.*

45. O! quam indebita miseratio, quam gratuita dilectio, quam inopinata dignatio, quam stupenda dulcedo, quam invicta mansuetudo, Regem gloriæ pro despicatissimo vernaculo, imo vermiculo crucifigi! Quis audivit unquam tale, aut quis vidit huic simile? Serm. *de Quadruplici debito.*

46. Passio Christi ultimum refugium, et singulare remedium est : deficiente sapientia, justitia non sufficiente, sanctitatis succumbentibus meritis, illa succurrit. Serm. 22 super *Cant.*

47. Revera ubinam tuta, firmaque infirmis securitas et requies, nisi in vulneribus Salvatoris? tanto illic securior habito, quanto ille potentior est ad salvandum. *Ibid.*, serm. 61.

48. Christus flagellis cæsus est, spinis coronatus, clavis confossus, affixus patibulo, opprobriis saturatus, omnium tamen dolorum immemor : *Pater*, ait, *ignosce illis.* Serm. 4 *Hebdomadæ pœnosæ.*

49. De omnibus anxietatibus et amaritudinibus Domini Dei tui colliga quasi fasciculum, ut amarum poculum lacrymarum tibi conficias. In *Formula honestæ vitæ.*

50. Vinciamur vinculis passionis boni Jesu, ut etiam vinculis charitatis cum illis vinciri possimus. Lib. *de Passione Domini*, cap. 4.

51. Quid utilius, quid amarius, quid decentius passione Jesu Christi? *Ibid.*, cap. 31.

52. Quidquid pati potuerimus, amaritudini Dominicæ passionis comparatum, aut parum, aut nihil poterit æstimari. *Ibid.*, cap. 23.

53. Quid tam amarum quod in recordatione vivificæ Passionis non possit dulcescere? *Prosec.*

54. Cum passio Jesu in memoria reducitur, necesse est omnem passionem hominis levem videri respectu passionis Dominicæ, quam pro omnibus voluit sustinere Deus et homo, mediator Dei et hominum, Dominus Jesus.

55. Vere nihil est quod ita ab omnium vitiorum impulsu, contagione cogitationem nostram purificet, et in puritate conservet, sicut jugis memoria passionis Domini Jesu. *Ibid.*, cap. 44.

56. *Quod facis, fac citius* : vis me vendere Judæis, o Juda? volo vendi. Vis me tradere? volo tradi. Vis ut crucifigar? volo crucifigi. Vis ut occidar? volo occidi, hoc amo, hoc affecto; quod facis, fac citius. Serm. 3 *de Cœna Dom.*

57. Attende, o homo, capitis inclinationem ad osculum, extensionem brachiorum ad amplexum, apertionem lateris ad affectum. Serm. *de Exaltatione sanctæ Crucis.* S. BONAV.

58. Clamat clavus, clamat vulnus, quod misericordiæ non est numerus. *Ibid.*

59. Patet amor cordis per vulnera corporis. *Ibid.*

60. Nunquam potest diabolus melius vinci, quam in memoria passionis Christi. Serm. *Dom.* 1 *post Pent.*

61. Memoria passionis Christi armatura est ad omnia diabolica tentamenta superanda. Serm. 4, *Dom.* 13 *post Pentecosten*, super illud *Ephes.* VI : *Induite vos armaturam Dei.*

62. Quanta confusio nobis esse debet, nolle pro illo mori, vel pro eo modicum quid pati, qui pro nobis affixus est cruci? Serm. 1, *de S. Bartholom.*

63. Passio Christi comparatur mari, propter pœnalitatis amaritudinem : flumini, propter charitatis dulcedinem. Super lib. 1 *Sent.*, Procemio.

64. Passus est Christus passione acerbissima, quia non solum docendo, ut patiens per vulnera; sed etiam condolendo, ut compatiens propter nostra delicta. *Prosec.*

65. Passus est Christus passione generalissima, passione acerbissima, passione ignominiosissima, passione interemptoria, sed vivificativa. In *Breviloq.*, part. 4, cap. 9.

66. Sit regula nostra vivendi passio Salvatoris, et tanto amplius in hoc consolemur, quanto amplius Christo conformamur : et tanto amplius desolemur, quanto sub hoc exemplari amplius elongamur. Part. 1, in *Stimulo amoris*, cap. 4.

67. Passio gloriosissima Jesu Christi, non solum fidei fundamentum est, sed et spei erectio, ubi seipsum donavit, et charitatis inflammatio, ubi se pro nobis immolavit. *Ibid.*, cap. 6.

68. Passio Christi fons est gratiæ et gloriæ, decor et perfectio hierarchiæ cœlestis. *Ibid.*, cap. 12.

69. Passio Christi tantæ benignitatis est, ut nihil clementius, nihil benignius, nihil amicabilius

cogitari possit. *De Perfect. vitæ ad Sorores*, cap. 6.

CASSIODOR. 70. Per Christi passionem provenit salus fidelium, et vita justorum. Super *Psalm.* XXI, vers. 4.

71. Passus est Christus propter nos, ut nullus pro ipso pati velle refugiat. Super *Psalm.* LVI, vers. 1.

72. Christus in die crucifixionis suæ sic obumbratus atque defensus est, ut nec animus ejus confusionem aliquam pateretur, nec caro ipsius corruptionis injuriam sustineret. *Prosec.*

73. Bene ergo definita est passio Domini, dies belli; scilicet quando diabolo victo, infernorum claustra dirupta sunt, captivi liberati sunt, solusque moriendo triumphavit, qui novo more mortem morte destruxit. Super *Psalm.* CXXXIX, vers. 8.

S. CYPRIAN. 74. Christus innocens et justus, immo innocentia ipsa, et ipsa justitia, inter facinorosos deputatur, et testimoniis falsis veritas premitur, judicatur judicaturus, et Dei sermo ad victimam tacens ducitur. *De bono patient.*, cap. 3.

75. O novam crudelitatem! commota est omnis creatura in Domini passione, angelus in pœnitentiam conciso velamine refugit, plebs autem sine pavore integra veste permansit. *Adversus Judæos, qui insecuti sunt Dominum*, cap. 3.

DIONYSIUS CARTHUS. 76. Remedium remediorum, maxime expugnantium universarum tentationum, est diligens consideratio acerbissimæ Christi passionis. In *Exhort. ad novit.*, art. 6.

77. Passio Christi variis modis est recolenda : primo ad condolendum, secundo ad imitandum, tertio ad gratulandum, quarto ad admirandum, quinto ad prævalendum in omni tribulatione, sexto ad contemplandum, septimo ad inflammandum. *Ibid.*, art. 7.

S. FRANCIS. ASSISIAS. 78. Nihil mihi tam delectabile, quam vitæ et passionis Dominicæ memoria, quæ mihi frequens est, et quotidiana; nec ad finem usque mundi si vixissem, alia indigerem lectione. In suis *Opusc.*, apophthegm. 56.

GILLEBERT. ANGLUS. 79. Horret Christus magis asperitatem morum, linguæ stimulos, quam aculeos spinarum. Serm. 20, super *Cant.*

GLOSS. ORD. 80. Christus prævidens ex passione sua discipulos perturbandos, prædicit et passionis pœnam, et resurrectionis gloriam : ut cum morientem cernerent, resurrecturum non dubitarent. Super *Luc.*, cap. XVIII.

S. GREGOR. NAZ. 81. Aceto potatur, qui aquam in vinum commutaverat : felle cibatur, qui acerbum adeo gustum in suavitatem verterat : nimirum totus dulcedo, totus voluptas, denique totus desiderabilis. Lib. 3 *de Theologia.*

S. HIERON. 82. Felix qui non in sapientia, non in divitiis, non in eloquentia, et potentia seculari; sed in Christi passionibus gloriatur. Super *Epist. ad Philemon.*, in illud; *Paulus vinctus*, etc.

S. HILARIUS. 83. Christus ut calix a se transeat, rogat : non ut ipse prætereatur, sed ut in alterum id quod a se transit, excedat; et se pati pro iis rogat, qui passuri post se erant. Super *Matth.*, can. 31, in illud : *Transeat a me calix iste.*

HUGO A S. VICTORE. 84. Christus vili pretio appretiatus est, a discipulo traditus, vilissime detentus, ligatus, alapis cæsus, flagellatus, a falsis testibus accusatus, reus mortis judicatus; coram Pilato a multis accusatur, ab Herode spernitur, alba veste induitur, latro pro eo eligitur, injuste damnatur, chlamide coccinea induitur, spinis coronatur, arundine caput ejus percutitur, propriis vestibus exuitur : crucem sibi bajulat, crucifigitur, blasphematur, aceto potatur, emisit spiritum, lancea latus ejus perforatur, sepulchro imponitur. Lib. 4 *de Propriet. rerum*, cap. 3.

HUGO CARD. 85. Ex Christi passione lux æterna acquiritur, anima satiatur, peccatorum vulnus curat. Super II *Reg.*, cap, XV.

86. Passio Christi portanda non tantum ore, sed et in opere, et in exemplo. Super *Psalm.* LIII.

87. Nemo tam saxei pectoris est, cujus cor non emolliat memoria Dominicæ Passionis. Super *Luc.*, cap. 9.

88. Tota Jesu vita fuit passio. Super I *beati Petri*, cap. IV.

S. JOANNE CHRYSOST. 89. Passio Domini nostræ beatitudinis caput atque origo est : qua vivimus, et per quam sumus. Homil. 55, super *Matth. Oper. perf.*

90. Extremas Christus contumelias sustulit; cujus caput corona, calamo, pugnis : facies sputis, maxillæ alapis, corpus reliquum flagellis, nuditate, amictu chlamidis, adoratione simulata : os quoque ipsum cum lingua aceti potione ac fellis sævissime fuit cruentatum. *Ibid.*, homil. 88.

91. Ambitur sacrum caput aculeis spinarum, et divinum verticem pœnalis coronæ pœna circumdat : sed in spinis illis nostra Christum peccata pungebant. Serm. 3, *fer.* 5, *Pass.*

92. Non sufficit Christo passio communis, non mors secreta, non mors simplex, non mors morti similis : nisi ut quanta erat patientia singularitatis, tanta esset et singularitas passionis. *Ibid.*, serm 6.

93. Pax cœli traditur doli osculo, tenetur tenens omnia, alligatur omnium nexus, ducitur attrahens universa, a falso veritas accusatur, sistitur cui assistunt omnia, flagellatur remissio, condemnatur venia, illuditur majestas, irridetur virtus, perfunditur largitor imbrium sputis, clavis ferri cœli strator affigitur, mellis dator cibatur felle, propinator fontium potatur aceto. *Ibid.*

94. Subjectis dare, donare servis, est assuetum donantis indicium : pati pro subjectis, pro servis mori, insigne est charitatis immensæ documentum, et singularis amoris argumentum. *Prosec.*

95. Adversis probatur amor, affectio pensatur periculis, pœnis examinatur dilectio, morte perfecta charitas innuitur. *Ibid.*

96. Si quid sustinuit Christus, non propter semetipsum, neque propter patrem suum, sed ut salvaret genus humanum. Homil. *de Cruce Dom.*

97. Judicatus est Judex, vita morti traditur; qui pascit, esurit; qui potat, sitit; qui in gloria, in ignominia est : ut Rex ad præsides, et Deus ab homine condemnatur. Serm. 1 *de Jejun.*

98. Christus vulnera sui corporis servavit, ut in die judicii proficerent ad testimonium passionis contra Judæos, et omnes qui denegant Filium Dei crucifixum. Homil. 49 super *Matth. Oper. imperf.*

99. O mentem scelestam ! similes sui petunt scelestum dimitti, insontem puniri jubent. Homil. 83 super *Joan.*

JOAN. TRITH. 100. Passio Christi nostræ salutis est pretium, ultimumque peccatorum refugium, infirmarum mentium singulare remedium, fons, origo et finis omnium bonorum, Lib. 1, homil. 16 *ad Monachos.*

101. Mentem hominis, quem passio Christi veraciter occupat, nulla rei carnalis passio fatigat. *Ibid.*

102. Passio Domini, quantum ad processum fuit injusta, quantum ad modum ignominiosa, quantum ad dolorem acerba, et quantum ad effectum fructuosa. Part. 1 *de Regione claustral.*, tract. 2, region. 2, art. 7, radice 2.

S. IRENÆUS. 103. Dominus passus est, ut eos qui erraverunt a Patre, ad agnitionem et juxta eum adduceret. Lib. 2 *advers. Hæres.*, cap. 36.

104. Dominus noster Christus passus est passionem validam, et quæ non cederet ulli : non solum ipse non periclitatur corrumpi, sed et corruptum hominem firmavit robore suo, et incorruptionem revocavit. Lib. 2, *advers. Hæres.*, cap. 36.

S. ISID. HISP. 105. Si Passio Redemptoris ad mentem reducitur, nihil tam durum est quod æquo animo non toleretur. *Prosec.*

106. Sed quanta sunt in comparatione passionum illius, quæ patimur? ille enim opprobria, irrisiones, contumelias, alapas, sputa, flagella, spineam coronam, crucemque sustinuit; et nos miseri ad nostram confusionem uno sermone fatigamur, uno verbo dejicimur. *De conflict. vitior et virt.*

LACT. FIRM. 107. Mortalis erat secundum carnem, sapiens magnificis operibus : sed judicibus Chaldæis armis comprehensus, clavis et cruce amarum toleravit finem. Lib. 4 *de Divin Inst.*, cap. 13 verbo græco θνητὸς, post Sybillam.

108. Miserabilis factus est Christus, ignominiosus et informis, ut miserabilibus spem præbeat. *Ibid.*, cap. 16 verbo græco *οἰκτρὸς*, post Sybillam.

109. Nulla gens tam inhumana est, nulla regio tam remota, cui aut passio Christi, aut sublimitas majestatis ejus in cruce ignota sit. *Ibid.*, cap. 27.

S. LAURENT. JUSTIN. 110. Passio Christi roborat debiles, fovet pusillamines, excitat pigros, nutrit parvulos, certantes provocat, accendit perfectos. *De Casto connubio*, cap. 8.

111. Cujus saxeum pectus non emolliant vulnera Salvatoris? qui pati renuet patiente Domino? *Ibid.*

S. LEO. I. 112. Debiti tui est, ut ei qui omnibus passus est, paratus sis compati. Serm. 7 *Quadrag.*

113. Certa atque secura est expectatio promissæ beatitudinis, ubi est participatio Dominicæ passionis. Serm 9 *Quadrag.*

114. Nihil ita contemplationem mentis oblectat et superat, sicut Passio Salvatoris. Serm 11 *de Passione Dom.*

LUDOVICUS BLOSIUS. 115. Nullum aliud beneficium præstitit Deus majus illo quod contulit, quando pro nobis pati voluit. In *Canon. vitæ spirit.*, cap. 19.

116. Depinge mentem tuam suavissimis imaginibus Passionis Christi, et floridam Dominicæ crucis arborem plantatam in medio cordis tui. In *Speculo spirit.*, cap. 10.

S. PETR. DAM. 117. Nihil sic valet ad extirpandas voluptatum radices, quam recordatio vulnerum Christi, qui stetit ante Judicem, qui flagellatus est, consputus, qui coronatus spinis, qui colaphis cæsus, qui suspensus in ligno, qui mortuus in cruce. Serm 59 *de S. Nicolao.*

RABANUS. 118. Passio Christi cœlum sustentat, mundum regit, tartarum perfodit. Lib. 1 *de laude Crucis.*, declarat. 2.

119. In passione Christi confirmantur angeli, redimuntur populi, conteruntur inimici, stabiliuntur subsistentia, animantur viventia, conservantur sentientia, illustrantur intelligentia. *Ibid.*

SALVIANUS. 120. Christus sicut pro omnibus passus est, sic pro singulis : et cunctis se impendit, pariter et singulis : et totum se dedit universis, et totum singulis. *Prosec.*

121. Ac per hoc quidquid passione sua Salvator præstitit; sicut totum ei debent universi, sic totum singuli, Nisi forte plus singuli, quam universi : quia tantum acceperunt singuli, quantum universi. Lib. 2 *ad Eccles. cathol.*

122. Quidquid libet homo pro Deo perferat, solvi omnino non potest, quod Deus pro homine perpessus est. *Prosec.*

123. Quia etiamsi passio ipsa non differat in genere pœnarum, multum tamen distet necesse est diversitas patientium. *Ibid.*

S. THOMAS AQUINAS.

124. Passus est Christus omnes passiones humanas, non quidem secundum speciem, sed secundum genus, ut totum humanum etiam ex hoc liberasse genus diceretur. Part. 3, quæst. 46, art. 5.

125. Dolores quos Christus passus est, omnes excesserunt dolores, quos homines pati possunt in hac vita. *Ibid.*, art. 6.

126. Utilitas passionis Christi salus est Christianorum. *De Passione Christi.*

THOMAS A KEMPIS.

127. Multa bona confert homini passio Christi, ad memoriam reducta : et quanto sæpius et intentius de ea cogitatur, tanto dulcius sapit, et vehementius compungit. Medit. 25 *de Christi Passione*, cap. 1.

128. Revera passio Christi est thesaurus Dei absconditus, plenitudo omnis virtutis. perfectio religiositatis, summa totius sanctitatis. *Ibid.*

129. Passio Christi non sapit, nisi morose et seriose eam meditantibus, et ferventer cupientibus eamdem imitari. *Ibid.*, medit. 26, cap. 4.

130. Christi passio carnalibus et secularibus videtur amara et dura : sed piis et devotis dulcis est atque solatiosa. *Ibid.*, cap. 5.

131. Ex passione Christi diabolus vincitur et confunditur, infernus despoliatur, latro convertitur, mundus redimitur, cœlum aperitur, angelorum ruina restauratur. *Ibid.*, medit. 27, cap. 4.

132. Passio Christi ad memoriam reducta, est incentivum divini amoris, est doctrina patientiæ, est solatium in tribulatione, est fuga dissolutionis, est materia sacræ compunctionis, est exercitium internæ devotionis, est exclusio desperationis, est certa spes peccatorum remissionis, est reconciliatio divinæ districtionis, est mitigatio anxiæ turbationis, est sustentatio duræ increpationis, est expulsio perversæ cogitationis, est repressio carnalis tentationis, est informatio humilis subjectionis, est consolatio corporalis ægritudinis, est refutatio sæcularis honoris, est vituperatio abundantiæ temporalis, est consultatio voluntariæ paupertatis, est abdicatio propriæ voluntatis, est refutatio superfluæ necessitatis, est exsiccatio tepidæ conversationis, est inflammatio fervidæ emendationis, est impetratio gratiæ amplioris, est inductio cœlestis consolationis, est comprobatio fraternæ compassionis, est præparatio divinæ contemplationis, est augmentatio futuræ beatitudinis, est alleviatio pœnæ præsentis, est purgatio ignis sequentis. Medit. 25 *de Christi Passione*, cap. 9.

133. Pensa primo, quis est qui hæc patitur, secundo, a quibus patitur; tertio, quanta patitur, quarto, pro quibus patitur, quinto, quam longo tempore patitur, sexto, in quibus locis patitur, septimo, in quibus membris patitur. Medit. 27 *de Christi Passione*, cap. 2.

134. Ecce altissimus super omnes, infra omnes deprimitur, nobilissimus dehonestatur; speciosissimus sputis inquinatur, sapientissimus deridetur, potentissimus ligatur, innocentissimus flagellatur, sanctissimus spinis coronatur, mitissimus colaphizatur, ditissimus depauperatur; largissimus spoliatur, castissimus denudatur, dignissimus blasphematur, optimus vituperatur, doctissimus, fatuus reputatur, amantissimus oditur, veracissimus abnegatur, dulcissimus felle potatur, benedictus maledicitur; pacificus molestatur, justus accusatur; innoxius condemnatur; medicus vulneratur. Dei Filius crucifigitur; immortalis occiditur. Medit. 27 *de Christi Passione*, cap. 4.

135. Ipsa Christi sacratissima passio cunctis Sanctorum passionibus fuit dolore acerbissima, humilitate profundissima, charitate excellentissima, obedientia perfectissima, patientia fortissima, puritate innocentissima, utilitate saluberrima, meritis dignissima, remediis efficacissima, satisfactione sufficientissima, placatione aptissima, reconciliatione gratissima, oblatione acceptissima, redemptione fructuosissima, mysteriis plenissima, omnium virtutum suavitate redolentissima. *Ibid.*, cap. 9.

136. Tam magna, tam alta, tam longa, tam profunda, tam dulcis, tam devota, tam compunctiva, tam amorosa, tam fervida, tam solatiosa, tam sapida, tam virtuosa est passio Redemptoris nostri, ut nullis vocibus humanis valeat plene commendari, nullis Angelicis linguis digne queat explicari. *Ibid.*

137. Nemo ita cordialiter sentit passionem Christi, sicut is cui contigerit similia pati. Lib. 2 *de Imit. Chr.*, cap. 12, sect. 4.

138. Nec Jesus Christus Dominus noster una hora sine dolore passionis fuit, quandiu vixit. *Ibid.*, cap. 12, sect. 6.

139. Si aliquid melius et utilius saluti hominum, quam pati fuisset, Christus utique verbo et exemplo ostendisset. *Ibid.*, cap. 12, sect. 14.

Vide etiam tit. *Contemplatio*, sent. 62; *Humilitas Christi*, sent. 31; *Incarnatio*, sent. 39; *Martyrium*, sent. 34; *Meditatio* sent. 14, 26, 59, 60, 61, 82; *Meritum*, sent. 37; *Patria*, sent. 11, *Prædicatio*, sent. 34; *Redemptio humana*, sent. 28, 81; *Resurrectio Christi*, sent. 33; *Vulnus*, sent. 95.

PASTOR.

Etymologia. Pastor dicitur a *pascendo*, quia pastum dat ovibus; sive quia depascit oves. *Collat.* 49 in cap. x. S. BONAV.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANACLET. PAPA. 1. Nihil illo pastore miserius, qui gloriatur luporum laudibus, quibus si placere voluerit, atque ab his amari elegerit, erit hinc ovibus magna pernicies. *Prosec.*

2. Nullus pastor placere lupis et gregibus ovium potest : perdit enim memoriam labiorum mens terrenis obligata carceribus. In *Decretis Gratiani*, part. 1, dist. 83, can. *Nihil.*

S. ATHANAS. MAGN. 3. Pastorum absentia lupis invadendi gregis occasionem præstat. *Apolog. ad Imp. Constantium.*

S. ATHANAS. PATRIARCH. 4. Veris Pastoribus non est tutum non vigilare, et non circumquaque omnia lustrare, ovesque errantes solum quærere, ac non magis sollicitos esse pro iis quæ non errant. Epist. 1, *ad Episc. Cretæ.*

5. Perinde esse videtur gregem abesse a Pastore, ut cæcum duce carere. *Ibid.*

6. Debent officium suum facere omnes boni pastores, quicunque hoc nomine digni sunt : ita ut qui cessarit, non sit impune cessaturus. *Ibid.*

7. Sane augentur oves, et in tuto sunt, cum præsunt veri pastores : non autem qui solum bibant lac, et lana tegantur, omnique studio et arte seipsos, non oves pascant. *Ibid.*

8. Ego eum, cui grex Christi commissus est, si dignitatem muneris norit, iniquum esse arbitror, non usque ad sanguinem assidue ei studere et incumbere. *Ibid.*, epist. 4, *ad Episcop. Apameæ.*

9. Hei mihi ! non jam pastores oves pascunt, sed ovibus tanquam pane se pascunt. *Ibid.*

10. Hoc præsertim tempore supplicia non effugiet Pastor qui cum grege non laborat. *Ibid.*

11. Non patimur oves pecudes impune negligi, et patiamur pastores animarum impune seipsos pascere, non oves ? *Ibid.*, epist. 6, *ad Imperat.*

12. Si verum est quod dici solet, qui gregem pastore privat, utrique periculum creare : profecto grave supplicium manet eum, qui pastorem arcet ab ovili. *Prosec.*

13. Debet, qui pastor est usque ad sanguinem pro grege Christi non relinquendo labores perferre. *Ibid.*, epist. 7, *ad Imperat.*

S. AUGUST. 14. Deum timeamus minantem malis pastoribus, et dicentem : Quod erraverat non revocastis, et quod perierat non inquisistis. Epist. 166.

15. Pertinet ad diligentiam pastoralem, etiam illas oves, quæ non violenter ereptæ, sed blande leniterque seductæ, a grege aberraverint, et ab alienis cœperint possideri : inventas ad ovile Dominicum (si resistere voluerint) flagellorum terroribus revocare. Epist. 50, *ad Bonifac.*

16. Pascet te qui fecit te ; si pascit latronem, non pascet innocentem ? *Prosec.*

17. Pascet te qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos : si pascit damnandos, non pascet liberandos ? Super *Psalm.* LXI, vers. 10.

18. Securus mortuus est Pastor pro ove, qui resurgens possidet ovem. Super *Psalm.* XCIX, vers. 3, *Et oves pascuæ ejus.*

19. Agnus et ovis et pastor inter se amica sunt. Tract. 46 super *Evang. Joan.*, de cap. X.

20. Præpositi Ecclesiæ si pastores sunt, quomodo unus pastor, nisi quia sunt illi omnes unius membra Pastoris ? *Ibid.*

21. Dominus Jesus Christus, et ostium est et pastor : ostium pandendo se, pastor intrando per se. *Prosec.*

22. Quod pastor est, dedit membris suis. Nam et Petrus pastor, et Paulus pastor, et cæteri apostoli pastores, et boni episcopi pastores : ostium vero nemo se dicit, hoc sibi ipse proprium tenuit, qua intrant oves. *Ibid.*, tract. 47, de cap. 10.

23. Sunt pastores qui pastorum nomine gaudere volunt, pastoris autem officium implere nolunt. *De Pastoribus*, cap. 1.

24. Si nos nostra dicamus, pastores erimus pascentes nos non oves : si autem Dei sunt quæ dicimus, per quælibet ipse nos pascet. *Ibid.*

25. Qui sunt qui seipsos pascunt ? omnes qui sua quærunt, non quæ Jesu Christi. *Ibid.*

26. Si sunt bonæ oves, sunt et boni pastores : nam de bonis ovibus fiunt boni pastores. *Ibid.*, cap. 13.

27. Glorientur pastores, sed qui gloriatur, in Domino glorietur : hoc est Christum pascere, hoc est Christo pascere, præter Christum sibi non pascere. *Ibid.*

28. Diligendus est pastor, tolerandus est mercenarius, cavendus est latro. *De Verbis Dom.*, serm. 49.

29. Vita pastoris omnibus prodesse debet. Serm. 14, *ad Fratres in eremo.*

30. Nihil fœdius, nihil damnosius, nihil levius, nihil turpius in pastore, furiositate. *Ibid.*, serm. 36.

31. Pastores debent esse doctores. Epist. 56, in solut. quæst. 4.

32. Si lupi consilium fecerunt, ut pastoribus non respondeant ; quare oves consilium perdiderunt, ut ad luporum speluncas accedant ? Epistola 171.

33. Primi justi pastores pecorum, magis quam reges hominum constituti sunt. Lib. 19, *de Civit. Dei*, cap. 15.

34. Intelligas quanto esse nobis debeat cura major. Dominicas oves revocare ab erroribus ; si et ovibus turpe est vitia pastorum, si qua cogno-

verint eisdem occultare pastoribus. Lib. 4, *de Anima et orig.*, cap. 1.

35. Damnum gregis non est honor pastoris. *De Gestis cum Emerito.*

36. Gregi tuo Pastor mitis reformat quod prædo violentus abegerat. Lib. *Medit.*, cap. 8.

37. Alii sunt qui propterea tenent pastorales cathedras, ut Christi gregibus consulant; alii vero ut commodis secularibus gaudeant. Epistola 209.

38. Pastor pastorum ovem perditam, et in parvulis quærit, qui oves sanctas et justas gratis facit. Lib. *ad Bonifac.*, cap. 12.

39. Si pastoralibus visceribus præditi sumus, membris laceratis ovem quæramus, et pastori omnium cum lætitia reportemus. *De Gestis cum Emerito.*

40. Ovium vitam certum est arbitrio pendere pastorum. Epist. 86.

41. Magis timeamus ne oves Christi nequitiæ gladio necentur in corde, quam ne ferro in corpore trucidentur. Epist. 180.

42. Cum renitentes venerint quæ oves sunt, agnoscunt vocem pastoris, et se venisse lætantur, et errasse erubescunt. Tract. 45, super *Joan.*

43. Homines oves credendo sunt, oves pastorem sequendo sunt. *Ibid.*, tract. 48.

44. Non sint seipsos amantes, qui pascunt oves Christi. *Ibid.*, tract. 123.

45. Amor ejus qui pascit oves Christi, in tam magnum debet spiritalem crescere ardorem, ut vincat etiam mortis naturalem timorem. *Ibid.*

S. BERNARD. 46. Pastorum est vigilare super gregem, propter tria necessaria : ad disciplinam, ad custodiam, ad preces. Ad disciplinam, propter morum correctionem, ne grex commissus propria molestia deficiat; ad custodiam, propter diabolicam suggestionem, ne hostili seducatur calliditate; ad preces, propter tentationis instantiam, ne vincatur a pusillanimitate. In suis *Sent.*, verbo *Pastorum.*

47. In disciplina rigor justitiæ, in custodia spiritus consilii, in prece affectus compassionis. *Ibid.*

48. Boni sollicitique pastores impinguare pecus non cessant bonis lætisque exemplis, et suis magis quam alienis : nam si alienis et non suis, ignominia est illis, et pecus ita non proficit. Serm. 76 super *Cant.*

49. Qui dimittit oves in pascua absque custode, Pastor est, non ovium, sed luporum. *Ibid.*, serm. 77.

50. Quomodo in pascua divinorum educet eloquiorum greges dominicos pastor idiota : sed si doctus quidem fuerit, non autem bonus, verendum ne non tam nutriat doctrina uberi, quam sterili vita noceat. *Ibid.*, serm. 76.

51. Si rebus raritas pretium facit, nil in Ecclesia pretiosius, nil optabilius bono utilique pastore; nempe rara avis est ista. Epist. 248, *ad Eugen. Pap.*

52. Hæc sunt quæ pastori conveniunt : bonitas, disciplina, scientia, bonitas attrahit, disciplina corripit, scientia pascit. Bonitas amabilem reddit, disciplina imitabilem, scientia docibilem. Lib. 3 *Florum*, cap. 1.

53. Cum pastor per abrupta graditur, necesse est ut in præcipitium grex sequatur. Super *Sap.*, cap. 6. S. BONAV.

54. Boni pastoris est, non solum oves congregare, sed etiam a lupis defendere. Super *Luc.*, cap. 6.

55. Pastor se benignum exhibeat ovibus suis, scilicet signo, verbo, et facto. *Ibid.*, cap. 9.

56. Prælatus est pastor in pascendo, et episcopus est pastor superintendendo, et custodiendo. Collat. 49, super caput x, *Joan.*

57. Bonitas pastoris ostenditur cum sollicite vigilat et custodit gregem suum. Serm. 1, *Dom.* 1, *post Pascha.*

58. Majus signum dilectionis et benevolentiæ non postest pastor erga suum gregem ostendere, quam ut pro ejus defensione et liberatione proprium corpus morti exponatur. *Ibid.*

59. Tunc pastores præsunt secundum divinæ voluntatis beneplacitum, quando pascunt gregem suum scientia, quantum ad verbum; doctrina quantum ad exemplum : quia plus movent operum exempla, quam verborum. *Ibid.*

60. Pastor, qui diligit Deum, pascit verbo, pascit exemplo, pascit subsidio. Verbo consolationis, exemplo conversationis, subsidio subventionis. Serm. 3, *Dom.* 17 *post Pentecosten.*

61. Nonnulli pastores sunt, qui proprias oves habent, alienis etiam ovibus præesse quærunt : et ita alienis subditis quandoque intendunt, ut suorum curam negligant. Sess. 14, in decreto *de reformat.*, cap. 8 pag. 125. CONCILIUM TRIDENT.

62. Pascenda est plebs virtutum exemplis, fama laudabili, oratione assidua, prædicatione continua, ecclesiasticis sacramentis. Super *Epist. I Petri*, cap. 4, art. 9. DIONYSIUS CARTHUS.

63. Gravissima est negligentium carnaliumque pastorum damnatio. *Ibid.*

64. Non exiguum sibi damnum conciliat Pastor, qui extra ovile dormit ovium : somnolentia enim pastorum, luporum est gaudium. *De timore Dei.* S. EPHRÆM.

65. Satius est pasci diligenter, quam pascere negligenter. *Ibid.*

S. EUSEBIUS CÆSARIENS. 66. Heu quot hodie in Ecclesia sunt, non pastores, sed mercenarii, ad quos nihil pertinet de ovibus Jesu Christi. *Prosec.*

67. Certe nil pejus, nil abominabilius, quam cum ille qui custodire deberet oves, dissipat. *Epist. ad Damas. Pap. de morte D. Hieron.*

68. Negligentia pastoris efficit ut lupi in agnos audere possint. *Ibid.*

S. FRANCIS. ASSISIAS. 69. Pastor debet esse homo vitæ gravissimæ, discretionis magnæ, famæ laudabilis, privatis affectionibus carens, ne dum in parte plus diligit, in toto scandalum generet. In suis *Opusc.*, collat. 26.

GLOSS. INT. 70. Pastores, qui delicias procurant, gregis Dominici damna non curant. Super *Ezech.*, cap. 34, in illud : *Et non erat qui requireret*, etc.

GLOSS. ORD. 71. Quam rarus est pastor Domino propter Dominum serviens, et oves Christi non ad lucrum, sed amore Christi pascens! Super *Matth.*, cap. XXIV, in illud : *Quis putas est fidelis servus ?*

S. GREGOR. MAGNUS. 72. Ab imperitis pastoribus magisterium pastorale suscipitur cum magna temeritate : quoniam est ars artium regimen animarum. Part. 1, *Pastor.* cap. 1.

73. Quisquis virtutibus pollens, gregem Dei pascere renuit, pastorem summum convincitur non amare. *Ibid.*, cap. 5.

74. Tantum debet actionem populi, actio transcendere præsulis, quantum distare solet a grege vita pastoris. *Ibid.*, part. 2, cap. 1.

75. Male in se Omnipotentis Dei munera custodit, qui nitorem pastoralis culminis per maculas pravæ actionis polluit. Lib. 2, in I *Reg.*, cap. 3, super illud II : *Non audierunt vocem.*

76. Deum Pastor glorificat, qui in electione ministrorum personas non accipit : sed eos eligit, in quibus verum lumen coruscat exemplo bonorum operum. *Ibid.*, super illud : *Glorificabo eum*, etc.

77. Pastor sanctæ Ecclesiæ, qui vitæ sanctitatem habet, et divinæ prædicationis virtutem non habet : sacerdos quidem est, sed non divinus. *Ibid.*, lib. 3, cap. 4, super illud : *Et vocaverunt Philistæi*, etc.

78. Quicunque ad celsitudinem curæ pastoralis assumitur, in eadem ordinis sui sublimitate habere debet et vitæ propriæ altitudinem, et alienæ infirmitatis compassionem. *Ibid.*, lib. 4, cap. 4, super illud : *Et descenderunt de excelso*, etc.

79. Lux gregis flamma est Pastoris. Lib. 7, in *Registro*, ind. 1, cap. 32, epist. 32.

80. Decet pastorem moribus et vita clarescere. quatenus in eo, tanquam in vitæ suæ speculo plebs commissa, et eligere quod sequatur, et videre possit quod corrigat. *Ibid.*

81. Gratia major acquiritur, si de commissis ovibus lucrum offerat Domino sollicitudo pastoris. *Ibid.*, lib. 8, indict. 3, cap. 43, epist. 43, *ad Venantium Episc. Lunensem.*

82. Pastores qui plus terrenam substantiam, quam oves diligunt, merito nomen pastoris perdunt. Homil. 14, super *Evang.*

83. Stare in periculo ovium pastor non potest, qui in eo quod ovibus præest, non oves diligit, sed lucrum terrenum quærit. *Ibid.*

84. Nomen pastoris non ad quietem, sed ad laborem vos suscepisse cognoscite. *Prosec.*

85. Exhibeamus in opere quod signamur in nomine. Lib. 4, in *Registro*, indict. 13, cap. 59, epist. 15, *ad Joannem episcopum.*

86. Sicut laborantes, et circa animarum salutem sollicitos hoc nomen pastoris ante Deum æternam ducit ad gloriam : ita desides ac torpentes urget ad pœnam. *Ibid.*

87. Sit pastoris gratus coertionis stimulus, et vita imitationis exemplum. *Ibid.*

88. Quæ potest esse pastoris excusatio, si lupus oves comedit, et pastor nescit ! *Ibid.*, lib. 2, indict. 11, cap. 91, epist. 52, *ad Joan. Episc.*

89. Cum reprobi pastores præsunt, principale eis propositum est in rapina subditorum. Lib. 5, in I *Reg.*, cap. 2.

S. GREGOR. NAZ. 90. Cur teipsum facis pastorem, cum sis ovis? Orat. 20, *de Modestia.*

HAYMO. 91. Non facile tempore pacis cognoscitur quis sit pastor, quisve mercenarius : sed lupus veniens indicat, quo quisque animo super gregem invigilet. Serm. 2, *Dom.* 2, *post Pascha.*

92. Pascite gregem Dei, providentes non coacte sed spontanee secundum Deum : neque turpis lucri gratia, sed voluntarie : neque ut dominantes in cleris : sed forma facti gregis, et ex animo ; ut cum apparuerit princeps pastorum, percipiatis immarcescibilem gloriæ coronam. *Ibid.*

93. Nonnulli pastores, quamvis bene doceant, tamen quia male vivunt, magis inter mercenarios quam inter pastores computantur : quoniam quos bene docendo erudiunt, hos male vivendi exemplo destruunt. *Ibid.*

S. HIERON. 94. Detrimentum pecoris, pastoris ignominia est. Epist. 10, *ad Furiam.*

95. Futurus pastor Ecclesiæ talis eligitur, ad cujus comparationem recte grex cæteri nominentur. Epist. 41, *ad Ocean.*

96. Innocens et absque sermone pastoris conversatio, quantum exemplo prodest, tantum silentio nocet : nam et latratu canum, baculoque pastoris, luporum rabies deterrenda est. *Ibid.*

97. Nullus in Ecclesiis, quamvis sanctus sit, pastoris sibi nomen assumat, nisi possit docere

quos pascit. Lib. 2, super *Ep. ad Ephes.*, cap. 4, in illud; *Alios autem Pastores*, etc.

98. Si quis non ædificat Ecclesiam Christi, nec plebem sibi subjectam instruit : ut de subjecto populo Christi Ecclesia construatur, iste nec Apostolus, nec Propheta, nec Evangelista, nec pastor, nec magister est appellandus. *Ibid.*, super illud : *Et ipse dedit quosdam Apostolos.*

HUGO A S. VICTORE.

99. Tres sunt pastoris voces : suavis, dulcis, alta; ad infirmum suavis, ad morientem dulcis, ad surdum pertinet alta. Infirmatur, qui tentatur; moritur, qui desperat; surdus est qui non obedit. Lib. 2 *de Claustro anim.*, cap. 12.

100. Pastor oves agnoscit, infirmas consolidat, ad pascua ducit et reducit, lupos arcet voce et baculo, morbidas et ægrotas sanat, confractas alligat, errantes reducit, debiles portat, pereuntes requirit, ab eis agnoscitur. Lib. 4, *de Propriet. rerum*, cap. 14.

101. Tria pastoribus gregis Domini sunt necessaria : bona operatio, discretio, prædicatio; ut sint lux, oculus, sal. Lux bonæ operationis, ut exemplo luceant; oculus discretionis, ut discernendo inter lepram et lepram, provideant subditis; sal prædicationis et correctionis, ut prædicatione subditos erudiant, ne vermes peccatorum consumant. Lib. 1 *Miscellan.*, codic. 2, tit. 37.

102. Tanta constantia debet inesse bonis pastoribus, et fortitudo, ut nec laudibus, nec blanditiis a veritate flectantur, nec convitiis moveantur. Lib. 2 *Miscellan.*, codic. 2, tit. 131.

103. Bonus pastor Ecclesiæ est sicut adamas, quando laudatur ab hominibus, et honoratur, nec tamen laude vel adulatione a recto deflectitur. *Ibid.*

104. Qui habet pastoris nomen, sic gerat officium, ut habeat et meritum : ut non tantum sit bonus nomine, sed bonus actu, bonus et pastu sibi et gregi : quos pascit verbo, informet exemplo. Lib. 2 *Miscellan.*, codic. 2, tit. 130.

HUGO CARD.

105. Duo pastori conveniunt, sedulitas officii, et fidelitas : sedulitas in vigiliis pernoctando, fidelitas bene custodiendo. Super *Gen.*, cap. 30.

106. Felix ille pastor qui potuerit dicere (quando Christus requiret numerum ovium suarum) Nemo ex iis periit. *Ibid*

107. Multi pastorum oves suas non liberant ut pastores, sed spoliant ut fures. Super lib. *Judic.*, cap. 2.

S. JOANNES CHRYSOST.

108. Bonus pastor et talis qualem vult Christus, innumeris certat martyriis. Serm. 29 super *Ep. ad Rom.*

109. Multa opus est pastori prudentia, sexcentis etiam, ut sic dicam, oculis, ut recte undique humani animi habitum circumspicere possit. Lib. 2 *de Sacerd.*

110. Boni pastoris officium est, ut non modo illo præsente, verum etiam absente, ovile studium omne adhibeat, ne quid temere agatur. Hom. 1, *de Incomprehens. Dei natura.*

111. Si incuria pastoris quædam ovis rationalis perierit, vel a bestia fuerit et capta, grave damnum est, maximum detrimentum, ineffabilis pœna. Serm. 57, super *Gen.*

JOAN. GERS.

112. Oculus domini impinguat equum, sic pastoris auctoritas nutrit et pascit gregem suum : si tamen pastor fuerit et sagax, non lupus, non latro, non rapax. Serm. in *Concilio Rhemensi*, part. 3, provis. 11.

JOAN. TRITH.

113. Bonus pastor animarum esse non potest, qui necessitatibus infirmantium subditorum ex animo compati dedignatur. Lib. 1, hom. 16, *ad Monachos.*

114. Si Christi oves pascere renuis, lanam et lac ab eis minime quæsieris : non enim propter pastorem oves, sed propter oves pastor constitutus est. *Prosec.*

115. O pastor! quam misere decipis temetipsum : curas tantum ut comedas, qui ut curare animas posses, comedere debueras. *De Instit. vitæ sacerd.*, cap. 5.

S. ISIDORUS HISPALENS.

116. Elati pastores plebes tyrannice premunt, non regunt : quia non Dei, sed suam gloriam a subditis exigunt. Lib. 3, *de Sum. bono*, cap. 41, sent. 2.

S. LAURENT. JUSTIN.

117. Veri pastoris dignitatem amittit, qui ovium curam vilipendit, qui earum necessitatibus non ministrat. *Prosec.*

118. Præfecit namque Dominus pastores in plebibus, ut subditorum animabus ac corporibus ministrarent, non autem ut dominarentur. *De compunct. et complanctu.*

119. Boni pastoris hoc semper est proprium, ut sibi creditas oves pinguia introducat ad pascua, easque solerti cura ab incursibus silvestrium custodiat bestiarum. *De contemptu mundi*, cap. 15.

120. Pastor, ut sui mercedem non amittat laboris, pro Dei amore ovibus sibi creditis sollicite ministrare non desinat : pascat illas verbo, pascat exemplo. *De Regim. prælat.*

121. Nihil aliud est pastorale officium, quam pro ovibus sibi commissis animam ponere, et sanctitatis ac laudabilis conversationis exemplum ostendere. *Ibid.*, cap. 4.

122. Alienum esse debet ab omni vero Pastore, mercenariorum sequi affectus, qui solum quæ in terra sunt sapiunt, optantque, et absque retributione faciunt nihil. *Ibid.*, cap. 22.

S. LEO. I.

123. Quis ab insidiis luporum oves custodiet, si pastoris cura non vigilet? Epist. 92, *ad Rustic. Narbonensem episc.*

PETRUS BLESENSIS. 124. Pastor mercenarius est, qui bursæ lucrum quærit, non animæ. Epist. 157, *ad Vicarium suum.*

125. De salute animarum est in pastorum mercenariorum pectore cura minor. *Prosec.*

126. Quod infirmum est non visitant, quod confractum non alligant, quod erroneum non revocant; sed quod validum est, mactant. *Ibid.*, serm. 34, in *Festo omn. SS.*

127. Pastor quinque virgas habet in manu. Prima est potentiæ, secunda disciplinæ, tertia doctrinæ, quarta misericordiæ, quinta custodiæ. Per primam punit, per secundam corrigit, per tertiam erudit, per quartam præcipit, per quintam munit. Prima est terribilis, secunda favorabilis, tertia utilis, quarta dulcis, quinta laudabilis. Primam habet in elatos, secundam in inquietos, tertiam in parvulos, quartam in devotos, quintam in universos. *Ibid.*, serm. 46.

128. Si pastor intrusus per violentiam fuerit, si ingesserit se per simoniam, si introductus per falsam suggestionem longe est a veritate Pastoris. *Ibid.*, serm. 48.

129. Si parum est esse hominem, magnum est esse fidelem, majus est esse sacerdotem, maximum est esse pastorem. *Ibid.*

130. Ministerium tuum plus oneris habet quam honoris : si affectas honorem, mercenarius es : si onus amplecteris, pastor es. *Ibid.*, tract. *de Inst. Episc.*

S. PETRUS CHRYSOL. 131. Deus mitissimi pastoris elegit officium, personam pastoris induit, ut vagos populos, palantes plebes, dispersas longe lateque gentes, velut errantes oves, in unum pastor misericors congregaret. *Prosec.*

132. Immo ut nationes feras, prædam mortis, carnis cibum, potum sanguinis, bestiarum furorem sitientes, ad usum lactis, ad cibum graminis, ad ovium totam duceret et redderet lenitatem. Serm. 6.

133. Sicut militem tuba terribilis producit ad bellum, sic oves ad pascua dulcedo jubilationis invitat. *Ibid.*

S. PETRUS DAMIANUS. 134. Quod ab ovibus erratur, negligentiæ pastoris adscribitur. Lib. 4, epist. 15, *ad quemdam Episc.*

S. PETRUS MAURITIUS ABB. CLUN. 135. Quid dicet homo dormiens, cum ratio erit reddenda! quid homo negligens, homo nec sibi, nec suis providens? *Prosec.*

136. Magnum, magnum pastoralis officii periculum, ad quod velut cæci ad præcipitium lætantes homines currunt. Lib. 1, epist. 24, *ad Guidonem Prir. Carthus.*

PHILO JUD. 137. Pastores dicimus illos, qui modis omnibus provident, ne grex neglectus in morbos incidat. *De Agricultura.*

138. Tanta curæ pastoralis honestas creditur et utilitas, ut Poetarum gens reges soleat vocare pastores populi. *Ibid.*

139. Qui summus est in arte pecuaria, facile bonus rex evadet pulcherrimo gregi hominum præpositus, approbata industria in minore negotio. Lib. *de Joseph.*

140. Pastor non solum de se, sed etiam de grege sibi credito rationem pastori pastorum omnium reddet, qui sua suorumque detrimenta non cogitat. Lib. 1, *de Vita contemplat.*, cap. 15. S. PROSPER.

141. Pastores dici volumus, non tamen esse contendimus : officii nostri laborem vitamus, appetimus dignitatem : immundorum spirituum feras a grege dilacerando non pellimus, et quod eis remanserit, ipsi consumimus. *Ibid.*, cap. 21.

142. Greges Domini pascendos pastores facti suscipimus, et nos ipsos pascimus, quando non gregum utilitati non prospicimus : sed quid foveat et augeat nostras voluptates, attendimus. *Ibid.*

143. Lac et lanas ovium, scilicet oblationes quotidianas et decimas fidelium gaudentes accipimus, et curam pascendorum gregum ac reficiendorum (a quibus perverso ordine volumus pasci) deponimus. *Ibid.*, cap. 21.

144. Qui id in vitæ ratione sequitur, quod subditis commodum videtur, qui laborem et molestiam perferre vult, ne quid illis molestum sit, qui pro illis periclitatur, ut in pace et securitate degant, quique vigilare, et in maximo concursu sollicitudinum versari sustinet, ut noctu et interdiu subditi malis omnibus vacent, hic ovium pastor est. *Prosec.* S. SYNESUS EPISC.

145. At qui per luxum potestate abutitur, et imperium voluptate ac deliciis conterit, suas omnes cupiditates explendas sibi esse ducens, unde subditi gravissimis damnis afficiantur ; et uno verbo dicam : qui gregem non saginare, sed a grege saginari vult, eum tyrannum esse censeo, non pastorem. *De Regno ad Arcad. imperat.*

146. Proprium pastoris munus est, seipsum non pascere, sed oves. Sect. 13 super *Ezech.* in illud XXXIV : *Væ Pastoribus.* S. THEODOR.

147. Veri pastoris est, erga gregem suum misericordia affici. Super *Matth.*, cap. 9. THEOPHIL.

148. Pastor es, attende tibi ne quid te prætereat eorum quæ ad pastoris officium ac diligentiam pertinent. Serm. *de Præcepto.* S. ZENO EPISCOPUS ET MART.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

149. Pastoritiæ arti nihil aliud profecto curæ est, quam ut id quod suæ curæ commissum est, diligenter curet, ut quæ ad illud conservandum necessaria sunt, subministret. Lib. 1 *de Republ.* PLATO.

150. Qui vere pastor est, id accurate cavere de-

bet ne oves distrahat, ut Pastorem non decet; sed oves suas pascere tenetur, quatenus pastor est. *Ibid.*

151. Gravissimum omnium et turpissimum esset pastoribus, si hujusmodi canes nutrirent, ut in greges sæviant ut lupi. *Ibid.*, lib. 3.

SENECA. 152. Turba ista cum a te pasci desierit, ipsa se pascet. Epist. 20.

Vide etiam tit. *Custodia*, sent. 13; *Exemplum*, sent. 11, 13; *Papa*, sent. 19; *Persecutio*, sent. 27; *Reddere*, sent. 9, 51; *Regimen*, sent. 20, 60.

PATIENTIA in genere.

S. BONAV. *Definitio.* Patientia est virtus contumeliarum, et omnis adversitatis æquanimiter mala portans. Part. 3, *Centiloquii*, sect. 43.

Patientia est æquanimis malorum illatorum tolerantia. *Ibid.*

Patientia est omnium molestiarum aliunde illatarum victoriosa perpessio. *Ibid.*

CASSIODOR. Patientia est religiosi viri laborum ac dolorum omnium spe futurarum rerum, et amore Domini grata tolerantia. Super *Psalm.* 7.

Patientia est inter anxias tribulationes seculi usque ad finem mortis in timore Domini gratiarum actio jugiter observata. Super *Psalm.* IX, vers. 19 : *Patientia Pauperum*, etc.

CASSIODOR. & CICERO. Patientia est honestatis aut utilitatis causa rerum arduarum ac difficilium voluntaria et diuturna perpessio. Super *Psalm.* LXX, vers. 6. Et Cicero lib. 2 *de Invent. Rhetor.*

DIONYSIUS CARTHUS. Patientia, in adversis est æquanimis perpessio contrariorum. Super *Epist ad Galatas*, cap. V.

Patientia est virtus moralis passionem tristitiæ reprimens; estque æquanimis tolerantia adversitatum. Super *Epist. ad Hebr.*, cap. 10, art. 10.

S. HIERON. Patientia est omnium injuriarum et passionum tolerantia, et expectationum omnium sine præcipitatione sufficientia. In *Regula monachor.*, cap. 21.

HUGO A S. VICTORE. Tolerantia seu patientia, est diuturna alienæ improbitatis vel molestiæ sufferentia. *De fruct. carnis et spirit.*, cap. 14.

Patientia vera est æternæ respectu gloriæ, voluntaria et insuperabilis contrariorum perpessio. *Ibid.*, cap. 17.

Longanimitas est ad complenda justa desideria, infatigabilis laborum sustinentia. *Ibid.*

JOAN. CASS. A passionibus et sustentione patientiam dici nullus ignorat, ideoque constat patientem pronuntiari neminem posse, nisi eum, qui universa quæ sibi fuerint irrogata, absque indignatione toleraverit. Collat. 18, *Abbat. Piammonis*, cap. 13.

S. JOAN. CL. Patientia est infractus animi labor nullis vel proximis rationabilibus fragoribus agitatus. Gradu 27, *de Different. quietis.*

JOAN. GERS. Patientia est fortitudo sedativa commotionis animi, quæ nata est provenire ex inflictione mali præsentis per alium. Part. 4, in *Descript. terminor.*, cap. *Fortitudo.*

Patientia est voluntaria portatio, vel sufferentia cujusquam adversitatis, sive corporeæ ægritudinis sive bonorum amissionis, vel amicorum, sive aliarum afflictionum. Part. 4, serm. 3, *pro Defunctis.*

LACT. FIRM. Patientia est malorum quæ inferuntur, aut accidunt, cum æquanimitate perlatio. *De Divinis instit.*, lib. 5 *de Justitia*, cap. 23.

S. BONAV. *Divisio.* Est triplex genus patientiæ. Primum est tolerare inimicos patienter; et hoc est omnium salvandorum. Secundum, est tolerare libenter; et hoc est in virtute magnorum. Tertium, est pati gaudenter; et hoc est Apostolorum. Serm. 3 *de Apostolatu.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ALBERT MAGNUS. 1. Patientia vera et perfecta est, cum aliquis sustinet patienter injurias, non solum cum reus est, sed etiam cum innocens est. *De Paradiso animæ.*, part. 1, *de Virtut.*, cap. 4.

2. Ille vere patiens est, qui non solum molestias illatas patienter expectat et tolerat, sed etiam inferendas desiderat. *Ibid.*, cap. 4, sect. 3.

S. AMBROS. 3. Ubi patientia, ibi lætitia. Lib. 1, epist. 4, *ad Irenæum.*

S. ANSELM. 4. Patientia sine exercitio, quasi plumbea lancea est. *De Similitud.*, cap. 184.

5. Cujus patientia vinci non potest, ille perfectus esse probatur. *Prosec.*

6. Multi enim ante experimentum tribulationis putant se fortes esse, qui in ipso experimento deficiunt, et imbecilles esse apparent ad patientiam.

7. Et multi prius se putant infirmos, qui in ipso articulo passionis apparent fortissimi, dum omnia viriliter patiendo superant. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 5.

S. ANTON. 8. Patientia pugnantem inexpugnabiliter armat, hostem fortiter expugnat, de ipso nobiliter triumphat, vincentem feliciter coronat. Part. 4, tit. 3, cap. 7, § 2.

9. Patiens seipsum possidet, quia suam animam sibi subjicit, nec ab illatis exterioribus concutitur. *Ibid.*

10. Nobile genus victoriæ est, hostem debellare jacendo, et quiescendo sine ictu et repercussione, quod facit patiens. *Prosec.*

11. Sed adhuc nobilius genus victoriæ est quando non solum patiens triumphat sine ictu proprio, sed etiam quando vincit ictibus injuriantium se offerendo. *Ibid.*

12. Totius philosophiæ robur patientia est. Part. 4, tit. 11, cap. 4, § 2.

AUGUST. 13. Patientia pluris est habenda, quam omne quod potest etiam invito inimicus auferre. Epist. 5, *ad Marcellin.*

14. Paratus itaque debet esse homo justus et pius, patienter eorum malitiam sustinere, quos fieri bonos quærit, ut numerus potius crescat bonorum, non ut pari malitia se quoque addat numero malorum. *Ibid.*

15. Majus patientiæ certamen est, quando non visibilis inimicus persequendo atque sæviendo urget in nefas, qui palam et aperte a non consentiente vincatur. *De Patientia*, cap. 10.

16. Inde est patientia vera justorum, unde est in eis charitas Dei : et inde est patientia falsa iniquorum, unde est in eis cupiditas mundi. *Ibid.*, cap. 17.

17. Impatientes dum mala pati nolunt, non efficiunt ut a malis eruantur, sed ut mala graviora patiantur. *De Patientia*, cap. 2.

18. Patientes bona æterna et magna non perdunt, dum malis temporalibus brevibusque non cedunt. *Ibid.*

19. Miranda est potius quam laudanda patientia mundanorum; imo nec miranda, nec laudanda quæ nulla est : sed miranda duritia, neganda patientia. *Ibid.*, cap. 5.

20. Patientia comes est sapientiæ, non famula concupiscentiæ. *Ibid.*

21. Patientia amica est bonæ conscientiæ, non inimica innocentiæ. *Ibid.*

22. Non dabit finem sempiternæ felicitati, qui donat temporalem patientiam voluntati. *Ibid.*, cap. 20.

23. Tolera, quia toleratus es. Si semper bonus fuisti, habeto misericordiam : Si aliquando malus fuisti, noli perdere memoriam : et quis est semper bonus? *De Ovibus*, cap. 5.

24. Non invenit locum sapientia, ubi non est patientia. *De verbis Apostoli*, serm. 4.

25. Patientia fæcem totius voluptatis abstergit, limpidas animas Deo reddit, et ad portum suos amatores perducit. Serm. 32, *ad Fratres in eremo.*

26. Nunquam concupisti esse patientior, quam justior. Lib. 1, *de Lib. arb.*, cap. 1.

27. Cum caro in doloribus est, anima tunc habet magnum agonem patientiæ. Epist. 120, cap. 13.

28. Mala hujus mundi exercent patientiam. Epist. 156.

29. Erga inimicos patientia, erga amicos affabilitas esse debet. Epist. 260.

30. Non omnis qui aliquid patitur, habet eam virtutem, quæ patientia nuncupatur. *De Continent.*, cap. 12.

31. In malis quæ quisque patitur, non in bonis quibus fruitur, opus est patientia. Tract. 124, super *Joan.*

32. Patientia exercet desiderium. Tract. 4, super *Epist. Joan.*

33. Sunt homines qui cum patientia moriuntur, sunt autem quidam perfecti, qui cum patientia vivunt. *Ibid.*, tract. 9.

34. Amove a me furorem iræ, et indulge mihi scutum patientiæ. Lib. *Medit.*, cap. 1.

35. Da mihi in adversis patientiam, et in prosperis continentiam. *Ibid.*

36. Tu Domine qui exterius flagella irrogas, da semper interius indeficientem patientiam. *Ibid.*, cap. 38.

37. Non esset patientia tua, si non ibi esset et voluntas tua. Homil. 14, *ex Quinquag. homil.*, cap. 1.

38. Patientia mea a Deo est. *Ibid.*

39. Quod omni modo necesse est pati, patienter sustine. In suis *Proverb.*, verbo *Quod.* V. BEDA.

40. Triplici velut ariete patientia nostra pulsatur, verborum injuriis, damnis rerum, corporis læsione : in his tribus omnis exhibitio patientiæ consistit. Serm. 2, *De Convers. S. Pauli*, S. BERNARD.

41. Quisquis patientior, eo probatur esse sapientior. Serm. *de Donis spirit. sancti*, cap. 7.

42. Tria sunt quæ patientiam subruunt. Anxietas nimia doloris, causa justa innocentis, indignitas inferentis. In suis *Sent.*, num. 75.

43. Vera patientia est, pati vel agere contra quod libeat, sed non præter quod liceat. Epist. 7, *ad Adam monach.*

44. Tanto quisque convincitur minus sapiens, quanto minus est patiens. Serm. 35, *ad Sororem.*

45. Patientia facit reportare præmium; dum conservat et multiplicat merita passionum. Super *Luc.*, cap. XXI, in illud : *In patientia vestra*, etc. S. BONAV.

46. Patientia est prudentissima, strenuissima, nobilissima. Prudentissima ad regendum, strenuissima ad bellandum, nobilissima ad regnandum. Tit. 7 *Diætæ*, cap. 7.

47. Patientia est, quæ gloriosos martyres facit, quæ fidei nostræ bona custodit, quæ omnia vincit adversa; non colluctando, sed sustinendo; non murmurando, sed gratias agendo. Super *Psalm.* XXXII, vers. XX. CASSIODOR.

48. Nullum crimen est, quod non impatientia matre nascatur. Super *Psalm.* CV, vers. 21.

49. Patientia iræ imperat, linguam frænat, mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium simultatis extinguit, coercet potentiam divitum, inopiam pauperum refovet, tuetur in virginibus integritatem, in vi- S. CYPRIAN.

duis laboriosam castitatem, in maritatis individuam charitatem, facit humiles in prosperis, in adversis fortes, contra injurias mites, tentationes expugnat, persecutiones tolerat, passiones et martyria consummat. *De Bono patientiæ*, cap. 8.

DIONYSIUS CARTHUS. 50. Hæc virtus præcipue necessaria christiano volenti pacem cordis habere, et Deo tranquilla mente servire. Super *Ep. ad Hebr.*, cap. x, art. 10.

S. EPHRÆM. 51. Miser et infelix, qui patientiæ expers est : est enim in adversis pusillanimis, in bello facile capitur, præcipientibus resistit, in orationibus piger, in vigiliis dissolutus, in jejuniis tristis, in servanda continentia negligens, in responsis cunctabundus, in actionibus improbus, in malitia invictus, in mandatis imperiosus, in altercationibus vehemens, in quiete ac silentio impotens. *De Impatientia.*

52. Feramus æquo animo quodcunque nobis humanitus Dei voluntate accidit : nam moleste ferendo malum non corrigimus, et nosmetipsos pessum damus. *De Morte.*

S. EUSEBIUS CÆSARIENS. 53. Patientia est velum, quo in hujus mundi procellis, navis nostra quocunque flante vento navigat secure, nullum timens periculum. Epist. *ad Damas. Pap. de Morte D. Hieron.*

S. EUSEBIUS EMISSEN. 54. Magna est virtus patientia, sine qua perditur, et per quam anima possidetur. Hom. *de Plurib. Mart.*

GLOSS. ORD. 55. Primus character Apostoli est patientia, omnia dextre ac strenue ferre. Super II *ad Cor.*, cap. xii, in illud : *Signa apostolatus mei.*

GLOSS. INT. 56. Patientia adversis pulsata mollescit. Super *Psalm.* lxx.

S. GREGOR. MAGNUS. 57. Sæpe antiquus hostis, cum præparatam mentem ad tolerantiam videt, quid ab ea maxime diligatur, exquirit, et ibi scandali laqueos inserit, ut quo magis res quæque diligitur, eo per eam facilius patientia turbetur. Lib. 2 *Moral.*, cap, 25, num. 34.

58. Qui patientiam tenet, animam possidet : quia inde contra adversa omnia fortis efficitur; unde sibi et seipsum vincendo dominatur. *Ibid.*, lib. 13.

59. Nunquam est patientiæ virtus in prosperis, ille autem est patiens, qui adversis atteritur, et tamen a spei suæ rectitudine non curvatur. *Ibid.*, lib. 11, cap. 17.

60. Nullus perfectus est, qui inter proximorum mala patiens non est. *Ibid.*, lib. 20, cap. 29, num. 29.

61. Cum patientiæ virtutem apprehendere quisque conatur, præcedentium exempla conspiciat : quid Isaac patientius, qui ligna portat, et non loquitur; aræ superponitur, et non reluctatur? *Ibid.*, lib. 27, cap. 5, num. 7.

62. Patientia vera est, quæ ipsum amat, quem portat : nam tolerare, sed odisse, non est virtus mansuetudinis, sed velamentum furoris. Hom. 7, super *Ezech.*

63. Radix omnium custosque virtutum, patientia est. Hom. 35, super *Evang.*

64. Patientia est aliena mala æquanimiter perpeti, et contra eum qui mala irrogat, nullo dolore moveri. *Ibid.*

65. Tribus modis patientiæ virtus exerceri solet. Alia sunt, quæ a Deo, alia, quæ a diabolo, alia, quæ a proximo sustinentur. A proximo persecutiones, damna et contumeliæ, a diabolo tentamenta, a Deo flagella tolerantur. *Ibid.*, hom. 35.

66. Novit patientia levigare quod grave est, et constantia superare quod sævit. Lib. 7 in *Registro*, indict. 1, cap. 12, epist. 12, *ad Sabinianum episc. Jadertinum.*

67. Ego virtutem patientiæ majorem signis et miraculis esse credo. Lib. 1, *Dialogi*, cap. 2, verbo *Est.*

HUGO A S. VICTORE. 68. Effectus veræ patientiæ prominet et egreditur, dum prospera et adversa toleras cum hilaritate. Lib. 3 *de Claustro animæ*, cap. 22.

HUGO CARD. 69. Patientia est virtus quæ proprie facit hominem sui dominum, et possidere seipsum. Super *Matth.*, cap. 5.

70. Patientia recte facit beatum, quia vere beatus est qui ab omni malo liber est. *Ibid.*

71. Patientia aliquanta est, quando quis patiens est in lingua, et murmurat in corde. Magna est, quando nec loquitur, nec habet illum odio, qui ei dicit contumeliam, vel facit injuriam, sed tamen dolet. Maxima est, quando non dolet, immo gaudet de injuria, vel contumelia sibi facta. Super II *ad Cor.* 6.

IDIOTA. 72. Patientia placat severitatem, servat mentis tranquillitatem, sedat iræ ferocitatem, retinet cordis humilitatem, habet lucri utilitatem, arcet carnis agilitatem, implet divinam voluntatem. Lib. 2, *contemplat. de Vera patientia*, cap. 8.

JOAN. CASS. 73. Ipsam umbram patientiæ, quam possidere imaginarie videbamur, desidia securitatis amittimus. Lib. 8 *Cœnob. Inst.*, cap. 17.

74. Non esset laudabilis nec admiranda patientia, si nullis inimicorum jaculis impetita, tranquillitatis propositum retineret : sed in eo est præclara atque gloriosa, quod irruentibus in se tentationum procellis immobilis perseverat : nam in quo vexari frangique adversitatibus creditur, in eo potius roboratur, in eo magis acuitur, in quo putatur obtundi. Collat. 18, cap. 13.

S. JOANN. CHRYSOST. 75. Magna est patientia animæ Christianæ, omnia diaboli tela tolerat, sed non superatur,

vincit non tamen suis viribus, adjuvatur ut vincat, accipit ut perveniat, donatur ut coronetur. Hom. super illud *Psalm.* IX : *Patientia pauperum non peribit.*

76. Novem sunt gradus patientiæ. Primus, ne prior injuriam ordiare; secundus, ubi est injuria cœpta, ne par pari referas; tertius, non retaliare acceptam injuriam, sed quietum esse; quartus, ut teipsum præbeas ad injuriam sustinendam; quintus, ut etiam ad majora se præbeat, quam vult ille qui fecit; sextus, non odisse a quo ista perpetitur; septimus, etiam diligere lædentem; octavus, beneficiis quoque eum afficere; nonus, Deum pro adversario deprecari. Homil. 18, super *Matth. Oper. perf.*, in illud : *Diligite inimicos.*

77. Patientia irrationabilis vitia seminat, negligentiam nutrit; et non solum malos, sed etiam bonos invitat ad malum. Hom. 11, super *Matth. Oper. imperf.*

78. Mirabilis res est patientia, quæ in tranquillo portu animum constituit, et ab adversis ventis et fluctibus tempestatum liberum reddit. Hom. 83, super *Joan.*

79. Patientia omnium bonorum est causa, universæ Philosophiæ radix, scutum inexpugnabile, turrisque firma. Hom. 33, super I *Cor.*

80. Rebus omnibus solidior est patientia, exercitus, thesauros, equos, muros, arma, et quod cunque memores licet, æque firmum patientia nihil adduces. *Ibid.*

81. Patientia fundamentum bonorum est. Homil. 12, super II *Cor.*

82. Nihil ita ad confusionem facit gerentis mala, sicut fortis tolerantia patientis. Hom. 30, super *Ep. ad Hebr.*

83. In quibus mala pateris, fortiter tolera : fortis quippe armatura est in tentationibus patientia. *Ibid.*

.JOAN. CL. 84. Si patientiæ quæsieris baculum, cito desistent canes impudice agere. Grad. 27.

85. Non ita suo alimento, ut patientia, operarius indiget : si enim illud desit, coronam non accipiet, sed perniciem defert. *Ibid.*

JOAN. TRITH. 86. Maxima victoria est patientia vicisse hostem. In cap. 4 *Regulæ S. Bened.*, verbo *Hinc.*

87. Neque via sanctis ad cœlum fuit alia, quam patientia : neque sanctificari unquam poterit, qui patientiam abjecit. Lib. 1, hom. 18, *ad Monachos.*

.LAURENT. JUSTIN. 88. Magna et præcipua virtus est patientia, quam pariter, et vulgi publicæ voces, et Philosophi, et Oratores summis laudibus celebrant. Lib. 5, *de Divin. Inst.*, cap. 23.

89. Patienter unusquisque adversa portat, cum se meminit, quod in se habet fortasse in quo ipse debeat tolerari. *De ligno vitæ*, tract. 5, *de Patient.*, cap. 5.

90. Patientiæ virtus deficit, nisi tentatione erudiatur. *Ibid.*, cap. 4.

91. Tunc est quisque vere patiens, quando ipsum amat, quem persecutorem patitur : nam tolerasse et odisse non est virtus patientiæ, sed velamen furoris. *Ibid.*, cap. 2.

92. Patientiam, etiam antequam necesse est, exerce : ut ipsius armaturam paratam invenias, etiam in necessitate. *Parænes.* 113. S. NILUS. ABB. MART.

93. Patientiæ stude, per quam Martyres exercitatos esse compertum habemus. Et hab. *apud D. Joannem Damascenum*, lib. 3 *Parall.*, cap. 97.

94. Quod impatientia supplicium reputat, humiliter patienti ad solatium cedit. Epist. 31, *ad Abbat. de Fontanis.* PETR. BLES.

95. Quisquis desiderat terram viventium per præsentis vitæ labores ingredi, necesse est eum ad toleranda mundi pericula per patientiam confirmari. *Opusc.* 32, cap. 6. S. PETR. DAM.

96. Beata est ea natura, quæ omnibus de causis gaudet, atque ita affecta est, ut nihil omnino in mundo ægre ferat, verum iis quæ fiunt, acquiescat, tanquam quæ recte atque utiliter fiant. Et hab. apud *D. Joan. Damasc.*, lib. 1 *Parall.*, cap. 31. PHILO JUD.

97. Patientia fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adjuvat, humilitatem instruit, pœnitentiam expectat, carnem regit, spiritum servat, linguam frænat, manum continet, tentationes conculcat, scandala pellit, martyria consummat, pauperem consolatur, divitem temperat, infirmum non extendit, valentem non consumit, fidelem delectat, gentilem invitat, fœminam exornat, virum approbat, amatur in puero, laudatur in juvene, suscipitur in sene. *De Patient.*, cap. 15. TERTULLIA.

98. Primus character Apostoli est patientia. Super II *ad Cor.*, cap. 12, in illud : *In patientia*, etc. THEOPHILACTUS.

99. Sine certamine non potes venire ad patientiæ coronam; si pati non vis, recusas coronari. Lib. 3 *de Imit. Chr.*, cap. 19, sect. 4. THOMAS A KEMPIS.

100. Quanto quis patientior fuerit, tanto majori pace perfruetur. *De tribus Tabernacul.*, cap. 3, sect. 13.

101. Infinitum est quantum uni patientia sua præstat, si alter solus insaniat. Hom. 13. S. VALER. EPISC.

102. Patientia omnes aut devitat, aut portat injurias : incertum est utrum impassibilis judicetur, cum aliquid passa, quasi nihil passa sit, invenitur. *Prosec.* S. ZENO EPISCOPUS ET MART.

103. Impossibile est ejus æstimare virtutem, cujus vinci, victoria est; non illum loco vis ulla detorquet, non labor, non fames, non nuditas, non

persecutio, non metus, non periculum, non mors, non tormenta morte ipsa graviora, non potestas, non ambitio, non felicitas : semper immobilis manet, alta quadam ac divina temperantia robuste librata, universas promotiones animorum placida moderatione compescens, et ut omnia magnopere devincat, se primo vincit.

104. Non virtutes possunt esse virtutes, non perennes elementorum status, non tempora cognata connexione in solemnes reditus commearent, nisi rerum disciplinam conversionemque, quasi quædam sollicita mater patientia custodiret. Serm. *de Patientia.*

105. Impatientia quid est, nisi mens lubrica, permotionibus crebris et rapidis se semper expugnans, animus infidelis etiam sibi factus improvidus, instabilis, cæcus, incautus, inconstans, totus concitans in ruinam? *Prosec.*

106. Res sine substantia, negotium sine persona, omnia cito tentat, omnia momento disturbat.

107. Mater criminum, curiositatis magistra. acumen temeritatis, auctor detestabilium malorum : hominis namque salutem ab incunabulis mundi mors, ut jugularet ac jugulet, ab ipsa prorupit. *Ibid.*

108. Felix æternumque felix est, qui semper te habuerit in se. Tu virginitati præstas, ne flos ejus ullo morbo, ullo tempore deflorescat. Tu variarum semper in tempestatum crebris turbinibus constituta, fidissimus miserandæ viduitatis es portus Tu sanctissimo conjugali jugo rudi cervice subeuntes in nisum laboris, vel amoris æqualem, retinaculis blandis, quasi quidam peritus auriga componis. Tu amicitiam idem velle, atque idem nolle docuisti. Tu servituti unica ac fortissima consolatio, sæpe libertatem paris. Tu paupertati præstas, ut habeat totum, sui contenta, cum sustinet totum. Tu Prophetas provexisti, Christo tu apostolos glutinasti. Tu quotidiana martyrum et mater es, et corona. Tu murus fidei, fructus spei, amica charitatis. Tu specialiter omnem populum, divinasque virtutes, quasi crines effusos in unius verticis nodum, honorem, decoremque conducis. *Ibid.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 109. Nemo tolerantior est malorum homine forti. Lib. 3 *Ethic.*, cap. 6.

CATO POET. 110. Maxima morum semper patientia virtus. Lib. 1 *Distich.*, metr. 74.

MIMUS PUB. 111. Cuivis dolori remedium est patientia. Lib. in suis *Sent.*, sent. 80.

112. Furor fit, læsa sæpius patientia. *Ibid.*, sent. 131.

113. Feras quod lædit, ut quod prodest perferas. *Ibid.*, sent. 145.

SENECA 114. Libenter feras quod necesse est, dolor patientia vincitur. *De Moribus.*

VALERIUS MAXIMUS 115. Capi virtus nescit, patientia dedecus ignorat. Lib. 3 *Dictor. memor.*, cap. 2.

Vide etiam tit. *Martyrium.* sent. 51; *Monachus*, sent. 22; *Nocumentum*, sent. 30; *Passio*, sent. 57; *Perfectio*, sent. 60, 61, 62; *Victoria*, sent. 59.

PATIENTIA DEI.

HUGO A VICTORI *Definitio.* Patientia Dei est expectatio, qua Deus longanimiter expectat hominis conversionem. Lib. 2 *Miscellan.*, codicis 2, tit. 135.

IDIOTA Patientia Dei nihil aliud est quam longanimitas expectationis Dei ad pœnitentiam. Lib. 2 *contemplat. de Vera patientia*, cap. 12.

S. REMIG. *Differentia.* Patientia Dei et longanimitas in eo differunt, quod patientia Dei est, qua superbiam et procaci mente peccantes non statim punit. *Prosec.*

Longanimitas vero Dei est, qua per infirmitatem et fragilitatem, et non deliberato animo peccantes diu portat Deus, expectans illos ad pœnitentiam. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 2, can. 4.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBR. 1. Magna Domini patientia est, ut non statim peccatorem puniat, sed diu differat, expectans correctionem nec commoveatur ad ulciscendum, nisi peccator mensuram excedat. Lib 1 *de Abraham*, cap. 6.

2. Necesse est severiori pœna ut plectatur, imo flammis perennibus torqueatur, qui longa Dei patientia non solum se emendare noluit, sed adhuc addens ad contemptum exaggeravit peccata. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 2 in illud : *Secundum duritiam tuam.*

3. Patientia Dei sicut malos præparat ad interitum, ita et bonos præparat ad coronam. *Ibid.*, cap. 9, in illud : *Quæ præparavit ad gloriam.*

S. ANTON. 4. Quanto peccator magis expectatur ad pœnitentiam, et non revertitur, tanto durius punitur Part. 1, tit. 9, cap. 3, § 4.

S. ANTON ABB. 5. Benignitas et patientia Dei, super his, quæ geruntur malis, longanimiter differt, et nequaquam ulciscitur. *De Vanitate mundi.*

S. AUGU 6. Quæ iracundia sanari potest, si patientia Filii Dei non sanatur? *De Agone christiano*, cap. 11.

7. Virtus animi, quæ patientia dicitur, tam magnum Dei donum est, ut etiam ipsius qui nobis eam largitur, qui malos, ut corrigantur, expectat, patientia prædicetur. *De Patientia*, cap. 1.

8. Expectat te nunc Deus, donec resipiscas, et tu tardas? Super *Psalm.* CXLIV, vers. 8.

9. Mansuetus Dominus, longanimis Dominus, misericors Dominus, sed et justus Dominus, et verax Dominus, largitur tibi spatium correctionis,

sed tu plus amas dilationem quam emendationem. *Prosec.*

10. Semper expectas, et de misericordia Dei tibi plurimum polliceris, quasi ille qui tibi per patientiam promisit indulgentiam, promiserit tibi etiam prolixiorem vitam. Tract. 33 super *Evang. Joan.*, cap. 8.

11. Quod Deus non statim in peccatores vindicat, patientia est, non negligentia. *Prosec.*

12. Valde timendum est, ne quanto diutius expectat Deus, ut corrigamur, tanto gravius vindicet, si emendari noluerimus. *de Verbis Apostoli*, serm. 35.

13. Dum mali in sua nequitia perseverant, Deus in sua patientia perseverat. Epist. 54.

14. Multos Dei patientia perducit ad saluberrimum pœnitentiæ dolorem. *De Catechis. rud.*, cap. 25.

15. Patientia Dei ad pœnitentiam invitat malos, sicut flagellum Dei ad patientiam erudit bonos. Lib. 1 *de Civit. Dei*, cap. 8.

16. De conversione nullius desperandum est, quamdiu patientia Dei ad pœnitentiam eum adducit. Lib. 4 *de Baptismo, contra Donatistas*, cap. 54.

17. Christus præbuit exemplum patientiæ nobis de nobis, id est, homini de homine. Lib. 2 *de Actis cum Felice*, cap. 9.

18. Crux non ad potentiæ documentum, sed ad exemplum patientiæ suscepta est. Tract. 3 super *Joan.*

19. Quod tam longo tempore peccamus, et parcit Deus, non est negligentia, sed patientia. Homil. 36 *ex* LIII *Hom.*

S. BERNARD. 20. Bonus est Deus, temporale beneficium largiter impendendo : patiens est, ultionem peccatorum misericorditer differendo. In suis *Sentent.*, verbo *Bonus.*

21. Quonam poterit explicari sermone, quam benigna, quam liberalis, quamque gratuita fuerit, Domine, patientia, et miseratio tua super me? ego peccabam, et tu dissimulabas. *Prosec.*

22. Non me continebam a sceleribus, et tu a verberibus abstinebas : prolongabam ego multo tempore iniquitatem meam, et tu, Domine, pietatem tuam.

23. Sed quid prodesset expectatio, nisi sequeretur plenitudo? cumulus esset damnationis. Serm. *de Septem misericord.*

24. Duo in Deo sunt ingenitæ mansuetudinis argumenta, quod patienter expectat delinquentem, et clementer recipit pœnitentem. Serm. 9 super *Cant.*

25. Ad hoc Deus diu suspendit sententiam ultionis a contemnente, ut quandoque exhibeat gratiam remissionis in pœnitente. *Ibid.*

26. Quanto diutius nos Deus expectat, ut emendemur : tanto districtius judicabit, si neglexerimus. Lib. *Medit.*, cap. 2.

27. Etsi Deus dissimulat patienter, tamen non minus severe puniet, si nulla sit satisfactio et emendatio. *De Instit. novit.*, part. 2, cap. 6. S. BONAV.

28. Quanto nos Deus diutius expectat ut corrigamur : tanto gravius vindicat, si de correctione tardius cogitemus. Homil. 13. S. CÆSARIUS ARELAT.

29. Deus malos pro sua justitia castigare dissimulat. *Ibid.*, homil. 15.

30. Longanimus Deus hodie ad pœnitentiam expectat, quos perdere pro scelerum suorum qualitate posset. Super *Psalm.* VII, vers. 12. CASSIODOR.

31. Sustinet Deus, ut corrigat. Super *Psalm.* CII, vers. 11.

32. Cum Deus habeat in potestate vindictam, mavult tamen diu tenere patientiam, sustinens scilicet clementer et differens, ut vel sero homo ad Dominum convertatur. *De Bono patient.*, cap. 2. S. CYPRIAN.

33. Justum judicium Dei est, quia serum est, quia diu multumque differtur, ut homini ad vitam longa Dei patientia consulatur. *Ibid.*

34. Talis est Christi, ac tanta patientia, quæ nisi talis ac tanta existeret, Paulum apostolum Ecclesia Dei non haberet. *Ibid.*, cap. 3.

35. Cum plus moratur Deus ad inferendum judicia, plus inebriatur ira : et ideo plus centuplo timendum est, cum longanimiter tolerat mala, quam cum festinanter punit. Epist. *ad Damas. Pap. de morte D. Hieron.* S. EUSEBIUS CÆSARIENS.

36. Sicut Dominus benignus est in tolerando, ita justus est in puniendo. *Ibid.*

37. Quantum nunc patiens est Deus noster in sustinendis delictis nostris, tantum severus erit in discutiendis. Homil. 5 *ad Monachos.* S. EUSEBIUS EMISSEN.

38. Licet impii abutantur divina patientia, tandem tamen pœnam dant, quia ipse nostra tempora comprehensibiliter conspicit. Super *Job*, cap. 24. GLOSS. ORD.

39. Nunc diu malos tolerat Deus, quia in perpetuum damnat. *Ibid.*, cap. 35.

40. Deus ut justus vult, ut fortis potest, quare non punit? quoniam patiens est. Super illud: *Psalm.* VII, *Deus Judex justus.*

41. Peccantes sustinet Deus diu, et dat bona, et vocat multis modis. Super illud : *Psalm.* CII, *Dominus longanimis.* GLOSS. INT.

42. Nihil stultius quam patientia Dei abuti, qui dissimulat peccata propter pœnitentiam. Super *Ecclesiastic.*, cap. 5.

43. Dum quisque Dei patientia abutitur, mulctatur justa damnationis vindicta. Super *Thren.*, cap. 3. GLOSS. ORD.

44. Deus non suas ulciscitur injurias, sed tolerando persecutores mitiores reddit. Super *Luc.*, cap. 6.

S. GREGOR. MAGNUS.

45. In die ultimo tanto durius Deus districtionem exeret, quanto nunc vocandis peccatoribus suam levius patientiam sternit. *Prosec.*

46. Qui diu convertendos expectat, non conversos sine retractatione cruciat. Lib. 10 *Moral.*, cap. 17.

47. Quisquis delinquit et vivit, idcirco hunc divina dispensatio in æquitate tolerat, ut ab iniquitate compescat. *Prosec.*

48. Sed qui diutius toleratur, nec tamen ab iniquitate compescitur, munus quidem supernæ patientiæ percipit, sed reatus sui vinculis ex ipso se munere arctius adstringit. *Ibid.*, lib. 17, cap. 4, num. 3 super illud *Job.* XXIV : *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ.*

49. Ea quæ Deus diu patienter conspicit, quandoque inulta non deserit. *Prosec.*

50. Nam ecce subito iniquum rapit, et mala ejus quæ expectando pertulit, animadvertendo resecat. *Ibid.*, lib. 25, cap. 3.

51. Nemo dicat tum humana facta Deum non cernere, cum iniquum quempiam iniquitates suas libere prospicit cumulare; subito enim tollitur, qui diu toleratur. *Ibid.*

52. Dum patientia Dei peccatores ad pœnitentiam expectat, ipsi contemnentes, et rapientis diaboli non vident manum, et violentia malitiæ violenter trahuntur in gehennam. *Ibid.*, cap. 3.

53. Tanto sequitur districtior sententia, quanto peccanti magna est patientia prærogata. *Prosec.*

54. Quia divina severitas eo iniquum acrius punit, quo diutius pertulit. *Ibid.*, cap. 3.

55. Sæpe evenit, ut dum peccatores superna clementia expectat, in majorem cordis cæcitatem prosiliant. *Ibid.*

56. Æstimatur Deus injuste acta cernere, quia differt juste damnare, et magna ejus patientia, quasi quædam negligentia putatur. *Prosec.*

57. Iniquus ipse toties se in peccatis suis non videri a Deo credit, quoties inulte peccat ; emendare non vult nequitiam, pro qua dignam non perfert pœnam.

58. Qui quo pie expectatus est, eo est ad peccandum nequiter instigatus, patientiæ supernæ longanimitatem despicit, unde corrigere culpam suam debuit, inde cumulavit. *Ibid.*

59. Nunc peccantem considerat Judex, et tolerat, atque ad conversionem singulos, quia dies patientiæ et necdum est dies furoris, expectat. *Ibid.*, lib. 15, cap. 19, super illud *Job* XXI : *Detrahitur in die furoris Dei.*

60. Sæpe diu divina patientia tolerat, quos jam ad supplicia præscita condemnat : permittit florere quos adhuc cernit deteriora perpetrare. *Ibid.*, cap. 35, super illud *Job* XXI : *Interrogate quemlibet de viatoribus.*

61. Redemptor noster tanto tunc in judicium districtior veniet, quanto nobis ante judicium magnam patientiam prærogavit. Homil. 29 super *Evang.*

S. GREGOR. THAUMAT.

62. Quoniam Dei providentia propter summam æquanimitatem et clementiam, haudquaquam omnes confestim persequitur : nec malus statim post admissa flagitia pœnis afficitur, ob eam causam sibi fas esse putat vir scelestus diutius peccare, quasi innoxius discessurus; illud miser non intelligens, quod etiam post longum a perpetrato scelere tempus, Dei sententiam non effugiet. Super *Eccles.*, cap. VIII.

S. HIERON.

63. Deus differt iram, ut præbeat misericordiam. Lib. 9 super *Isaiam*, cap. XXVIII, super illud : *Quem docebit scientiam ?*

64. Grandis clementia Dei, ut expectet nostram pœnitentiam : et donec nos a vitiis convertamur, ille potentem contrahit manum, ne ferire cogatur. *Ibid.*, cap. XXX super illud : *Propterea expectat Dominus.*

65. Multi homines per patientiam Dei se seducunt; quia non vult statim punire peccantes, putatur enim aut res humanas minime curare, aut culpis indulgere, quia differt. Super *Epist. ad Rom.*, cap. II, in illud : *An divitias patientiæ ejus.*

66. Deus dissimulat peccatum, et pœnam differt, et patientiæ solatium dilatione ultionis expectat, suavem se omnibus præstans. Super *Psalm.* CXLIV.

HUGO CARD.

67. Patientia Christi longanimis est, qua mala nostra sustinuit, et nos adhuc ad pœnitentiam expectat. Super *Gen.*, cap. 6.

68. Qui non timet hoc quod scilicet expectatur ad pœnitentiam, quanto plus vivit, tanto pejor fit. Super *Ecclesiasten*, cap. VIII.

S. JOANNES CHRYSOST.

69. *Unus ex astantibus ministris dedit ei alapam.* Quid hoc impudentius? Exhorrescat cœlum, contremiscat terra de Christi patientia, et servi impudentia. Homil. 82 super *Joan.*

70. Quemadmodum patientia Dei, si qui illa probe fuerint usi, salutis occasio : sic vicissim contemptoribus majoris supplicii causa est. Serm. 5 super *Epist. ad Romanos.*

71. Deus longanimiter agit, ut et peccans ad pœnitentiam veniat, et ne ex eo nascituris salutem excludat. *Prosec.*

72. Nam etsi peccator incorrigibiliter peccet, parcit frequenter radici, ut fructus conservet, frequenter tamen et ipsius expectans salutem. Homil. 80 *ad Popul. Antioch.*

73. Dilatio a Deo proposita, eos qui in nequitia permanent, magis gravat, et magna ad damnationem accessio est. Orat. 5 *de Fato.*

74. Tametsi actus ad ultimum malorum cadat,

differt tamen Deus utiliter expectans pœnitentis salutem. *Prosec.*

75. Si pœnitentiam justitia Dei prævenisset, periisset mundus omnino atque defluxisset.

76. Si velox ad pœnam fuisset Deus, Paulum Ecclesia non possedisset : propterea distulit blasphemantem, ut pœnitentem ostenderet Dei longanimitas.

77. Lupum in pastorem transtulit Dei longanimitas, publicanum fecit evangelistam Dei longanimitas.

78. Si videris olim ebrium, nunc jejunare : si olim blasphemum, nunc theologum : mirare Dei longanimitatem. Homil. 5 *de Pœnit.*

JOAN. ...RITH. 79. Patientia Dei, prolongatio judicii est. Super Prolog. *Regul. S. Bened.*, cap. 2, text. 25.

80. Quanto expectantis longanimitas erga te fuerit clementior, tanto, si non emendaveris, erit judicantis districtio severior. Epist. 7 *ad Monach. laps.*

ISID. HISP. 81. Per id deteriorantur plerumque iniqui, quod per patientiam Dei spatium accipiunt emendandi. Lib. 2 *de Sum. bono*, cap. 13, sent. 12.

82. Ille qui nos malos tolerat, non dubium est, quin conversis clementer ignoscat. *Ibid.*, cap. 15, sent. 8.

...CT. FIRM. 83. Adeo subjecta est peccato fragilitas carnis, qua induti sumus, ut nisi huic necessitati Deus per patientiam parceret, nimium fortasse pauci viverent. *Prosec.*

84. Propter hanc causam patientissimus est, et iram suam continet : nam quia perfecta est in eo virtus, necesse est patientiam quoque ejus esse perfectam, quæ et ipsa virtus est.

85. Quam multi ex peccatoribus justi posterius effecti sunt, ex malis boni, et ex improbis continentes : quam multi in prima ætate turpes, et omnium judicio damnati, postmodum tamen laudabiles extiterunt! quod utique non fieret, si omne peccatum pœna sequeretur. *De Ira Dei*, cap. 20.

86. Si eos omnes, qui humanam pœnam effugiunt, censura divina damnaret, esset homo aut rarus, aut nullus in terra. *Ibid.*

87. In tanta impietate hominum, tantisque peccatis id assequitur patientia Dei, ut se ipsi homines damnatis vitæ prioris erroribus corrigant. *Ibid.*

88. Cum maxima et utilissima sit Dei patientia, tamen quamvis sero noxios punit, nec patitur longius procedere, cum eos inemendabiles esse perviderit : idcirco non ad præsens noxium quemque punit, ut habeat homo resipiscendi sui facultatem. *Ibid.*

S. LEO I. 89. Nemo patientiam bonitatis Dei de peccatorum suorum impunitate contemnat : nec ideo illum æstimet non offensum, quia necdum est expertus iratum. Serm. 5 *Quadrag.*

90. Deus cum patitur, dissimulat. In suo *Octavio.* MINUT. FELIX.

91. Dei patientia maxima est; cujus quantum judicium tardum, tanto magis justum est. *Ibid.*

92. Sicut omnia in mensura fecit Deus, et pondere, et numero : ita etiam patientiæ ejus certa mensura est. Lib. 2 in cap. II, *Epist. ad Romanos.* ORIGEN.

93. Fert Deus patienter et expectat uniuscujusque pœnitentiam : sed non nos dissolvat hoc, et tardos ad conversionem faciat, quia rursus patientiæ ejus, et sustentationis certa mensura est. *Ibid.*

94. Deus videt quæ facimus, sed utique expectat et patitur, et pœnitentiæ tempus indulget. In *Parœnesi ad pœnit.* S. PACIAN. EPISC. BARCINON.

95. Patitur patientia Dei non timore, non necessitate, sed misericordia : expectatione, non metu peccatores patitur, portat, expectat, qui redire impium, non perire desiderat. Serm. 51. S. PETRUS CHRYSOL.

96. Dominus quod non venit adhuc, quod adhuc expectat, quod moras facit, nos sibi redire desiderat, non perire. *Ibid.*, serm. 167.

97. Ecce Deus videt et tacet, videt nec manifestat, videt nec judicat, videt nec vindicat, videt et videre dissimulat. Serm. 56, *de S. Martino.* S. PETRUS DAMIANUS.

98. Ne peccatores quidem Deus e vestigio ulciscitur : sed corrigendi errati ac vitæ in melius commutandæ spatium concedit. Hab. apud *D. Joan. Damasc.*, cap. 100. PHILO JUD.

99. Patientia Dei magna est, qua parcit contemptus, parcit etiam negatus. Apud *D. August.*, sent. 4. S. PROSPER.

100. Habet benignitatem Deus, per quam hominum peccata diutius tolerat : quoniam si quando viderit homines ex hac sua patientia nihil utilitatis percipere, minis perterret, vindictam procrastinans : si vero etiam hac despecta peccare pergant, statim ultimum supplicium adducit, justitiam continens. Super *Psalm.* VII, vers. 13 : *Fortis et patiens.* S. THEODOR.

101. Deus patienter et misericorditer expectat pecatorem usque ad mortem, ut misereatur sui, si converti velit a via sua mala. *De Divinis moribus*, cap. *Patientia.* S. THOMAS AQUINAS.

102. Tantæ misericordiæ Dei est sustinere malum in malis, ac si mundum conservaret a peccato, vel eriperet a peccatis. *Ibid.*

103. Lento gradu ad vindictam sui divina procedit ira, tarditatemque supplicii gravitate compensat. Lib. 1 *Dictor. memorabil.*, cap. 2. VALERIUS MAXIMUS.

PATRIA.

Etymologia. Patria dicta est, quasi patris atria. Super *Psalm.* XCV. CASSIODOR.

HUGO CARD. Patria dicitur a patre, quasi patre a : ergo Pater noster super cœlestis est, patria nostra cœlum. Super *Epist. ad Hebr.*, cap. XI.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Si ibi est patria, ubi genitale domicilium, in cœlo profecto est patria castitatis : itaque hic advena, ibi incola est. Lib. 1 *de Virginibus.*

2. Dum deseris patriam, profiteris non in ea esse dignos, quorum meritis adjuveris. Serm. 35 *de Barbaris non timendis.*

3. Nulla patria verior est, quam fides, quæ eos qui longe sunt, prope esse facit, et advenas atque peregrinos civitatis supernæ jure connectit. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 17.

S. AUGUST. 4. Consideremus quæ sit patriæ cœlestis pulchritudo, suavitas atque dulcedo. *De Spirit. et anima*, cap. 49.

5. Dulcis est una patria, et vera una patria, sola patria : præter illam quidquid nobis est, peregrinatio est. Super *Psalm.* LXI, vers. 4.

6. Cui peregrinatio dulcis est, non amat patriam : si dulcis est patria, amara est peregrinatio. Super *Psalm.* LXXXV, vers. 6.

7. Odit valde patriam ille, qui putat sibi bene esse cum peregrinatur. Super *Psalm.* XCIII.

8. Mutat homo patriam, et aliquando in peregrinatione illi bene est : invenit amicos fideles peregrinando, quos in patria invenire non potuit, et cum peregrinatur, invenit quod non habebat in patria. Super *Psalm.* CXIX, vers. 5.

9. Patria Jerusalem ubi omnes boni, qualis patria? magna patria, et miseri sunt peregrini ab illa patria. *Ibid.*

10. Qui peregrinatur et per fidem ambulat, nondum est in patria, sed jam est in via : qui autem non credit, nec in patria est, nec in via. Super *Psalm.* CXXIII.

11. Excelsa est patria, humilis via, patria est vita Christi, via passio Christi : qui recusat viam, quid quærit patriam? Tract. 28 super *Evang. Joan.*, cap. VII.

12. Patriæ cœlestis possessor nemo efficitur, nisi qui de terrenæ patriæ contentione securus habetur. *De Duodecim abusion.*, cap. 7.

13. Patria bona, patria cœlestis, patria cum populis angelorum, patria ubi nullus moritur, quo nullus hostis admittitur. Serm. 1 *Dom.* 23 *post Trinit.*

14. Non desiderat patriam peregrinatio sine lacryma; qua fronte ad patriam venit, qui absens non suspiravit? Serm. *de Plurib. mart.*

15. Inhumanum est patriam deserere, patriam despicere, vel in ea nolle habitare. Serm. 44 *ad Fratres in eremo.*

16. Tollantur omnia vana, convertantur homines, tunc patriam tuam florentem videbis. Epist. 102.

17. Si redire in patriam volumus, ubi beati esse possumus, utendum est hoc mundo, non fruendum. Lib. 1 *de Doctr. christ.*, cap. 4.

18. Pertinet ad virtutis officium, et vivere patriæ, et propter patriam. Lib. 19 *de Civit. Dei*, cap. 1.

19. Non propterea pro patria est miles armandus, quia contra patriam nonnulli arma sumpserunt. Lib. 1 *contra Crescon.*, cap. 1.

20. Ardenter desideremus propriam patriam, peregrinationem toleremus, non amemus. *De Cantico novo*, cap. 2.

21. Currite velociter rectam viam, ipsa enim vos perducit ad patriam, cujus cives angeli sunt. *Ibid.*, cap. 10.

22. Ille se intelligit peregrinantem, qui se videt patriæ suspirantem. Tract. 28 super *Joan.*

23. Cœlestis patria, quæ sursum est, hostem non timet. *Ibid.*, tract. 30.

24. Currimus, et ad patriam currimus : et si nos perventuros desperamus, ipsa desperatione deficimus. Tract. 1 super *Epist. Joan.*

25. Ille qui nos vult pervenire, ut conservet in patria, pascit in via. *Ibid.*

26. Homo currat modo, ut aliquando in patria lætetur. *Ibid.*, tract. 9.

27. Melius nobis est in via brevi tempore laborare, ut postea in patria possimus ad æternum gaudium feliciter pervenire. Homil. 25 *ex* LIII *Homil.*

BOETIUS. 28. Hic ipse locus, quem tu exilium vocas, incolentibus patria est. Lib. 2, *de Consolat. philos.*, prosa 4.

S. BONA. 29. Elongationem patriæ facit elongatio viæ : tanto namque longius distat patria, quanto longius via. *Prosec.*

30. Si salus est patria, virtus est via: sicut enim per virtutem pervenitur ad salutem, sic per viam pervenitur ad patriam. *Expos.* 2, *super Psalm.* CXVIII, cap. 10, vers. 11, art. 2.

31. Via ad patriam potissime in duobus consistit : scilicet in perfecta cognitione Christi per fidem et perfecta imitatione per crucem. Super *Luc.*, cap. IX.

S. CYPRI. 32. Ad patriam superiorem, non nisi per meatus difficiles armati milites revertuntur. *Se Stella et Magis*, cap. 2.

S. EUSEB. EMISSE. 33. Nimium ingratus est liberatori, qui in patria degens, loquitur dolore captivi. Homil. *in Litaniis.*

GLOSS. O. 34. Beata patria, de qua superbientes ejecti sunt. Super *Josue*, cap. 13.

GLOSS. I. 35. Naturale est natale suum diligere, et nihil patria dulcius. Super *Hierem.*, cap. 7.

S. GREGOR. MAGNUS. 36. Aliquando contingit, ut qui solam cœlestem patriam diligunt, terrenæ patriæ curis subjacere videantur. Lib. 18 *Moral.*, cap. 25, num. 29.

37. Cum justus æternæ patriæ quanta sit dulcedo considerat, pro ea præsentis vitæ amaritudines ardenter amat. *Ibid.*, lib. 7, cap. 6.

S. HIERON. 38. Bona via est, qua ad supernam patriam tenditur : et recta, qua facile pervenitur. Lib. 5, in I *Reg.*, cap. II, super illud : *Et docebo vos viam bonam.*

39. Non solum quid agatur in patria, sed an ista patria perstet ignoro. Epist. 37, *ad Julian.*

40. Tu vagaris in patria, imo non patria, quia patriam perdidisti. Epist. 46, *ad Rustic.*

41. Ad patriam redire, monachorum tentatio est. Epist. 52, *de Vita Malachi.*

42. Nos ad patriam festinantes mortiferos syrenarum cantus surda debemus aure transire. In præfat. super *Josue.*

HUGO A S. VICTORE. 43. Justitia via est, beatitudo patria. Homil. 10 super *Eccles.*

44. In cœlesti patria est vita sine morte, juventus sine senectute. sanitas sine infirmitate, requies sine labore, gaudium sine tristitia, pax sine bello, delectatio sine fastidio, lux sine tenebris, pulchritudo sine turpitudine, agilitas sine ponderositate, fortitudo sine imbecillitate, libertas sine servitute, voluptas sine anxietate, longævitas sine vitæ termino, sapientia sine insipientia, amicitia sine inimicitia, concordia sine discordia, honor sine dedecore, securitas sine timore. Lib. 4, *de Anima*, cap. 16.

IDIOTA. 45. Si quis ad patriam cœlestem velit celeriter pervenire, per viam dilectionis ambulare debet. Lib. 1 *Contemplat.*, cap. 17.

S. JOANNES CHRYSOST. 46. Si patria quis expulsus sit, ab omnibus miserabilis judicatur. Homil. 23, super *Epist. ad Hebr.*

JOAN. GERS. 47. Patriæ dulcedo cunctos allicit. Serm. 1 *de Omnibus sanctis.*

JOAN. TRITH. 48. Minus patriam suam amare convincitur, quisquis pulchritudine exilii delectatur. *De Vanit. et miser. hum. vitæ*, cap. 1.

49. Ad cœlestem patriam venire non poterit, qui terrestris patriæ voluptates non contemnit. *Ibid.*

S. ISID. HISP. 50. Sanctis in hoc mundo tabernaculum non est, quibus patria et domus in cœlo est. Lib. 3 *de Sum. bono*, cap. 16, sent. 4.

51. Ecce patriam quisque quærit, sed viam perdidit : errando graditur, non proficiendo ; quantoque plus ambulat, tanto magis a patria quam quærit, elongatur. Lib. 1 *de Sum. bono*, cap. 17, sent. 5.

LUDOVICUS BLOSIUS. 52. Patria cœlestis, patria claritatis est æternæ, patria semper florens, patria semper amœnissima. In *Speculo spirit.*, cap. 14.

PETRUS BLESENS. 53. Si fortis est animo patria deserens, a patria non recedit. Tract. *de Hierosol. peregrinat.*

PETR. CELL. 54. Exilium reputat patriam, cui omne solum patria est. Lib. 1, epist. 10, *ad Thomam Cantuariens. archiepisc.*

PHILO JUD. 55. Bonus vir nullam privatim in orbe habet patriam, quippe qui hæreditatem habet non unam quampiam regionem, sed mundum universum. Lib. 1, *de Vita Mosis.*

56. Omnibus mortalibus a natura inditus est amor patriæ, et legum patriarum religio. *De Legat. ad Caium.*

S. SYNESIUS EPISC. 57. Mihi patria, quatenus quidem patria est, longe est charissima. Epist. 138, *ad Herculian.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 58 Quoniam sunt omnia commoda a patria accepta, nullum incommodum pro patria grave putandum est. Lib. 4 *de Arte rhet.*

59. Patria communis est omnium nostrum parens. *Orat.* 19, *pro Catilina*, num. 17.

60. Ipsa patria dici vix potest, quid voluptatis habeat : quæ carendo magis intelligitur, quam fruendo. Orat. 27, *ad Quirites.*

61. Patria est, ubicunque est bene. Lib. 5, *Tusc. quæst.*, num. 108

62. Nihil est amœnius unicuique patria sua. Lib. 2 *de Legibus.*

63. Tanta charitas est patriæ, ut eam non sensu nostro, sed salute ipsius metiamur. Lib. 1, *Tusc. quæst.*

PLATO. 64. Cum regio sit patria, majori studio et diligentia colenda est, quam mater a liberis. Sizygia 4, lib. 5, *de Legibus.*

PLINIUS II. 65. Ubi homines jucundius morarentur, quam in patria? Lib. 4, epist. 13, *ad Cornelium Tacit.*

SENECA. 66. Patriam nobis mundum professi sumus, ut liceret latiorem virtuti campum dare. *De Tranquillit. animi*, cap. 3.

67. Carere patria, intolerabile est. *De Consol. ad Helviam*, cap. 6.

68. Nemo patriam, quia magna est, amat, sed quia sua. Epist. 66.

69. Homini patria est, quodcunque superne universa circuitu suo cingit. Epist. 102.

70. Non sum uni angulo natus ; patria mea totus hic est mundus. Epist. 28.

71. Non es in patria tua ; patria tua est ubicunque bene es : illud enim per quod bene es non est in loco, sed in homine. *De Moribus.*

72. Nulla tera exilium est, sed altera patria est : non eris in patria : patria est ubicunque bene es. *De Remed. fortuit.*

VALERIUS 73. Æquæ virtutis est, et bona patriæ auxisse,

MAXIMUS. et mala in se transferre voluisse. Lib. 1, *Dictor. memorabil.*, cap. 5.

Vide etiam tit. *Exemplum*, sent. 47; *Exilium*, sent. 12, 39: *Paradisus*, sent. 11; *Peregrinatio*, sent. 29, 34; *Via*, sent. 35.

PAULI ENCOMIA.

HUGO A S. VICTORE. *Etymologia*. Paulus nomen appellativum est apud Hebræos et Græcos, et Latinos : non tamen eadem terminatione. *Prosec.*

Apud Hebræos dicitur mirabilis vel electus, apud Græcos quietus, apud Latinos modicus. Super *Epist. ad Rom.*, in quæst.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Christum in suis persecutus est Paulus, sed ad ejus vocem cecidit et surrexit : aliter cecidit, aliter surrexit : cecidit persecutor, erectus est prædicator. *De Tempore barbarico*, cap. 8.

2. Cæcus factus est Paulus, ut interiore luce cor ejus fulgeret : exterior lux ad tempus subtracta est persecutori, ut interior redderetur prædicatori. Serm. 1, *Convers. S. Pauli.*

CASSIODOR. 3. Paulus prius ingens atque arduus persecutor Ecclesiæ, rigatus aqua spirituali, quam fœcundos fructus probatus est edere christianis ! Super *Psalm.* CIII, vers 14 : *Rigans montes.*

S. FULGENT. 4. Quisquis malus est, cum Paulo prosternatur in malo, cum eo erigatur in bono. *Prosec.*

5. Quoniam et ille cecidit malus, et surrexit bonus : prostratus est iniquus, et erectus est justus.

6. Cecidit sævissimus persecutor, et surrexit veridicus prædicator.

7. Cadens lumen corporis impius perdidit, surgens autem lumen cordis justificatus accepit. Serm. 4, *de S. Stephano.*

GLOSS. ORD. 8. Tanto libentius Christus in Paulo requievit, quanto pro ipso durissimos labores toleravit : tanto arctius amplexus est, quanto ab illius amplexu nullo terrore avulsus est. Super *Deuter.*, cap. XXXIII.

S. GREGOR MAGNUS. 9. Paulus gelu erat, sed gelu hoc in aquam rediit : quia quos persequendo prius premere studuit, hos postmodum fluentis sanctæ exhortationis infudit ; ut tanto uberior electorum messis exurgeret, quanto hanc imber Dei etiam ab ore persecutoris irrigaret. Lib. 27 *Moral.*, super illud *Job* XXXVII : *Flante Deo concrescit gelu.*

S. GREGOR. NAZ. 10. Paulus fortissimus fuit athletarum Christi. In *Apologet. de fuga sua.*

HUGO CARD. 11. Tanta gratia erat concessa Paulo, ut ubicunque esset, per Spiritum sanctum cognosceret quid alibi gereretur ab his quibus evangelizaverat. Super I *Cor.* 5.

S. JOANNES CHRYSOST. 12. Paulus terram ac mare, Græciam simulque Barbariam, omnemque prorsus, quanta est sub cœlo, regionem quasi volitans circumivit, peccatorum spinas evellens, et verbum seminans ubique pietatis, fugans errores, veritatem reducens, ex hominibus angelos faciens quin immo ipsos homines, quasi ex dæmonibus in angelos provehens. Homil. 1, *de Laud. D. Pauli.*

13. Ostendamus eum bona omnium possidentem : sive enim prophetæ potentius aliquid in se ostenderint, magisque mirabile, sive patriarchæ, sive justi, sive apostoli, sive martyres : hæc omnia simul colligens Paulus habet cum tanto cumulo, cum quanto nullus eorum bonum, quo excellebat, implevit. *Ibid.*

14. Paulus in terra gradiens sic se agebat in cunctis, quasi angelorum societate frueretur : nam passibili adhuc colligatus corpori, illorum perfectione gaudebat, tantisque fragilitatibus subditus, in nullo inferior supernis virtutibus apparere certabat. *Ibid.*

15, Admirabile hoc est in Paulo, cum ex terrena lingua sermo prosiliens mortem fugat, peccata dissolvit, tenebras cæcitatis illuminat, et mutatione mirifica terram convertit in cœlum. *Ibid.*

16. Nemo ita dilexit inimicos, sicut Paulus : nemo erga insidiatores suos tam beneficus fuit, nullus pro afflictoribus suis tanta perpessus est. *Ibid.*, homil. 3.

17. Sicut missum in ignem ferrum, totum ignis efficitur : sic Paulus charitate succensus, totus factus est charitas. *Ibid.*

18. Paulus vere secundus Abel, non solum semel, sed per dies singulos immolatus. *Prosec.*

19. Paulus alter Noe, sed absque arca insurgentes adversus se undas impietatis enavigans.

20. Paulus alter Abraham, non modo a patria vel gente, sed post vocationem suam ab ipsa etiam vita prorsus abscissus.

21. Paulus alter Isaac sponte in hostiam colligatus.

22. Paulus alter Jacob, quasi pro uno quodam totius mundi grege semper evigilans.

23. Paulus alter Joseph, spirituali fame tabescenti mundo veritatis alimenta distribuens.

24. Paulus alter Moyses, qui omnes gentes a tyrannide diaboli reduxit ad Christum.

25. Paulus alter Aaron, totius mundi populis inunctus sacerdos.

26. Paulus alter Phinees impietatem Judæorum atque Gentilium, quasi fornicationem mentium uno fidei mucrone confodiens.

27. Paulus alter David, qui velut quemdam Goliath in certamine diabolum provocat.

28. Paulus alter Helias clarius raptus in cœlos.

29. Paulus alter Helisæus, qui Gentes ab interiore lepræ pollutione mundavit.

30. Paulus alter Ezechias, qui ad unam fidem Christi diversos populos attraxit.

31. Paulus alter Josias, qui abominationes Gentilium dissipavit ac perdidit.

32. Paulus alter Joannes, pro Christo capite truncatus.

33. Paulus alter Petrus, non de cœlo vocatus ad credendum.

34. Paulus alter Gabriel, qui Christi ortum cunctis gentibus nuntiavit.

35. Paulus alter Michael, qui christianorum dux esse sortitus est; etiamsi angelorum, etiamsi justorum hominum circumvolet choros, non invenio comparationem; cui non tamen cumulo meritorum Paulus occurrat. *Ibid.*, homil. 8.

36. Nihil illa beata anima Pauli mansuetius, nihil dulcius, nihil amantius. Super *Epist. ad Galat.*, cap. IV.

37. Beatus Paulus terrestris angelus, et cœlestis homo, vocatus apostolus, sancti Spiritus receptaculum factus, zelo incomparabilis, charitate magnus, Ecclesiarum Dei, sollicitus curator, orator pietatis, imbecillium deductor, credentium pronubus, Judæorum redargutio, post mortificationem doctor, et post mortem præco. Homil. 22 *ad Pop. Antioch.*

38. Beatus Paulus Doctor est gentium, lingua orbis, nihilque omittens pro salute discipulorum Hom. 3 super *Gen.*

39. Beatus Paulus tot rebus præclare gestis, insignis et quasi angelus terris affulgens, quotidie studebat lucrari, et pro veritate stare in acie contra pericula, et sibi colligere spirituales merces, et semper progredi. *Ibid.*, homil. 11.

40. Considera Paulum apostolum, prius persecutorem, postea annuntiatorem; prius pervasorem, postea dispensatorem; ante hoc zizania, post hoc frumentum; antea lupum, postea pastorem; antea plumbum, postmodum aurum; antea piratam, postea gubernatorem; antea dispersatorem ovium, postea dispensatorem Ecclesiæ; primo evellentem vineam, postea plantantem; prius dissipantem, postea ædificantem. Hom. 2 super *Psalm.* L.

41. Sive prophetæ potentius in se aliquid ostenderint, magisque mirabile, sivæ patriarchæ, sive justi, sive apostoli, sive martyres : hæc omnia simul colligens Paulus habet cum tanto cumulo, cum quanto nullus eorum bonum, quo excellebat, implevit. Hom. 1 *de Laud. D. Pauli.*

42. Quis Paulo potest æquari, qui non modo patriam, cognatos ac domum, sed seipsum quoque ac mundum reliquit, immo etiam cœlum cœli, et hæc omnia Christum suscipiendo despexit? *Ibid.*

43. Quænam illa est adamantina prorsus anima, quæ Pauli patientiam possit imitari? Neque enim bis septem annorum, sed totius vitæ servitium pro sponsa pertulit Christi : non adustus solum æstu diei et noctis gelu, sed tentationes mille perpetiens. Et nunc quidem verberibus, nunc vero lapidibus cæsus atque collisus : et nunc quidem cum bestiis, modo autem fluctibus pugnans, et inter certamina ubique resiliens, captas oves ex diaboli faucibus extrahebat. *Ibid.*

44. Paulus coarctatus carcere, habitabat cœlum, ac libentius verbera excipiebat et vulnera, quam alii bravia diripiunt. *Ibid.*, hom. 2.

45. Posside charitatem Pauli, et perfectam adipisceris coronam : per ipsam enim ille ad tam celsum perfectionis culmen ascendit, nihilque eum ita dignum Deo, sicut virtus præstitit charitatis. *Ibid.*, hom. 3.

46. Quid os istud Pauli sanctum non effecit? dæmones expulit, peccatorum nexus resolvit, tyrannos compescuit, Philosophorum linguas obturavit, orbem Deo adduxit. Serm. 32 super *Epist. ad Rom.*

47. Eos, qui laudes Pauli audire cupiunt, prius virtutis Paulinæ æmulos esse oportet, deinde hoc se sermone dignos judicare. Orat. *Calendis habita.*

48. Hic est Paulus, qui Christi vocibus inclamatus e cœlo, oculis Judaicæ infidelitatis obtusis, videndi aciem non perdidit, sed mutavit. Amisit oculos, et recepit : ut uno eodemque tempore, et in persequentem cæcitatis vindicta procederet, et vocantis Dei gratia illuminaret electum. Hom. 1, *in Natali SS. Petri et Pauli.* MAXIMUS EPISC. TAUR.

49. Hic est Paulus, qui pro suarum remuneratione virtutum, ultra humana merita, tertium raptus ad cœlum, secreta cœlestia cognovit : ut Ecclesiarum futurus doctor, inter angelos disceret quod inter homines prædicaret. *Ibid*

50. Saulum Deus flagellat, ut eum recipiat : excæcat, ut illuminet : prosternit, ut erigat : affligit, ut sanet : debilitat, ut confirmet. Tract. *de Convers. beati Pauli.* PETRUS BLESENS.

51. Saulum potestas humiliat, misericordia levat : perversum potestas corripit et convertit : conversum misericordia consolatur et erigit. Potestas timorem incutit, et tremorem : misericordia consolationem exhibet, et exultationem. *Ibid.*

52. Quod Paulus Christum imitatus sit, nulli dubium est : Christus enim se pro nobis subdidit mundo, se ipse pro Christo. *Prosec.* SALVIANUS.

53. Christus pro nobis contumelias passus est, et hoc ipse Paulus pro Christo : Christus pro no-

bis passionem mortemque toleravit, et hoc ipse pro Christo. Lib. 3 *De Gubern. Dei.*

THOMAS A KEMPIS. 54. Jam non est in orbe Ecclesia, quæ B. Pauli non fulciatur doctrina sub pace catholica : confudit Judæos, Gentiles convertit, Barbaros subjugavit, philosophos confutavit, et omnes pariter ad fidei lumen traxit. Medit. 1 *de Incarnat.*, cap. 24.

PAUPERTAS in genere.

HUGO CARD. *Etymologia.* Dicitur pauper, quasi parum habens in pera. Super *Psalm.* XI.

SENECA. Paupertas non per positionem, sed per detractionem dicitur, vel, ut antiqui dixerunt, per orbationem : Græci dicunt κατπιζέρησιν, non quod habeat dicitur, sed quod non habeat. Epist. 87.

SENECA. *Definitio.* Nihil aliud est paupertas, quam parvi possessio. Epist. 87.

S. BONAV. *Divisio.* Quinque sunt genera paupertatum : primum est infelicitatis, secundum cupiditatis, tertium superfluitatis, quartum calliditatis, quintum voluptatis : sub primo genere est egenus, sub secundo avarus, sub tertio prodigus, sub quarto paries dealbatus; sub quinto, vere religiosus. Super *Psalm.* XXXII.

Prima paupertas est misera, quia flagellat ; secunda noxia, quia negat : tertia ventosa, quia inflat ; quarta dolosa, quia dissimulat : quinta gloriosa, quia consummat.

HUGO CARD. Quadruplex est paupertas : prima est paupertas census, secunda, paupertas sensus, tertia, paupertas fructus, quarta, paupertas spiritus. Super *Cant.*, cap. IV.

Prima est onerosa, secunda probrosa, tertia criminosa, quarta gloriosa.

Prima est sustinenda per patientiam; secunda supplenda est per sapientiam; tertia fugienda est, quia ducit ad ignominiam ; quarta amplectenda est quia ducit ad gloriam. *Ibid.*

S. HIERON. *Differentia.* Egenus, pauper et inops inter se differunt : egenus dicitur, qui aliquid habet, et aliquo indiget : pauper dicitur, qui nihil habet : inops, id est, sine ope. Super *Psalm.* XXXIX, vers. penultimo : *Egenus et pauper sum.*

S. ISID. HISP. Inter pauperiem et paupertatem hoc interest, quod pauperies damnum est, paupertas quod nihil habet. Lib. 1 *de Differentiis*, different. 81.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Nemo pauper nascitur, sed fit : non enim naturæ paupertas, sed opinionis est. Lib. 10, epist. 82, *ad Vercellens. Eccles.*

2. Unum est paupertatis vocabulum, sed non una mens pauperum : quia non idem est gaudere de bene impensis divitiis, quod aut gemere de non acquisitis, aut dolere de perditis. *Ibid.*, epist. 84, *ad Demetriad.*

3. Pauperes sunt thesauri Ecclesiæ. Lib. 2 *Offic.*, cap. 28.

S. ANTONIUS DE PADUA. 4. Mensa Domini est paupertas, mensa diaboli est prosperitas. Serm. *Dom.* 1, *post Trinit.*

S. ASTERIUS. 5. Liquido constat beatum pauperem illum prædicari, qui mente philosophi laborem et ærumnam perfert, fortiterque et constanter adversos tolerat casus. Hom. *de Divite et Lazaro.*

S. AUGUST. 6. Pauperes et divites Deus de uno limo fecit, et pauperes et divites una terra supportat. Tract. 6 super *Evangel. Joan.*, cap. I.

7. Pauper humilis appellatur, qui cum egenus foris cernitur, nunquam in superbiam elevatur. *De Duodecim abusion.*, cap. 8.

8. Paupertas difficultas est. Serm. 5 *de Verbis Dom.*

9. Dives et pauper duo sunt sibi contraria, sed iterum duo sunt sibi necessaria : nullus indigeret, si invicem supportarent; et nemo laboraret si se ambo juvarent. *Prosec.*

10. Dives propter pauperem factus est, et pauper propter divitem : pauperis est rogare, et divitis erogare. *Ibid.*, serm. 25.

11. Fœcundus est ager pauperum, cito reddit donantibus fructum. *Ibid.*

12. Via cœli est pauper, per quam venitur ad Patrem : incipe ergo erogare, si non vis errare. *Ibid.*

13. Pauper pauper est in arca, sed dives est in conscientia ; pauper est in domo, sed dives est in animo. Hom. 8 *ex* LIII *Homil.*

14. Licet pauper nudus sit, licet famelicus, licet miser appareat, licet doleat, licet erubescat, non tamen expellendus est pauper. Serm. 44 *ad Fratres in eremo.*

15. Da pauperi unde habes, ut vivas semper sine labore securus. Tract. 49 super *Joannem.*

16. Noli extendere te, cum sis pauper, contra divitem. *Ibid.*, tract. 84.

17. Forte contemnebas nescio quem pauperem, noli contemnere Christum in terra egentem. Homil. 8 *ex* LIII *Homil.*

18. Hoc magnis datur, quod pauperibus non erogatur. *Ibid.*, hom. 48, cap. 2

19. Christus dicit se accipere quod pauperibus datur. *Ibid.*, hom. 47.

S. BASILIUS MAGNUS. 20. Paupertas cum sufficientia, omni fruitioni ac voluptati a modestis præfertur. Hom. 7 in *Hexam.*

21. Nullam turpitudinem paupertas parit. Super *Psalm.* XIV, conc. 4, vers. 6.

V. BEDA. 22. Paupertas animæ major, quam corporis extat. In suis *Proverbiis*, verbo *Paupertas.*

S. BERNARD. 23. Res pauperum non pauperibus dare, par sacrilegii crimen esse dignoscitur. *Prosec.*

24. Sane patrimonia pauperum, facultates Ecclesiarum sunt, et sacrilega eis crudelitate surripitur, quidquid sibi ministri et dispensatores, non utique Domini vel possessores, ultra victum accipiunt et vestitum. In *Declamat.*

. BONAV. 25. Pauper qui nihil habet, vellet dare pauperi et nihil habet quod det : et vellet ædificare hospitalia, non tamen habet, voluntas pro facto reputatur. Serm. 5 in *Hexam.*

26. Si qua reprehensibilia in pauperibus videmus, non debemus despicere : quia fortasse quos morum infirmitas vulnerat, hos medicina paupertatis sanat. Super *Luc.*, cap. 17.

27. Magis est laudandum pauperculum tugurium cum securitate, quam dives palatium cum timore. Serm. 2 *de Cathedra S. Petri.*

28. Paupertas castigat, purgat, probat, humiliat, et exaltat. In *Apolog. pauper.*, resp. 3, cap. 3.

29. Paupertas habet tria bona : vitam securissimam, mentem quietissimam, vestem nobilissimam. Tit. 4 *Diætæ*, cap. 3.

CÆSARIUS ARELAT. 30. Manus pauperis gazophylacium Christi est : quidquid accipit, ne in terra pereat, in cœlo reponit. Hom. 2.

CLEMENS ALEX. 31. Veræ divitiæ sunt, paupertas cupiditatum. Lib. 2 *Pædagogi*, cap. 3.

EDMUND. 32. Pauperes sunt, qui habent paupertatem, et illam diligunt : aut qui habent divitias, et paupertatem amant, sed divitias contemnunt. In *Speculo Eccles.*, cap. 16.

EUSEBIUS EMISS. 33. Ego puto quod Deus pauperes in hoc mundo esse permiserit, ut in pauperibus divitum fidem probaret. Hom. 10 *ad Monach.*

34. Quid damnationis erit spoliasse pauperem, quem summum crimen est non pavisse? *Ibid.*

35. Noli despicere pauperem, qui cum sibi pauper sit, facere divitem possit. *Ibid.*

. FRANCIS. ASSISIAS. 36. Ubi est paupertas cum lætitia, ibi nec cupiditas nec avaritia. In suis *Opusc.* in *Admonit. ad Fratres*, cap. 26.

.FULGENT. 37. Cum pauperem quis premit, sibi gravissimum pondus imponit : nec attendit, quia si quid de paupere cogitat, de seipso cogitat; sibi enim bonum impendit, quando pauperi bonum facit. Si autem malum cogitat facere pauperi, plus nocebit sibi, quam pauperi. Serm. *de Verbis Michææ.*

. GREGOR. MAGNUS. 38. Ille pauper est, qui eget eo quod non habet : nam qui non habens, habere non appetit, dives est. *Prosec.*

39. Paupertas in inopia mentis est, non in quantitate possessionis : nam cui in paupertate bene convenit, non est pauper. Homil. 18 super *Ezech.*

40. Paupertas mentibus bonis esse solet custos humilitatis. Lib. 1, *Dialogi*, cap. 9.

41. Cum quoslibet pauperes nonnula reprehensibilia perpetrare conspicitis, nolite despicere : quia fortasse quod superfluitas tenuissimæ pravitatis inquinat, caminus paupertatis purgat. *Prosec.*

42. Pauper cum reprehensibilis cernitur, moneri debet, et despici non debet : si reprehensionis nil habet, venerari summopere, sicut intercessor, debet. Homil. 40, super *Evang.*

43. Si is qui pauperem ignominia afficit, exasperat eum qui illum fecit : is etiam factorem honorat, cum inopem fovet. Orat. 17, *de Paupertate.* S. GREGOR. NAZ.

44. Si quis pauper est, in Deo sit dives, et ut divites rideat; quia semper acquirunt, et semper egent. Orat. 25.

45. Ne pauperes deterioris esse conditionis inveniantur, cum non habent, ut cum divitibus decertent; nihil est penes Deum tam magnum, quod non et pauper præstare possit. Orat. 3, *de Sancto lavacro.*

46. Natus in paupere domo, et tugurio rusticano, qui vix millio, et cibario pane rugientem saturare ventrem poteram, nunc similam et mella fastidio. Epist. 2, *ad Nepotian.* S. HIERON.

47. Pars sacrilegii est, rem pauperum dare non pauperibus. Epist. 26, *ad Pammach.*

48. Multis nomen pauperum occasio avaritiæ est. *De Vita Hilarionis.*

49. Vacuus viator et nudus non timet latronis insidias. Epist. 1, *ad Demetriadem.*

50. Humilitatis locus est paupertas. Lib. 2, *de Claustro animæ*, cap. 5. HUGO A S. VICTORE.

51. Quidquid fit pauperi, sive bonum, sive malum, fit ipsi Christo, qui est factor et pater pauperum. Super *Prov.*, cap. XVII. HUGO CARD.

52. Deus non tam fecit divites propter pauperes, quam pauperes propter divites : quia plus proficit divitibus quod distribuunt, quam pauperibus quod accipiunt. Serm. 1, *de S. Laurent.* S.INNOC.III.

53. Est terribilior pauperies igne, et gravius urere consuevit : sed si paupertatem cum gratiarum actione sustinueris, ignis extinguitur. Homil. 4, super *Matth. Oper. perf.* S. JOANNES CHRYSOST.

54. Solemnis dies et festus prudenti, pauperies est. *Ibid.*, homil. 81.

55. Non potest dives esse, qui animo pauper est : sicut nec pauper esse potest, qui animo dives est. *Ibid.*

56. Cogita nullam utilitatem esse pecuniæ, si animus paupertate deprimitur : nec paupertatis ullum onus, si animus dives existit. *Ibid.*

57. Pauper magna paupertatis propugnatione defenditur, quem nullus rex, nullus imperator vincere possit. *Ibid.*, homil. 84.

58. Paupertas semper secura est. Homil. 30, super *Matth. Oper. imperf.*

59. Gloriosior est paupertas fidelium, quam divitiæ peccatorum. *Ibid.*, homil. 45.

60. Non propter utilitatem pauperum Deus divitem fecit, quos sine divitibus poterat sustentare, sed propter utilitatem divitum pauperes fecit. *Ibid.*, homil. 46.

61. Non is pauper est, qui nihil possidet, sed qui multa concupiscit. Conc. 2, *de Lazaro.*

62. Quemadmodum actores in scena, regum ac ducum personas, et aliorum assumentes ingrediuntur, cum ipsi nihil horum sint : sic in præsenti vita paupertas ac divitiæ nihil aliud sunt quam personæ. *Ibid.*

63. Paupertas, continentiæ et fortitudinis, et omnis sapientiæ magistra est. Homil. 75, super *Joan.*

64. Justus nullum ex paupertate damnum accipit. Homil. 29, super I, *Cor.*

65. Constare sine pauperibus civitas non potest, quia pauperes civitatibus, velut tutelaria quædam numina sunt. *Ibid.*, homil. 34.

66. Christianus in pauperie constitutus, magis quam in divitiis irradiat. Homil. 3, super *Epist. ad Hebr.*

67. Maximum bonum est paupertas vigilantioribus. *Ibid.*, homil. 18.

68. Magna possessio est paupertas sapienter ipsam ferentibus ; thesaurus, qui nequeat auferri, baculus firmissimus, inculpabilis possessio, diversorium ab insidiis tutum. Homil. 2, *ad Populum Antioch.*

69. Magnanimo pauperies nunquam nocet. *Ibid.*, homil. 15.

70. Pauper est avarus dives ; et quanto ditior est, tanto pauperior existit, paupertate quæ revera paupertas est. Homil. 25, super I *Cor.*

71. Hic est dives, qui dives esse non vult : qui pauper esse renuit, hic est qui pauper est. *Prosec.*

72. Pauper est, qui paupertatem ferre non potest : sed in divitiis se pauperibus pauperiorem esse putat, non ille qui pauperiem, quam divites opulentiam fert lætius ; hic enim est ditior. Hom. 65, *ad Populum Antioch.*

S. JOANNES DAMASC. 73. Honesta paupertas opibus inique partis antecellit : grave est paupertate laborare, at gravius est inique comparatis opibus affluere. Lib. 1, *Parall.*, cap. 26.

S ISID. HISP. 74. Inopes nascimur in hac vita, inopes recessuri sumus de hac vita. Lib. 2 *de Sum. bono*, cap. 41, sent. 8.

LACT. FIRM. 75. Nihil paupertate tutius, nihilque tranquillius esse testantur philosophi. Lib. 6, *de Divin. inst.*, cap. 12.

76. Paupertas sollicitudinum portus est. *Ibid.*

77. Qui apud Deum dives est, pauper esse nunquam poterit. *Ibid.*

78. Qui pauperes videntur, eo tamen divites sunt, quia et egent, et concupiscunt. *Ibid.*, lib. 5, cap. 16.

S. LEO I. 79. Multa divitibus virtutum materia, sunt pauperes. Serm. 4, *de Jejun. septimi mensis.*

MINUTIUS FELIX. 80. Quis potest pauper esse ? qui non eget, quis non inhiat alieno ? qui Deo dives est. *Prosec.*

81. Magis pauper ille est, qui cum multa habeat, plura desiderat. In suo *Octavio.*

PETR. BLES. 82. Apud homines quidem vilis, sed apud Deum et angelos ejus gloriosus est titulus paupertatis. Epist. 14, *ad Sacellanos reg. Angelorum.*

83. Sit tibi paupertas ipsa solatio, quæ et viventem liberrimum facit, et securissimum morientem. *Ibid.*, epist. 60, *ad Quemdam magistr.*

84. Nihil liberius, nihil tutius paupertate. *Ibid.*, serm. 9, *de Purific.*

85. Certe non est ignobilis apud Deum titulus paupertatis : sola illa paupertas Deo displicet, quæ cum rancore et murmure sustinetur. *Ibid.*, tract. *de Hierosolym. peregrinat.*

86. Pauperi, cui Christus sufficit, nihil deficit. *Ibid.*, *de Charit.*, cap. 5.

87. Quam fructuosus est homini. et quam gloriosus apud Deum titulus paupertatis ! nescit homo pretium ejus : paupertas sola est via secura et expedita ad vitam, cæteræ viæ malignis latronibus plenæ sunt. *Ibid.*, epist. 102, *ad Radingens. abbat.*

PHILO JUD. 88. Paupertas gravis quidem est, præsertim oblata ab inimico : levior tamen, quam corporis læsio vel minima. Lib. *in Flaccum.*

S. PROSPER. 89. Unum est paupertatis vocabulum, sed non una mens pauperum. Epist. *ad Demetriad.*

THOMAS A KEMPIS. 90. Inopia rerum paupertatem docet amare. *De Discipl. claustral.*, cap. 12.

91. Felix pauper rebus, sed virtutibus dives. In *Hospit. pauper.*, cap. 1.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTE. 92. Paupertatem metuere non oportet. Lib. 3, *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 6.

CATO POET. 93. Infantem nudum cum te natura crearit,
Paupertatis onus patienter ferre memento.
Lib. 1 *Distich.*, metr. 40,

MIMUS PU. 94. Hominem experiri multa paupertas jubet. In suis *Sent.*, sent. 164.

SENECA. 95. Nemo tam pauper vivit, quam natus est. *De Divina providentia*, cap. 6.

96. Paupertas tolerabilis est, si ignominia absit, quæ sola opprimere animos solet. *Ibid.*, cap. 13.

97. Non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est. Epist. 2.

98. Paupertas est, non quæ pauca possidet, sed quæ multa non possidet ; itaque non ab eo dicitur quod habet, sed ab eo quod ei deest. Epist. 87.

99. Succurre paupertati amicorum, immo occurre. *De Moribus.*

100. Quis est pauper? qui sibi videtur. *Ibid.*

101. Qui paupertatem timet, timendus est. *Ibid.*

102. Scire uti paupertate, maxima felicitas. *Ibid.*

103. Non in paupertate vitium est. sed in paupere : illa expedita est, et hilaris, et tuta. *De Remediis fortuitor.*

VALERIUS MAXIMUS. 104. Paupertatis etsi horridior sit aspectus, solidis tamen et certis bonis abundat. Lib. 4, *Dictor memorabil,*, cap. 4.

Vide etiam tit. *Bonum*, sent. 45 ; *Differentiæ*, sent. 24 ; *Domus*, sent. 45, 46, 49 ; *Donum*, sent. 43 ; *Ecclesia*, sent. 101 ; *Eleemosyna*, sent. 230, 231, 232, 233, 234, 254 ; *Luxuria*, sent. 11 ; *Nativitas humana*, sent. 4 ; *Necessitas*, sent. 17, 41; *Onus*, sent. 8, 9, 10, 11, 12, 13.

PAUPERTAS CHRISTI.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Quæ avaritia sanari potest, si paupertate Filii Dei non sanatur? *De Agone Christi*, cap. 11.

2. Pauper factus est Christus, cujus sunt omnia, et per quem creata sunt omnia ; ne quisquam cum in eum crederet, de terrenis divitiis auderet extolli. *De Catechis. rudib.*, cap. 22.

3. Christus dives est apud Patrem, et pauper apud nos : dives in cœlo, pauper in terra : dives Deus, pauper homo ; sed tamen paupertas ipsius, divitiæ nostræ sunt. *Prosec.*

4. Implere venit pauperes, qui pauper effectus est : propterea aperi sinum fidei, suscipe pauperem, ne pauper remaneas. Super *Psalm* XL.

5. O paupertas ! in angusto diversorio nascitur, involutus infantilibus tegumentis, in præsepio ponitur. Serm. 110, *de Tempore*.

6. Christus dives, pauper esse voluit, ut haberes pauperes, quibus dares. *De Discipl. christ.*, cap. 7.

S. BERNARD. 7. Ditior est Christi paupertas cunctis opibus, cunctisque thesauris sæculi. Serm. 4, *Vigil. Nativ.*

8. Vere magna abusio est, et magna nimis, ut dives esse velit vermiculus vilis, propter quem Deus majestatis voluit pauper fieri. Serm. 3 *Paschæ*.

9. Dei Filius cum dives esset, propter nos pauper factus est, ut nos ejus inopia ditaremur. Serm. 4 *Assumpt. B. M. V.*

S. EPHRÆM. 10. Esto studiosus paupertatis Christi, ut in cœlesti patria ejus divinitate diteris. *De Jejunio.*

S. FRANCIS. ASSISIAS. 11. Christus pauper natus est, pauper vixit, paupertatem docuit, et cum paupertate decessit. In suis *Opusculis*, collat. 23.

12. Hæc est paupertas, quæ Christum in cruce sociat, cum Christo tumulo absconditur, cum Christo de sepulcro resurgit, et Christum comitatur in cœlum. *Ibid.*, oraculo 4.

GLOSS. ORD. 13. Paupertatem Christus assumpsit, et divitias non amisit : intus dives, foris pauper : latens Deus in divitiis, apparens homo in paupertate. Super II *Cor.* VIII in illud : *Egenus factus est.*

S. GREGOR. NAZ. 14. Christus pauper factus est, ut nos per ipsius paupertatem divites reddamur. Serm. *de Pasch.*

S. HIERON. 15. Egenus et pauper Christus est : quia cum dives esset, egenus factus est. *Psalm.* XXXIX, vers. penult.

16. Christus egenus et pauper factus est pro nobis, ut illius inopia nos divites faceret. Super *Psalm.* XL, vers. 1.

17. Tantæ Dominus fuit paupertatis, ut unde tributa pro se, et apostolis redderet, non haberet. Lib. 3 super *Matthæum*, cap. XVII.

HUGO CARD. 18. Christus pauper fuit in ingressu, pauperior in progressu, pauperrimus in egressu. Super *Gen.*, cap. IV.

S. INNOC. III. 19. Paupertas Christum vilibus pannis involvit, paupertas eum vili mercede redemit : pauper effectus est, cujus est terra, et plenitudo orbis terrarum. Serm. *de Purificatione B. Mariæ.*

L. LAURENT. JUSTIN. 20. Ipse Dominus ita pauper fuit, veniens in mundum, non in sua, sed aliena domo nasceretur; vivens non haberet ubi habitaret; nec moriens, unde nuditatem suam tegeret, nec mortuus, unde involveretur; nec sepulchrum ubi mortuum corpus locaretur. *De Ligno vitæ*, tract. 10; *de Paupert.*, cap. 2.

PETR. BLES. 21. Apud pauperem Christum, pretiosus est titulus paupertatis : Christus pauper et pauperis Virginis Filius, pauperes eligit in apostolos. Epist. 3 *ad Quemdam nobilem.*

22. Omnem revolvite vitam Salvatoris, ab utero Virginis usque ad patibulum crucis, non invenietis in eo, nisi stigmata paupertatis. *Ibid.*, serm. 9, *de Purific.*

S. PETRUS CHRYSOL. 23. Parvus fuisset amor pauperis Christi, quod pauperem suscepisset, nisi, et passiones pauperis suscepisset. Serm. 14.

S. THOMAS AQUINAS. 24. His qui Christi paupertatem sequuntur, magna dignitas accrescit. *Contra retrahentes ab ingressu relig.*, cap. 15.

Vide etiam tit. *Egestas*, sent. 46, 47 ; *Eleemosyna*, sent. 144 ; *Paupertas volunt.*, sent. 91.

PAUPERTAS VOLUNTARIA.

CASSIODOR. *Definitio.* Pauper Dei est, qui terrena cupiditate vacuatus, cœlesti desiderat largitate ditescere. Super *Psalm.* IX, vers. 9.

DIONYSIUS CARTHUS. Paupertas voluntaria est virtus, per quam temporalia contemnuntur amore sponsi cœlestis. *De Profess. monast.*, art. 11.

S. GREGOR. NYSSENUS. Pauper spiritu est, qui corporalem opulentiam animæ divitiis permutat; qui propter spiritum egenus est, qui terrenas divitias veluti quoddam onus excussit et abjecit, ut sublimis per aerem sursum rapiatur. Orat. 1 *de Beatitud.*

HUGO CARD. Pauperes animo sunt, qui omnino nihil habere se reputant, nec seipsos, sive corpus, sive animam, sive membra; sed omnia habent commodata, et quasi alienis utuntur. Super *Matth.*, cap. 5.

Paupertas spiritus dicitur, ipsa temporalis, voluntaria, et amata, et electa paupertas. *Ibid.*

JOAN. GERS. Paupertas voluntaria est modicitas, vel abdicatio dominii in proprio, aut in communi modo altiori, ex intentione finis supremi. Part. 4, in *Descript. terminor.*, cap. *Temperantia.*

S. THOMAS AQUINAS. Paupertatem spiritus ad eos pertinere certum est, qui filiali timore Deo se voluntarie subjiciunt. 2, 2, quæst. 19, art. 12.

Paupertas voluntaria est abjectio temporalium rerum, quæ fit spiritu, id est, propria voluntate per instinctum Spiritus sancti. *Ibid.*

MINUTIUS FELIX. *Comparatio.* Sicut qui viam terit eo felicior, quo levior incedit : ita beatior in hoc itinere vivendi, qui paupertate se sublevat, non sub divitiarum onere suspirat. In suo *Octavio.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ALBERTUS MAGNUS. 1. Ubi non est necessitas, ibi non potest perpendi vera paupertas. *De Paradiso animæ,* part. 1, *de Virtut.*, cap. 5.

2. Verus pauper nulla transitoria concupiscit, imo oblata respuit. *Ibid.*

3. Nihil Deo charius, nihil angelis amabilius, nihil hominibus fructuosius, quam in paupertate obediendo vitam finire. *Ibid.*

S AMBROS. 4. Etiamsi aliis videatur pauper, sibi dives est, qui non eorum quæ caduca, sed eorum quæ æterna sunt æstimatione censetur. Lib. 3 *de Virgin.*, cap. 1.

5. Esto pauper spiritu, et eris dives qualicunque censu. Lib. 1 *de Cain et Abel,* cap. 5.

6. Qui pauper est spiritu, avarus non est. Lib. 5 super *Luc.*, cap. 6 in illud : *Beati pauperes spiritu.*

7. Bona paupertas, quæ quod habuerit non amittit; bona paupertas, quæ si thesaurum non habet pecuniæ, habet tamen thesauros sapientiæ. Lib. 2 *de Apologia David,* cap. 23

8. Paupertas ordine prima est, et parens quædam generatioque virtutum : quia qui contempserit secularia, ipse merebitur sempiterna. Lib. 5 super *Luc.*, cap. 6 in illud : *Beati pauperes.*

S. ANTONIN. 9. Paupertas est instrumentum perfectionis. Part. 3, tit. 16, cap. 1, § 3.

10. Tanto unaquæque religio erit secundum paupertatem perfectior, quanto habet paupertatem magis proportionatam suo fini. *Ibid.*

11. Verus pauper est, qui se expropriat affectu et effectu. Part. 4, tit. 6, *de Charitate*, cap. 6, § 1.

12. Paupertas talis laudabilis est, cum homo a sollicitudinibus liberatus, liberius divinis et spiritualibus vacat. Part. 4, tit. 12, cap. 3.

13. Tales debent voluntariam paupertatem assumere, qui temporalia contemnant. *Ibid.*, cap. 3, § 1.

14. Ad victum necessarium pauca sufficiunt, et paucis pauperes voluntarii sunt contenti. *Ibid.*

15. Nusquam vera libertas est, nisi in voluntaria paupertate. Serm. *Dom. infra octav. Nativit.*

16. Divitiæ dissolvunt, deliciæ enervant : sed paupertas læta et voluntaria robur tribuit. *Ibid.*

S. ANTONIUS DE PADUA. 17. Paupertas voluntaria animam vestit virtutibus, quam divitiæ temporales expoliant. Serm. *Dom.* 5, *post Trinit.*

S. AUGUST. 18. Fidelis homo, cujus totus mundus divitiarum est; et quasi nihil habens, omnia possidet inhærendo Deo, cui serviunt omnia. Lib. 5 *Confess.*, cap. 4.

19. Quid prodest dispergere dando pauperibus, et pauperem fieri : cum anima misera superbior efficitur divitias contemnendo, quam fuerat possidendo? Regula 3 *ad Clericos.*

20. Certum est fratres nihil habere, possidere, dare, vel accipere debere sine superioris licentia. In *Regula* 1.

21. Pauper Dei in animo est, non in sacculo. Super *Psalm.* CXXXI, vers. 16.

22. Felix paupertas, per quam cœlestis acquiritur hæreditas. *De Contemptu mundi,* cap. 7.

23. Magnæ felicitatis est conditio Christianorum, quibus claritudo regni in paupertate posita est. *Prosec.*

24. Felicitas magna Christianorum est, quibus datum est ut paupertate faciant pretium regni cœlorum. *De Verb. Apostoli,* serm. 26.

25. Non tibi displiceat paupertas tua, nihil ea potest ditius inveniri. *Prosec.*

26. Quibus thesauris conferri potest, quod videmus paupertati indultum? *Ibid.*

27. Pauper est in arca, sed dives est in conscientia : pauper est in domo, sed dives est in animo. Homil. 8.

28. O beata paupertas uberibus plena, ubique

secura, ubique illæsa, ubique cunctorum amica! qui te amat, veram pacem amat: qui te non amat, tranquillitatem omnem ignorat. Serm. 2 *ad Fratres en eremo.*

29. Toto affectu pauperes simus : quod si non fuerimus, hæc paupertas quam foris gerimus, non paupertas, sed grandis miseria æstimanda est. *Ibid.*, serm. 5.

30. Paupertas est Christi sponsa, sanctorum possessio, beatorum vita, fidelium securitas, clericorum ornamentum, monachorum vita, nobilium pulchritudo, divitis magnificentia. *Ibid.*, serm. 21.

31. In hoc amatur Christiana paupertas, in quo nulla rerum ampliorum potest putari cupiditas. Epist. 225.

S. BASILIUS MAGNUS. 32. Non semper laudabilis est paupertas, sed quæ ex proposito juxta evangelicum scopum peragitur. *Prosec.*

33. Multi enim sunt pauperes opulentia, verum proposito avarissimi existunt, quos non indigentia salvat, sed propositum condemnat.

34. Non igitur indigus omnino beatus est, sed qui mandatum Christi mundi thesauris præfert. Super *Psalm.* XXXIII, conc. 9, vers. 6.

S. BERNARD. 35. Magna penna est paupertatis, qua tam cito volatur in regnum cœlorum. Serm. 4 *Advent.*

36. Sunt qui pauperes esse volunt, eo tamen pacto, ut nihil eis desit : et sic diligunt paupertatem, ut nullam inopiam patiantur. *Ibid.*

37. Felix paupertas voluntaria omnia relinquentium, et sequentium te Domine Jesu. Serm. 8 super *Qui habitat.*

38. Paupertas dum putatur misera, aliena caret invidia : et quia est voluntaria, nemini quidquam invidet. Serm. 4 *Parvulor serm.*

39. Pauperiem æquo animo ferre, virtus patientiæ est : sponte appetere, sapientiæ laus est. Epist. 24, *ad Magistrum Gilbertum.*

40. Labor et latebræ et voluntaria paupertas, hæc sunt monachorum insignia, hæc vitam solent nobilitare monasticam. Epist. 42, *ad Henricum Senonensem Archiepiscopum.*

41. Non paupertas virtus reputatur, sed paupertatis amor. Epist. 100.

42. Volo te esse amicum pauperum, magis autem imitatorem : ille gradus proficientium est, hic perfectorum. Epist. 103, *ad Abbat quemdam.*

43. Magna dignitas est sancta paupertas. *Ibid.*

44. De vilibus herbis et quæ pauperes deceant, interdum aliquid sumere, tolerabile est : sed vero species emere, religioni indecens est. Epist. 321, *ad Fratres.*

45. Paupertatem voluntariam tria constituunt : depositio rerum et contemptus, vilitas et abjectio suiipsius, abdicatio propriæ voluntatis. Serm. 2 *in Cœna Dom.*

46. Voluntaria paupertas, quæ sine professione vel desiderio habetur; quanto expeditior est, tanto securior. *Ibid.*

47. Custos et magistra est virtutum voluntaria paupertas : sicut e contrario radix est vitiorum immoderata rerum affluentia. *Ibid.*

48. Expedit esse nudos, cum diabolo qui nudus est, luctaturos : nudus athleta fortius dimicat : natator exuitur, ut facilius fluvium transeat : viator, rejectis sarcinulis, bene cursitat. *Ibid.*

49. Nobilis titulus voluntariæ paupertatis, quam Christus docuit verbo, consecravit exemplo, commendavit ore prophetico. *Ibid.*

50. Non venisti ad divitias, sed ad paupertatem. Serm. 17 *ad Sororem.*

51. Vera paupertas consistit, ut non sit sub- S. BONAV.
stantiæ, vel corporis proprietas, nec operis, nec quietis libertas. Super *Psalm.* LXXVIII.

52. Beatus qui terrenam foveam commutat in æternam aulam. Super *Luc.*, cap. 9 in illud : *Tanquam nihil habentes.*

53. Crux, qua mundus crucifigitur, est paupertas spiritus : cujus quatuor sunt brachia; contemptus gloriæ, pecuniæ, patriæ, et parentelæ. *Ibid.*, cap. 23 in illud *ad Galat.* ult : *Mihi mundus crucifixus est.*

54. Debet religiosus esse pauper libenter et voluntarie, perseveranter, humiliter. Serm. 3, *Dom. infra oct. Epiph.*

55. Nullus Christi pauper relictis divitiis, vel divitibus parentibus superbiat. *Ibid.*, etc.

56. Perfectio paupertatis triplex est: prima, est relinquere superflua, sed non necessaria; secunda relinquere non solum superflua, sed etiam necessaria : relinquere in speciali, sed non in communi; tertia, relinquere omnia superflua, et necessaria, tam in communi quam in speciali, quæ perfectio et consummatio paupertatis fratrum est minorum. Serm. 2 *Pent.*

57. Multi sunt religiosi, qui licet mansiones, et prædia, et multa bona habeant communiter, tamen non habent singulariter. *Ibid.*

58. O sacratissima virtus, et omni laude dignissima paupertas! quis tibi valeat dignas gratiarum laudes impendere; quæ solo tuo commercio terrenos et miseros homines ad tantam honoris excellentiam extollis, ut eos hæredes regni cœlorum instituas? Serm. 1 *Dom.* 22, *post Pent.*

59. Paupertas voluntaria est primarium evangelicæ perfectionis, omnisque boni fundamentum. *Ibid.*

60. Ad paupertatem accipe Diogenis magni philosophi exemplum, qui pro domo dolium quoddam

habebat, panem ostiatim quærebat, cum manu aquam bibebat. *Prosec.*

61. Si tantus amor paupertatis esse potuit in pagano, quid esse debet in christiano? Serm. 2 *de S. Andræa.*

62. Nobilis margarita est paupertas, quæ dum omnia contemnit, dominium super omnia accipit. Serm. 2 *de Cathedra S. Petri.*

63. Pauper Christi bene dives est, quia electus ad regnum, et hæres regni cœlestis est. Serm. 2 *Omn. Sanct.*

64. Quid pretiosius vera paupertate, quæ est pretium regni cœlestis? *Ibid.*

65. O quam felices! qui eligunt cum Christo pauperes esse præter victum et vestitum, nihil aliud appetentes. Serm. 5, *de Uno mart.*

66. Vir sanctus, dum nihil habet in mundo, est dives in cœlo. *Ibid.*

67. Paupertas est cœleste pretium, cum quo pauperes mercantur cœleste prandium. Tit. 4 *Diætæ*, cap. 3.

68. Paupertas est summe Christo copulata, bonis summe cumulata, et cœlis summe coæquata. *Ibid.*

69. Quanto intimius paupertatem dilexeris, tanto subtilius de necessitate cogitabis. Lib. *Medit. vitæ Christi*, cap. 44.

70. Paupertas est totius spiritualis exercitii primarium fundamentum. *Ibid.*, cap. 21.

71. Alta est paupertas, quæ tollit superflua; altior, quæ distribuit et licita et permissa; sed altissima quæ sibi subtrahit etiam necessaria. *De Eccles. hierarch.*, part. 1, cap. 4.

72. Sicut divitiarum affluentia rerum penuria crescit, sic voluntaria paupertate minuitur. In *Apolog. pauper.*, resp. 3, cap. 3.

73. Nihil opulentius eo, qui paupertatem sponte diligit et cum alacritate suscipit. *Ibid.*

74. Eminentia paupertatis plurimum confert ad exercitium perfectæ virtutis. *Ibid.*

75. Duo habet paupertas sequentium Dominum; afflictionem scilicet et utilitatem. *Ibid.*

76. Fœdum est profanumque mendacium, summæ paupertatis voluntarium professorem se asserere, et rerum penuriam pati nolle. Epist. *ad Quemdam provincialem.*

77. Paupertas in omnibus placeat, ne sive in libris, sive in aliis, rerum se velint sarcinulis onustare. In *Speculo disciplinæ*, part. 2, cap. 6.

78. Super omnes divitias, divitem facit paupertas. *Ibid.*

79. Non est evangelici pauperis, gaudere superfluis, et luxibus indulgere. *Ibid.*

80. Paupertas spiritus, id est, voluntaria pro Christo paupertas, magna et vera virtus est, quam multi religiosi profitentur. Lib. 2 *de Profectu relig*, cap. 51.

81. O quam beata paupertas! quam amabilem Deo, quam securum Deo in mundo reddis amatorem tuum! *De Perfectione vitæ ad Sorores*, cap. 3.

82. Voluntaria paupertas non modicum valet ad exterminium iniquitatis, et ad exercitium perfectæ virtutis. In *Apolog. pauper.*, resp. 3, cap. 3.

CÆSARIUS AREL AT.

83. Nisi ex toto corde et affectu pauper sis, paupertas ipsa, non virtus, sed miseria judicanda est. Homil. 27.

CASSIODOR

84. Ubique se egenam et pauperem dicit gloriosa paupertas, cum sit cœlesti thesauro ditissima: utique quia mundanas copias non habet, et intus ubi est dives, semper ambit, semper desiderat. Super *Psalm.* LXIX, vers. 6: *Ego vero egenus et pauper sum.*

85. Istæ sunt divitiæ, quas salubriter cupere debemus; ista felicitas, de qua christianus gaudeat esse locupletem, ut sit pauper in hoc sæculo, dives in cœlo. Super *Psalm.* LXXII, vers. 26: *Quid mihi est in cœlo.*

86. Qui pauperes Dei facti sunt, ipsius largitate ditescunt. Super *Psalm.* LXXIII, vers. 20.

CLEMENS ALEX.

87. Viro pulchre convenit nullos habere calceos: calceatum enim esse, non parvam habet affinitatem cum eo quod est esse ligatum. *Prosec.*

88. Optimum quidem exercitationis genus est, nudis uti pedibus, et ad sanitatem, et ad expeditam facilitatem.

89. Quod si omnino nudis pedibus incedere pati non possumus, soleis utendum, quas Attici vocant *κονίποδας*, quod pedes terræ appropinquarent. Lib. 2 *Pædag.*, cap. 11.

S. DIADOCH

90. Cum cunctas quis vitæ hujus opes dimiserit, tunc locum in quo gratia Dei recondita est, adipiscitur. *De Perfect. spirit.*, cap. 77.

S. EPHRÆM

91. Thesaurus monachi, est paupertas voluntaria. *Ad Monachos*, parænes. 1.

S. EUSEBIU EMISSEN.

92. Nisi ex corde pauper sis, et affectu, paupertas ipsa non virtus, sed miseria judicanda est Homil. 4, *ad Monachos.*

S. FRANCIS ASSISIAS.

93. Rogo vos omnes, et consilium do vobis, ut in sanctissima vita et paupertate semper vivatis, et ab illa in perpetuum nullatenus recedatis. In suis *Opusculis*, epist. 5, *ad beatam virginem Claram.*

94. Qui vere pauper est spiritu, seipsum odit, et alios diligit. In suis *Opusc.*, in *Admonit. ad Fratres*, cap. 14.

95. Paupertas omnium est regina, et omnia calcat. In suis *Opusc.* in *Orat. pro obtinenda paupert.*

96. Vide, Domine Jesu, quia paupertas pro tanto est regina virtutum, pro quanto relictis an-

gelorum sedibus descendisti ad terras, ut ipsam posses charitate perpetua desponsare, et omnis perfectionis filios in ipsa, et ex ipsa, et per ipsam producere. *Ibid.*

97. Evangelica paupertas, ordinis est fundamentum, cui substrato primarie sic omnis structura religionis innititur, ut ipsius firmitate firmetur, et eversione funditus evertatur. In suis *Opusc.*, collat. 5, *de Paupert.*

98. Pecunia paupertatis, professionis, et perfectionis præcipua est corruptela. *Ibid.*, collat. 26.

99. Paupertas evangelica, thesaurus excellens et divinus est. In suis *Opusc.*, oraculo 4.

100. Vera paupertas est radix obedientiæ, mater renuntiationis, mors propriæ complacentiæ, extirpatrix vanitatis, et cupiditatis. *Ibid.*, oraculo 26.

101. In omnibus quæ ad vitam opus sunt, iis solummodo gaudeo et delector, quæ sanctam redolent paupertatem : alia vero quæcunque sumptuosa et delicata penitus abhorreo. *Ibid.*, colloquio 8.

102. Paupertas obices omnes e medio tollit, quo humana mens cum Domino Deo suo liberrime atque expeditissime conjungatur. *Ibid.*, colloquio 41.

103. Pro furto mihi reputo, si hoc quod fero non dedero magis egenti. In suis *Opusc.*, apophthegm. 40.

GLOSS. ORD. 104. Paupertas, quæ caret opibus, ad pietatem dux et magistra est. Super *Isaiam*, cap. II.

S. GREGOR. MAGNUS. 105. Avaritiæ vitio bonum paupertatis voluntariæ contrarium est : sed pauper spiritu esse non poterit, qui amare adhuc æternos thesauros nescit. Lib. 5 in I *Regum*, cap. 4, super illud *Ephes.* VI : *Non est nobis colluctatio.*

106. Magna est nobis in hoc itinere socia paupertas, quæ animum non angustat, cum deest terrena substantia. Homil. 19 super *Ezech.*

107. Si nihil in hoc mundo amando possidetis, etiam possidendo cuncta reliquistis. Homil. 37 super *Evang.*

HAYMO. 108. Rebus et spiritu sunt pauperes perfecti monachi, qui propter Deum omnia relinquentes, nec corporis proprii potestatem in suo arbitrio relinquunt : et ideo quanto hic propter Deum sunt pauperiores, tanto in futura gloria erunt ditiores. Serm. *de Martyribus.*

S. HIERON. 109. Affatim dives est, qui cum Christo pauper est. Epist. 1 *ad Heliodor.*

110. Qui sui in carne contemptor est, paupertate incedit ornatior. Epist. 3 *ad Heliodor.*

111. Qui paupertate lætantur, eorum habitus, sermo, vultus, incessus, doctrina virtutum est. Epist. 4 *ad Rustic.*

112. Saccus orationis signum, atque jejunii est. Epist. 20, *ad Marcellam.*

113. Sunt qui rebus abundant, et tamen sunt pauperes spiritu : et hæc est aurea paupertas : quia licet affluant divitiæ, corda tamen nolunt apponere. Lib. 1 *de Claustro animæ*, cap. 9. HUGO A S. VICTORE.

114. Non potest servari integritas, nisi diligatur paupertas. *Ibid.*, lib. 2, cap. 17.

115. Paupertas voluntaria, est odibile bonum, sanitatis mater, curarum remotio, reparatrix sapientiæ, negotium sine damno, possessio absque calumnia, facilitas sine sollicitudine. Super lib. *Judic.*, cap. IV. HUGO CARD.

116. Quinque sunt in vero paupere : humilitas coram Deo, contemptus mundi, fiducia de Deo, notitia certa amicorum, patientia. Super *Psalm.* LXXI.

117. Paupertas sine voluntate propria, nullius apud Deum potest esse meriti, vel momenti. Super *Psalm.* CIII.

118. Vere martyrii genus, est voluntaria paupertas. Super *Ecclesiastic.*, cap. XXXI.

119. Pauperes sunt omnes, qui divitias temporales sibi subjiciunt : sed primogeniti sunt, qui eas omnino abjiciunt : illi requiescunt in spe, isti autem pascuntur interiori jucunditate. Super *Isai.*, cap. XIV.

120. Nihil ita securum, et ita pacificum est, ut paupertas voluntaria. *Ibid.*, cap. XL.

121. Pauperes animo sunt, qui omnino nihil habere se reputant, nec seipsos, sive corpus sive animam, sive membra, sed omnia habent commodata, et quasi alienis utuntur. Super *Matth.*, cap. V.

122. Hæc est vera paupertas, quæ neque linguam, neque oculos, neque pedes, neque sensum, neque voluntatem habet, et ideo nihil ei molestum est. *Prosec.*

123. Hic est thesaurus pretiosissimus, quo sapientissimus mercator Jesus Christus regnum cœlorum venaliter exposuit. *Ibid.*

124. Miserabile est paupertatis exitus tolerasse, fructus vero ejus cassæ voluntatis vitio perdidisse. Lib. 7 *Cœnob inst.*, cap. 22. JOAN. CASS.

125. Animus sponte sua inops, fulget ut aurum, splendet sicut gemma, floret quasi rosa : nulla tinea ibi est, nullus fur, nulla cura sæcularis, sed vivit angelica vita. *Prosec.* S. JOANNES CHRYSOST.

126. Vis animi hujus pulchritudinem aspicere? Vis paupertatis opes quantæ sint discere? Non imperat hæc viris, sed imperat dæmonibus; non assistit regi, sed assistit Deo : non homini, sed angelorum commilito est.

127. Non habet duos, tres, vel viginti loculos rerum plenos : sed sic abundat, ut universum

mundum parvipendat, et thesaurum habet in cœlo.

128. Non indiget mancipiis, sed habet loco servorum passiones, habet servos appetitus, qui regibus dominantur; ut nec respicere audeant.

129. Quid hoc paupere melius excogitari poterit? Hic in cœlo tanquam in pavimento ambulat.

130. Regnum porro atque aurum, et omnia hujus generis, quasi pueriles ludos, trochos, pilas, turbones aspernatur atque contemnit.

131. Habet enim ornamenta et instrumenta ludorum, quæ videre atque sentire nequeunt opulenti.

132. Quod si tale pavimentum domus ejus est, cogita per teipsum quale tectum sit : sed non habet, inquies, equos atque vehicula; certe nec harum rerum opus est ei qui nubibus vectatur, et cum Jesu conversatur. Homil. 48 super *Matth. Oper. perf.*

133. Involuntaria paupertas, bellua omnium atrocior, et fornace ardentior est. *Ibid.*, homil. 82.

134. Philosophi, qui inter homines sublimiores fuerunt, contemptis divitiis ad paupertatem venerunt, quasi ad securum præsidium, et morbis non obnoxium. *Prosec.*

135. Paupertas securum est præsidium, et quasi civitas æreis muris circumvallata, expugnatu difficilis. Homil. 13 super *Acta Apost.*

136. Quanto auro omni pretiosor est sanguis, tanto paupertas quam abundantia melior. *Prosec.*

137. Nihil sic libere loqui, et in rerum discrimine fiduciam habere præbet, sicut nihil possidere. Serm. 2 super illud; *Salutate Priscam.*

138. Paupertas est manuductrix quædam in via, quæ ducit ad cœlum, unctio athletica, exercitatio quædam magna et admirabilis, portus tranquillus. Homil. 18 super *Epist. ad Hebr.*

139. Nihil opulentius eo, qui paupertatem sua sponte eligit, et cum alacritate suscipit. *Ibid.*

140. Qui vult dives fieri fiat pauper, ut dives evadat : expendat, ut colligat : dispergat, ut congreget. Homil. 53 *ad Populum Antioch.*

141. Paupertas est tutum asylum, portus tranquillus, perpetua securitas, deliciæ periculorum expertes, voluptas sincera, vita turbationum nescia, vita fluctuum ignara, copia inexpugnabilis, philosophiæ parens, frænum intemperantiæ, supplicii sublatio, radix modestiæ. Homil. *de Avaritia.*

JOAN. CL. 142. Vidi nonnullos pecuniis pauperes, qui prioris suæ paupertatis obliti, in conversatione pauperum spiritu divites effecti sunt. *Gradu* 16.

143. Nuditas rerum omnium, curarum est depositio, securitas vitæ, viator omnibus impedimentis liber, mœroris alienatio, mandatorum fides. *Ibid.*

144. Nudus monachus, mundi totius est dominus : Deo enim curam sui credidit, et per fidem omnes possidet servos. *Ibid.*

145. Nuditas rerum omnium, tristitiam suffocat ; nullisque sensibilium rerum affici, intellectualium speculationem parit. *Ibid.*, gradu 26.

146. Paupertas melior est ad perfectionem acquirendam vitæ spiritualis, quam possessio opum et divitiarum. *De Consil. evangelic.* JOAN. GERS.

147. Thesaurus monachi est voluntaria paupertas. Super Prolog. *Regul. S. Bened.*, cap. 2, text. 30. JOAN. TRITH.

148. Debet paupertas esse cuilibet statui congrua : ut qui pauper erat in sæculo, non quærat ditior fieri in monasterio. *Ibid.*

149. Paupertas religiosorum, primus professionis gradus est. *Ibid.*

150. Inopia beatum non efficit pauperem, sed voluntaria pro Christi amore in ipsa paupertate patientia. Lib. 1, homil. 1, *ad Monachos.*

151. Paupertas exprobranda non est, quæ ab hoc quidem mundo secreta est ; sed verum tantum quærit nec ab ulla re, quæ ad tempus durat, flectitur. Epist. *ad Zenam.* S. JUSTIN. MART.

152. Non potest, nisi voluntaria voluntate restringi cupiditas : qui servis Christi semel effectus est, non erit mammonæ famulus, cujus certe ex voluntaria renuntiatione fit Dominus. *De Ligno vitæ*, tract. 10; *de Paupert.*, cap. 2. S. LAURENT. JUSTIN.

153. O felix paupertas ! voluntarie pro divinitatis amore suscepta, quam locuples, quam læta. quam jucunda, quamque secura ! *Prosec.*

154. Latronibus occurris intrepida, egestatem non metuis, humilitati sponte obsequeris, cum illa ad æternam pariter graderis vitam.

155. Unum est amborum præmium, una societas, unus Dominus, una possessio, unaque perfectio. Lib. 2 *de Spirituali resur.*, cap. 21.

156. Semper dives est christiana paupertas, quia plus est quod habet, quam quod non habet. *Prosec.* S. LEO I.

157. Non pavet in isto mundo indigentia laborare, cui donatum est in omnium rerum domino omnia possidere. Serm. 4 *Quadrag.*

158. Beata illa paupertas, quæ rerum temporalium amore non capitur, nec mundi opibus augeri appetit ; sed cœlestibus bonis ditescere concupiscit. Homil. *in Festo omnium sanct.*

159. Quid hac paupertate locupletius ? non habet præsidia pecuniæ, sed habet dona gratiæ. *Ibid.*

160. Paucis contentus esto, et simplicibus delectare. Lib. 1 *Enchirid. parvulor.*, docum. 12. LUDOVICUS BLOSIUS.

PETRUS BLESENS.

161. Insignis virtutum titulus est, mundi divitiis conculcatis, se in paupertate sola divitem reputare. Epist. 93, *ad Guillelm. abbatem.*

162. Pauper et justus contemnit divitias, et nihil ei deficit, quia sufficit ei Deus. *Ibid.*

163. Paupertas voluntaria est, super quam radicatur firmiter disciplina religionis. *Ibid.*, serm. 32, *de S. Augustino.*

S. PETRUS DAMIANUS.

164. Paupertas monachi securitas est mentis, securitas mater est puritatis. Opusc. 12, cap. 25.

S. SYNESIUS EPISC.

165. Probrosa sit divitiarum conquisitio, paupertas vero honestissimo in loco habeatur. *De Regno, ad Arcadium imperat.*

S. THEODOR.

166. Si paupertatem elegerimus, animam bonis minime vacuam, sed copia virtutum locupletatam geramus. Quæst. 53, super *Exod.*

167. Virtutis index non modo est paupertas, sed etiam regnum et felicitas. Super *Psalm.* CXXXVIII, vers. 1.

THEOPHILACTUS.

168. Paupertas voluntaria divitiarum est effectrix. Super II *ad Cor.*, cap. VIII, in illud : *Pauper factus est.*

S. THOMAS AQUINAS.

169. Paupertatem spiritus ad eos pertinere certum est, qui filiali timore Deo se voluntarie subjiciunt. 2, 2, quæst. 19, art. 12.

170. Ad perfectionem charitatis acquirendam, primum fundamentum est voluntaria paupertas, ut scilicet aliquis absque proprio vivat. 2, 2, quæst. 186, art.3 .

171. Per remotionem divitiarum tolluntur charitatis tria impedimenta : primo sollicitudo, secundo amor, tertio elatio earum. *Ibid.*, quæst. 188, art. 7.

172. Tanto erit unaquæque religio perfectior, quanto habet paupertatem magis proportionatam suo fini. *Ibid.*

173. Religiones quæ ad contemplativam vitam ordinantur, tanto perfectiores sunt, quanto eorum paupertas minorem eis sollicitudinem temporalium ingerit. *Ibid.*

174. In eo qui ex necessitate pauper est, humilitas non multum commendatur : sed in eo qui voluntarie pauper est, ipsa paupertas est maximæ humilitatis indicium. Part. 3, quæst. 40, art. 3.

THOMAS A KEMPIS.

175. Magna virtus paupertas spontanea, qua emitur cœlum sine pecunia. Serm. 19 *ad Novit.*, divis. 5.

IN VIT. PAT.

176. Affatim dives est, qui cum Christo pauper est. Lib. 1 in *Vita S. Eugeniæ,* cap. 12.

177. Magna res est penuria, nam qui eam voluntarie sustinet, tribulationem quidem carnis habet, animæ vero suæ invenit requiem. Lib. 3, num. 169.

178. Thesaurus monachi est paupertas voluntaria. Lib. 5, libell. 6, num. 12.

179. Nudus debet esse monachus ab omni materia seculari. *Ibid.*, num. 16.

180. Paupertas quovis regno magis expetenda. Lib. 9, cap. 24.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL.

181. Paupertas apud homines bonos potius esse, quam apud pravos solet : quia omnibus odio nabetur atque expellitur, ad probos confugit. Sect. 29, *Problem.* quæst. 4.

SENECA.

182. Quam te, paupertas, amo si beneficio tuo innocens sum ! Lib. 2, controver. 9.

183. O paupertas ! quam ignotum bonum es. *Ibid.*

184. Unde possum scire quantum adversus paupertatem tibi animi sit, si divitiis diffluis ? *De Divin. provid.*, cap. 4.

185. Non tantum tuta est, sed etiam gratiosa est paupertas. *De Consolat. ad Helviam*, cap. 12.

186. Honesta res est, læta paupertas, ait Epicurus. Illa vero non est paupertas, si læta est : cui enim cum paupertate bene convenit, dives est : non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est. Epist. 2.

187. Magnæ divitiæ sunt, ad legem naturæ composita paupertas. Epist. 4 et 27.

188. Paupertas expedita est, secura est, non timenda, sed appetenda. Epist 17.

189. Si vis vacare animo, aut pauper sis oportet, aut pauperi similis : non potest studium salutare fieri sine frugalitatis cura ; frugalitas autem paupertas voluntaria est. *Ibid.*

190. Paupertas contenta est, desideriis instantibus satisfacere. Epist. 17.

191. Fiat nobis paupertas familiaris : securius divites erimus, si sciverimus quam non sit grave pauperes esse. Epist. 18.

192. Non jucunda res est aqua et polenta, aut frustum hordeacei panis : sed summa voluptas est posse capere etiam ex his voluptatem. *Ibid.*

193. Nemo alius Deo dignus, quam qui opes contempsit. *Ibid.*

194. Hi quos paupertas locupletissimos fecit, desierunt omnia possidere, dum volunt propria. Epist. 90.

195. Nihil habet domus nostra melius, quod ostendat, quam paupertatem. Lib. 4 controvers. 24.

VALERIUS MAXIMUS.

196. Nullas divitias paupertati talium virorum posse præferri perspicuum est. Lib. 4, *Dictor. memorabil.*, cap. 4.

Vide etiam tit. *Apostolus*, sent. 58 ; *Divitiæ*, sent. 70, 72 ; *Martyrium*, sent. 163; *Monachus*, sent. 203, 204 ; *Mediocritas*, sent. 6 ; *Perfectio*, sent. 68, 69 ; *Possessio*, sent. 71 ; *Religio seu Congreg.*, sent. 113.

PAX.

S. ANTONIN. *Etymologia.* Pax dicitur a pacto, quia post pactum fit pax. Part. 4, tit. 6, *de Charit.*, cap. 8, § 1.

Pax habet tres litteras quæ repræsentant sanctissimam Trinitatem : Per P, Pater : per A, repræsentatur Amor Spiritus sancti : per X, Xps Dei Filius. *Ibid.*

CASSIODOR. Pax a parcendo, sive a pascendo dicta est. Super *Psalm.* CXXI, vers. 7 : *Fiat pax.*

S. AUGUST. *Definitio.* Pax corporis, est ordinata temperatura partium. *Prosec.*

Pax animæ irrationalis, est ordinata requies appetitionum.

Pax animæ rationalis, est ordinata cognitionis actionisque consensio.

Pax corporis et animæ, est ordinata vita, et salus animantis.

Pax hominis mortalis, est Dei immortalis ordinata in fide sub æterna lege obedientia.

Pax hominum, est ordinata concordia.

Pax domus, est ordinata imperandi atque obediendi concordia cohabitantium.

Pax civitatis, est ordinata imperandi atque obediendi concordia civium.

Pax cœlestis civitatis, est ordinatissima et concordissima societas fruendi Deo, et invicem in Deo.

Pax omnium rerum, est tranquillitas ordinis. Lib. 16 *de Civitate Dei*, cap. 13.

HUGO A S. VICTORE. Pax est concordantium in bono animorum ordinata tranquillitas. *De Fruct. carnis et spirit.*, cap. 18.

S. MAXIMUS MART. Pax vera, est imperturbata et plena ejus quod gratissimum est, possessio. Centuria 2, *de Virt. et vitio*, cap. 74.

DIONYSIUS CARTHUS. *Divisio.* Triplex est Pax ; prima vocatur pax temporis ; secunda, pax pectoris ; tertia, pax æternitatis. *De Profect. spirit.*, art. 21.

HUGO A S. VICTORE. Quatuor sunt paces : duas dat mundus, duas dat Deus : mundus dat pacem in tranquillitate rerum temporalium, et in sanitate corporum ; Deus dat pacem in tranquillitate mentis, et in gaudio contemplationis. Super *Paslm.* LXXXIV, cap. 62.

Falsæ pacis tres sunt species : est pax opinata, est pax simulata, est pax imperata : existimatur a nescientibus, simulatur a non habentibus, imperatur a non tenentibus. Lib. 3, *de Claustro animæ*, cap. 9,

Veræ pacis tres sunt species : est pax probata, est pax confirmata, est pax certa. *Ibid.*, *Prosec.*

Pax Dei hominibus quandoque datur, data probatur, probata confirmatur, confirmata certificatur. Probatur tentatione, confirmatur tribulatione, certificatur cohabitatione. *Ibid.*

S. THOMAS AQUINAS. *Differentia.* Differt concordia a pace, quia concordia importat unionem appetituum diversorum appetentium : pax autem supra hanc unionem importat etiam appetitum unius appetentis unionem. 2, 2, quæst. 29, art. 1.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Si in bello justitia valet, quanto magis in pace servanda est? Lib. 1 *Offic.*, cap. 29.

2. Justa pax sublimior est, quæ corporalium passionum excludit illecebras, perturbationesque mitigat, quam ea, quæ barbaricos sedat incursus. *Prosec.*

3. Istius pacis major est fructus, quo spiritalis nequitiæ tentamenta, quam quo arma hostilia repelluntur. Lib. 2 *de Jacob.*, cap. 6.

4. Ubi pax vera est, iracundia locum non habet, ablegatur discordia, fugatur dissensio. *De Joseph*, cap. 13.

5. Pax, fidei corruptelæ materia est. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 11, vers. 6.

6. A te pacem incipe, ut cum fueris ipse pacificus, pacem aliis feras. Lib. 5 super *Luc.*, cap. VI, in illud : *Beati pacifici.*

7. Sapienti pacis est studium, imprudenti amica jurgia. Lib. 2 *de Abraham*, cap. 6.

8. Ubi pax, ibi Christus, quia pax Christus est. Lib. 10, epist. 82, *ad Vercellens. Eccles.*

S. ANTON. DE PALUA. 9. In hoc nomine pax, tres sunt litteræ, et una syllaba, in quo Trinitas et Unitas designatur. *Prosec.*

10. In P, Pater demonstratur : in A prima vocali, Filius, qui est vox patris : in X duplici consonante, Spiritus sanctus ab utroque procedens intelligitur.

11. Cum ergo Christus discipulis suis dixit, pax vobis, Trinitatis et unitatis fidem recommendavit. Serm. 1, *post Pascha.*

S. AUGUST. 12. Pax uno nomine appellatur, sed longo intervallo discernitur, Dei et mundi : hæc enim fragilis est, illa fortis ; hæc carnea, illa spiritalis : hæc terrena, illa cœlestis : hæc de necessitate, illa de voluntate. *De Quæst. vet. et novi Testamenti*, quæst. 92.

13. Vir pacificus securam possidet mentem, totus est ab angelorum agmine munitus, et fructu jucunditatis repletus : omnia ejus in pace versantur, discordiam fugat, secreta mentis suæ illuminat. *De Salut. docum.*, cap. 22.

14. Magnum beneficium est pax, sed Dei veri beneficium est. Lib. 3 *de Civit. Dei*, cap. 9.

15. Tantum est pacis bonum, ut etiam in rebus terrenis atque mortalibus nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil pos-

tremo possit melius inveniri. *Ibid.*, lib. 19, cap. 11.

16. Sicut nemo est qui gaudere nolit, ita nemo est qui pacem habere nolit. *Ibid.*, cap. 12.

17. Pacem constat belli esse optabilem finem. *Ibid.*, lib. 19, cap. 12.

18. Dissensio et divisio facit hæreticos, pax vero et unitas facit catholicos. Lib. 2 *contra Lit. Petiliani*, cap. 95.

19. Quisquis vel quod potest, arguendo corrigit; vel quod corrigere non potest, salvo pacis vinculo excludit : vel quod salvo pacis vinculo excludere non potest, æquitate improbat, firmitate supportat; hic est pacificus, cap. 11.

20. Quid melius inveniri potest, quam pax? Pax quid est? ubi nullum bellum est. Quid est ubi nullum bellum est? ubi nulla est contradictio, ubi nihil resistit, nihil adversum est. Super *Psalm.* LXXXIV, vers. 8.

21. Nemo est, qui non vult pacem, sed non omnes volunt operari justitiam. *Prosec.*

22. Interroga omnes homines, vultis pacem? uno ore tibi respondet totum genus humanum : Opto, cupio, volo, amo : ama et justitiam, quia duæ amicæ sunt justitia et pax, si amicam pacis non amaveris, non te amabit ipsa pax, nec veniet ad te. Super *Psalm.* LXXXIV, vers. 11 : *Justitia et pax osculatæ sunt.*

23. Pax testamentum Dei est, hæreditas pax est, ut a concordibus consortibus possideatur, non a litigantibus dividatur. *De Ovibus*, cap. 13.

24. Pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium charitatis. *Prosec.*

25. Hæc est quæ simultates tollit, bella compescit, comprimit iras, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis est placida.

26. Non quærit alienum, nihil deputat suum ; docet amare quæ odisse non novit, nescit extolli, nescit inflari. *De Verb. Dom.*, serm. 57.

27. Pax dilectionis mater est, concordiæ vinculum, ac puræ mentis indicium manifestum. Serm. 1 *Dom. in Rogat.*

28. Hæc est illa perfecta pax, quæ mentem a vitiis purgat, vermem conscientiæ rodit. *Prosec.*

29. O pax eremitarum mater, cœnobitarum pater, monachorum soror!

30. Tu patriarcharum vinculum, tu prophetarum vehiculum, tu apostolorum refugium, tu martyrum solatium, tu confessorum balteum, tu virginum tripudium.

31. Tu viduarum speculum, tu conjugatorum spectaculum, tu malorum præsidium, tu tyrannorum odium, tu latronum suspendium.

32. O pax Dei ædificium! te non possunt destruere principum fulmina, insultus dæmonum te in nullo lædere possunt.

33. Tu pauperem divitem facis, tu divitem mendicantem perducis, tu contenta in cunctis, tu ditior universis, tu homines Dei filios facis.

34. O pax! sine te reges non regunt, sine te regna non valent, nihilque sine te cætera prodesse possunt. Serm. 2 *ad Fratres in eremo.*

35. Gloriosa illa pax est, plena atque perfecta, quæ fructus malarum cogitationum eructat, mentem fluctuantem illæsam reservat, conscientiam purgat. *Ibid.*

36. Qui pacem cordis, oris et operis non habet, christianus dici non potest. *Ibid.*

37. Diabolus intrare non potest domum vel mentem, in qua pax dominatur. *Ibid.*

38. Pax tale bonum est in rebus creatis, tam mirificum, tam gloriosum, quod nihil dulcius solet audiri, nihil delectabilius concupisci, nihil utilius possideri. *Ibid.*

39. Pax omnium custodia, et cura virtutum est. *Ibid.*, serm. 28.

40. Si pax humana tam dulcis est pro temporali salute mortalium, quanto dulcior est pax divina pro æterna salute angelorum? Et Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 23, quæst. 1, can. *Noli*, § *si Pax.*

41. Ubi pax, ibi requies. Epist. 45.

42. Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas. Epist. 205.

43. Non pax quæritur, ut bellum excitetur : sed bellum geritur ut pax acquiratur. *Prosec.*

44. Esto ergo etiam bellando pacificus, ut eos quos expugnas ad pacis utilitatem vincendo perducas. *Ibid.*

45. Si pax humana tam dulcis est pro temporali salute mortalium, quanto est dulcior pax divina pro æterna salute angelorum? *Ibid.*

46. Æmulationem sanat pax. In *Expos. super Epist. ad Galat.*, cap. v.

47. Sanitatem pacis tenere animus non potest, qui discordiis et certaminibus pascitur. *De Catechiz. rud.*, cap. 16.

48. Pax incertum bonum; quoniam corda eorum cum quibus eam tenere volumus, ignoramus. Lib. 19, *de Civit. Dei*, cap. 5.

49. Pacem non habebit in fine, qui non ea bene utitur ante finem. *Ibid.*, cap. 26.

50. Pax temporalis bonis malisque communis est. *Ibid.*

51. Natura humana, quæ pacem felix cum Deo habere noluit, secum pugnat infelix. *Ibid.*, lib. 21, cap. 15.

52. Vera pax ibi est, ubi nihil adversi, nec a

seipso, nec ab alio quisquam patietur. *Ibid.*, lib. 22, cap. 30.

53. Vis dividere pacem, et quæris adire Judicem pacem : ego pax sum, litigare non novi. *De Quinque hæres.*, cap. 6.

54. Charitatem Christi qui habet, pacem non potest odisse. In *Psalmo contra partem Donati.*

55. Non potest esse in pace, qui spem ponit in homine. Tract. 1 super *Joannem.*

56. Jubemur pacem habere inter nos, ut aliquando perveniamus ad perfectissimam pacem. *Ibid.*, tract. 34.

57. Pax quæ promittitur, est quam non habet mundus, quam non habet vita ista, quæ in vitæ comparatione nec vita est. Hom. 1 *ex* LIII *Hom.*, cap. 1.

S. BASILIUS MAGNUS.

58. Quantum sit pacis bonum, quid commemorare attinet ad viros pacis filios? nihil christiani hominis adeo proprium est, ut conciliandæ paci studeat. Apud *D. Joan. Damasc.*, lib. 1 *Parall.*, cap. 18.

V. BEDA.

59. Horrida bella gerit, qui pacis fœdera spernit. In suis *Proverb.*, verbo *Horrida.*

60. Pacem cum hominibus habeas, bellum cum vitiis. *Ibid.*, verbo *Pacem.*

S. BERNARD.

61. Quid a foris vos conturbare aut contristare possit, si intus bene estis, et fraterna pace gaudetis? Serm. 29 super *Cant.*

62. Intestina et insanabilis plaga est Ecclesiæ malus christianus; et ideo in pace amaritudo ejus amarissima : sed in qua pace! Et pax est, et non est pax : pax a paganis, et pax ab hæreticis, sed non profecto a filiis. *Ibid.*, serm. 33.

63. Osculum pacis est, odientes invitare ad pacem, discordantes ad concordiam revocare, adversarios pacifice sustinere, errantes pie et benigne docere, cum omnibus pacem habere. *De Inter. domo*, cap. 2.

S. BONAV.

64. Cum pro terrena re pax a corde cum proximo scinditur, apparet quod plus res quam proximus amatur. Super *Luc.*, cap. VI, in illud : *Qui aufert quæ tua sunt.*

65. Bonis hominibus est pax in mundo, pax in extremo, pax in judicio, pax in cœlo. Serm. 3, *Fer.* 5, *post Pascha.*

66. Pax est cœli linguagium, Christi encænium, et Dei vestigium. Tit. 7 *Diætæ*, cap. 6.

67. Gloriosissimum et potissimum est liberalis animæ, et conscientiæ bonæ indicium, pacem proximi custodire. In *Speculo discipl.*, part. 2, cap. 3.

CÆSARIUS ARELATENS.

68. Ista non est dicenda pax, quæ de radice charitatis non consurgit. Hom. 19.

CASSIODOR.

69. Pax illa habet tranquillam vitam, quæ cum ua mente non litigat, sed in Domini beneficiis perseverans, amœna tranquillitate perfruitur. Super *Psalm.* IV, vers. 9.

70. Quæramus pacem seduli, sequamur intenti : quia in futuro eam invenire non possumus, nisi hic diligentius inquiramus. Super *Psalm.* XXXIII, vers. 14 : *Inquire pacem.*

71. Pax ista non est, quam bella disturbent : non est, quam inquietudo ulla concutiat : sed imperturbata semper atque æterna manens, nullius inimici contrarietate dissolvitur. Super *Psalm.* LXI.

72. Cum peccatores videntur locupletes, multisque dominari populis, et in mundo non esse quod timeant, putantur habere pacem; sed pax ista cum conscientia semper litigat, rixatur intrinsecus, et cum hostem non habeat, secum ipsa decertat. Super *Psalm.* LXXII, vers. 3 : *Pacem peccatorum videns.*

73. Pax vera est concordiam habere cum moribus probis, et litigare cum vitiis. Super *Psalm.* LXXV, vers. 2.

S. CLEMEN[S] PAPA.

74. Ubi pax est, in disputationibus veritas, in operibus justitia invenitur. Lib. 2 *Recognit.*

CLEMENS ALEX.

75. Pax inter se invicem, res est longe optima. Lib. 2 *Stromat.*

76. Quies, pax, et tranquillitas, christiani propria est. Lib. 2 *Pædag.*, cap. 7.

S. DIONYS[IUS] AREOPAGI[TA].

77. Pax divina omnia conjungit, atque inter omnia concordiam connexionemque et gignit et absolvit. *De Divin. nomin.*, cap. 11.

DIONYSIU[S] CARTHUS.

78. Pace quid dulcius, quidve jucundius esse potest. Super *Epist. ad Coloss.*, cap. 3, art. 13, in illud : *Pax Christi exultet.*

79. Pax difficulter acquiritur, faciliterque amittitur : necesse est eam inquirere : et adeptam diligentissime custodire. Super epist. I *Petri*, cap. III, art. 6.

80. Custodia pacis thesaurus vere pretiosissimus est. *De Profectu spirit.*, art. 21.

S. FRANC[ISCUS] ASSISIAS.

81. Illi sunt vere pacifici, qui in omnibus in hoc sæculo patiuntur propter amorem Domini nostri Jesu Christi, in animo et corpore pacem servantes. In suis *Opusculis*, in *Admonit. ad fratres*, cap. 15.

GLOSS. OI[RD].

82. Pax est janua dilectionis. Super *Epist. ad Ephes.*, cap. VI.

83. In pace principum quies, et regimen servatur Ecclesiarum. Super I *ad Timoth.*, cap. II.

S. GREG[ORIUS] MAGNU[S].

84. Quid est pax transitoria, nisi quoddam vestigium pacis æternæ? Quid ergo dementius esse potest, quam vestigia in pulvere impressa diligere, et ipsum a quo impressa sunt non amare? Part. 3 *Pastor.*, cap. 1, admonit. 23.

85. Pax præsens ita tenenda est, ut et diligi

debeat, et contemni : ne si immoderate diligatur, diligentis animus in culpa capiatur. *Ibid.*

86. Bonum pacis ibi servabitur, ubi nihil potestati sed totum æquitati tribuitur. Lib. 12 in *Registro*, ind. 7, cap. 31, epist. 31, *ad Felicem episc. Siciliæ.*

87. Ad pacem Domini nequaquam pervenire potest, qui pacem Domini discordiæ furore rumpit. Hab. apud *Bedam,* in *Scintillis,* cap. 1.

S. GREGOR. NAZ. 88. Pax est quid pulcherrimum et utilissimum : discordia vero est quid turpissimum et damnosissimum. Orat. 20, *de Modestia.*

89. Nihil pace pretiosius est, nec fuit, nec erit. Epist. 2, *ad Clidonium.*

90. Ubi pax illuxit, vitia omnia, quæ ex contrario conflantur evanescunt. Orat. 1, *de Pace*, et hab. apud *D. Joan. Damasc.*, lib. 1 *Parall.*, cap. 18.

HAYMO. 91. Vera pax nec jurgiis immutatur, nec discordiis rumpitur, nec morte interveniente finitur, sed potius confirmatur. Serm. *in die Pent.*

S. HIERON. 92. Pax quærenda est, ut bella fugiamus : nec sufficit eam quærere, nisi inventam fugientemque omni studio persequamur. Epist. 4, *ad Rustic.*

93. Christianorum arma pax est, sed pax Christi, quæ exuperat omnem sensum. Super *Psalm.* CXLIX, vers. ultimo.

S. HILARIUS 94. Speciosum nomen est pacis, et pulchra est opinio unitatis. Lib. *contra Arianos et Auxent.*

HUGO A S. VICTORE. 95. Lingua quandoque pacem prædicat, sed sæpius turbat : ubi enim lingua dissoluta discurrit, pacem solvit. Lib. 3 *de Claustro animæ*, cap. 9.

HUGO CARD. 96. Quanto justior eris, tanto pacatior mente. Super *Job*, cap. VIII.

97. Pax cum servitute turpis est. Super *Isai.*, cap. XXXII.

S. IGNATIUS MART. 98. Nihil præstantius pace Christi, qua frangitur aboleturque omne bellum, tam acriorum quam terrenorum spirituum. Epist. 14, *ad Ephes.*

S. JOANNES CHRYSOST. 99. Non potest unquam pacis integritas custodiri, ubi voluntatem diversitas invenitur. Collat. 16, *Abbat. Joseph*, cap. 3.

100. Nihil pace præstantius, nihil contentione gravius. Homil. 36 super *Gen.*

101. Quamvis plurima pace externa quis fruatur, si intra se cogitationum tempestas nascatur et tumultus, nihil externa pax proderit illi. *Ibid.*, homil. 34.

102. Ubi pax est, tempestas nulla est, obscuritas nulla, nox nulla, tenebræ nullæ : est pax clara, modesta, simplex, idonea, fundata. Homil. super *Psalm.* CXXI.

103. Pacifici non solum dicuntur, qui inimicos in pace reconciliant : sed etiam illi, qui immemores sunt malorum : ipsi diligunt pacem. *Prosec.*

104. Multi enim sunt qui aliorum inimicos libenter in pace reconciliant; et ipsi inimicis suis nunquam ex corde reconciliantur : isti illusores sunt pacis, non amatores.

105. Pax illa beata, quæ in corde reposita est, non in verbis.

106. Illius labia dolum loquuntur, qui pacem portat in labiis, et malitiam servat in corde.

107. Gloriosior es tu, si nocitus pacem petieris, quam si vindictam desiderares. Homil. 9 super *Matth. Oper. imperf.*

108. Est pax bona, est pax mala : pax bona es inter bonos, fideles et justos : pax autem mala es inter infideles et iniquos. *Ibid.*, homil. 26.

109. In pace labor est bene vivere, quia pax ipsa corruptrix est pietatis. *Ibid.*, homil. 31.

110. Pax mater est bonorum omnium, ipsa causa est et materia gaudii. Homil. 2 super *Epist ad Coloss.*

111. Pax humana ex non vindicta nascitur, ex eo quod nihil mali toleratur. *Ibid.*, homil. 8.

112. Deo ac divinis rebus propinqui sunt, quicunque pacis bonum amplexari cernuntur : ac contrario, hoc est dissidio, infensi atque infesti sunt. Lib. 1 *Parall.*, cap. 18. S. JOANNES DAMASCEN.

113. Qui sine pace est, et sine quiete; veluti in inferno positus est. Serm. *ad Reg. Franc. de Pace*, consid. 4. JOAN. GERS.

114. Qui odit pacem, ubicunque fuerit, nunquam pacificus erit. Lib. *de Regim. claust.* JOAN. TRITH.

115. Nullum bonum subsistet ubi pax non est. Super Prolog. *Regulæ*, cap. 2, text. 8.

116. Pax vera est concordiam habere cum moribus probis, et litigare cum vitiis. *Ibid.*

117. Magnum bonum est vera pax, sine qua nec totus mundus, quidquam prodest. *Ibid.*

118. Cum cito pax in congregatione monachorum extincta fuerit, totus monasticæ disciplinæ vigor peribit. *Ibid.*

119. Ubi non est pax, nec Deus ibi adesse potest. *Ibid.*

120. Inchoatio pacis sanctorum est in hac vita, non possessio : tunc autem erit plenitudo pacis, cum ad Dei contemplationem absorpta carnis infirmitate convaluerint. Lib. 1 *de Sum. bono*, cap. 26, sent. 1. S. ISIDORUS HISPALENS.

121. Pax vera ea est, quæ justitia et pietate cohonestatur. Lib. 3, epist. 246, *ad Petrum.* S. ISIDORUS PELUSIOTA.

122. Habet pax nostra pericula sua : et frustra de fidei libertate securi sunt, qui vitiorum desideriis non resistunt. Serm. 6 *Epiphan.* S. LEO I.

123. Vera pax nutrix est dilectionis, genitrix unitatis, requies beatorum, et æternitatis habitaculum. Serm. 6 *de Nativit.*

124. Vera pax est, a Dei voluntate non dividi, et iis solis quæ Deus diligit, delectari. *Ibid.*, serm. 9.

125. Tunc est vera pax hominis, et vera libertas, quando caro animo judice regitur, et animus Deo præside gubernatur. Serm. 1 *Quadrag.*

126. Minus bonum videri solet, pax continuata per otium, quam reddita per laborem. Epist. 63, *ad Theodoret. episc. Cyri.*

LUDOV. BL. 127. Qui modo multa pace male gaudent, magnis postmodum pressuris affligentur. In *Apolog. pro Thaulero*, cap. 7.

S. PETRUS CHRYSOL. 128. Pax est voluntas Dei, jucunditas Christi, perfectio sanctitatis, justitiæ regula, magistra doctrinæ, morum custodia, in rebus omnibus laudabilis disciplina, suffragium precum, supplicationum facilis atque impetrabilis via, desideriorum omnium competens plenitudo, dilectionis mater, concordiæ vinculum, puræ mentis indicium manifestum. Serm. 53.

129. Pax sibi exigit de Deo quod velit : quæ quidquid voluerit, petit : quidquid petierit, sumit. *Ibid.*

130. Plantare pacem radicitus, est Dei : evellere penitus, inimici. *Ibid.*

131. Custodienda præ omnibus virtutibus pax est, quoniam Deus semper in pace est. *Ibid.*

132. Pax charitatis fœcundis nutritur uberibus, alumna est fidei, columna justitiæ, spei pignus futuræ idoneum, præsentes sociat, absentes invitat, terrena cœlestibus, et divinis humana conciliat. *Ibid.*, serm. 139 *de Pace.*

PHILO JUD. 133. Pax quamlibet damnosa, bello utilior est. Hab. apud *D. Joan. Damasc.*, lib. 1 *Parall.*, cap. 18.

PRUDENT. 134. Pax plenum virtutis opus, pax summa la-[borum,
Pax belli exacti pretium est, pretiumque [pericli.

In *Psycomach. de concord. et discord. pugna*, vers. 100.

S. SYNESIUS EPISC. 135. Soli illi pacem colere licet, qui lacescentes ulcisci ac male afficere potest. *De Regno ad Arcadium imperat.*

136. Cum bello pax felicior sit, quoniam pacis causa bellum instituitur, finis iis, quæ sui causa sunt, merito anteponendus est. *Ibid.*

THOMAS A KEMPIS. 137. Pax vera et perfecta requies est in cœlo, non in terra : quia hic omnia sunt in motu et timore, et frequenti pressura. Serm. 5 *ad Novit.*, divis. 5.

138. Non est pax in corde hominis carnalis, non in homine exterioribus dedito, sed in fervido et spirituali. Lib. 1 *de Imit. Chr.*, cap. 6.

139. Tene te primo in pace, et tunc poteris alios pacificare. *Ibid.*, lib. 2, cap. 3

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 140. In pace bellum quæritas, in bello pacem desideras. Lib. 4 *de Arte rhetor. ad Herenn.*

SENECA. 141. Pacem cum hominibus habeas, cum vitiis bellum. *De Moribus.*

VALERIUS MAXIMUS. 142. Sicut placidum mare ex aspero, cœlumque ex nubilo serenum hilari aspectu sentitur : sic bellum pace mutatum, plurimum gaudii affert. Lib. 4 *Dictor memorabil.*, cap. 2.

Vide etiam tit. *Detractio*, sent. 42; *Discordia*, sent. 7; *Lex in genere*, sent. 27; *Militia*, sent. 35; *Patientia in genere*, sent. 101; *Persecutio*, sent. 101; *Placere*, sent. 90; *Probatio*, sent. 22; *Proditio*, sent. 17; *Schisma*, sent. 16; *Via*, sent. 58; *Visio Dei*, sent. 21.

PECCATUM in genere.

S. AMBROS. *Definitio.* Peccatum est prævaricatio legis divinæ, et cœlestium inobedientia præceptorum. *De Paradiso*, cap. 8.

Recte peccatum omne appellatur, quod aliter fit quam probatum est. Super *Epist. ad Rom.*, cap. XIV.

S. AUGUST. Peccatum nihil aliud est, quam neglectis rebus æternis, temporalia quasi magna et miranda sectari. Lib. 1 *de Lib. arbit.*, cap. 16.

Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere. Lib. 1 *Retract.*, cap. 15.

Peccatum est inordinatio atque perversitas, id est, a præstantiore Conditore aversio, et ad condita inferiora conversio. Lib. 1 *de Diversis quæst. ad Simplician.*, quæst. 2.

Peccatum est factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra æternam legem. Lib. 22 *contra Faustum*, cap. 27.

Peccatum non est appetitio naturarum malarum, sed desertio meliorum. *De Natura boni*, cap. 34.

S. BONAV. Peccatum est ab eo quod est secundum naturam, in id quod est præter naturam, conversio. Part. 1, *Centiloquii*, sect. 3.

Peccatum est defectus quidam a luce veritatis, naturam non perimens, sed obscurans. *Ibid.*

Peccatum est recessus ab omnis boni complemento, et perfectione. *Ibid.*

Peccatum est spreto bono incommutabili, rebus commutabilibus adhærere. *Ibid.*

Peccatum est carentia debitæ justitiæ, facta per inobedientiam propriæ voluntatis. *Ibid.*, sect. 5.

Peccatum est aversio ab incommutabili bono, et ad bonum commutabile conversio. *Ibid.*

S. CYRILL. HIEROSOL. Peccatum est mala soboles ab homine voluntarie propagata. *Catech.* 2.

S. FULGENT. Nihil est aliud peccatum, quam ordinatorum rerum inordinata rationalis creaturæ dilectio,

quæ sponte perdendo dilectionis ordinem, perdit et salutem. Lib. 1 *ad Monimum*, cap. 20.

S. JOANNES DAMASC. Nihil aliud est peccatum, quam aberratio et aversio a lege Domini. *De duabus Christi voluntatibus.*

S. PROSPER. & S. AUGUST. Nihil aliud est omne peccatum, nisi Dei contemptus, quo ejus præcepta calcantur. Lib. 3 *de Vita contempl.*, cap. 2.

THEOPHILACTUS. Peccatum est ignava et corrupta voluntas, et impetus ad id quod deterius est. Super *Epist. ad Rom.*, cap. VII.

S. THOMAS AQUINAS. Peccatum dicitur omnis defectus actionis, quia importat deordinationem. Super *Epist. ad Hebr.*, cap. VIII, lect. 3.

Peccare est voluntate averti a Deo. Part. 1, quæst. 94, art. 1.

Peccare nihil est aliud quam declinare a rectitudine actus, quam debet habere. *Ibid.*, quæst. 63, art. 1.

Peccare nihil aliud est quam deficere a bono. 1, 2, quæst. 109, art. 2.

ARISTOTEL. Peccare nihil aliud est quam rem agere deteriorem. Sect. 19, *Problem.*, quæst. 26.

CICERO. Peccare est tanquam transire lineas, quod cum feceris, culpa commissa est. *De Paradoxis*, cap. 4.

PLATO. Peccatum est intemperatus vitiosusque excessus, morbus, pestis, et injustitia. Sizygia 4, *de Legibus*, lib. 10.

Peccatum est actio præter rectam intentionem. Sizygia 6, *de Definit.*

S. BONAV. *Divisio.* Tria sunt genera peccatorum; ex infirmitate ex ignorantia, et ex iniquitate. Super *Psalm.* XXXV.

S. EDMUND. Septem sunt peccata mortalia : superbia, invidia, ira, acedia, avaritia, gula, luxuria. In *Speculo ecclesiæ*, cap. 8.

Bene dicuntur mortalia, nam tria prima miserum peccatorem captivum spoliant : quartum ipsum verberat : quintum eum prosternit : sextum illum decipit : septimum in servitutem redigit. *Ibid.*

GLOSS. ORD. Tribus modis peccatur : ex infirmitate, ex ignorantia, ex studio. Super *Job*, cap. XXXIV, *Prosec.*

Ex infirmitate peccare, est amare bonum, sed implere non posse : ex ignorantia, est nescire : ex studio vero peccare, est bonum nec facere, nec amare. *Ibid.*

S. GREGOR. MAGNUS. Tribus modis impletur omne peccatum : suggestione, delectatione, consensu : suggestio fit per diabolum, delectatio per carnem, consensus per spiritum : in suggestione, peccati semen est : in delectatione fit nutrimentum ; in consensu, perfectio. Lib. 12, in *Registro*, indict. 7 super 11. Interrogat., cap. 11.

S. ISIDORUS HISPALENS. Duobus modis peccatum committitur, aut vi cupiditatis, aut metu timoris : dum vel quisquis vult adipisci quod cupit, vel timet ne incurrat quod metuit. Lib. 2, *de Summo bono*, cap. 17, sent. 1.

Quatuor modis committitur omne peccatum in corde : suggestione dæmonum, delectatione carnis, consensione mentis, defensione elationis. *Ibid.*, cap. 17, sent. 2.

Quatuor modis perpetratur peccatum ex opere : nunc latenter, nunc palam, nunc consuetudine, nunc desperatione. *Ibid.*

Tribus modis peccatum geritur : ignorantia, infirmitate, industria. *Ibid.*, cap. 17, sent. 3, *Prosec.*

Gravius est infirmitate, quam ignorantia quemquam delinquere : graviusque est industria, quam infirmitate peccare. *Ibid.*

RICHARDUS A S. VICT. *Differentia.* Mortale peccatum triplici ratione distinguitur : mortale est, quod a quovis non potest committi sine grandi corruptione sui, sine gravi læsione proximi, sine magno contemptu Dei. Cætera omnia mihi videntur venialia. *Prosec.*

Veniale peccatum est reatus, cui quantum est in se, solum fide mediante nunquam debetur æterna damnatio.

Mortale vero peccatum est reatus, cui quantum est in se, solum semper debetur æterna damnatio. Part. 1, *de Differentia peccati.*

Peccare in Patrem, est peccare per impotentiam : peccare in Filium, est peccare per ignorantiam : peccare in Spiritum sanctum, est peccare per malitiam. Part. 1, tract. 2, *de Statu interior. homin.*, cap. 3.

Aliud est vitium, aliud est peccatum. Vitium est ipsius naturalis boni, etiam invitus defectus ; peccatum vero est tentantis mali spontaneus consensus. *Prosec.*

Vitium est corruptio naturæ, ex qua fit prona et cupida illius etiam mali sæpe, cui tamen consentire nolit : peccatum vero est perversio industriæ, per quam sæpe illi etiam malo sponte consentit, cui facile resistere potuit. *Ibid.*, cap. 8.

S. ISID. HISP. Aliud est non peccare amore dilectionis Dei, aliud timore supplicii. *Prosec.*

Qui enim amore charitatis Dei non peccat, horrescit omne malum amplectendo justitiæ bonum : nec eum delectat peccatum, etiamsi sceleris impunitas promittatur.

Qui vero solo supplicii timore in se vitia reprimit, quamvis non expleat opus peccati, vivit tamen in eo voluntas peccandi, doletque sibi illicitum, quod lex prohibere dignoscitur. Lib. 2, *de Sum. bono*, cap. 21, sent. 1.

Quidam et diligunt peccatum, et faciunt ; quidam diligunt tantum, et non faciunt ; plerique vero faciunt tantum, et non diligunt. *Prosec.*

Gravius peccat, qui non solum peccatum diligit, sed et facit, quam qui non facit et diligit.

Graviusque interdum peccat, qui diligit peccatum et non facit, quam qui facit et odit : gravissimum est non solum facere, sed et diligere peccatum. *Ibid.*, cap. 21, sent. 2.

S. PET. DAM. Hoc inter peccatorem, et hæreticum distat : quia peccator, qui delinquit, per excusationem se defendit ; hæreticus autem peccatum per pravum dogma defendit. Opusc. 24.

S. THOMAS AQUINAS. Differunt inter se iniquitas, et peccatum : quia iniquitas opponitur justitiæ, quæ quidem proprie semper est ad alium. Peccatum autem dicitur omnis defectus, quia importat deordinationem, et sic iniquitas est in proximum, sed peccatum in seipsum. Super *Epist. ad Hebr.*, cap. VIII, lect. 3.

S. AMBROS. *Productio*. Sive in lapsu diaboli, sive in prævaricatione hominis, initium peccati semper est superbia. Lib. 10, epist. 84, *ad Demetriadem.*

S. AUGUST. Quidquid est peccatorum in dictis, in factis, in cogitationibus, non oriuntur nisi ex mala cupiditate, et ex illicita delectatione. *De Verbis apostoli*, serm. 6.

S. CLEMENS PAPA. Ex peccatis bella nascuntur, et certamina : ubi non est peccatum, pax est. Lib. 2 *Recognit.*

S. GREGOR. NAZ. Peccatum humiliationis est mater, conversionis vero humiliatio. Orat. 1 *pro Juliano imper.*

S. ISID. HISP. Istis fomitibus, quasi quibusdam gradibus coalescit omne peccatum. Cogitatio prava delectationem parit, delectatio consensionem, consensio actionem, actio consuetudinem, consuetudo necessitatem. Lib. 2 *de Summo bono*, cap. 23, sent. 3.

S. PETRUS DAMIANUS. Peccatorum multitudo negligentiam, negligentia contemptum, contemptus mortem interminat sempiternam. Serm. 55, *de S. Martino.*

S. THOMAS AQUINAS. Omne peccatum est ex amore male inflammante, vel ex timore male humiliante. 2, 2, quæst. 77, art. 4, arg. 3.

S. BONAV. *Comparatio.* Sicut putredo aufert pomo decorem, valorem, colorem, odorem et saporem : sic peccatum aufert animæ decorem vitæ et odorem famæ, valorem gratiæ et saporem gloriæ. Tit. 1 *Diætæ*, cap. 2.

S. HIERON. Sicut quamdiu cadaveris materia est, vermes nascuntur ex putredine : sic ex ipsa materia peccatorum, supplicia gignuntur. Lib. 6 super *Isaiam*, cap. XIV in illud : *Putredo, et operimentum tuum erunt vermes.*

S. THOMAS AQUINAS. Sicut terra caliginosa est et opaca sic etiam peccator caliginosus et opacus est. Opusc. 7, super *Pater noster*, petit. 1.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ALBERTUS MAGNUS. 1. Ex consuetudine venialium peccatorum, securitas mentis et familiaritas Dei amittitur, et gratia multiformis negligitur. *De Paradiso animæ*, part. 1, *de Virtut.*, cap. 22.

2. Heu, heu ! non est provincia sub cœlo, in qua Deus non offenditur : nec castrum, civitas aut villa, in qua per peccatum non contemnitur. *Ibid.*, part. 2, *de Vitiis*, cap. 25, sect. 2.

S. AMBROS. 3. Gravius est ad peccatum vivere, quam in peccato mori : quia impius quamdiu vivit, peccatum auget ; si moriatur, peccare desinit. *De Bono mortis*, cap. 7.

4. Prudentibus delictorum supplicia terrori sunt : delicta autem mortuorum actus sunt, sed viventium. *Ibid.*, cap 8.

5. Nullus major est dolor, quam is qui peccati mucrone vulnerat conscientiam : neque ullum gravius est onus, quam peccatorum sarcina, et pondus flagitiorum ; deprimit animam, curvat usque ad terram, ne se erigere possit. Lib. 5, epist. 18, *ad Herontianum.*

6. Non est mirandum peccare hominem, sed illud reprehensibile est, si non se cognoscat errasse, non humiliet se Deo. *Ibid.*, epist. 28, *ad Theodosium imperat.*

7. Peccasse conditionis est humanæ, atque infirmitatis : sed impie agere, non conditionis est, sed perfidiæ, et nequissimæ mentis venenum. Lib. 1 *de Interpellat.*, cap. 6.

8. Peccatum aut donatur, aut deletur, aut tegitur : donatur per gratiam, deletur per sanguinem Christi, tegitur per charitatem. Lib. 1 *de Apologia David*, cap. 13.

9. Non virtus est non posse peccare, sed nolle : atque ita tenere perseverentiam voluntatis, ut voluntas infantiam, usus imitetur naturam. Lib. 8, super *Luc.*, cap. 18.

10. Homo consuetudine peccandi gravatur, et facilius succumbit peccato, quam legi ; ac si velit benefacere, premit illum consuetudo adjutore inimico. Super *Epist. ad Romanos*, cap. 7.

11. Sagitta mortis est peccatum, per quod animæ jugulantur. Super 1 *Cor.*, cap. XV, in illud : *Stimulus mortis.*

12. Nemo gravius moritur, quam qui peccato vivit. *De Noe et Arca*, cap. 10.

13. Nisi originale peccatum fuisset, vitium nullum esset. Super *Apocal.*, cap. VI.

S. ANS 14. Tolerabilius carnis putridus fœtet, quam anima peccatrix Deo. *De Miseria hominis.*

15. Qui in Deum peccat, omnem creaturam contra se excitat. *De Similitud.*, cap. 101.

16. Si hinc peccati pudorem, et illinc cernerem inferni horrorem, et necessario uni illorum ha-

berem immergi : potius me infernum mergerem, quam peccatum in me immiterem. *Ibid.*, cap. 190.

17. Mallem purus a peccato et innocens gehennam intrare, quam peccati sorde pollutus cœlorum regna tenere. *Ibid.*

18. Necesse est omnem hominem in peccato originali natum, illo non dimisso damnari. Lib. *de Conceptu virginali*, cap. 28.

19. Peccatum quod est in corpore nostro, quidam tyrannus est pugnans adversum nos, et membra nostra pro armis habere quærit ad debellandum nos. Super *Epist. ad Rom.*, cap. VI, in illud : *Peccatum vobis non dominabitur.*

S. ANTONIUS 20. Quanto quis magis peccat, vel diutius moratur in peccato, tanto magis elongatur a Deo. Part. 2, tit. 9, *de Acedia*, cap. 13, § 1.

S. ANTONIUS DE PADUA. 21. Quot mortalia peccatores habent, tot deos invocant et adorant. Serm. *Dom.* 6, *post Trinit.*

S. AUGUST. 22. Peccatum est insanabilius, quo quis se peccatorem esse non arbitratur. Lib. 5 *Confess.*, cap. 10.

23. Sicut propria cogitatione non peccat invitus, ita dum consentit male suadenti, non utique nisi voluntate consentit. *Prosec.*

24. Gravius est non solum nullo suadente propria cogitatione peccare, sed etiam peccatum alteri per invidentiam dolumque suadere, quam ad peccandum alterius suasione traduci. Lib. 3 *de Libero arbit.*, cap. 10.

25. Illa est peccati pœna justissima, ut amittat unusquisque, quo bene uti noluit, cum sine ulla posset difficultate, si vellet : ut qui sciens, recte non facit, amittat scire quid rectum sit ; et qui recte facere cum posset, noluit, amittat posse cum velit. Lib. 3 *de Libero arbit.*, cap. 18.

26. Peccata animas fallunt, cum verum quærunt, relicta et neglecta veritate. *De Vera relig.*, cap. 36.

27. Homo peccans turpis factus est voluntate, universum amittendo, quod Dei præceptis obtemperans possidebat ; et ordinatus a parte est, ut qui legem agere noluit, a lege agatur. Lib. 6 *Musicæ*, cap. 11.

28. Quanto quisque gravius leviusque peccaverit, tanto in peccato committendo major, quanto in diligendo Deo et proximo minor. *Prosec.*

29. Tanto minor in peccati perpetratione, quanto major in Dei et proximi dilectione. Epist. 29, *ad D. Hieronymum.*

30. Tantum quisque peccatum odit, quantum justitiam diligit. Epist. 144, *ad Anastas.*

31. Qui injuste se ordinat in peccatis, juste ordinatur in pœnis. Epist. 120, *ad Honorat.*, cap. 2.

32. Non potest peccatum perpetrandum mente decerni, nisi et illa mentis intentio malæ actioni cadat et serviat. Lib. 12 *de Trinitate.*, cap. 12.

33. Peccata, quamvis magna et horrenda, cum in consuetudinem venerint, aut parva, aut nulla esse creduntur, usque adeo ut non solum occultanda, verum etiam jam prædicanda ac diffamanda videantur. In *Enchiridio*, cap. 80.

34. Nemini dedit Deus laxamentum peccandi, quamvis miserando deleat jam facta peccata, si non satisfactio congrua negligatur. *Ibid.*, cap. 70,

35. Sine libidine non est parentum concubitus, ob hoc ex eorum carne nascentium non potest sine peccato esse conceptus, ubi peccatum in parvulos non transmittit propagatio, sed libido. *De Fide ad Petrum*, cap. 2.

36. Gravius est peccatum, quod animo nocentis, quam quod animo subvenientis efficitur. *De Mendacio*, cap. 15.

37. Qui peccando malum facit, prius delinquendo a bono cadit. Lib. 3 super *Levitic.*, quæst. 20.

38. Sunt omni peccanti animæ duo ista pœnalia, ignorantia et difficultas : ex ignorantia dehonestat error : ex difficultate cruciatus affligit. Lib. 3 *de Lib. arb.*, cap. 18.

39. Usque adeo peccatum voluntarium est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. *De Vera religione*, cap. 14.

40. Nullum peccatum committi potest, nisi dum appetuntur quæ Christus contempsit ; aut fugiuntur, quæ ille sustinuit. *Ibid.*, cap. 16.

41. Sicut in rebus utilibus non vocatur damnum, quod propter majus lucrum amittitur : sic et in rebus sanctis non vocatur peccatum, quod ne gravius admittatur, admittitur. *De Mendacio*, cap. 18.

42. Quanto persona peccantis supplicior est, tanto magis leve delictum ejus. In *Quæst. veteris et novi Testam.*, quæst. 16.

43. Nullum peccatum adeo parvum est, quod non crescat neglectum. *De Vera et falsa pœnit.*, cap. 8.

44. Unusquisque peccando animam suam diabolo vendit, accepto tanquam pretio dulcedinis temporalis voluptatis. In *Expos. super Epist. ad Rom.*, propos. 42.

45. Nulla peccati est excusatio, si amici causa peccaveris. *De Amicit.*, cap. 7.

46. Quanta fuit iniquitas in peccando, ubi tanta erat non peccandi facilitas ? Lib. 14 *de Civitate Dei*, cap. 15.

47. Nemo esse sine peccato potest, et quisquis se inculpatum dixerit, aut superbus, aut stultus est. Lib. 4 *Contra duas epist. Pelag.*

48. Molestum est et nimium periculosum, immo perniciosum, et pro certo exitiabile, quod scientes peccant. Super *Psalm.* L

49. Si tu peccatum tuum in dorso ponis, Deus ibi faciem ponit : tu peccatum tuum ante faciem tuam converte, si vis inde Deus faciem suam avertat, et sic securus rogas, et exaudit. *Ibid.*, vers. 10, *Averte faciem tuam.*

50. Perversa et falsa innocentia est, habenas laxare peccatis. *Ibid.*

51. Gravia vincula peccatorum sunt. Super *Psalm.* LXVII, vers. 7.

52. Omnia peccata duæ res faciunt in homine, cupiditas et timor : cogitate, discutite, interrogate corda vestra, perscrutamini conscientias, videte utrum possint esse peccata, nisi aut cupiendo, aut timendo. Super *Psalm.* LXXIX, vers. 17.

53. Inest peccatum cum delectaris, regnat si consenseris. Super *Psalm.* L.

54. Quemlibet valde justum discutias in hac vita, quamvis jam sit dignus justi vocabulo, non est tamen sine peccato. Tract. 4 super *Evang. Joan.*, cap. 8.

55. Levia peccata noli contemnere ; si contemnis quando appendis, expavesce quando numeras. *Prosec.*

56. Levia multa faciunt unum grande, multæ guttæ implent flumen, multa grana faciunt massam. Tract. 1 super *Epist. Joan.*, cap. 3.

57. O quam tolerabilius canis putridus fœtet, quam anima peccatrix Deo ! magis infelix ista Deo, quam ille hominibus. *De Contrit. cordis*, cap. 4.

58. Anima peccatrix arbor infructuosa est, digna securi et igne, digna succidi et incendi. *Ibid.*

59. Cæcus non videt foveam in quam cadit ; qui sponte facit peccatum, videns et sciens, cæcus est, et præcipitio se tradit. *Ibid.*, cap. 3.

60. Magis est vitanda peccandi fœditas, quam quælibet tormentorum immanitas. *Ibid.*

61. Infelix commercium, pro tam brevi gaudio, cœlesti privari regno, et ineffabilis miseria, cum diabolo pati supplicia. *De Contempt. mundi*, cap. 7.

62. Humanum est peccare, christianum est a peccato desistere, diabolicum est in peccato perseverare. Lib. 2 *de Visitat. infirm.*, cap. 5.

63. Nullus est excusatus a peccato, quia talis est judex, ut omnis homo ab illo inveniatur reus. *De Tempore barbarico*, cap. 1.

64. Amat mortem, qui vitæ præcepta non servat : et horret vitam, qui peccata morti debita desperata morte frequentat. Serm. 3 *de Verbis Dom.*

65. Nullum est peccatum quod fecit homo, quod non possit facere alter homo, si desit rector a quo factus est homo. Homil. 23 *ex* LIII *Hom.*

66. Nondum times peccatum ? time quo perducit peccatum. *Ibid.*, homil. 42.

67. Ipsa est infelicitas hominum : propter quod peccant, morientes hic dimittunt, et ipsa peccata secum portant. *Prosec.*

68. Peccas propter pecuniam? hic dimittenda est. Peccas propter villam? hic dimittenda est. Peccas propter mulierem? hic dimittenda est.

69. Et quidquid est propter quod peccas, quando oculos in morte clauseris, hic dimittis ; et ipsum peccatum quod committis, tecum portas. *Ibid.*

70. Dulce est peccatum, sed amara est mors. *Ibid.*

71. Multi se assidue dicunt esse peccatores, et tamen adhuc illos delectat peccare. Professio est, non emendatio. Accusatur anima, non sanatur. Pronuntiatur offensa, non tollitur. Serm. 3 *de Nativit.*

72. Minutis peccatis licet occidi animam non credamus, ita tamen velut quibusdam pustulis, et quasi horrenda scabie replentes, difformem faciunt. Serm. 4 *pro Defunctis.*

73. Multi sunt qui in luce ambulare se putant, et foris claros existere se existimant, cum peccatorum luto pleni intus tenebrosi persistant. Serm. 62 *ad Fratres in eremo.*

74. Peccata scientium, peccatis ignorantium præponuntur. Lib. 4 *de Baptismo contra Donatist.*, cap, 5.

75. Animæ, si peccaverint, miseræ sunt. Lib. 3 *de Lib. arb.*, cap. 9.

76. Propria cogitatione non peccat invitus. *Ibid.*, cap. 10.

77. Creatura quæ nunquam peccavit, a peccato libera voluntate abstinuit, neque coacta non peccavit, sed sponte. *Ibid.*, cap. 12.

78. Peccat, qui damnat quasi peccata, quæ nulla sunt. *Ibid.*, cap. 15.

79. Si sic homo factus est ut necessario peccet, hoc debet ut peccet : cum ergo peccat, quod debet facit. *Ibid.*

80. Ex quo incipit homo præcepti esse capax, ex illo incipit posse peccare. *Ibid.*, cap. 24.

81. Nemo dicat, Ego peccator homo sum, sed iniquus non sum. Tract. 4 super *Epist. Joan.*

82. Peccati dedecus emendat pœna peccati. *Ibid.*, cap. 9.

83. Duæ sunt origines peccatorum ; una spontanea cogitatione, altera persuasione alterius. *Ibid.*, cap. 10.

84. Non injuste aliquid pati, sed injuste aliquid facere, peccatum est. *Ibid.*, cap. 16.

85. Non est cui recte imputetur peccatum, nisi peccanti et volenti. *Ibid.*, cap. 17.

86. Peccatum admittitur, cum meliora et summa bona deseruntur. Lib. 2 *Confessionum*, cap. 5.

87. Solum peccatum a Deo non est. *Ibid.*, lib. 12, cap. 11.

88. Nihil est infelicius felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, et mala voluntas velut hostis interior roboratur. Epist. 5.

89. In quantum homo peccat, in tantum malus est. Epist. 54.

90. Boni in quantum non peccant, filii Dei sunt : in quantum autem peccant, utique mali sunt. *Ibid.*

91. Humana superbia excusatam se putat, quando ignorantiæ, non voluntatis est, quod peccat. Epist. 105.

92. Inaniter putat victorem se esse peccati, qui pœnæ timore non peccat. Epist. 144.

93. Qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere : ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum sicut gehennas odit. *Ibid.*

94. Inimicus justitiæ est, qui pœnæ timore non peccat : amicus autem erit, si ejus amore non peccet. *Ibid.*

95. Si quis bonum putaverit esse quod malum est, et fecerit, hoc putando utique peccat. Epist. 154.

96. Anima nulla Dei culpa, nulla Dei necessitate vel sua, sed propria voluntate in peccatum est collapsa. Epist. 28.

97. Tantum quisque peccatum odit quantum justitiam diligit. Epist. 144.

98. Sunt peccata ignorantiæ, quando quisque bene fieri putat quod male fit. Epist. 154.

99. Quamdiu in hac vita conversaris, sine peccato te esse non credas. Epist. 205.

100. Debet esse in recte factis amor, in peccatis dolor. Epist. 260.

101. Genus humanum non peccasset in Adam, si ipse non peccasset. Lib. 6 *de Genesi ad lit.*, cap. 4.

102. Magis facienti quam patienti obest omne peccatum. *Enchirid.*, cap. 17.

103. Neque quia peccatum est omne crimen, ideo crimen est etiam omne peccatum *Ibid.*, cap. 64.

104. Non peccantem approbat, qui pro alio non peccat : et neutrum placet ei qui utrumque nollet admitti. Lib. *de Mendacio*, cap. 9.

105. Dedignatur superbus cum peccat, convinci quod ipse peccaverit. *De Continentia.*, cap. 5.

106. Non potestas Deo defuit facere hominem, qui peccare non posset, sed maluit eum talem facere, cui adjaceret peccare si vellet, non peccare si nollet, hoc prohibens, illud præcipiens; ut prius esset illi bonum meritum non peccare, et postea justum præmium non peccare. *Ibid.*, cap. 6.

107. Non peccandum est homini minus, ne alius peccet amplius. *De Mendacio*, cap.

108. Melior est homo, etiam peccator, quam bestia. *De Catechiz. rud.*, cap. 18.

109. Qui se extollunt super peccatores, et putant se tales esse non posse, ipsi sunt iniqui. *Annot. in Job*, cap. 19.

110. Peccatores durescunt quasi glacie livoris. *Ibid.*, cap. 37.

111. Regnat peccatum, si desideriis ejus obeditur. *De Continentia*, cap. 3.

112. Peccatum quod inultum videtur, habet pedissequam pœnam suam : ut nemo de admisso, nisi aut amaritudine doleat, aut cæcitate non doleat. *Ibid.*, cap. 6.

113. Sicut injustum est peccatum, ita justum est peccati supplicium. *Ibid.*

114. In omni peccato contra justitiam concupiscitur. *Ibid.*, cap. 11.

115. Peccantem justa pœna sequitur. Lib. 8 *Conf.*, cap. 5.

116. Deus hominem peccantem nec impunitum esse permisit, nec sine misericordia dereliquit. Lib. 5 *de Civit. Dei*, cap. 11.

117. Homo nulli alii quam sibi sciat tribuere debere quod peccat. *Ibid.*, lib. 15, cap. 7.

118. Non nisi peccatis homines separantur a Deo. *Ibid.*, lib. 10, cap. 22.

119. Prima servitutis causa, peccatum est. *Ibid.*, lib. 19, cap. 15.

120. Pertinet ad innocentis officium, cohibere a peccato, vel punire peccatum. *Ibid.*, cap. 16.

121. Justitia peccatores tenet sola mala voluntate, quamvis quod voluerint, implere nequiverint. *De Duab. animab.*, cap. 10.

122. Non nisi voluntate peccatur. *Ibid.*

123. Dicere animas, et esse malas, et nihil peccare, plenum est dementiæ : dicere autem peccare sine voluntate, magnum deliramentum est. *Ibid.*, cap. 12.

124. Si nihil delectaret illicitum, nemo peccaret : peccat ergo qui delectationem illiciti relaxat potius quam refrænat. Lib. 22 *contra Faust.*, cap. 18.

125. Ille sine dubio peccavit, qui quod prohibetur, admisit. *Contra Felician.*, cap. 13.

126. Qui cogitur necessitate aliquid facere, non peccat. *Contra Fortunat.*, disputat. 1.

127. Qui non voluntate peccant, non peccant. *Ibid.*, disputat. 2.

128. Homines peccatores, eo quod sunt homines, ad Deum, eo vero quod peccatores, ad diabolum pertinent. *De Duabus animabus*, cap. 7.

129. Omne factum, si recte factum non est, peccatum est. *De Utilitate credendi*, cap. 12.

130. Mors hominis ex pœna peccati est, unde et ipsa peccatum dicitur; non quia peccat homo

dum moritur, sed quia ex peccato factum est ut moriatur. Lib. 14 *contra Faust.*, cap. 3.

131. Deus non auctor, sed tamen ordinator peccatorum est. *Ibid.*, lib. 22, cap. 78.

132. Peccatum fit ab anima rationali, cui liberum voluntatis arbitrium est. *De Fide contra Manich.*, cap. 9.

133. Cum duo sint genera malorum, peccatum et pœna peccati, peccatum ad Deum non pertinet, pœna peccati ad vindicem pertinet. *Contra Fortunat.*, disput. 1.

134. Nisi libera voluntas esset in nobis, peccata non essent. *Ibid.*, disput. 2.

135. Multo gravius peccat sciens, quam nesciens. Lib. 4 *de Baptismo, contra Donat.*, cap. 5.

136. In ipsa intus voluntate peccat, qui non voluntate, sed timore non peccat. Lib. 1 *ad Bonifacium*, cap. 9.

137. Hic præceptum est, ut non peccemus : in cœlo præmium, non posse peccare. *Ibid.*, lib. 3, cap. 7.

138. Cum peccat homo, non secundum charitatem, sed secundum cupiditatem peccat. *De Gratia Christi*, cap. 21.

139. Cum facit homo aliquid ubi peccare non videtur, si propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur. Lib. 4 *contra Julian.*, cap. 3.

140. Pugna boni et mali nulla esset, si nemo peccasset. *Ibid.*, cap. 4.

141. Concupiscentia pejor est, quam ignorantia : quia ignorantia sine concupiscentia minus peccat, concupiscentia vero sine ignorantia gravius peccat. *Ibid.*, lib. 6, cap. 6.

142. Multum errat, qui vel necessitatem nullam putat esse peccandi : necesse est enim ut peccet, qui nesciendo quid facere debeat, quod non debet facere facit. Lib. 1 *contra Julian. Oper. imperf.*, num. 104.

143. Necesse est ut peccet, a quo ignoratur justitia. *Ibid.*, num. 105.

144. Ex vitiis naturæ, non ex conditione naturæ, est quædam peccandi necessitas. *De Nat. et grat.*, cap. 66.

145. Non ideo sunt homines sub diabolo, quia homines sunt, sed quia peccatores sunt. Lib. 2 *de Nuptiis*, cap. 4.

146. Peccata tenebræ animarum sunt. Lib. 1 *de Baptismo, contra Donat.*, cap. 11.

147. Peccata scientium, peccatis ignorantium præponuntur. *Ibid.*, lib. 4, cap. 5.

148. Quamvis diabolus sit auctor et princeps omnium peccatorum, non tamen filios diaboli faciunt quæcunque peccata ; peccant enim filii Dei. Lib. 3 *ad Bonifac.*, cap. 3.

149. In peccato moriuntur omnes, non in morte peccant : nam peccato præcedente mors sequitur non morte præcedente peccatum. *Ibid.*, lib. 4, cap. 4.

150. Peccata quæ vindicamur longissimi temporis pœnis, brevissimo tempore perpetrantur. Lib. 21 *de Civit. Dei*, cap. 11.

151. Nihil erit liberius libero arbitrio, quando non poterit servire peccato. *De Correpl. et grat.*, cap. 11.

152. Qui peccato abrenuntiat, peccato moritur. Lib. 2, *contra Julian. Oper. imperf.*, num. 224.

153. Peccatum est actus, et non res. *De Perfect. just.*, cap. 2.

154. Duobus modis constat omne peccatum, si aut illa fiant quæ prohibentur, aut illa non fiant quæ jubentur. *Ibid.*, cap. 5.

155. Ignes non ignibus extinguuntur, nec peccata peccatis. *De Nat. et grat.*, cap. 28.

156. Etiamsi non hic vivatur sine peccato, licet mori sine peccato. *Ibid.*, cap. 35.

157. Peccata manere non possunt, quoniam cum fiunt, prætereunt, reatus tamen manet. Lib, 1 *de Nuptiis*, cap. 26.

158. Hoc est non habere peccatum, reum non esse peccati. *Ibid.*

159. Omnis qui peccat, moritur. Tract. 49 super *Joan.*

160. Laborat ne moriatur homo moriturus, et non laborat ne peccet homo in æternum victurus. *Ibid.*

161. Duæ res sunt homo et peccator : quod audis homo, Deus fecit; quod audis peccator, ipse homo fecit. *Ibid.*, tract. 12.

162. Miserere mihi miserrimo peccatori indigna agenti, et digna patienti. Lib. *Medit.*, cap. 38.

163. Omnia peccata hominum aut ad corruptelam pertinent flagitiorum, aut ad facinora nocendi. *De Decem chordis*, cap. 10.

164. Si amaveris peccata, in mortem irrues; quo posses non venire, si non amares peccata. *De Discipl. christ.*, cap. 12.

165. Peccatum nihil est, et nihil fiunt homines cum peccant. Tract. 1 super *Joan.*

166. Venit Christus sine peccato, et invenit omnes cum peccato. *Ibid.*, tract. 14.

167. Aliquando homines volunt carere Dominis, qui nolunt carere peccatis. *Ibid.*, tract. 41.

168. Si amas peccata tua, contrarius es Christo Tract. 3 super *Epist. Joan.*

169. Idem est peccatum, et iniquitas. *Ibid.*, tract. 4.

170. In quo non est peccatum, venit auferre peccatum. *Ibid.*

171. Ubi peccata mea emendare debui, peccata peccatis addidi. Lib. *Medit.*, cap. 39.

172. Sicut futura peccata negligendo justitiam, committuntur : ita præterita injustitiam defendendo firmantur. Hom. 24 *ex* LIII *Hom.*, cap. 1.

173. Peccata ne fiant, prospicit charitas : facta debet humilitas. *Ibid.*

174. Omne peccatum consuetudine vilescit, et fit homini quasi nullum sit. *Ibid.*, hom. 28, cap. 3.

S. BASILIUS MAGNUS. 175. Si bonum est peccatum, ad extremum usque ipsum serva : si autem perniciosum, quid in his quæ exitiosa sunt, perseveras? Conc. 13 *de Baptismo*.

V. BEDA. 176. In hoc ipso peccat homo, quod peccare vellet, si inulte potuisset. In suis *Proverb.*, verbo *In hoc*.

177. Sanguis sanguinem tangit, cum peccata peccatis adjiciuntur. *Ibid.*, verbo *Sanguis*.

S. BERNARD. 178. Quis magis mortuus eo qui fovet ignem in sinu, peccatum in conscientia, nec sentit, nec expavescit, nec excutit? Serm. 2 *de Resurr.*

179. Quisquis perfecte senserit onus peccati, et animæ læsionem, exteriorem aut parum sentiet, aut ex toto non sentiet corporis pœnam. Serm. 3 *ad Fratres*.

180. Frustra sibi de infirmitate vel ignorantia blandiuntur, qui ut liberius peccent, libenter ignorant, vel infirmantur. *De Duodecim grad. humilit.*

181. Sicut peccatum est perpetratio mali, sic delictum est desertio boni. Lib. *Medit.*, cap. 2.

182. Velle peccare, malum est : peccare, pejus : in peccato perseverare, pessimum : nolle pœnitere, mortale est. *De Inter. domo*, cap. 24.

183. Peccatum manifestando decrescit, tacendo crescit. Serm. 38 *ad Sororem*.

S. BONAV. 184. Nihil miserabilius quam peccato servire. Collat. 42, super cap. VIII *Joan.*

185. Non actus temporalis facit ut peccatum mortale æternaliter puniatur, sed circumstantia illius in quem peccatur. Super *Luc.*, cap. VI.

186. Certe periculosius est unum peccatum habere in corde, quam mille serpentes in corpore Serm. 4 *Dom.* 3, *Quadrag.*

187. Immisericordior es animæ tuæ, ipsam per peccatum occidendo, quam Judas corpori suo ipsum jugulando. Serm. 2 *Dom.* 1, *post Pent.*

188. Via peccatoris mala est committendo culpam, pejor extinguendo gratiam, pessima perdendo gloriam. Serm. 2 *Dom.* 10, *post Pent.*

189. Peccatum ante mortem est curabile, solo autem excessu mortis fit incurabile. Super lib. 2 *Sent.*, dist. 7, part. 1, art. 1, quæst. 1.

190. Quamvis singula non lethali vulnere ferire sentiantur, tamen omnia simul congregata, velut scabies, eo quod plura sunt, necant. Super lib. 4 *Sentent.*, dist, 16, part. 2, art. 3, quæst. 1.

191. Nunquam est peccatum mortale in inferiori parte absque superiori. *Ibid.*, dist. 24, art. 2, quæst. 2.

192. Peccatum initiatur in cogitatione, crescit in delectatione, perficitur in consensu. In *Centiloq.*, part. 1, sect. 11.

193. Peccatum pertransit actu, sed remanet reatu. *Ibid.*, sect. 33.

194. Per peccatum ratio cæca facta est, voluntas curva et fœda, memoria instabilis et vaga. Lib. 1 *de Profectu relig.*, cap. 4.

195. Cibus diaboli et refectio ejus peccatum est : qui plus peccat, majora ei convivia parat. *De novis Eccles.*, cap. 8. S. BRUNO.

196. Peccatum ipsius peccati cognitione curatur, et crimen criminis confessione aboletur. Hom. 4. S. CÆSARIUS ARELAT.

197. Non solum majora peccata, sed etiam et minuta, si nimium plura sint, mergunt. *Ibid.*, hom. 8.

198. Peccatum si diu dominari permittitur, omnibus Sanctis et Deum timentibus, putorem teterrimum exhalare cognoscitur. *Ibid.*, hom. 23.

199. Habet hoc infelix consuetudo peccandi, ut quanto amplius unusquisque peccaverit, tanto minus peccata ipsa intelligat, et tanto eum plus peccare delectet. *Ibid.*, serm. 29.

200. Ille periculosius peccat, qui se graviter peccare non putat. *Ibid.*, hom. 34.

201. Delicta recentia declinare non possumus, nisi vetusta laudabili execratione damnemus. Super *Psalm.* IV, vers. 5 : *Nolite peccare.* CASSIODOR.

202. Omne peccatum Deo abominabile est, atque a conspectu ejus extraneum. Super *Psalm.* XVI, vers. 15.

203. Multos sollicitat cohors nefanda peccantium, et delectatione quadam decipimur, quando cum plurimis delinquere festinamus. Super *Psalm.* XXXVI, vers. 1.

204. Omne peccatum morbus est animarum, quo crescente salus interioris hominis dissipatur. Super *Psalm.* XL, vers. 5 : *Quia peccavi tibi.*

205. Pingue est validumque peccatum, quod arbitrio magis, quam necessitate committitur. Super *Psalm.* LXXII, vers. 7.

206. Unusquisque supplicium eligit, cum sponte peccat. Lib. 1 *Pædag.*, cap. 8. CLEMENS. ALEX.

207. Primus felicitatis gradus est, non delinquere; secundus, delicta cognoscere. Epist. 55, *ad Cornel. Pap.*, cap. 5. S. CYPRIAN.

208. Magis illicito delinquitur, ubi sine suspi-

cione, securum potest esse delictum. *De Singularit. clericor.*, cap. 25.

S. CYRILLUS ALEX. 209. Animo peccatis dedito nihil abjectius, nihilque timidius. Hom. 7 *de Festis Paschal.*

S. CYRILLUS HIEROSOL. 210. Gravis res est peccatum, grave malum est peccatum, sed non incurabile; grave retinenti, leve abjicienti. *Catech.* 2.

211. Urit peccatum nervos animæ, et conterit ossa mentis spiritualia, ac lumen cordis obtenebrat. *Ibid.*

212. Opera satanæ sunt cujusvis generis peccata, quibus te renuntiare necesse est; sicut cum aliquis fugit tyrannum, arma quoque illius vitare studet. *Ibid.*, *Cateches. mystag.* 1.

213. Tanto fit pejor brutis animalibus vir in peccatis, quanto eisdem præstat, cum divina gratia est fulcitus. Epist. *ad Augustin. de Miraculis D. Hieronymi.*

DIDYMUS ALEXANDR. 214. Qui vult vere mundari a peccatis, peccare desistat. Lib. *contra Manich.*

DIONYSIUS CARTHUS. 215. Peccatum gratiam aufert, et pœnam inducit. Super *Epist. ad Romanos*, cap. 5, art. 8.

216. Pari reatu tenetur qui peccat, et qui peccantem, cum potest et debet, non corripit, vel peccare permittit. Super *Apocal.*, cap. 2, art. 3.

217. Habet hoc infelix consuetudo peccandi, ut quanto amplius quis peccaverit, tanto minus ipsa peccata intelligat, tantoque amplius eum peccare delectet. *Prosec.*

218. Peccatum enim rationem excæcat, et lædit : et quanto magis peccamus, tanto anima nostra excæcatior redditur. *De Mortificat. vivifica*, art. 9.

219. Nihil facit rationalem creaturam Deo Altissimo displicentem, nisi peccatum. *De profect. spirit.*, art. 3.

S. DOROTH. 220. Curate levia quoad levia sunt, ne graviora fiant : peccata enim a parvis incipiunt, et ad magna mala perducunt. *Doctr.* 3.

221. Anima quo magis peccaverit, eo fit semper debilior : peccatum enim in miseriam quamcunque trahit, et concutit. *Ibid.*, doctrina 7.

S. EPHRÆM. 222. Gravius pejusque interdum unus cogitatione, quam alius opere peccat, cum et hic pœnitentiæ reperiat locum, ille vero minime. *De Confessione.*

S. EUSEBIUS CÆSARIENS. 223. Non facile in peccata labitur, qui se moriturum cogitat, et Deum sibi fore judicem non ignorat. Epist. *ad Damas. Pap. de Morte D. Hieron.*

S. EUSEBIUS EMISSEN. 224. Modo delectat peccare, sed postmodum non delectabit ardere. Homil. 3 *Epiphan.*

225. Intolerabile est peccati jugum, et fœda damnatio, et erubescenda subjectio. *Ibid.*, homil. 3 *de Pascha.*

226. Ante vos sit peccatum, ut contra vos esse non possit. *Ibid.*, homil. *de Pœnit. Ninivit.*

227. Habet hoc infelix consuetudo peccandi, ut quantum amplius quisque peccaverit, tanto minus peccata ipsa intelligat, et tanto plus peccare delectet. *Prosec.*

228. Et quando subrepit peccandi delectatio, statim futuri judicii diem abscondit oblivio. *Ibid.*, homil. 5, *ad Monachos.*

229. Scelus est, quod interdum nobis brevia ac vilia facit peccata nostra ipsa consuetudo peccandi. *Ibid.*, homil. 8.

230. Omne peccatum febris est animæ, quæ dum aufertur (quia nullum habet substantiam) in nihilum revocatur. Super *Orat. Manassis* in illud : *Ne perdas me cum iniquitatibus.* GLOSS. ORD.

231. Omnis homo se peccatorem confitetur, sed se iniquum dici pudet. Super *Job*, cap. XIII : *Quantas habeo iniquitates.* GLOSS. INT.

232. Inimici peccatis nostris fiunt valentiores. Super *Psalm.* VI. GLOSS. ORD.

233. Rex soli Deo peccat; at qui sub judicio vivit, peccat Deo, et legibus mundi. Super illud *Psalm.* L : *Tibi soli peccavi.*

234. Si homo avertit peccatum, Deus avertit faciem ne puniat. Super illud *Psalm.* L : *Averte faciem tuam*, etc. GLOSS. INT.

235. Peccatum linguam obturare solet. Super *Psalm.* L. GLOSS. ORD.

236. Magna et profunda ignorantia, nescire quod pecces. Super illud *Psalm.* LXXII, *Nescivi.*

237. Sicut quamdiu humor est in cadavere, vermes nascuntur ex putredine : sic ex ipsa materia peccatorum gignuntur supplicia. Super *Isaiam*, cap. XIV.

238. Unde cœpit peccatum initium, inde judicium. Super *Ezech.*, cap. 9. GLOSS. INT.

239. Quoties peccamus, morimur ; quoties benefacimus, vivimus. Super *Danielem*, cap. XIII.

240. Qui peccata peccatis addit, quasi funem connectit, quo flagelletur et ligetur. Super *Joan.*, cap. II.

241. Unusquisque peccator, mole peccatorum pressus, et sua lege gravatus, et consuetudine sua mala jam fœtens, alios exemplo suo aperte corrumpit. Super *Joan.*, cap. VI, in illud : *Domine, jam fœtet.* GLOSS. ORD.

242. Dum peccator contemnit, sepultus jacet : quando se pœnitet, surgit : quando confitetur prodit, quasi de occultis exeundo manifestus *Ibid.*, cap. XI, in illud : *Et statim prodiit.*

243. Impietas est in Deum peccasse, iniquitas in homines. Super *Epist. ad Rom.*, cap. I, in illud : *Super omnem impietatem.*

244. Peccatum res est adeo mala, ut ubi quis

fuerit liberatus, ob ipsum rubore suffundatur. *Ibid.*, cap. VII, in illud : *Nunc vero liberati a peccato.*

245. Subjectus peccato facit quod non vult. *Ibid.*, cap. VII.

246. Peccatum deceptio est animarum. Super *Apocal.*, cap. XXI.

GLOSS. INT. 247. Deus revocat peccatores, qui a diabolo captivi tenentur : et tu abjicis, qui eum debes imitari. Super II *Reg.*, cap. XIV.

S. GREGOR. MAG. 248. Anima peccatrix miserando modo fit quotidie tanto securior, quanto pejor. Lib. 9 *Moral.*, cap. 42 super illud *Job* X : *Reversusque mirabiliter me crucias.*

249. Gravioris est certaminis commissa peccata prodere, quam non admissa vitare. *Ibid.*, lib 22, cap. 14, super illud *Job* XXXI : *Et celavi in sinu meo iniquitatem.*

250. Peccatum quod pœnitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit. *Ibid.*, lib. 25, cap. 12, super illud *Job* XXXIV : *Novit enim opera eorum.*

251. Peccatum quod ex peccato oritur, non jam peccatum tantummodo, sed peccatum est et pœna peccati : quia justo judicio omnipotens Deus cor peccantis obnubilat, ut præcedentis peccati merito etiam in aliis cadat. *Ibid.*

252. Suggestione peccatum agnoscimus, delectatione vincimur, consensu ligamur. In *Pastoral.*, part. 3, cap. 1, admonit. 30.

253. Tardius peccatum solvitur, quod per consilium solidatur. *Ibid.*, admonit. 33.

254. Peccata si qui nolunt vitare cum possunt, postea non possunt si volunt. Lib. 6, in I *Reg.*, cap. II, super illud XV : *Nec voluerunt disperdere ea.*

255. Superbit, qui peccatum (si liceat non puniri) non deserit. Lib. 4 *Moral.*, cap. 25.

256. Eo atrocius peccator in tormentis obruitur, quo altius in peccatis elevatur : cum transit quod extollitur, permanet quod punitur. *Ibid.*, lib. 6, cap. 4.

257. Tunc verius a peccatis alienis absistimus, cum prius nos a propriis custodimus. *Ibid.*, lib. 18, cap. 4.

258. Peccatores se esse plerumque confitentur, etiam qui se peccasse non credunt : sed cum peccata sua veraciter aliis arguentibus audiunt, defendunt se summopere, atque innocentes videri conantur. *Prosec.*

259. Unusquisque ergo cum talis est, qui deliquisse se dicit, vere non dicit, quia peccatorem se non ex cordis intimo, sed verbotenus asserit : iste de confessione peccati ornari voluit, non humiliari : per accusationem suam humilis appetit videri, non esse.

260. Nam si confitendo peccatum, esse humilis veraciter appeteret, de perpetratione peccati arguentes se alios non impugnaret. *Ibid.*, lib. 24, cap. 6.

261. Antiquus hostis peccatoris perditione satiatur. *Ibid.*, lib. 31, cap. 6.

262. Usitatum humani generis vitium est, latendo peccatum committere, et commissum negando abscondere, et convictum defendendo multiplicare. *Ibid.*, lib. 22, cap. 9.

263. Peccatum cum voce, culpa est in actione : peccatum vero cum clamore, culpa cum libertate. Part. 3 *Pastor.*, cap. 1, admon. 22.

264. In factis sæpe infirmitate, sæpe negligentia : in studiis vero malitiosa semper intentione peccatur. *Ibid.*, admonit. 33.

265. Qui peccata minima flere ac devitare quisque negligit, a statu justitiæ, non quidem repente, sed partibus totus cadit. *Ibid.*, admonit. 34.

266. Admissa peccata eo facilius oblivioni traduntur, quo ea vel nulla, vel levia putantur. Super *Septem Psalm. pœnit. super Psalm.* IV, vers. 3.

267. Qui neglecto Dei timore, peccata peccatis accumulat, profecto ut meretrix frontem obdurat. *Ibid.*, super *Psalm.* I, vers. 10.

268. Peccatum omne spina dicitur; quia dum confert delectationem, quasi pungendo lacerat mentem. *Ibid.*, super *Psalm.* II, vers. 4.

269. Quo quisque melius sapit; eo deterius delinquit. Part. 3 *Pastoral.*, cap. 1, admonit. 23.

270. Iniqui cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt : nam voluissent, si potuissent, sine fine vivere, ut potuissent sine fine peccare. *Prosec.*

271. In peccato semper vivere cupiunt, qui nunquam desinunt peccare dum vivunt. Lib. 4 *Dialogi*, cap. 44, verbo *Hoc.*

272. Peccatum quod per pœnitentiam citius non deletur, peccatum est, et causa peccati, simulque et pœna peccati. *Prosec.*

273. Omne enim quod prius committitur peccatum est : sed si citius pœnitendo non tergitur, justo judicio omnipotens Deus obligatam peccatis mentem etiam in culpam alteram permittit cadere : ut qui flendo et corrigendo noluit mundare quod fecit, peccatum incipiat peccato cumulare.

274. Peccatum ergo quod pœnitentiæ lamento non diluitur, peccatum simul est, et causa peccati : quia ex illo oritur unde adhuc peccatoris animus altius obligatur.

275. Peccatum vero quod ex peccato sequitur, peccatum simul est, et pœna peccati. Homil. 11, super *Ezech.*

276. Tanto amplius peccati rubigo consumitur,

quanto peccatoris cor magno charitatis igne concrematur. Homil. 33 super *Evang.*

277. Perditur homo cum peccat, invenitur cum peccatum adversum se jam pœnitendo pronuntiat. *Prosec.*

278. Dum ille qui peccavit, confitendo justificari incipit, in luce jam cernitur, ubi positus invenitur. Lib. 4 in I *Reg.*, cap. IV.

279. Quid sunt peccata, nisi languores animarum? *Ibid.*, lib. 6, cap. 3.

S. GREGOR. NAZ. 280. Peccatum mors animæ est, atque pernicies. Orat. 9, *in Funere patris sui.*

281. Peccare, humanum, ac infernæ est compositionis. Orat. 3, *de Sancto lavacro.*

282. Peccatum humiliationis est mater, conversionis vero humiliatio. Orat. 1, in *Julian. Imperat.*

HAYMO. 283. Funis torquendo componitur, ut longior efficiatur : et quicunque peccatis peccata addunt, quasi funem faciunt, quo in pœna ligentur. Serm. *Dom.* 21, *post Pent.* super illud *Psalm.* CXVIII : *Funes peccatorum circumplexi sunt me.*

284. Ille fit diaboli habitatio, in cujus mente regnat peccatum. Super *Apocal.*, cap. XII, in illud : *Neque locus inventus est*, etc.

S. HIERON. 285. Ad peccatum maximum, quod opere perpetratur, nequaquam pervenies, si incentiva vitiorum statim in mente jugulas, et parvulos Babylonis allidis ad petram, in qua serpentis vestigia non reperiuntur. Epist. 8 *ad Demetriad.*

286. Malorum solatium est bonos carpere, dum peccantium multitudine putant culpam minui peccatorum. Epist. 10 *ad Furiam.*

287. Multitudo peccantium, peccandi licentiam subministrat. Epist. 12 *ad Gaudentium.*

288. Pro nefas! orbis terrarum ruit, in nobis peccata non ruunt. *Ibid.*, etc.

289. Tanto facilius abstinemus a quocunque delicto, quanto illud magis cavemus : non cito ad majora progreditur qui etiam parva formidat. Epist. 14, *ad Celantiam.*

290. Peccantium multitudo non parit errori patrocinium. Epist. 20 *ad Rufinum.*

291. Hominem absque peccato posse esse, si velit, sine Dei gratia etiam cogitare, sacrilegium est. Lib. 1, *dialog. advers. Pelag.*

292. Peccatorum est jacere, justorum stare. Epist. 24, *ad Damas. Pap.*

293. Peccatum odoris est putidi, virtus spirat unguenta. In homil. super *Cant. ad Damas. Pap.*

294. Porta diaboli est peccatum : sicut homo justus Spiritus sancti porta est. Super *Epist. ad Ephes.*, cap. 4, in illud : *Nolite locum dare diabolo.*

HUGO A S. VICTORE. 295. Melius quædam peccata, maxime quæ dulcescunt nobis, fugiendo vincimus, quam resistendo. Serm. 38, *de divers.*

HUGO CARD. 296. Quatuor sunt quæ aggravant peccatum : qualitas generis, frequentia, diuturnitas, impœnitentia. Super *Gen.*, cap. IV.

297. Sæpe cum aliquis evadit unum peccatum, incurrit in aliud : vitia enim complexa sunt, et sese mutuo juvant. *Ibid.*, cap. 14.

298. Dominus sæpe tentari de aliquo peccato permittit, ne tentati de alio succumbamus. *Ibid.*

299. Peccatum tria habet tribus respondentia. Damnosum est, inde dolor : turpe est, inde pudor; pœnale est, inde timor. *Ibid.*, cap. 49.

300. Quatuor modis peccamus in opere. Primo latenter, secundo publice, tertio consuetudine, quarto superba excusatione. Super *Job*, cap. 4.

301. Quod virtus unit, peccatum disjungit. *Ibid.*, cap. 8.

302. Anima peccatrix, meretrix est. Super *Psalm.* XXX.

303. Peccatum est hamus diaboli, quo capiuntur homines. Super *Psalm.* LI.

304. Prima et maxima pœna, est ruina de peccato in peccatum. Super *Psalm* LXVIII.

305. Peccator fit jumentum diaboli, portans indifferenter ejus onera. Super *Psalm.* LXXII.

306. Peccatores vadunt cogitando ; cadunt consentiendo ; conteruntur operando ; illaqueantur per consuetudinem ; capiuntur in morte. Super *Prov.*, cap. XXVIII.

307. Multum impie agit, qui sine pudore peccata committit. Super *Ecclesiasten*, cap. VII.

308. Non necessitate peccamus, sed perversa voluntate, quæ ex liberi arbitrii qualitate procedit. Super *Sapient.*, cap. I.

309. Quot peccata habes in corde, tot simulachra habes in domo tua. Super *Isai.*, cap. XLVI.

310. Malum est peccare, pejus est peccatum factum manifestare, pessimum ipsum defendere, et se innocentem reputare. Super *Hierem.*, cap. II.

311. Longe gravius est causam peccati præbere, quam peccare. Super *Luc.*, cap. 17.

312. Peccatores conditione quidem Dei sunt, voluntate autem sua sunt diaboli. *Ibid.*, cap. 19.

313. Liberius peccant homines, cum credunt se a nemine videri. Super *Joan.*, cap. I.

314. Nihil habemus proprium in hoc mundo, nisi peccata. Super I *Machab.*, cap. III.

IDIOTA. 315. Quanto magis ad finem vitæ accelero, tanto magis peccatis involvor. Lib. 4 *Contemplat. de Innocent.*, cap. 4.

JOAN. CASS. 316. Ut unumquodque peccatum possit extingui, causa atque occasio, per quam, vel ob quam admissum est, debet primitus amputari. Collat. 20, *Abbat. Pinufii*, cap. 10.

317. Impossibile est, ut aut ignorantia, aut negligentia, aut vanitate, aut obreptione, aut cogitatione, aut necessitate, aut oblivione non peccetur. Collat. 22. *Abbat. Theonæ*, cap. 7.

S. JOANNES CHRYSOST.

318. Peccatum magna confusio est, et ideo non solum erubescere, sed se occultare debent peccatores, et miseros dicere et reos. Homil. 10, super *Gen.*

319. Nihil peccato pejus, ipsum ut introierit non solum confusione totum replet hominem, sed et insipientem facit eum, qui antea intellectu et sapientia multa præditus fuerat. *Ibid.*, homil. 17.

320. Qui amissa dignitate per peccatum magis subditus est, et imperium fert potius, quam imperat : amisit et nomen quod sit homo, et brutorum in se nomina transtulit. *Ibid.*, homil. 17.

321. Talis hominum natura est, ut si quando peccans non refrænatur, sed secure agit, ulterius procedat, et in præceps feratur. *Ibid.*, homil. 26.

322. Qui peccato exponit se, obstruitur a cogitationibus absurdis. *Ibid.*, homil. 61.

323. Peccatum quando consummatum est, et opere perfectum, tunc suæ absurditatis ostendit excellentiam. *Ibid.*, homil. 64.

324. Peccatum, donec consummetur, obtenebrat mentem, et quasi densa nubes mentem corrumpit : deinde conscientia insurgit post consummationem, et quovis accusatore mentem gravius arrodit, monstrans absurditatem facti. *Ibid.*

325. Is quem peccare delectat, duplex scelus et geminum crimen admittit : et quod debita Domino servitutis non reddit obsequia, et quod innumera beneficia peccando ejus pensare nititur contumelia. Serm. *Quomodo primus*, etc.

326. Qui volens deliquit vel sponte furit in peccatis, dæmon est. Serm., *de Davidicis Canticis.*

327. Non potest cogitare peccatum, qui supplicium cogitando veretur. *Prosec.*

328. Non potest delinquere, qui futura præmia meditatur.

329. Oblivio mandatorum causa est delictorum.

330. Formido supplicii, abolitio est peccati. Serm. super illud *Isaiæ* : *Si Volueritis et audieritis me*, etc.

331. Tunc gravius crimen peccatum est, cum in peccato duratur. Homil. *de Jona Propheta.*

332. Nihil grave æque et onerosum invenies, quam peccatum. *Ibid.*

333. Primum est bonum, nihil omnino peccare ; secundum vero, post peccatum sentire quod commiseris atque lugere. Homil. 14, super *Matth. Oper. perf.*

334. Peccatum gravissima paralysis est : non paralysis solummodo, sed paralysi etiam pejus. *Ibid.*, homil. 68.

335. Vere in hoc pejor est homo peccator, quam animal : quoniam animal etsi non glorificat Deum, non exacerbat : homo autem peccator non solum non glorificat Deum, sed adhuc exacerbat. *Ibid.*, homil. 25, super *Matth. Oper. imperf.*

336. Sine causa fugit ante diabolum pedibus, qui sequitur eum peccatis. *Ibid.*, 49.

337. Grandis dæmon peccatum est. Homil. 16, *ex Divers.* in *Matth.*

338. Nihil peccato turpius est, nihil ignominiosius : eo autem qui peccatorum sordibus inquinatur, nihil obscenius, nihilque contemptu dignius. Homil. 4, super *Joan.*

339. Nihil peccato sordidius, nihil immundius. *Ibid.*, homil. 51.

340. Peccatum mortuo asino gravius et fœdius olet. *Ibid.*, homil. 72.

341. Gravis, gravis, inquam, res est, et onerosa peccatum, et omni plumbo onerosius. *Ibid.*, homil. 87.

342. Peccatum quamdiu parturitur, habet confusionem ac pudorem : ubi autem perfectum fuerit, impudentiores facit eos, qui ipsum patrarunt. Homil. 10, super *Acta Apost.*

343. Unumquodque peccatum, ubi patratum fuerit, et ad finem pervenerit, relinquit in anima venenum. *Ibid.*, homil. 41.

344. A peccatis duplicia gravia sunt : unum quidem quod impingimus, alterum quod deteriores efficimur. *Ibid.*

345. Voluntarius dæmon est peccatum, sponteaneque insania. Serm. 28, super *Epist. ad Rom.*

346. Ferocem peccatum hominem facit, contumacem et impudentem reddit. Homil. 3, super I *Cor.*

347. Quamvis quispiam locuples sit, quamvis generosus et nobilis, est tamen inter abjectos abjectissimus, cum a peccato vincitur. *Ibid.*, homil. 9.

348. Nihil tam præter rationem est, quam peccatum ; nihil tam stultum, nihil tam fatuum, nihil tam vehemens : omnia evertit, confundit, perdit. *Ibid.*

349. Non est, non est, inquam, aliquod peccatum quod non dilectionis virtus, instar ignis consumat. *Prosec.*

350. Facilius est enim stipulam tenuem ac vilem multo igni resistere, quam peccati naturam dilectionis vi, ac potentiæ. Homil 4, super I *Thess.*

351. Nihil peccato putidius est, et putredine omni peccatum deterius est atque fœtidius. Homil. 2 super I *Timoth.*

352. Peccato nihil amarius, et hoc norunt, qui

post admissum peccatum conscientiæ mœrore macerantur, quomodo dira amaritudine consumuntur. Homil. 31, super *Epist. ad Hebr.*

353. Talis res est peccatum, ut nullo prodat arguente, nullo condemnet accusante, nullo fugiat persequente, pavidum faciat et timidum peccatorem. Homil. 8 *ad Pop. Antioch.*

354. Hominis illustris et vulgo cogniti delictum commune omnibus damnum affert. Lib. 3 *de Sacerdot.*

355. Nihil peccante pauperius, nihil ditius est justo. Serm. 5 *de Pœnit.*

356. Peccatum conceptum coluber est, in præcordiis hominis pariens mortem, nisi fuerit pœnitudine expiatum. In serm. *de Pœnit.*

357. Peccati conceptio serpens est, in præcordiis latens : consummatum vero, venenum spirat, et lethiferum generat morbum. *Ibid.*

358. Qui peccatum parit, in judicium cadit : et si neglexerit, in ipso manebit. *Ibid.*

359. Peccati pater et mater, est venter incontinens et libido. *Ibid.*

360. Peccati virtus, confusa est ebrietas, et castigandi securitas. *Ibid.*

361. Pondus peccati deprimit desperantem. *Ibid.*

362. In corde pigri, ut cereus ardet peccatum. *Ibid.*

363. Peccare humanum est, perdurare autem in flagitiis, non humanum, sed penitus diabolicum. Epist. 5 *ad Theodor. laps.*

364. Ea peccata nos condemnant, quæ scientes et voluntarie facimus, Homil. 44, super *Gen.*

365. Non tam grave facinus est peccare, quam post peccatum se non pudere. Serm. 3, *de Provident.*

366. Peccatum dum aperitur, minus efficitur : si vero tegatur, pejus. Homil. 41, *ad Populum Antioch.*

367. Peccatum ubi initium cœpit, nec est qui id ulterius progredi impediat, cohiberi postea ac frænari haud facile potest. Lib. *Contra Gentiles.*

368. Peccati natura, nisi restinguatur, procedens alterius, gravior certe ac magis indomita efficitur. *Ibid.*

369. Pondus peccati etsi velit, etsi nolit, peccatorem humiliat et incurvat. Lib. 2, *de Compunct. cordis.*

370. Tale est peccatorum debitum, ut si solliciti simus ad solvendum, leve sit : sin negligentes, erit gravissimum. Serm. 1 *de Adam, Sodomitis*, etc.

371. Quanto sapientiores aut potentiores fuerimus, tanto magis, si peccaverimus, puniemur. Serm. 5, super *Epist. ad Rom.*

372. Omnia increscunt mala, cum et peccamus, nec videmur nobis delinquere. Homil. 6 super II *Cor.*

373. Dormit et mortuus est, qui in peccatis est : nam et male fœtet ut mortuus, et inutilis est ut dormiens. Serm. 18, super *Epist. ad Ephes.*, in illud 5 : *Exurge qui dormis.*

S. JOANNES DAMASC.

374. Quod peccamus non aliunde nobis oritur, quam quod Dei metus a nobis absit. Lib. 1 *Parall.*, cap. 12.

375. Peccatum dum committitur, pudoris aliquid adjunctum habet : cum autem admissum est, eos qui id admiserunt impudentiores reddit. *Ibid.*

S. HIERON.

376. Perridiculum est, quadrupedibus quidem imperare, a peccato in servitutem trahi. *Ibid.*

JOAN. GERS.

377. Peccata, quanto sunt spiritualiora, et quanto sunt sub majori specie boni palliata, tanto periculosiora sunt, et a sanatione magis distant. In *Regular. moralib. de gula.*

378. Humanum est peccare, diabolicum in peccatis perseverare. Serm. 1 *de Omn. sanctis.*

JOAN. TRITH.

379. Qui peccaverit, abscondit sibi Deum : ipse vero Deo manifestus manet, sed non acceptus. Super *Prolog. Regulæ S. Bened.*, cap. 2.

380. Qui semper peccat, semper Deum irritat : et toties manus injicit in Deum, quoties mortaliter delinquit. *Ibid.*, cap. 2, text. 1.

S. ISIDORUS HISPAL.

381. Peccatum admittere, cadere est in puteum : consuetudinem vero peccandi facere, os putei est coangustare, ne is qui cecidit valeat exire. In cap. 7, *Regul. S. Bened.*, grad. 12.

382. Multi vitam sine crimine habere possunt, sine peccato vero non possunt. Lib. 2 *de Sum. bono*, cap. 18, sent. 1.

383. Majoris est culpæ manifeste, quam occulte peccare : dupliciter enim reus est, qui aperte delinquit, quia et agit et docet. *Ibid.*, cap. 20, sent. 1.

384. Aliud est non peccare amore dilectionis Dei, aliud timore supplicii. *Prosec.*

385. Qui enim amore charitatis Dei non peccat, horrescit omne malum, amplectendo justitiæ bonum : nec eum delectat peccatum : etiamsi sceleris impunitas promittatur. Qui vero solo supplicii timore in se vitia reprimit, quamvis non expleat opus peccati, vivit tamen in eo voluntas peccandi, doletque sibi illicitum, quod lex prohibere dignoscitur. *Ibid.*, cap. 21, sent. 1.

386. Melius est peccatum cavere, quam emendare : facilius enim resistimus hosti, a quo nondum victi sumus, quam ei a quo jam superati ac devicti cognoscimur. *Ibid.*, cap. 23, sent. 1.

387. Omne peccatum antequam admittatur, amplius pertimescitur : cum vero in usu venerit

(quamvis grave sit) leve existimatur, et sine ullo metu committitur. *Ibid.*, sent. 2.

388. Frequenter peccare cavendum est, ne forte dum expectamus a vitiis sanari, et vitia multiplicemus, et salutem non adipiscamur. *Ibid.*, cap. 23, sent. 9.

389. Ibi peccamus, ubi cupiditate vel voluntate deflectimur : ubi vero violenter addicimur, etsi facinus aut flagitium non est, miseria tamen est, Lib. 3 *de Sum. bono*, cap. 5, sent. ultima.

390. Ibi pecca, ubi Deum esse nescis. Lib. 2 *de Synon.*, cap. 11.

S. ISIDORUS PELUSIOTA. 391. Magis peccatum efficitur, non ob naturam, sed ob perpetrantis dignitatem, Lib. 1, epist. 121, *ad Theon. episc.*

392. Grave est eum qui inter subditos censetur, peccare : gravius eum qui divino cultui consecratus est : longe vero gravissimum eum qui pontificis dignitatem nactus sit. *Ibid.*, lib. 3, epist. 15, *ad Elisæum.*

S. JUSTIN. MART. 393. Eo pejus est cum notitia et scientia peccare, quam sine scientia, quo gravius est peccatum, quod causam excusationemque non habet, eo quod habet. *De necessariis quibusdam Quæstionibus*, explicatione 3.

LACT. FIRM. 394. Quosdam nec pudor vitiorum tenet, sed patrocinia turpitudinis suæ fingunt, ut etiam honeste peccare videantur. Lib. 3 *de Divin. Inst.*, cap. 15.

395. Ille qui peccat, sperare non debet perpetuam impunitatem, quia nulla est perpetua felicitas. *De Ira Dei*, cap. 20.

396. Nullus est, qui nihil peccet, et multa sunt, quæ ad peccandum irritant : ætas, violentia, egestas, occasio, præmium. *Ibid.*

397. Servorum filiorumque peccata non coercere, peccatum est. *Ibid.*, cap. 18.

398. Omnis virtutis officium est, non peccare : quo profecto fungi non potest, qui Deum nescit. Lib. 6 *de Divin. Inst.*, cap. 5.

399. Sicut nihil prodest male viventi ante actæ vitæ probitas : ita nihil officiunt peccata vetera correcto. *Ibid.*, cap. 24.

400. Peccatum vitare sapientis est. In *Epitome*, cap. *Nam.*

S. LAURENT. JUSTIN. 401. Diabolo utcumque pejores sumus, cum peccamus, quoniam diabolus nulla præcedentis peccati vindicta superbiens peccavit. Ille in innocentia constitutus, nos restituti. Ille persistit in malitia Deo reprobante, nos Deo revocante. Ille induratur ad punientem, nos ad blandientem. Ille contra non requirentem se, nos contra morientem pro nobis. *De Ligno vitæ*, tract. 12, *de Humilitate*, cap. 4.

402. Nullum adeo est grave peccatum, quod Christi sanguine non deleatur. *De Discipl. monast.*, conversat. cap. 12.

403. Nullum peccatum sine cupiditate committitur, et omnis appetitus illicitus istius aviditatis est morbus. Serm. 9 *De Passione Dom.* S. LEO I.

404. Peccatum in causa est, quod quidam paralysi laborant, mutilati sunt, febricitant, et ægrotant. Homil. 16. S. MACHAR. ÆGYPT. SEN.

405. Omne ferme peccatum propter voluptatem conficitur. Centur. 2 *de charit.*, cap. 41. S. MAX. MART.

406. Qui peccatum non odit, cum sit inter peccatores, etiamsi non fecerit ipsum peccatum, tamen fecisse judicatur. *Parænes.* 205. S. NILUS ABB. MART.

407. Peccati pœnam metue, turpitudinem vero neglige : in utroque enim excessus periculosus est. *Ibid.*, Parænes. 209.

408. Quid dulce, quid suave potest unquam habere peccatum? Homil. 12 in cap. 21 *Numer.* ORIGEN.

409. Peccata vires hostibus præbent : et ipse diabolus in nobis aliquid non prævaleret, nisi ei vires ex nostris vitiis præberemus. Homil. 2 in cap. 2 *Judic.*, super illud : *Confortavit Dominus Eglon.*

410. Qui peccatorum fœtoribus delectantur, sunt velut porci, qui fœtorem omnem, tanquam odorem suavissimum expetunt. Homil. 1, in *Psalm.* XXXVII, super illud : *Putruerunt et corruptæ sunt*, etc.

411. Hoc ipsum grave peccatum, et obstinatæ mentis signum, quod nullo peccato intelligis te gravatum : membrum enim quod ita stupuit, ut sentire non possit, longe est a salute. Epist. 118, *ad Archidiaconum Eboracensem.* PETR. BLES.

412. Vix unum transigimus diem, in quo non offendimus Deum, aut proximum. *Ibid.*

413. Quæ stercora, quis sanguis menstruus, quæ putredo cadaverum immundior est, quam peccatum? *Ibid.*, *de Pœnitentia injungenda.*

414. Quis est peccator, nisi qui se peccatorem negat? magis ipse peccator est. Et, ut verius dicam, ipse jam peccatum est, qui se jam non intelligit peccatorem. Serm. 30. S. PETRUS CHRYSOL.

415. Prima est felicitas, in peccatorum turpitudinem non venisse : sed felicitas est secunda, peccatorum veniam peccatis latentibus invenisse. *Ibid.*, serm. 34.

416. Lucem tenebræ fugiunt, tenebræ luce redeunt abscedente : ubi Deus, peccatum nullum; ubi peccatum, non ibi Deus. *Ibid.*, serm. 44.

417. Qui peccare cupit, peccatorum colit et veneratur auctores : hinc est quod Veneri adulter inservit, hinc est quod se Marti crudelis addicit. *Ibid.*, 155.

418. Ille Deum in corpore suo portat, qui nullum portat in suæ carnis operatione peccatum. *Ibid.*, serm. 168.

PETR. LOMB. MAGISTER SENTENT. 419. Peccatum non est admissum actione quam prius admissum érat voluntate. Lib. 2 *Sent.*, dist. 42.

PHILO JUD. 420. Peccare et peccatum fovere perinde est. Lib. 1 *de Specialib. legib.*

421. Non quemadmodum sponte peccare, iniquum ac sceleratum est : ita etiam invite ac per ignorantiam peccare, statim justum censeri debet; neque enim peccatum ullum justitiæ opus est. Et habet, apud D. Joan. Damasc., lib. 2 *Parall.*, cap. 28.

SALVIANUS. 422. Tanto consensu omnes peccata sequimur, quasi summi consilii conspiratione peccemus. Lib. 4 *de Gubern. Dei.*

423. Si honoratior est persona peccantis, peccati quoque major est enormitas. *Ibid.*

424. Mala incessabiliter malis addimus, et peccatis peccata cumulamus. *Ibid.*, lib. 6.

425. Qui ignorantia peccant, errore agnito corriguntur. *Ibid.*

426. Si funibus peccatorum suorum perversi homines alligantur, ipse se absque dubio alligat peccator quisque cum peccat. *Ibid.*

S. THEODOR. 427. Discimus quanta mala peccatum accersat, non solum his qui illud admittunt, sed et illis qui subserviunt. Quæst. 34, super *Genes.*

S. THEOPHIL ALEX. 428. Difficile sanantur peccata, quæ non statim ut crescere cœperunt, opprimuntur. *Prosec.*

429. Facilis est eorum eradicatio, cum qui dudum peccaverunt, fine peccandi emolumentum invenerint pœnitendi. *Epist. Paschal.* 3.

430. Peccati cessatio, virtutis principium est. *Ibid.*

S. THEOPHIL ANTIOCH. 431. Consuetudo peccandi peccatores facit horribiles. Lib. 2 in *Evang.*

S. THOMAS AQUINAS. 432. Homo peccando ab ordine rationis recedit, et ideo a dignitate decidit humana. 2, 2, quæst. 64, art. 2.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 433. Necesse est peccata omnia, aut a nesciente, aut ab invito, aut a volente, atque sciente fieri. Lib. 1 *Rhetor.*, cap. 13.

CATO POETA. 434. Nolo putes, pravos homines peccata lucrari :
Temporibus peccata latent, et tempore parent.
Lib. 2 *Distichor.*, metr. 23.

CICERO. 435. Dicimus multos ideo peccare et delinquere quod a multis exempla sumant. Lib. 4 *Rhetor. ad Herenn.*

436. Præter culpam ac peccatum homini accidere nihil potest, quod sit horribile, aut pertimescendum. Lib. 5, epist. 21, *ad Mescinium.*

437. Peccati dolor maximus est, et æternus : solius, cujus peccatum corrigi non potest. Lib. 11, epist. 15, *ad Atticum.*

438. Peccata non rerum eventu, sed vitiis hominum metienda sunt. *De Paradox.*, cap. 4.

439. Peccare certe nemini licet : quod autem non licet, id hoc uno tenetur, si arguitur non licere : id siquidem nec majus nec minus unquam fieri potest, quoniam jam in eo est peccatum, si non licuit. *Ibid.*

MIMUS PUBL. 440. Bis peccas, cum peccanti obsequium accommodas. In suis *Sentent.*, sent. 43.

PLATO. 441. Si qui propter peccatorum magnitudinem insanabiles esse videntur, perpetratis aut sacrilegiis multis et magnis, aut cædibus injustis, aut facinoribus commissis, hos consentanea sors projicit in tartarum, unde nunquam egredientur. *Prosec.*

442. Qui vero sanabilibus quidem magnis peccatis obnoxii esse constiterint, et in reliqua vita egerint pœnitentiam, in tartarum incident : postquam autem ibi annum vel plus vel minus, ut purgentur, fuerint commorati, tum egrediuntur, et ab illis malis liberantur atque solvuntur, tanquam carceribus quibusdam, in superiorem vero illam puramque regionem, quæ terræ supereminet, in qua ad incolendum sedes sunt illis constitutæ, perveniunt, quas non est facile explicare. In *Dialog. Phædonis.*

443. Cum quis a se commissa multa peccata deprehendat, conscientiæ labes eum non patiuntur quiescere : sed in somnis et ubique exterretur ipse atque percellitur, et cum mala spe vitam tolerat. *Prosec.*

444. Contra vero eum qui nullius sceleris sibi est conscius, jucunda spes perpetuo comitatur. Lib. 1 *de Republ.*

PLINIUS II. 445. Quæ amentia? in hoc totum diem impendere, ut offendas. Lib. 6, epist. 17 *ad Restitut.*

446. Quis non e vestigio suo exilivit? multa fecimus sponte, plura instinctu. In *Panegyr. de Trajano Augusto.*

SENECA. 447. Certatur ingenti quodam nequitiæ certamine : major quotidie peccandi cupiditas, minor verecundia est. Lib. 2 *de Ira*, cap. 8.

448. Jam sibi pœnas dedit, qui peccavit. *Ibid.*, cap. 30.

449. Peccamus omnes, alii gravia, alii leviora, alii forte impulsi, aut aliena nequitia ablati. Lib. 1 *de Clement. ad Neron.*, cap. 6.

450. Facit consuetudinem peccandi, multitudo peccantium. *Ibid.*, cap. 21.

451. Verecundiam peccandi facit ipsa clementia regentis. *Ibid.*

452. Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat : o felicem illum, qui non aspectus tantum, sed et cogitatus emendat. Epist. 11.

453. Initium est salutis, notitia peccati. Epist. 28, *Prosec.*

454. Nam qui peccare se nescit, corrigi non vult : deprehendas te oportet, antequam emendes. *Ibid.*

455. Duo sunt propter quæ delinquimus : aut inest animo pravis opinionibus malitia contracta, aut etiamsi non est falsis occupatus, ad falsa proclivis est, et cito specie quo non oportet trahente, corrumpitur. Epist. 94.

456. Prima et maxima peccantium est pœna, peccasse. Epist. 97.

457. Omne peccatum actio est, actio autem omnis voluntaria est, tam honesta, quam turpis : ergo voluntarium est omne peccatum. *De Moribus.*

458. Bonus vir est, qui eo perduxit affectu animum, ut non tantum peccare non velit, sed etiam non possit. *Ibid.*

459. Invitat culpam, qui peccatum præterit. In suis *Proverb.*, in fine positis.

SIXT. PHIL. 460. Omne peccatum impietatem puta : non enim manus vel oculus peccat, vel aliquod hujusmodi membrum : sed male uti manu, vel oculo, peccatum est. Sent. 9.

461. Pessimum est peccatoribus in unum convenire, cum peccant. *Ibid.*, sent. 99.

462. Optimum quidem est, non peccare : peccantem vero se agnoscere, quam ignorare melius est. *Ibid.*, sent. 273.

VALERIUS MAXIMUS. 463. Plus voluisse peccare nocuit, quam non peccasse profuit. Lib. 6 *Dictor. memorabil.*, cap. 1.

TRISMEG. 464. Quot delinquunt, ignorantes, ut ob eam causam immortalitate priventur. Lib. *de Potest. et sap. Dei*, cui titulus, *Pimander.*, cap. 1.

Vide etiam tit. *Adulatio*, sent. 20 ; *Anima*, sent. 184 ; *Austeritas vitæ*, sent. 49; *Auctoritas*, sent. 35, *Cæcitas*, sent. 34; *Clamor*, sent. 65, 66; *Clericus*, sent. 115; *Compunctio*, sent. 108; *Confessio*, sent. 186; *Conscientiæ remorsus*, sent. 7, 24, 25; *Consensus*, sent. 22, 29, 49; *Consuetudo*, sent. 123, 124, 125; *Correctio*, sent. 77; *Correptio*, sent. 27; *Defensio*, sent. 9, 32; *Delectatio*, sent. 54, 64; *Desperatio*, sent. 20, *Differentiæ*, sent. 22, 26; *Displicere*, sent. 31, *Dominus*, sent. 32; *Dormire*, sent. 30; *Esse*, sent. 76; *Exemplum*, sent. 17, 31; *Facies*, sent. 4 ; *Fervor*, sent. 30; *Fides*, sent. 14, 198; *Furor*, sent. 44; *Gehenna*, sent. 8, *Impudentia*, sent. 1; *Lacryma*, sent. 48. *Liberum arbitr.*, sent. 5, 6; *Malum*, sent. 30 ; *Multitudo*, sent. 21, 35; *Negligentia*, sent. 5, 6, 7; *Occasio*, sent. 10, 11; *Patientia Dei*, sent. 53, 55, 57; *Timor pœnæ*, sent. 10, 13, 14, 70, 71; *Verecundia*, sent. 28, 38, 39, 40, 41; *Voluptas*, sent. 50, 105, 151.

PECCATUM MORTALE.

COLLECTOR. *Definitio.* Peccatum mortale est peccatum, ex se infligens peccanti spiritualem primam mortem, et constituens secundæ reum.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Sagitta mortis est peccatum, per quod animæ jugulantur. Super I *Cor.*, cap. 15, in illud : *Stimulus mortis*, etc.

2. Nemo gravius moritur, quam qui peccato vivit. *De Noe et Arca*, cap. 10.

S. ANTONIUS DE PADUA. 3. Quot mortalia peccatores habent, tot Deos invocant et adorant. Serm. *Dom.* 6, *post Trin.*

S. AUGUST. 4. Amat mortem, qui vitæ præcepta non servat : et horret vitam, qui peccata morti debita desperata morte frequentat. Serm. 3 *de Verb. Dom.*

5. Dulce est peccatum, sed amara est mors. Homil. 42 *de Quinquaginta Homil.*

6. Animæ si peccaverint, miseræ fiunt. Lib. 3, *de Lib. arbit.*, cap. 9.

7. Mors hominis ex pœna peccati est, undè et ipsa peccatum dicitur : non quia peccat homo dum moritur, sed quia ex peccato factum est ut moriatur. Lib. 14, *contra Faust.*, cap. 3.

8. In peccato moriuntur omnes, non in morte peccant : nam peccato præcedente mors sequitur, non morte præcedente peccatum. Lib. 4 *ad Bonifacium*, cap. 4.

9. Omnis qui peccat, moritur. Tract. 49, super *Joan.*

S. BONAV. 10. Non actus temporalis facit, ut peccatum mortale æternaliter puniatur, sed circumstantia illius in quem peccatur. Super *Luc.*, cap. 6.

11. Immisericordior es animæ tuæ, ipsam per peccatum occidendo, quam Judas corpori suo, ipsum jugulando. Serm. 2, *Dom.* 1, *post Pent.*

12. Nunquam est peccatum mortale in inferiori parte, absque superiori. Super lib. 4 *Sent.*, dist. 24, art. 2, quæst. 2.

GLOSS. INT. 13. Quoties peccamus, morimur : quoties benefacimus, vivimus. Super *Daniel*, cap. 13.

S. GREGOR. MAG. 14. Cum in peccato animus moritur, citius ad vitam reducitur, si super hunc sollicitæ cogitationes vivunt. Lib. 4 *Moral.*, cap. 25.

HAYMO. 15. Illa fit diaboli habitatio, in cujus mente regnat peccatum. Super *Apocal.*, cap. 12, in illud : *Neque locus inventus est*, etc.

S. HIERON. 16. Quod leve est, lavatur : quod gravius, exuritur. Lib. 2, super *Isaiam*, cap. IV, super illud : *Cum abluerit Dominus*, etc.

HUGO CARD. 17. Quantumcumque magnum sit peccatum, major est misericordia Dei. Quod si vis scire, pone peccata in statera Crucis : peccata trahunt ad infernum, sed calamitas pœnitentiæ præponderans, elevat ad cœlum. Super *Gen.*, cap. 4.

18. Qui est in mortali peccato, non est dignus etiam pane quo vescitur. *Prosec.*

19. Qui est in mortali, indignus est omni bono, etiam vita ista. *Ibid.*, cap. 15.

20. Quoties peccat quis, toties in seipso interficit Christum. *Ibid.*, cap. 26.

21. Peccatum mortale, quod concipitur per ali-

quem de sensibus, occidit sensus interiores et exteriores. Super *Job*, cap. XXXI.

22. Omnia peccata, quæ usque ad animam intrant per delectationem, suffocant per consensum, submergunt per operationem, putrescere faciunt per consuetudinem. Super *Psalm.* LXVIII.

23. Peccator quilibet infernus est, ubi sunt tenebræ obscurissimæ : quia ibi non lucet sol justitiæ, ibi tot dæmones, quot vitia, ibi algor infidelitatis, ibi ardor iniquitatis. Super *Proverb.*, cap. XV.

24. Omnis qui est in mortali, est jumentum diaboli, quod per capistrum, id est, per unum peccatum, ducetur ad aliud. Super I *Cor.*, cap. XI.

S. INNOC. 25. Lethalius est venenum peccati, quam venenum serpentis. Super *Psalm.*, XXXVII, vers. 3.

JOAN. CASS. 26. Quid perniciosius, quidve deformius, quam ut quis honestatis judicium et regulam ac disciplinam rectæ discretionis amittat, et ea sanus ac sobrius perpetret quæ nec temulentus quidem quis ac sensu indigens veniabiliter admitteret? Collat. 19, *Abbat. Joan.*, cap. 14.

JOAN. TRITH. 27. Qui semper peccat, semper Deum irritat : et toties manus injicit in Deum, quoties mortaliter delinquit. Super *Prolog. Regul. S. Bened.*, cap. 2, text. 1.

28. Omnis qui mortaliter peccat, januam cordis sui diabolo aperit, Deo claudit. Lib. 1, homil. 3, *ad Monachos*.

LACT. FIRM. 29. Peccatum pabulum mortis est. Lib. 4, *de Divin. Inst.*, cap. 25.

S. LAURENT. JUSTIN. 30. Nemo mortaliter peccat invitus, nullusque, nisi volens, inimicorum suorum spiritualium servus efficitur. *De Humilit.*, cap. 5.

31. Quo impuniti liberius peccant eo vehementius damnatione plectentur æterna. *De ligno vitæ*, tractatu 10, *de Paupertate*, cap. 3.

PETR. BLES. 32. Quæ stercora, quis sanguis menstruus, quæ putredo cadaverum immundior est, quam peccatum? *De Pœnitent. injungenda.*

ROBERTUS A SORBONA. 33. Peccatum primum malum est, quod obligat hominem ad mortem æternam, seu ad patibulum inferni. In *libello itineris Paradisi*.

SALVIANUS. 34. Cum ea, quibus torqueamur, admittimus; ipsi tormentorum nostrorum auctores sumus. Lib. 4, *de Gubern. Dei.*

35. Peccare non desinit, quem in extremis situm, recedere a criminibus sola tantum facit impossibilitas, non voluntas. *Prosec.*

36. Qui enim a malis actibus tantum morte discedit, non relinquit scelera, sed relinquitur a sceleribus.

37. Quia quantum ad animum necdum desiit, qui adhuc velit peccare, si possit.

38. Non bonis itaque spebus innititur, qui ad hoc tantum peccat in vita, ut peccatorum molem redimat in morte. *Ibid.*, libro 1, *ad Eccles. cathol.*

PECCATUM ORIGINALE.

Definitio. Peccatum originale est culpa primi peccati Adæ, homini ingenita. COLLECTOR.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Nisi originale peccatum fuisset, vitium nullum esset. Super *Apocal.*, cap VI. S. AMBROS.

2. Necesse est omnem hominem in peccato originali natum, illo non dimisso damnari. Lib. *de Conceptu virginali*, cap. 28. S. ANSELM.

3. Corpus homini gravissimum vinculum est, propter antiquum peccatum. *De Morib. Eccles.*, cap. 22. S. AUGUST.

4. Parvulus trahit peccatum originale ab Adam. Epist. 23.

5. Propter unius peccatum, in quo omnes peccaverunt, merito Deus justeque damnavit. Epist. 105.

6. Inexcusabilis est omnis peccator reatu originis. *Ibid.*

7. Quicunque ex homine uno multi in seipsis futuri erant, tunc in illo unus erant : proinde illud peccatum solius esset, si ex illo nullus exiisset. Epist. 106.

8. Genus humanum non peccasset in Adam, si ipse non peccasset. Lib. 6, *de Genesi ad lit.*, cap. 9.

9. Ideo quisque renascitur, ut solvatur in eo quidquid peccati est cum quo nascitur. In *Enchirid.*, cap. 41.

10. Peccatum originale non solvitur ac diluitur, nisi per unum mediatorem Dei et hominum hominem Jesum Christum, qui solus potuit ita nasci, ut ei opus non esset renasci. *Ibid.*, cap. 48.

11. Propter hoc renascimur, ut Deo placeamus: cui merito displicet, quod nascendo contraximus. *Ibid.*, cap. 76.

12. Mitissima omnium pœna erit eorum qui præter peccatum originale quod traxerunt, nullum insuper addiderunt. *Ibid.*, cap. 93.

13. Omnis humana natura per peccatum primi hominis, in vanitatem de veritate collapsa est. Lib. 17, *de Civit. Dei*, cap. 11.

14. In originali malo duo sunt, peccatum atque supplicium. *Ibid.*, lib. 22, cap. 24.

15. Peccato transgressionis, mortales ex immortalibus facti sumus. *De duabus animabus*, cap. 13.

16. Si aliquos naturaliter dicimus malos propter originem veteris peccati dicimus. *De Fide contra Manich.*, cap. 9.

17. Constat parvulos, ut remissione indigeant

peccatorum, nonnisi originale traxisse peccatum. Lib. 1, *de Anima et orig.*, cap. 12.

18. Deus prædestinat ad æternam mortem, propter originale peccatum. *Ibid.*, lib. 4, cap. 11.

19. Propter originale peccatum reconciliatio necessaria est omnibus per unum, qui sine peccato venit in mundum. Lib. 4, *ad Bonif.*, cap. 5.

20. Peccata originalia dicuntur aliena et nostra. *De Corrept. et grat.*, cap. 6.

21. Peccatum originale non est malum nuptiarum, sed primorum hominum peccatum in posteros propagatione trajectum. Lib. 2, *contra Julian.*, cap. 10.

22. Quod in homine malum est, est fructus originalis peccati. *Ibid.*, lib. 4, cap. 9.

23. Negantes originale peccatum, coguntur dicere Deum vel invalidum, vel injustum. *Ibid.*, lib. 6, cap. 21.

24. Pertinet originale peccatum ad hoc genus, ubi sic peccatum est, ut ipsum sit et pœna peccati. Lib. 1, *Oper. imperf. contra Julian.*, num. 17.

25. Tulit gratia Christi originalis peccati reatum, sed rem invisibilem invisibiliter tollit. *Ibid.*, num. 97.

26. Peccati originalis abolitionem, circumcisione infantis lex significabat. *Ibid.*, lib. 2, num. 221.

27. Quæcunque nascitur proles, originali est obligata peccato. Lib. 1 *de Nuptiis*, cap. 24.

28. Voluntarium peccatum hominis primi, originalis est causa peccati. *Ibid.*, lib. 2. cap. 26.

29. Originalis culpa inest nascentibus, quæ non aboletur nisi in renascentibus. *Ibid.*, cap. 39.

30, Nascitur proles ad pœnam, nisi renascatur ad vitam. *Ibid.* lib. 1, cap. 17.

31. Homo quando nascitur, jam cum morte nascitur, qui de Adam peccatum trahit. Tract. 49, super *Joan.*

S. BONAV. 32. Quatuor mala inflicta sunt homini propter peccatum originale : concupiscentia, impotentia, malitia, ignorantia. Super *Luc.*, cap. VII.

S. GREGOR. MAG. 33. Peccatum originale à parentibus trahimus : et nisi per gratiam Baptismatis solvamur, etiam parentum peccata portamus. Lib. 15 *Moral.*, super illud Job XXI : *Deus servabit filiis illius dolorem Patris.*

34. Pro culpa parentis, ex originali peccato anima polluitur prolis. *Ibid.*

35. Deleto originali peccato, ex parentum nequitia in anima parvuli non tenentur. *Ibid.*

36. Quia homo per mulierem culpæ subditam nascitur, reatus primi infirmitas in prole propagatur. *Ibid.*, lib. 17, cap. 8, super illud *Job* XXV : *Numquid justificari potest homo ?* etc. *Prosec.*

37. Et quia in radice putruit humani generis ramus, in conditionis suæ viriditate minime subsistit. *Ibid.*

38. Culpa originalis mater contumeliosi sensus carnis recte intelligitur ; quia ex illa nascendo prodiit qui esse ab illa cœpit. *Ibid.*, lib. 6, in I *Reg.*, cap. 2, super illud XVI : *Et ait Samuel : Sicut fecit mulieres*, etc.

39. O gravis necessitas, et infelix conditio ! antequam peccemus, peccato constringimur : et antequam delinquamus, delicto tenemur. Lib. 1, *de Contemptu mundi*, cap. 3. S. INNOC. III

40. Tunc originale est intensum in homine, cum et secundum reatum, et secundum actum existit in illo, ut reatus ad labem, et actus ad fomitem referatur. *Prosec.*

41. Verum in baptizato labes mundatur, sed fomes relinquitur ; quia transit reatus, et remanet actus : et ideo remissum est post baptismum, quod ante baptismum erat intensum.

42. Nam etsi non sit deletum, quantum ad fomitem ; est tamen deletum, quantum ad labem, ut jam per illud homo non obligetur ad culpam, sed exerceatur ad luctam. Super *Psalm.* XXXI, vers. 1.

43. Peccatum ubi intravit, libertatem perdidit, et corrupit potestatem naturæ datam, servitutemque introduxit. Homil. 29, super *Gen.* S. JOANNES CHRYSOST.

44. Magnus dæmon peccatum est, quod si abs te abjeceris, major eris, quam qui dæmonia ejiciunt. Homil. 33, super *Matth. Oper. perf.*

45. Originale peccatum sic in homine per baptismum curatur, quod nihilominus ab eo qui curatus est, transmittatur in prolem, quam generat. In *Compendio Theologiæ, de Vitiis naturæ*, etc., *de Peccato originali.* JOAN. GERS.

PECCATUM VENIALE.

Definitio. Peccatum veniale est levis offensa Dei. Vel, peccatum veniale est peccatum actuale, cujus venia facile obtinetur. Vel, peccatum veniale est peccatum ex se non infligens peccanti mortem spiritualem. Vel, peccatum veniale ex parvitate materiæ est peccatum natura sua mortale : sed per accidens veniale, ratione exiguitatis materiæ. Peccatum veniale ex genere suo est peccatum, cujus malitia sumpta ex objecto, est natura sua levis. Peccatum veniale ex defectu plenæ deliberationis, est peccatum natura sua mortale ; sed per accidens veniale, quia fit cum semiplena deliberatione. COLLECTOR.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Ex consuetudine venialium peccatorum, securitas mentis et familiaritas Dei amittitur, et S. ALBERTUS MAGNUS.

gratia multiformis negligitur. *De Paradiso animæ*, part. 1, *de Virtut.*, cap. 22.

S. AUGUST. 2. Nullum peccatum adeo parvum est, quod non crescat neglectum. *De Vera et falsa pœnit.*, cap. 8.

3. Pro quotidianis peccatis, sine quibus hic non vivitur, etiam bene vivitur, quotidiana remissio petenda est. Lib. 4 *ad Bonifac.*, cap. 12.

4. Levia peccata noli contemnere; si contemnis, quando appendis; expavesce, quando numeras. *Prosec.*

5. Levia multa faciunt unum grande, multæ guttæ implent flumen, multa grana faciunt massam. Tract. 1, super *Epist. Joan.*, cap. III.

6. Minutis peccatis licet occidi animam non credamus, ita tamen eam velut quibusdam pustulis, et quasi horrenda scabie replentes, difformem faciunt, ut eam ad amplexus illius sponsi cœlestis, aut vix, aut cum grandi confusione venire permittant. Serm. 4, *pro Defunctis.*

7. Minuta peccata sunt velut scabies, quæ nostrum decus ita exterminant, ut ab illius sponsi speciosi forma præ filiis hominum castissimis amplexibus separent. Hom. 50, *ex Quinquag. Homil.*

8. Noli illa contemnere, quia minora sunt, sed time quia plura sunt : quotidiana sunt ista quæ dico, sed tamen peccata sunt, et non sunt levia, quia plura : quia vero quotidiana et plurima, timenda est ruina multitudinis, et si non magnitudinis. Serm. 4, *Dom.* 1 *Quadrag.*

9. Minuta plura peccata, si negligantur, occidunt. *Prosec.*

10. Minutæ sunt guttæ, quæ flumina implent : minuta sunt grana arenæ, sed si multa arena imponatur, premit atque opprimit.

11. Hoc facit sentina neglecta, quod facit fluctus irruens : paulatim per sentinam intrat, sed diu intrando et non exhauriendo, mergit navim. Tract. 12 super *Joan.*

S. BERNARD. 12. Mens Deo dicata sic caveat minora vitia, ut majora : quia a minimis incipiunt, qui in maxima proruunt. *De Ord. vitæ*

S. BONAV. 13. Quamvis singula non lethali vulnere ferire sentiantur, tamen omnia simul congregata velut scabies (eoquod plura sunt) necant. Super lib. 4, *Sent.*, dist. 16, part. 2, art. 3, quæst. 1.

S. BRUNO. 14. Nullus adeo justus, qui saltem venialiter non peccet. Super *Psalm.* LXXIV, vers. 8.

S. CÆSARIUS ARELAT. 15 Non solum majora peccata, sed etiam et minuta (si nimium plura sint) mergunt. Hom. 8.

S. DOROTH. 16. Curate levia quoad levia sunt, ne graviora fiant : peccata enim a parvis incipiunt, et ad magna mala perducunt. Doctr. 3.

S. GREGOR. MAGNUS. 17. Cum peccata minima flere ac devitare quisque negligit, a statu stultitiæ non quidem repente sed partibus totus cadit. Part. 3 *Pastoral.*, cap. 1, admonit. 34.

18. Si despiciunt timere dum pensant, debent formidare dum numerant : altos quippe gurgites fluminum parvæ, sed innumeræ implent guttæ pluviarum, et hoc agit sentina latenter excrescens, quod patenter procella sæviens. *Ibid.*

19. Admissa peccata eo facilius oblivioni traduntur, quo ea vel nulla, vel levia putantur. Super *septem Psalm. Pœnit.*, super *Psalm.* IV, vers. 3.

S. HIERON. 20. Ad peccatum maximum, quod opere perpetratur, nequaquam perveniens, si incentiva vitiorum statim in mente jugulas, et parvulos Babylonis allidis ad petram, in qua serpentis vestigia non reperiuntur. Epist. 8 *ad Demetriadem.*

21. Non cito ad majora progreditur, qui etiam parva formidat. Epist. 14 *ad Celantiam.*

22. Ibi te maxime oportet observare peccatum, ubi nasci solet. Epist. 1 *ad Demetriadem.*

23. Leve nunquam est Deum etiam in exiguo contemnere, qui non tantum ad qualitatem peccati respicit, sed etiam ad personæ contemptum. In *Regula Monachor.*, cap. 1 *de Obedientia.*

24. Qui levi peccatorum sorde maculatus est, levioribus purgatur monitis : porro peccata gravia, quæ ad mortem trahunt, nec nitro, nec herba borit dilui possunt! sed gravioribus tormentis indigent. In cap. 2 *Hierem.*, super illud : *Si laveris te nitro*, etc.

25. Quod leve est, lavatur : quod gravius, exuritur. Lib. 2 super *Isaiam*, cap. IV, super illud : *Cum abluerit Dominus*, etc.

26. Diabolus non tentat cito aliquem per grandia vitia, sed per parva, ut possit quomodocumque intrare et dominari homini, et postea eum in majora vitia impellet. Super *Psalm.* CXL, vers. 3 : *Et ostiam circumstantiæ*, etc.

27. Scintilla res parva est, et pene dum cernitur, non videtur : sed si fomitem comprehenderit, est nutrimenta sui (quamvis parvus ignis) invenerit; mœnia, urbes, latissimos saltus, regionesque consumit. Lib. 3 super *Ep. ad Galat.*, cap. V, in illud : *Modicum fermentum*, etc.

HUGO A S. VICTOIRE 28. Noli contemnere minima, paulatim enim deficiunt, qui minima contemnunt. Lib. 6 *Didasc.*, cap. 3.

JOAN. CASS. 29. Tanta in peccatis venialibus facilitate tanquam naturali lege prolabimur, ut quantalibet circumspectione atque custodia caveantur, non possint ad plenum ista vitari. Collat. 20, *Abbat. Pinusii*, cap. 11.

30. Scientibus perfectionis bonum, etiam minimorum peccatorum multitudo gravissima est. Collat. 23, *Abbat. Theonæ*, cap. 7.

31. Non negligendum est hoc malum, quod ab occultis parvisque seminibus augetur quotidie, et ab ortu suo latius longiusque distenditur. *De grat. Dei, et Lib. arbit.*, cap. 1.

S. JOANNES CHRYSOST. 32. Sic a minimis ad maxima gradatim diabolus homines ducit, ut inde ad desperationem detrudat, et hanc viam perniciosissimam adinvenit. Hom. 87 super *Matth. Oper. perf.*

33. Qui pusilla dissimulant, ad majora invitant. Super *Epistolam ad Galat.*

34. Magnum est malum, quod nihil esse videtur : etenim quæ nihil esse videntur, facile contemnuntur, quæ vero contemnuntur augentur ac multiplicantur : quæ autem augentur, redduntur incurabilia. Serm. 14 super *Epist. ad Ephes.*

35. Principia peccatorum nobis cavenda sunt; quæve minora fuerint, evitanda, e quibus et majora ortum ducunt. *Prosec.*

36. Nam qui errata vel singula, uti exigua, parvipendere consuescet, paulatim omnium patietur jacturam peccatorum. Serm. *de nequitia depulsa.*

37. Si levium delictorum magnitudo noscatur, et majorum facillime pernicies noscitur. Serm. *de Levium peccator. periculis.*

S. JOANNES DAMASC. 38. Parva non sunt, ex quibus magna proveniunt. Orat. 1 *de Imaginibus.*

IOAN. GERS 39. Nullum peccatum est adeo veniale, quin fiat mortale dum placet. *De vita spirituali animæ*, lect. 1, corollar. 4.

S. ISIDORUS HISPALENS. 40. Multi vitam sine crimine habere possunt, sine peccato vero non possunt. Lib. 2 *de Sum. bono*, cap. 18, sent. 1.

41. Peccata levia ab incipientibus quotidiana satisfactione purgantur, et tamen a perfectis viris, velut magna crimina evitantur. *Ibid.*, sent. 3.

42. Non solum gravia, sed et levia sunt cavenda peccata : multa enim levia, unum grave efficiunt, sicut solent ex parvissimis guttis; immensa flumina crescere : numerositas enim in unum coacta exundantem efficit copiam. *Ibid.*, sent. 4.

43. Peccata quæ incipientibus levia sunt, perfectis viris gravia reputantur. *Prosec.*

44. Tanto enim majus cognoscitur esse peccatum, quanto major qui peccat habetur.

45. Crescit delicti cumulus juxta ordinem meritorum : et sæpe quod minoribus ignoscitur, majoribus imputatur. *Ibid.*, sent. 5.

46. Judicio divino in reatum nequiorem labuntur, qui distringere minora facta sua per negligentiam contemnunt. *Ibid.*, cap. 19, sent. 1.

47. Dum facta quædam non gravia, libere ac sine metu committimus, ad potiora scelera, et horrenda peccandi consuetudine labimur. *Ibid.*, cap. 29, sent. 1.

48. Aliquando utiliter peccatur in minimis tiis, ut majora vitia utilius caveantur. *Ibid.*, cap. 33, sent. 5.

49. Ne contemnas, etiamsi parvam videris intra te fermentari malitiam : quia modicum fermenti totam massam corrumpit : et ideo neque de parvo peccato negligas, quoniam ex uno peccato generatur et aliud. *Prosec.* ORIGEN.

50. Sicut enim ex justitia generatur justitia, et ex castitate castitas : et castus accepto castitatis fermento, quotidie castior efficitur. Ita et qui semel intra se licet parvum malitiæ reposuerit fermentum, quotidie in semetipso nequior efficitur ac deterior. Hom. 23, in cap. XXVII, *Numer.*

51. Qui in parvis labitur, labetur aliquando in majoribus : et qui non est seductus a parvis, erit ita contra majora munitus et tutus, ut ei resisti non possit. *Contra Manich.* S. SERAP. EPISC.

52. Multi in principio ex parvo errore cœpto, in pelagus erroris dilapsi et effusi sunt. *Ibid*

53. Minima instar scintillæ, nacta materiam, incendium magnæ flammæ efficiunt. *Ibid.*

54. Oportet hominem in initio niti præcavere malum, ne serpens lubricus foramen parvum inveniat, et tandem totum caput cum cauda violenter infigat. Serm. 8 *ad Novit.*, divis. 3. THOMAS A KEMPIS.

55. Dum parva latent vitia, tempestive adhibenda sunt remedia, ne urticæ crescentes, bona semina premant. Serm. 1 *ad Novit.*, divis. 4.

56. Non est minimum in humana vita, negligere minima. *Sent.* 8. SIXT. PHIL.

PECCATORUM DEFENSIO.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Erubescere debemus, et condemnare peccatum, non defendere : quoniam pudore culpa minuitur, defensione cumulatur. Lib. 2 *de Cain et Abel*, cap. 7. S. AMBROS.

2. Defendere culpam aliorum, gravis superbia est. Part. 2, tit. 3, cap. 3, § 11. S. ANTONIN.

3. Non parvum malum est ad defendendum peccatum, a medicamento confessionis averti. *De Virgin. sentent.*, sent. 3. S. AUGUST.

4. Non est adhibenda fallax defensio, sed verax defensio peccatorum. *De Continent.*, cap. 5.

5. Nolens se esse reum, addit potius ad reatum; et sua excusando non accusando peccata ignorat non se pœnam removere, sed veniam *Ibid.*

6. Sentiat culpam, nec velit excusare se confitens ne augeat crimen. *De vera et falsa Pœnit.*, cap. 16.

7. Pejor damnabiliorque est superbia, qua etiam in peccatis manifestis suffugium oxcusationis inquiritur. *Prosec.*

8. Accusatio potius quam excusatio vera est, ubi mandati divini est aperta transgressio. Lib. 14, *de Civit. Dei,* cap. 14.

9. Dedignatur superbus, cum peccat, convinci, quod ipse peccaverit. *De Continent.*, cap. 5.

10. Si tu te excusas, claudis sinum, includis peccatum, excludis indulgentiam. Hom. 11 *ex Quinquag.*

11. Velociores sunt homines ad excusationem, quam ad confessionem peccatorum suorum. Lib. 3 *de Lib. arbit.*, cap. 2.

12. Diabolus suadet hominibus excusationes peccatorum. Hom. 12 *ex Quinquag.*

13. Peccata ignorantiæ vel negligentiæ melius accusantur ut pereant, quam excusantur ut maneant. Super *Psalm.* cv, vers. 8.

14. In confessione meretrices, adulteræ, flagitiosæ defendunt peccata sua; si latuerint, negant: si autem vel deprehensæ atque convictæ fuerint, defendunt; et quam facilis defensio earum, quam cita, sed quam præceps, quam quotidiana, et quam sacrilega? Super *Psalm.* CXL, in exposit., vers. 5.

V. BEDA. 15. Nemo periculosius peccat, quam qui peccata defendit. In suis *Proverbiis*, verbo *Nemo*.

S. BERNARD. 16. Genus excusationis est, cum argueris tu, alium incusare : porro excusare te velle, quando corripieris, quam sit non modo minime fructuosum, sed et perniciosum. Serm. 16, super *Cant.*

17. In animam suam peccat qui se excusat, repellens proinde indulgentiæ medicinam, et sic vitam sibi proprio ore intercludens. *Ibid.*

18. Culpabilis profecto est confessio, quæ culpam non diluit : quæ se excusat, non accusat. *Ibid.*

19. Multis modis fiunt excusationes in peccatis : aut enim dicit, qui se excusat, non feci : aut feci quidem, sed bene feci : aut si male, non multum male, non mala intentione. *De Duodecim gradibus humilit.*, gradu 8.

20. Multo periculosior est fallax ac superba confessio, quam procax et obstinata defensio. *Ibid.*, grad. 9.

CASSIODOR. 21. Sola necessaria est, quæ dicitur confessio, cum reus non id quod factum est defendit, sed ut ignoscatur, expostulat. Super *Psalm.* VI.

22. Hoc maximum vitium est, quo laborat humanitas, ut post peccatum suum potius ad excusationes confugiat, quam pœnitudinis se confessione prosternat. Super *Psalm.* CXL, vers. 4 : *ad excusandas excusationes*, etc.

S. FRANCIS. ASSISIAS. 23. Beatus servus, qui non est velox ad se excusandum, sed humiliter sustinet verecundiam et reprehensionem de peccato, ubi non commisit culpam. In suis *Opusc.*, in admonit. *ad Fratres*, cap. 22.

24. Ubi aliquid male fit, et quasi ex auctoritate defenditur, tunc non debet dormire severitas : quando vero non defenditur, tunc dissimulari potest propter scandalum. In *Decret. Gratiani.* GLOSS. DEC.

25. Melior est causa, quæ non defenditur et probatur : Susanna tacuit, et vicit. Super *Luc.* cap. XXIII. GLOSS. INT.

26. Qui se pœnitet, sollicitus est, ne denuo peccet, et non se excusat : sed confitetur et vindicat in se quod deliquit. Super II *Cor.*, cap. 7. GLOSS. ORD.

27. Sæpe malorum pertinacia constantia dicitur : et dum mens a pravitate sua flecti non patitur, quasi ex recti defensione gloriatur. Lib. 32 *Moral.*, cap. 17. S. GREGOR. MAGNUS.

28. Sunt nonnulli, qui nequaquam deflent quod faciunt; sed etiam laudare et defendere non desistunt. *Ibid.*, lib. 4, cap. 19.

29. Mens perversa quæ fecit, defendere non audeat : ne defendendo nequitiæ nequitiam adjungat. *Ibid.*, cap. 18.

30. Peccatores quique in quo sibi male sunt conscii, in eo et alium peccantem defendunt. *Ibid.*, lib. 33, cap. 4.

31. Nequissimorum facta, nequiores perversis patrociniis tuentur. *Ibid.*

32. Summa criminum dum defenditur, augetur. *Ibid.*

33. Quos similis reatus sociat, concordi pertinacia, etiam defensio perversa constipat : ut de facinoribus suis alterna se invicem defensione tueantur. *Ibid.*, cap. 24.

34. Peccatum peccato adjicit, qui male gesta defendit, et culpæ suæ patrocinia defensionis adjungit. *Ibid.*, lib. 4, cap. 19.

35. Culpa cum defenditur, geminatur. *Ibid.*

36. Hominis proprium esse conspicitur, quod ex parentis veteris imitatione se defendit. *Ibid.*, lib. 22, cap. 9.

37. Ille vere humilis est in bonis, qui non est defensor in malis. *Ibid.*, lib. 26, cap. 1.

38. Scelera peccantium tanto majora incrementa percipiunt, quanto per defensionem potentium diu inulta tolerantur. *Prosec.*

39. Tanto se apertiores Dei hostes exhibent, quanto majores sunt patroni vitiorum. *Ibid.*, lib. 33, cap. 4.

40. Contra Deum suis defensionibus pugnat, qui ea quæ displicent, defendendo multiplicat. *Ibid.*

41. Reprobi scuto defensionis corripientium se verba repellunt, et concordi pertinacia æterna se ad invicem defensione tuentur. *Ibid.*, cap. 24, in titulo.

42. Usitatum humani generis vitium est, la-

tendo peccatum committere, et commissum negando abscondere, et convictum defendendo multiplicare. Lib. 22 *Moral.*, cap. 9, num. 13.

43. Sibimetipsi jam parcere renuit, qui malum non erubescit fateri quod fecit, et qui defendendo accusari potuit, accusando se celerrime defendit. *Ibid.*, num. 13.

GO CARD. 44. Defendere peccatum, est peccatum peccato sociare. Super *Job*, cap. 3.

45. Sunt defensiones peccatorum quatuor. Excusatio, verecundia, diminutio, comparatio. Super *Psalm.* XLVI.

46. Malum est peccare, pejus est peccatum factum manifestare, pessimum ipsum defendere, et se innocentem reputare. Super *Hierem.*, cap. 2.

ISIDORUS SPALENS. 47. Qui peccatorum suorum defensor extiterit, necesse est (si veniam prætendit) ut se pœnitendo accuset quod superbiens prave admisit. Lib. 2, *de Sum. bono*, cap. 24, sent. 3.

48. Quorumdam excusatio est perversorum, qui dum pro suis facinoribus arguuntur, verba justorum pro censura declinanda abjiciunt. *Ibid.*, lib. 3, cap. 32, sent. 8.

CT. FIRM. 49. Nunquam potest esse scelus tam clarum, ut defensio non sit. Lib. 6, *de Divin. Inst.*, cap. 18.

50. Quosdam nec pudor vitiorum tenet, sed patrocinia turpitudinis suæ fingunt, ut etiam honeste peccare videantur. *Ibid.*, lib. 3, cap. 15.

. NILUS. 51. Ne patrocineris malis : ipsos enim ad mala provocas, tu vero contaminaris peccati communione. *Parœnes.* 101.

. PETR. DAM. 52. Plus delinquit quis defendendo peccatum, quam faciendo peccatum. Peccare quippe, humanum est : peccatum vero defendere, diabolicum est, Serm. 18, *de S. Vitale Mart.*

53. Superbit, qui peccatum (si liceat non puniri) non deserit : sed potius defendere tumida elatione præsumit. *Ibid.*

54. In veritate vobis dico, quia nihil sic exasperat iram divinitatis, quam iniquitatis defensio. Serm. 60, *in Vigil. Nat. Dom.*

55. Nullum in humano genere malum perniciosioris est criminis, quam defensio pravitatis. *Opusc.* 24, in præfat.

56. Offensio Dei meretur iram, excusatio provocat vindictam. *Ibid.*

57. Cum peccat homo, quasi in puteum labitur : cum vero peccata defendit, os putei super eum, ne pateat egressus, urgetur. *Prosec.*

58. Corruit in puteum homo, cum peccat : claudit vero sibimet os putei, dum excusat. *Ibid.*

ROSPER. 59. Sicut repellit Deus peccata sua defendentem, sic recipit accusantem. Apud D. Augustin., sent. 72.

RICH. A S. VICT. 60. Facilius illa excusamus, quæ per infirmitatem contrahimus, quam quæ ex sola malitia committimus. Part. 1, lib. 1, *de Erud. hom. inter.*, cap. 28.

S. URB. I. PAP. & MAR. 61. Qui aliorum defendit errorem, multo amplius damnabilior est illis qui errant, quia non solum errat, sed aliis etiam offendicula erroris præparat et confirmat. In *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 24, quæst. 3, can. *Qui.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 62. Nulla excusatio peccati, si amici causa peccaveris. *De Amicit.*

SENECA. 63. Hoc æque omnium est, ut vitia sua excusare malint, quam effugere. Lib. 3, *Controvers.*

64. Nullum vitium est sine patrocinio. Ep. 116.

65. Vitia nostra, quia amamus, defendimus : et malumus illa, quam excutere. *Ibid.*

66. Nemo se avarum esse intelligit, nemo cupidum ; et dicimus. Non ego ambitiosus sum, non ego sumptuosus : non est meum vitium, quod iracundus sum, quod nondum constitui certum genus vitæ, adolescentia hæc facit. Ep. 50.

67. Tolle excusationem, nemo peccat invitus. *De Moribus.*

PECCATORUM MEMORIA.

SENTENTIÆ PATRUM.

S AMBROS. 1. Gravat conscientiam memoria delictorum, nisi medicina poscatur. Super *Psalm.* XXXVII

S. AUGUST. 2. Si tu peccatum tuum in dorso ponis, Deus ibi faciem ponit : tu peccatum tuum ante faciem tuam converte, si vis inde Deus faciem suam avertat ; et sic securus rogas, et exaudit. Super *Psalm.* L, vers. 10 : *Averte faciem tuam*, etc.

3. Ante vos sit peccatum, ut contra vos esse non possit. Homil., *de Pœnitentia Ninivit.*

S. GREGOR. MAGNUS. 4. Admissa peccata eo facilius oblivioni traduntur, quo ea vel nulla, vel levia putantur. Super *septem. Psalm. Pœnit.*, super *Psalm.* IV, vers. 3.

HUGO A S. VICTORE. 5. Homo quandiu in hac vita est, debet ante acta mala assidue ad memoriam revocare. Super *Thren.*

S. JOANNES CHRYSOST. 6. Nullo pondere gravius premitur anima, nihil tam vehementer mentis restringit oculos, nihil magis dejicit, ac prosternit, quam malæ actæ vitæ, ac peccatorum recordatio. Homil. 39, super *Matth. oper. perfecti.*

7. Nullum invenitur delictorum tale remedium, sicut eorum continuata memoria : ut peccasse pœniteat, ut pœnitens a suppliciis liberetur. Homil. 31, super *Epist. ad Hebr.*

8. Pœnitentem non oportet peccatum suum oblivioni tradere ; sed Dominum deprecari, ut Deus illius non meminerit : si nos peccati nostri memores simus, Deus obliviscitur. *Ibid.*

9. Melius nobis est, ut nunc anima mordeatur ex recordatione peccati, quam in futuro tempore supplicia sentiat sempiterna. *Prosec.*

10. Nunc enim si recorderis peccatorum tuorum, et frequenter ea in conspectu Dei pronunties, et pro eis ejus clementiam depreceris, citius illa delebis.

11. Si autem nunc obliviscaris peccatorum tuorum, tunc eorum recordaberis nolens, quando in toto mundo publicabuntur, et in conspectu proferentur omnium, tam amicorum tuorum, quam inimicorum, et sanctorum Angelorum, cœlestium que virtutum. *Ibid.*

S. ISIDORUS HISPALENS. 12. Sicut non oportet reminisci peccati affectum, sic semper necesse est unumquemque suum in deflendo commemorare peccatum. *Prosec.*

13. Servo Dei tanta recordatio esse debet peccati, ut ea quæ gessit semper lacrymans confiteatur. Libro 2, *de Summo bono*, cap. 24.

S. LEO PAPA I. 14. Nulla delictorum memoria apud Deum erit, ubi testimonium pietatis affuerit. Serm. 1, *de Jejun. Pentec.*

S. PROSPER. 15. Revocandus est animus ad recordandum cum quadam delectatione de præteritis, ne subrepente concupiscentia, redeamus corde in Ægyptum. Apud D. August.

S. THEODOR. 16. Cognitio peccati, pudoris est initium. Section. 7, super *Ezech.*

IN VIT. PATR. 17. Ille potest salvari, qui semper sua peccata, et non proximi considerat. In *Sent. in fine positis.*

PECCATORUM REMISSIO.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Qui hic non acceperit remissionem peccatorum, ad vitam æternam non poterit pervenire. Lib. *de Bono mortis*, cap. 2.

2. Omnibus est data remissio peccatorum, quia pro omnibus passus est Christus. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 8, vers. 8.

3. Plerique criminum suorum absolutione lætantur : si emendaturi sunt recte : si perseveraturi in eis, stulte, quia longe illis plus damnatio profuisset, ne incrementa facerent peccatorum. *De Bono mortis.*, cap. 7.

S. AUGUST. 4. Christi gratia liberat à reatu peccatorum pusillos cum magnis. Epist. 28.

5. Omnia peccata videntur veniabiliora, cum is qui reus est correctionem promittit. Epist. 54.

6. Nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat. Epist. 105.

7. Peccatis remissis populi ad Christum charitate concurrunt. Epist. 120, cap. 22.

8. Quisquis non credit dimitti sibi posse peccata, fit deterior desperando. Lib. 1, *de Doctr. Christ.*, cap. 18.

9. Per remissionem peccatorum stat Ecclesia, quæ in terris est : per hanc non perit quod perierat, et inventum est. In *Enchirid.*, cap. 64.

10. Videmus animam per gratiam liberari a peccato, sed non videmus unde meruerit hærere peccato. Lib. 1, *de Anima et orig.*, cap. 8.

11. Humanæ leges puniunt peccata, etiam a Deo remissa. *Ibid.*, lib. 3, cap. 9.

12. Veniam peccatorum negare, ægris est subtrahere medicinam. *De Agone Christ.*, cap. 31.

13. Homo sua excusando, non accusando peccata; ignorat non se pœnam removere, sed veniam. *De continent.*, cap. 5.

14. Nunc satis bene vivitur, si sine crimine; sine peccato autem qui se vivere existimat, non id agit ut peccatum non habeat, sed ut veniam non accipiat. Libro 14 *de Civit. Dei*, cap. 9.

15. Ipsa nostra justitia, quamvis vera sit, propter veri boni finem, ad quem refertur : tamen tanta est in hac vita, ut potiùs peccatorum remissione constet, quam perfectione virtutum. *Ibid.*, lib. 19, cap. 27.

16. Nos donum Spiritus sancti agnoscimus esse remissionem omnium peccatorum. *Contra Judæos*, etc., cap. 9.

17. Sacramenti integritas ubique cognoscitur; sed ad peccatorum irrevocabilem remissionem extra unitatem Ecclesiæ non valebit. Lib. 3 *de Baptismo contra Donat.*, cap. 17.

18. Baptisma Joannis non dedit remissionem peccatorum, nisi in spe. *Ibid.*, lib. 5, cap. 10.

19. Remissionem peccatorum, vel per seipsum facit Deus, vel per columbæ membra. *Ibid.*, cap. 21.

20. Antiquos justos non virtus salvos fecit, sed fides mediatoris, quæ in remissionem peccatorum sanguinem effudit. Lib. 1, *ad Bonifacium*, cap. 21.

21. Sinite miserum remissionem accipere peccatorum, per eum qui solus nec parvus, nec magnus potuit habere peccatum. *Ibid.*, lib. 4, cap. 4.

22. Pro quotidianis peccatis, sine quibus hic non vivitur, quotidiana remissio petenda est. *Ibid.*, cap. 12.

23. Christus propterea est crucifixus, ut in remissionem peccatorum sanguinem funderet. Tract. 98 super *Joan.*

24. Misericordiam Dei quotidie maxime pro peccatorum remissione poscamus. *Ibid.*, tractatu 124.

25. Ubi remissio peccatorum, Ecclesia est. Tractatu 10 super *Epist. Joan.*

26. Nemo de peccati dimissione desperet, quando

illi veniam meruerunt, qui Christum occiderunt. Tract. 31 super *Joan.*

27. Peccata ne fiant, prospicit charitas : facta, delet humilitas. Homil. 24, *ex Quinquag. Homil.*, cap. 1.

28. Per Baptismum, omnium præteritorum fit ablutio peccatorum. *Ibid.*, homil, 50, cap. 2.

ASILIUS GNUS. 29. Vide ne dum spe veniæ peccatorum agmen colligis, peccatum quidem cumules, veniam autem minime consequaris. Apud D. Joan. Damasc., lib. 1 *Parall.*, cap. 12.

BONAV. 30. Peccata in Scripturis dicuntur remitti ; dicuntur dimitti ; dicuntur mundari ; dicuntur sanari ; dicuntur tegi ; dicuntur redimi. Remitti, quantum ad reatum pœnæ ; dimitti, ratione offensæ ; mundari, ratione maculæ ; sanari, quantum ad vulnerationem naturæ ; tegi, propter spoliationem virtutis gratuitæ ; redimi, quantum ad captivitatem servitutis diabolicæ. Super *Luc.*, cap. 5 illud : *Remittuntur tibi peccata tua.*

31. Non peccati quantitas, nec vitæ enormitas, nec hominis extremitas excludit a venia, si perfecta fuerit conversio voluntatis. Serm. 2, *Dom.* 20 *post Pent.*

BRUNO. 32. Nullum peccatum est, quod pœnitentia non dimittatur et sine pœnitentia nullum peccatum dimittetur. *De Ornament. Eccles.*, cap. 2, *de Spe.*

SARIUS ELAT. 33. Qui pro peccatis sibi ipse non parcit, Deus cito illi indulgentiam tribuit. Homil. 13.

IODOR. 34. Dei est justitia, parcere supplicanti. Super *Psalm.* LXX, vers. 1.

35. Tanto unusquisque celerius absolvitur, quanto a semetipso vivacitate damnatur. Super *Psalm.* CV, vers 6.

36. Tantum se aliquis impetrasse veniam sentit, quantum pias lacrymas fudisse cognoscit. Super *Psalm.* CXLI.

PRIAN. 37. Nec quantitas criminis, nec brevitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas excludit a venia. *De Cœna Dom.*, cap. 7.

RILLUS OSOL. 38. Remissio peccatorum ex æquo datur omnibus : communicatio autem Spiritus-sancti secundum fidei uniuscujusque proportionem donatur. *Cateches.* 1.

39. In tuiipsius commodum curris ? reputa si quid contra aliquem habes, ac dimitte : accedis accepturus peccatorum remissionem, necesse est ut et tu delinquenti ignoscas. *Prosec.*

40. Qua fronte enim diceres Domino, Remitte mihi multa mea peccata, si tu pauca conservo tuo non remiseris ? *Cateches.* 1.

41. Cum Deo pacta inimus, quando petimus remitti nobis peccata, sicut et nos proximis debita remittimus. *Prosec.*

42. Cogitantes ergo pro quantulis, quanta accipiamus, ne cunctemur, et mutuas inter nos offensiones ignoscere non tergiversemur.

43. Exigua, levia, facilia ad remittendum sunt nostra in proximos peccata : quæ vero fiunt a nobis contra Deum, ea sunt maxima, et hæc ipsa indigent veniæ benignitate.

44. Adverte igitur ne ob aliqua parva et levia adversum te peccata proximo non condonata, tibiipsi percludas apud Deum gravissimorum peccatorum condonationem. *Ibid.*, *Catech. Mystag.* 5.

45. Vix de centum millibus hominum, quorum mala semper fuit vita, meretur a Deo habere indulgentiam unus. Epist. *ad Damas. Pap. de Morte D. Hieron.* S. EUSEBIUS CÆSARIENS.

46. Quam proclivis est homo ad delinquendum, tam misericordia Domini nostri dives est ad remittendum. Homil. 8, *ad Monachos.* S. EUSEBIUS EMISSEN.

47. Quod tu in te severus agnoscis, ego propitius ignoscam : quod tu tristis accusas, ego lætus absolvam. Homil. *de pœnit. Ninivit.*

48. Potius debemus proniores esse in absolvendo, quam in condemnando. In *Decretis Gratiani.* GLOSS. DEC.

49. Non sufficit præteritorum remissio peccatorum, nisi quis deinceps bonis studeat operibus. Super III, *Reg.* VII. GLOSS. ORD.

50. Non dimittit Deus peccata, nisi in tribulatione et cordis contritione. Super *Tob*, cap. III. GLOSS. INT.

51. Excessum correctio, correctionem pœnitentia, pœnitentiam venia, veniam munera Dei subsequuntur. Super *Job*, cap. XLII.

52. Pecuniam alicui repetere conceditur ; sed debita peccatorum petenti veniam, nunquam juste negamus. Super illud *Matth.* VI : *Dimitte nobis debita nostra*, etc. GLOSS. ORD.

53. Si non dimiseritis ex corde, quod in vos delinquitur, et hoc quod per pœnitentiam dimissum erat, a vobis exigitur. Super illud *Matth.* XVIII : *Sic et Pater meus*, etc.

54. Non jubemur passim peccanti, sed pœnitentiam agenti dimittere : primum ergo est peccantem increpare, ut postea pœnitenti possimus dimittere. *Prosec.*

55. Ita enim peccat, qui peccantem videns tacet : sicut qui pœnitenti non indulget. Super *Luc.*, cap. XVII.

56. Peccata dimissa redire dicuntur, quia quisquis post acceptam remissionem peccator ad vomitum redierit, tanto gravius punietur, quanto magis benignitate Dei abusus, singulorum remissionis acceptæ ingratus existit. In *Decret.*, part. 2 *de Pœnit.*, dist. 4, can. *Qui recedit.* GRATIANUS.

57. Peccator post veniam ad mentem suam redeat, ne iterum quo juste feriatur admittat. Lib. 8 *Moral.*, super illud *Job* VII : *Sicut consumitur nubes.* S. GREGOR. MAGNUS.

58. Ille recte sui delicti veniam postulat, qui prius hoc quod in ipsum delinquitur, relaxat. Lib. 4 *Dialogi*, cap. 60.

59. A facie Dei projicitur, cui spes veniæ post peccatum negatur. Super *septem Psalm. Pœnit. in Psalm.* L, vers. 13 : *Ne projicias me*, etc.

60. Remissio peccatorum, opus Spiritus sancti est. *Ibid.*

61. O quam utilis est peccatorum remissio, quæ conversos non solum a peccatis liberos efficit, sed etiam alios a via impietatis et injustitiæ retrahit, flamma charitatis accendit. *Ibid.*, vers. 14 : *Docebo iniquos vias tuas*, etc.

62. Exerceat se in via Dei, cui Deus peccata dimisit, et exemplo suo peccatores quosque ad pœnitentiæ confugere remedium admoneat. *Ibid.*

63. Apud misericordem Judicem nequaquam sine venia culpa relinquitur, cum per fervorem zeli, ex ejus amore peccatur. Lib. 10 *Moral.*, cap. 5.

64. Non est sine vitio quod ignoscitur, et non præcipitur : peccatum profecto vidit, quod posse indulgeri prævidit. *Ibid.*, lib. 32, cap. 17, n. 20.

65. Delinquenti Dominus nequaquam parcit, quia delictum sine ultione non deferit : aut enim ipse hoc homo in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit : nequaquam igitur peccato parcitur, quia nullatenus sine vindicta laxatur. *Ibid.*, lib. 9, cap. 17, n. 27, super illud *Job* 9 : *Non parceres delinquenti.*

66. Citius culpa dimittitur, quæ nequaquam malitiæ studio perpetratur. *Ibid.*, lib. 10, cap. 5.

67. Deus aversum revocat, cum commissa non respicit : sed revertenti sinum pietatis expandit. Part. 3 *Pastor.*, cap. 1, admon. 29.

68. Ille recte sui delicti veniam postulat, qui prius hoc quod in ipso delinquitur, relaxat. Lib. 4 *Dialogi*, cap. 60.

69. Qui pœnitenti veniam spopondit, peccanti diem crastinum non promisit. Homil. 12 super *Evang.*

70. Sicut perseveranti culpæ debetur jure vindicta, ita resipiscentibus est venia concedenda. Lib. 7 in *Registro*, indict. 1, cap. 12, epist. 12, *ad Sabinianum episc. Jadertinum.*

71. Qui magna opera fecit, absolvi ex toto digne promeretur. Lib. 5 in I *Reg.*, cap. IV, super illud : *Qui fecit salutem hanc*, etc.

72. Plerumque plus virium habet discreta in coercitione remissio, quam in exequenda ultione districtio. Lib. 8 in *Registro*, indict. 3, cap. 16, epist. 16, *ad Clementinam patriciam.*

73. Si redemptor noster, qui peccatores non perdere, sed justificare venit, in oblivione peccantium delicta dereliquit : quis hominum condemnanda reservat ? *Ibid.*, lib. 7, ind. 2, cap. 53, epist. 53, *ad Secundinum.*

S. GREGO NYSSENUS

74. Me ad humanitatem hortaris, quam tu proximis non impertiris; remissionem debitorum petis. *Prosec.*

75. Deleri chirographum adversus te scriptum precaris, qui diligenter servas obnoxiorum pacta atque contractus.

76. Tabulas novas et abolitionem atque remissionem debitorum petis, qui per usuras æs alienum nutris et auges.

77. Tuus debitor est in carcere, et tu in oratorio : ille ob debita cruciatur, et tu remitti tibi debitum vis : exaudiri oratio tua non potest, superat enim sonus et strepitus vocis ejus qui cruciatur : si tu corporale debitum dimiseris, solventur tibi animæ vincula.

78. Si condonaveris, condonabitur tibi : ipse judex eris, ipse tibi legem feres, affectione qua tu obnoxium prosecutus fueris, sententiam per te ferens. Orat. 5, *de Oratione Dominica.*

S. HIERO

79. Quomodo in quotidiana prece unquam dicimus, Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, animo discrepante cum verbis, oratione dissidente cum factis ? Epist. 36 *ad Castorinam.*

80. Considera, o Christiane, si Dominus persecutorem suum et proditorem osculo suscepit, et pro crucifigentibus eum orat : nos pro fratribus nostris quid facere debemus ? Super *Psalm.* CVIII, vers. 4 : *Et odium pro dilectione mea.*

81. Unusquisque malitiæ proximi sui non meminerit, ne forte exigentes a conservis, etiam propria indulta reddere cogamur. Super *Epist. ad Coloss.*, cap. III in illud : *Si quis adversus aliquem*, etc.

HUGO A S. VICTORE

82. Quicunque rogatus a debitore, debitum cujuslibet injuriæ dimittere contemnit, in vanum sibi a Domino dimitti debitum peccati sui petit. *De Orat. Dom.*, cap. 2.

83. Quare in loco remissionis inducis litem contradictionis ? Lib. 2, *de Claustro animæ*, cap. 21.

84. Tardius videtur Deo peccatori veniam dare, quam ipsi peccatori accipere. Lib. 2, *de Anima*, cap. 3.

85. Nullus tantum potest peccare, quantum Dei potestas valet dimittere. *Ibid.*, lib. 4, cap. 17.

S.INNOC.I

86. Ex divina justissima dispensatione procedit, ut sicut aliquando indulgentia peccatorum postulata differtur, sic interdum præstita nesciatur. Super *Psalm.* VI, vers. 3.

87. Mortale peccatum quandoque dimittitur quantum ad culpam, et quantum ad pœnam, sed non omnino quantum ad pœnam. Super *Psalm.* XXXI, vers 2.

88. Hi qui debitoribus non dimittunt, hæc oratio Dominica non videtur prodesse, quinimmo videtur obesse. *Prosec.*

89. Nam qui sic petit sibi dimitti sicut debitoribus suis ipse dimittit; profecto si non dimittit ipse debitoribus suis, videtur petere ut sibi non dimittatur. Lib. 5 *Myster. Missæ*, cap. 23.

N. CASS. 90. Quisquis in se delinquenti fratri non ex corde dimiserit, non indulgentiam, sed condemnationem deprecatione hac sibimet impetrabit. *Prosec.*

91. Ideoque si clementer volumus judicari, nos quoque erga illos, qui in nos deliquerunt, oportet esse clementes.

92. Tantum enim remittetur nobis, quantum nos remiserimus eis qui nobis (quacunque malignitate) nocuerunt.

93. Dum erga eos non vult Deus immitis atque inexorabilis inveniri, formam sui judicii designavit, ut quemadmodum nos ab illo judicari cupimus ita nostros fratres (si quid in nobis deliquerint) judicemus; quia judicium sine misericordia fiet ei qui non fecerit misericordiam. Collat. 9, *Abbat. Isaac*, cap. 22.

IOANNES RYSOST. 94. Magna et ineffabilis Dei misericordia est, cum in se peccatum commissum est, ad nudas tantum preces totum remittit. Homil. 27 super *Gen.*

95. Grave est hominem instructum delinquere, gravius, absolutum peccare. Homil. 2, *de Lapsu primi hom.*

96. Nihil charitatem ita continet atque conservat, ut commissorum adversus te peccatorum oblivio. Homil. 80 super *Matth. Oper. perf.*

97. Quid est perniciosius quam difficilem esse ad ignoscendum? Homil. 20, *ex Divers. in Matth.*

98. Est multo majus quam corpora suscitare, peccata remittere. Homil. 40 super I *Cor.*

99. Quomodo poteris ita dispositus, non dimittendo peccata proximi, peccatorum tuorum petere veniam? si in se patrata non dimittentibus, nec Deus ipse peccata dimittit, qualem dabit remissionem? Homil. 53 *ad popul. Antioch.*

JOANNES AMASC. 100. Ignoscamus ut nobis ignoscatur: remittamus, ut remitti nobis postulamus. *Prosec.*

101. Dimitte tu, cui dimissum est: misericordia afficere, qui misericordiam es consecutus. Lib. 1 *Parall.*, cap. 11.

N. GERS. 102. Nullum peccatum potest remitti, nisi per hoc quod Deus liberaliter non imputat illud ad peccatum. *De vita spirit. animæ*, lect. 1, corollar. 9

JOAN. RITH. 103. Hostem in se nutrit qui subdito delinquenti nimis ignoscit. In cap. 2 *Regulæ S. Bened.*, verbo *Sicut.*

104. Frustra orat Deum pro peccatis suis, qui non indulget proximo suo veniam precanti. *Ibid.*, in cap. 4, verbo *Ira.*

105. Qui male agere non desistunt, vana spe indulgentiam de Dei pietate requirunt, quam recte quærerent, si ab actione prava cessarent. Lib. 2 *de Summo bono*, cap. 4, sent. 1. S. ISIDORUS

106. Cito est ignoscendum cuiquam, dum veniam postulat: non enim possunt peccata dimitti ei qui in se peccanti debita non dimittit. *Ibid.*, lib. 3, cap. 27, sent. 5.

107. Ne consequendæ veniæ spe atque expectatione perpetuo pecces, verum a peccato abstinendo securitatem tibi compara. *Prosec.* S. ISIDORUS PELUSIOTA.

108. Multi enim veniæ spe, multis sceleribus admissis, veniam minime assecuti sunt: ut qui nec ad meliorem frugem se receperint, nec etiam veniam impetrarint. Lib. 2, epist. 123.

109. Magna est misericordiæ merces, cui Deus pollicetur peccata se omnia remissurum. *Prosec.* LACT. FIRM.

110. Nec tamen, quia peccata largitione tolluntur, dare tibi licentiam peccandi putes.

111. Abolentur enim, si Deo largiare, quia peccaveras: nam si fiducia largiendi pecces, non abolentur. Lib. 6 *de Divin. Inst.*, cap. 12 et cap. 13.

112. Facinoribus ignoscere, crudelitatis est potius, quam pietatis. Lib. *de Ira Dei*, cap. 17.

113. Judex peccatis veniam dare non potest, quia voluntati servit alienæ: Deus autem potest, quia est legis suæ ipse disceptator et Judex. *Ibid.*, cap. 19.

114. Nulli Christiano quemquam odisse permittitur, quia nemo, nisi in remissione peccatorum salvatur. Serm. 10 *Quadrag.* S. LEO PAPA I.

115. Quantælibet existant causæ offensionis, ab homine tamen in hominem, non tam delicti magnitudo, quam naturæ est cogitanda communio, ut de judicio quo alterum judicat, misericordiam Dei judicantis obtineat. Serm. 9 *Quadrag.*

116. Remittamus, ut remittatur nobis: demus veniam quam rogamus, et non studeamus vindicari, qui nobis precamur ignosci. Serm. 1 *Quadragesimæ.*

117. Remissio peccati non dat licentiam delinquendi, nec quod potuit aliqua ratione concedi, fas erit amplius impune committi. Epist. 87, *ad Episc. Afric.*

118. Plenissima peccatorum obtinetur abolitio, quando totius Ecclesiæ una est oratio, et una confessio. Serm. 3, *de Jejun. septimi mensis.*

119. Qua fronte vis ut tibi Deus dignetur dimittere multum, cum tu non aquiescis dimittere parum? Serm. *de Martyribus.*

120. Fasciculus stuparum in ingentem ignem missus non ita repente incenditur, quam repente LUDOVICUS BLOSIUS.

Deus peccatis nostris propter ineffabilem misericordiam suam ignoscit, dum vere nos pœnitet. In *Canon. vitæ spirit.*, cap. 2.

S. PACIANUS EPISC. BARCINON.

121. Nunquam Deus non pœnitenti comminaretur, nisi ignosceret pœnitenti. Epist. 1 *ad Sympronian.*

S. PETRUS CHRYSOL.

122. Prima est felicitas, in peccatorum turpitudinem non venisse : sed felicitas est secunda, peccatorum veniam, peccatis latentibus invenisse. Serm. 34.

123. O homo! si sine peccato esse non potes, et vis semper tibi dimitti totum, dimitte semper. *Prosec.*

124. Quantum vis dimitti tibi, dimitte tantum: quoties vis dimitti tibi, toties tu dimitte : immo quia vis totum dimitti tibi, totum dimitte. *Ibid.*, serm. 67, *de Orat. Dom.* super illud . *Et dimitte nobis*, etc.

125. Dimitte delinquenti in te totum, si vis ipse de tuis nihil Domino debere delictis. *Ibid.*, serm. 70.

126. Se peccatorem, peccaturum se homo cogitet : et tunc incipit amare veniam, non amare vindictam. *Prosec.*

127. Audis tu, quia remittere debeas : et quia tibi remitti debeat, non audis.

128. Peccabis et tu illi cras, qui tibi hodie peccavit : et erit tibi Judex, qui tibi erat ante reus : et reddet tibi veniam, si dedisti : si non dedisti, aut negabit veniam ; aut si dederit, imputabit amplius, quam donabit.

129. Remitte peccanti, remitte pœnitenti : ut cum tu peccaveris, repensetur in venia, non donetur.

130. Bona semper venia : sed tunc dulcissima, cum debetur.

131. Vicit pœnam, Judicem prævenit, evasit judicium, qui remittendo ante sibi veniam, quam delinquere prævidit. *Ibid.*, serm. 139.

132. Sicut felix ille, qui septies remisit : ita felicior est ille qui septuagesies septies remisit. *Ibid.*

S. PROSPER

133. Non frustra sperat parcendum peccatis suis, qui ignoscit alienis. Apud D. Augustin., sent. 38.

134. Bene currit ad remissionem peccatorum, qui displicet sibi. *Ibid.*, sent. 187.

THEOPHILACTUS.

135. Habet me Deus ut exemplar, et quod facio alii, facit et mihi : si dimittam, ipse mihi dimittet. Super *Matth.*, cap. 6 in illud : *Et dimitte nobis debita nostra*, etc.

S. THOMAS AQUINAS.

136. Nullius peccati remissio fieri potest, nisi per virtutem Passionis Christi. Part. 3, quæst. 69, art. 1.

137. Christus non potest decipi : ergo si dicis, dimitto ore, adimpleas corde. Opusc. 7 super *Pater noster*, petit. 5.

138. Nulla est major misericordia, quam offendenti dimittere. Opusc. 9, *de Dilect. proximi*, verbo *Diliges*.

139. Impium est a Deo dimidiam sperare veniam. *Ibid.*, verbo *Jam*.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTE[LES]

140. Anima de peccato commisso pudens, consequitur a Deo veniam. Lib. 1 *Theolog.*, cap. 4.

141. Parva peccata, etsi voluntaria fuerint, ignoscenda : si quis vero per ignorantiam deliquerit, commonefaciendo corrigatur. Lib. 2 *Œconom.*, cap. 2.

CATO POE[TA]

142. Servorum ob culpam, cum te dolor urget [in iram ;
Ipse tibi moderare, tuis ut parcere possis.
Lib. 1 *Distichor.*, metr. 72.

SENECA

143. Faciet nos moderatiores respectus nostri, si consuluerimus nos : numquid et ipsi tale quid commisimus? numquid sic erramus? Lib. 2 *de Ira*, cap. 28.

144. Optimum est, semper ignoscere, tanquam si ipse pecces quotidie. In suis *Proverbiis in fine positis*.

145. Res magnæ clementiæ est, indulgendo corrigere peccata, magis quam vindicando. *Ibid.*

Vide etiam tit. *Dilectio inimici*, sent. 52 ; *Misericordia*, sent. 61, 62 ; *Pœnitentia*, sent. 200 ; *Restitutio*, sent. 16 ; *Spectaculum*, sent. 26 ; *Venia*, fere per totum ; *Virtutes theolog.* sent. 70.

A PECCATO RESURRECTIO.

Vide RESURRECTIO A PECCATO.

PECUNIA.

S. ANTON[INUS]

Definitio. Potest pecunia dici quidquid pretio temporali æstimari seu mensurari potest. Part. 2, tit. 1, cap. 4, § 2.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBR[OSIUS]

1. Gravis culpa, si tempore periculi quo rapitur ad mortem justus, plus apud te pecunia tua valeat, quam vita morituri. Lib. 1 *Offic.*, cap. 30.

2. Pecunia facile consumitur, pecunia minuitur, et cito deficit, atque ipsam destituit benignitatem ; ut quo pluribus largiri volueris, eo pauciores adjuves : et sæpe tibi desit, quod aliis conferendum putaveris. Lib. 2 *Offic.*, cap. 5.

3. Melius operatur pecunia in pauperis cibo, quam in divitis sacculo. *Prosec.*

4. Cave ergo ne intra loculos tuos includas salutem inopum, et tanquam in tumulis sepelias vitam pauperum. *Ibid.*, cap. 16.

5. Hoc malum jam dudum humanis influxit mentibus, ut pecunia honori sit, et animi hominum pecuniarum admiratione capiantur. *Ibid.*, cap. 21.

6. Multo melius est salutem habere sine pe-

cunia, quam pecuni m habere sine salute. *Ibid.*, cap. 25.

7. Aurum Ecclesia habet, non ut servet, sed ut eroget et subveniat in necessitatibus. *Ibid.*, cap. 28.

8. Malo vos pecunia minores esse, quam gratia, Lib. 5, epist. 31, *ad Valentinianum Imperat.*

9. Pecuniam habent et non habent, qui usum ejus ignorant, pretium nesciunt, figuram et formam ejus non cognoverunt. *De Tobia*, cap. 19.

10. Vilis est pecunia, sed fit pretiosa per fidem: vilis est cum conditur, pretiosa cum dispergitur. Super *Psalm.* xxxvii.

11. Cito turpem sequitur lepra mercedem, et pecunia corpus animumque male quæsita commaculat. Lib. 4 super *Luc.*, cap. 4 in illud: *Nemo eorum mundatus est*, etc.

ANTONIN. 12. Proprius actus liberalitatis, est bene uti pecunia. Part. 4, tit. 5, *de Justitia*, cap. 17, § 1.

AUGUST. 13. Pecunia a malis male habetur, et a bonis tanto melius habetur, quanto minus amatur. Epist. 54 *ad Macedon.*

14. Perde, inquit Salomon, pecuniam propter amicum; si enim pecunia perdenda est propter amicum, multo magis amici utilitatibus vel necessitatibus conferenda. *De Amicitia*, cap. 25.

15. Ipsa pecunia in omnibus rebus est, quæ ab hominibus nomine pecuniæ possidentur. Lib. 7 *de Civit. Dei*, cap. 12.

16. Perversi frui volunt nummo, uti autem Deo: quoniam nummum non propter Deum impendunt, sed Deum propter nummum colunt. *Ibid.*, lib. 11, cap. 25.

17. Quid tam incertum, quam res volubilis? nec immerito ipsa pecunia rotunda signatur, quia non stat. Super *Psalm.* lxxxiii.

18. Quid vanius eo, qui putat plus valere nummum, quam Deum? Super *Psalm.* li, vers. 7, *Et prævaluit in vanitate sua.*

19. Quam male utuntur mali auro? judicia cornmpunt, innocentes opprimunt. Tractatu 27, super *Evang. Joan.*, de cap. 16.

20. Totum quidquid homines possident in terra, pecunia vocatur: servus sit, vas, ager, arbor, pecus; quidquid horum est, pecunia dicitur: et ideo pecunia, quia antiqui totum quod habebant, in pecoribus habebant; a pecore pecunia vocatur. *De disciplina christiana*, cap. 1.

21. Pecunia tunc magis prodest, quando contemnitur, ut ipsa sua conditione testetur, quia mala rei hujus possessio, cujus abdicatio fructuosa est. *De Verbis Apost.*, serm. 26.

22. Pecunia quæ servatur, casibus servit: quæ autem in misericordia reservatur, præmium futurum acquirit. Serm. 1, *Fer.* 3, *post Dom.* 2 *Quadrag.*

23. Pecuniæ nomine continentur omnia, quorum jure domini sumus, et quorum vendendorum atque donandorum habere potestatem videmur. Lib. 1 *de Lib. arbitr.*, cap. 15.

24. Si pecuniæ ratio socios facit, quanto magis ratio naturæ, non negotiandi, sed nascendi lege communis? Epist. 52.

25. Pecunia cum recipitur, accedit cui datur, sed recedit a quo datur. Epist. 62.

26. Non sic impenditur charitas ut pecunia, impendendo enim illa diminuitur, hæc augetur. *Ibid.*

27. Si quis pro Religione aliquid pecuniæ offerre voluerit, in præsenti pauperibus eroget. Epist. 64.

28. Integritas Judicis solet pecunia corrumpi. Epist. 230.

29. Non est parva justitia, quam in parva pecunia custodire debemus. Lib. 4 *de Doctr. christ.*, cap. 18.

30. Si in pecunia corporali, quanto magis in spiritali hilarem datorem diligit Deus? *De Catechis. rudib.*, cap. 2.

31. Propter pecuniam sunt artifices multi. Lib. 7 *de Civit. Dei*, cap. 3.

32. Dicimus divites, sapientes, justos, bonos, quibus pecunia vel nulla est, vel parva. *Ibid.*, cap. 12.

33. Aliud sunt divitiæ, aliud pecunia. *Ibid.*

34. Noli sub imagine pietatis augere pecuniam. *De decem Chordis*, cap. 12.

35. Pecuniam amas, Deum tuum ama; pecunia te non facit beatum. *De Discipl. christ.*, cap. 9.

36. Pulchrior est iste sol, quam pecunia tua; et tamen iste sol non est Deus tuus. *Ibid.*

37. Ama Deum tuum tanquam pecuniam: injuriosum est ut sapientia pecuniæ comparetur; sed amor amori comparatur. *Ibid.*, cap. 10.

38. Quod præcepit Dominus non cogitandum esse de crastino, non ad hoc fuit præceptum, ut nihil pecuniæ servetur à sanctis; sed ne Deo pro ista serviatur, et propter inopiæ timorem justitia deseratur. Tractatu 62 super *Joan.*, de cap. xiii.

39. Peccas propter pecuniam, hic dimittenda est. Homil., 42, *ex Quinquaginta homil.*, cap. 8.

40. Homo quando pecuniam accipit, gaudet: quando reddit, plangit. *Ibid.*, homil. 48, cap. 3.

41. Qui pecuniam diligit, quantum amat pecuniam, tantum timet ne perdat pecuniam. Tract. 43 super *Joan.*

42. Pecuniam aliquis quærit, non sit ibi finis. Tract. 10, super epist. *Joan.*

43. Pecunia tunc fit pretiosa, cum pro Dei amore translata in alios, desinit possideri. In suis *Proverb.*, verbo *Pecunia.* V. BEDA.

44. Pecuniæ imperare oportet, non servire. *Ibid.*, verbo *Pecuniæ.*

45. Qui veritatem pro pecunia negant, Deum, qui veritas est, pecunia vendunt. Lib. 4, super *Marc.*, cap. XIV, in illud : *Promiserunt ei pecuniam*, etc.

S. BERNARD. 46. Tali quadam arte spargitur æs, ut multiplicetur : expenditur ut augeatur, et effusio copiam parit. *Prosec.*

47. Opes opibus hauriuntur: pecunia pecuniam trahit. In *Apologia ad Guillelm. Abbat.*, verbo *Dicitur.*

BOETIUS. 48. Pecuniæ effundendo magis, quam coacervando melius nitent. Lib. 2 *de Consolat. philos.*, prosa 5.

49. Tunc est pretiosa pecunia, cum translata in alios, largiendi usu desinit possideri. *Ibid.*

50. Nihil habet suapte natura pecunia, ut his a quibus possidetur invitis nequeat auferri. *Ibid.*, 3, prosa 3.

S. BONAV. 51. Felix qui perdit pecuniam, ut cum ea perdat miseriam : infelix qui perdit vitam æternalem, ne perdat pecuniam temporalem. Expos. 2, super *Psalm.* CXVIII, cap. 2, vers. 3, art. 3.

52. Heu quanti pecuniis suis emunt sibi famem animæ, non saturitatem ! Serm. 4, *Dom.* 6, *post Pent.*

53. Si de homine dicitur quod universa vanitas omnis homo vivens, propter quem pecunia facta est, quanto magis ipsa pecunia vanitas est? Serm. 1, *de pluribus Conf.*

CLEMENS ALEX. 54. Non est paupertas pecuniæ paucitas, sed insatiabilitas. Lib. 2, *Stromat.*

S. CYPRIAN. 55. Pecunia arridet ut sæviat, blanditur ut fallat, allicit ut occidat, extollit ut deprimat. Epist. 2, *ad Donat.*, cap. 9.

56. Servas pecuniam, quæ te servata non servat. *De Eleemosyna.*

S. FRANCIS. ASSISIAS. 57. Pecunia servis Dei, nihil aliud est quam diabolus, et coluber venenosus. In suis *Opusc. Apophthegm.* 38.

S. GAUDENT. 58. Gravis pecuniarum sarcina est, quæ tenacium sui mentes avaritiæ pondere ad terram deprimit. In *Respons. ad Germinium.*

GLOSS. INT. 59. Pecuniæ mortificant animas, quæ non moriuntur; et vivificant corpora, quæ non vivunt. Super *Ecclesiasten*, cap. 10.

GLOSS. ORD. 60. Fraude acquisita pecunia, animæ damnum, non lucrum addit : immo plus damni est in anima, quam lucri in arca. Super *Prov.*, cap. 12, in illud : *Non inveniet fraudulentus lucrum.*

S. HILAR. 61. Laqueus est pecunia. Super *Psalm.* CXXIII.

62. In pecunia honor est sæculi. Super *Matth.*, can. 33.

HUGO A S. VICTORE. 63. Argentum candidum est, mundum, dulcem habet tinnitum, attractivæ naturæ est. Lib. 4, *de Proprietate rerum*, cap. 2.

64. Pecunia est quasi lignum quod quanto plus fuerit, non extinguit ignem, sed auget. Super *Ecclesiasten*, cap. 5.

HUGO A S. [illegible] 65. Quinque sunt fructus pecuniæ. Primus est copia, seu plenitudo cordis. Secundus est redemptio animæ ipsius possidentis. Tertius est emptio regni cœlorum. Quartus est patrocinium, sive suffragium pauperum. Quintus est vitæ præsentis ac futuræ promissio. *Ibid.*

66. Sicut sapientia non protegit, nisi cum fuerit operata, et associata eruditioni : sic pecunia tunc primo protegit, cum fuerit eroga[illegible]sita distributioni. *Ibid.*, cap. 7.

67. Magna abbatissa est pecunia, et magnum conventum habet, cui omnia obediunt. *Ibid.*, cap. 10.

68. Pecunia aqua est : aqua enim labilis est et insipida, non mota putrescit; ita et pecuniæ distributæ prosunt, sed retentæ et reservatæ putrescunt. *Prosec.*

69. Aqua non satiat, sed inflat : similiter pecuniæ non replent desiderium, sed inflationem superinducunt. *Ibid.*

S. JOANNI CHRYSOST. 70. Possessio multarum pecuniarum nihil aliud affert quam curarum incrementa, occupationes mentis et vigiliam. Homil. 50, super *Gen.*

71. Pecuniarum abundantia virtuti plurimum obstat. *Ibid.*, homil. 66.

72. Nesciunt pecuniis uti juvenes ut oportet, et cum nolunt eis bene uti, in periculum certum suæ perditionis se præcipitant, sarcinam peccatorum inde colligentes. *Ibid.*

73. Ex imperitia illorum, qui nesciunt bene pecuniis uti, nascuntur deliciæ, absurdæ voluptates, et infinita mala. *Ibid.*

74. Melius servatur pecunia, cum in dextera pauperis collocatur : hanc calumniator non extorquebit, invidus non criminabitur, non auferet latro, sed semper est tuta, semper integra, semper salva. *Prosec*

75. Nullus alius locus ita munitus est ad conservandam pecuniam, sicut pauperum venter. Sermon 1 *de Jejuniis et Geneseos lectione.*

76. Privatus es pecunia ? si gratias egeris Deo, mortalem diabolo plagam intulisti. Homil. 5 *de Patientia Job.*

77. Qui pecuniæ servit, præsentibus compedibus stringitur, et futuris perpetuo erit obnoxius vinctusque. Homil. 12, super *Matth. Oper. perf.*

78. Nihil est amentius, nihil deterius eo qui pecuniæ servit : dominari videtur, cum serviat : imperare cæteris creditur, cum a vilissima metallorum sibi materia imperetur. *Ibid.*, Homil. 25-

79. Nihil pecuniarum acervus à stercoris cumula distare videtur : imo vero multo præstantior hic quam ille, *Ibid.*, homil. 64.

80. Quamobrem pecuniam accumulas? Nonne ut locuples evadas? Noli ergo pecunias conservare, et veris divitiis potieris. *Ibid.*, homil. 66.

81. Nihil amentius est, quam pecuniam in hac vita colligere, et nudos homines proficisci, ubi maxime benignitate indigent, ubi misericordia opus est. *Ibid.*, homil. 79.

82. Pecunia si amentem hominem invenerit, insanum omnino facit : si lascivum, in majorem impellit luxuriam. *Ibid.*, hom. 84.

83. Qui pecunias possident, his bene utantur ad frugalitatem, ut decet : hoc est, tanquam domini, non tanquam servi : et eas possideant, non ab his possideantur; his utantur, non abutantur. Homil. 18 super *Joan.*

84. Nullus curet pecunias possidere : sed cura una sit, ut diligatur, utque bonum nomen habeat. Quandoquidem illud manet, hæ autem dispereunt : et has quidem parare possibile est, illud autem difficile. Homil. 40 super *Acta Apost.*

85. Sicut radix in pingui plantata solo, singulis annis affert fructus : sic pecunia in manibus pauperum plantata, non solum in singulos annos, sed et in singulos dies spirituales fructus affert. Homil. *in Dictum Apost.* : *Oportet et hæreses esse.*

86. Pecuniarum tyrannis non solum adversus vivos, sed et mortuos dexteras armat. Serm. 11 super *Epist. ad Romanos.*

87. Quidquid uspiam malorum inveneris, sive domum spectes, sive forum, sive judicia, sive senatorum conventus, seu quoquo tandem respicias, videbis ex pecuniarum tyrannide omnia nasci. *Ibid.*

88. Quantæ in pecuniis latent præstigiæ! inanimata materia est, caduca, infida earum possessio, formidinis plena et periculorum, cædis et insidiarum, inimicitiarum et odii, desidiæ et malitiæ plurimæ, denique terra sunt et cinis. Hom. 23 super I *Cor.*

89. Pecuniæ vanæ sunt, quando deliciis consumuntur : vanæ vero non sunt, quando in pauperes sparguntur. Serm. 12 super *Epist. ad Ephes.*

90. Pecuniæ jam sunt omnia; propterea corrupta sunt etiam omnia. *Ibid.*, serm. 20.

91. Pereant pecuniæ millies, imo non pecuniæ, sed mentes illæ quæ pecuniis uti nesciunt, et omnibus illas anteponunt. *Ibid.*

92. Pecunias nihil est acquirere : pecuniæ enim cum adsunt, non satis adjuvant : et cum desunt, nihil protinus obsunt. Homil. 1 super *Epist. ad Hebr.*

93. Pecunia adest ubique dura, ubique terribilis, dira, inclemens, impia, truculenta, et cum lupis et ursis ac leonibus ferocius sævit, suavis tamen hominibus videtur et amabilis. Hom. *Quod nemo læditur.*

94. Hæc major hominibus infelicitas est, quod quanto magis in pecuniarum sordibus volutantur, tanto majorem in his capiunt voluptatem. *Ibid.*

95. Pecuniæ χρήματα græca lingua dicuntur : quia non suffodere, sed uti probe eis debemus, cum χρῶμαι græce, latine utor dicamus. Homil. 50 super *Matth. Oper. perf.*

96. Pecunia ex rapina condita, mortuo asino gravius olet. Homil. 72 super *Joan.*

97. O infelix pecuniarum nimis violenta dominatio! imo verius; o nequitia singularis eorum, qui sponte pecuniis serviunt. Homil. 7 super I *ad Timoth.*

98. Si pecuniis, non ad quod opus est, uteris : pecuniarum tuarum servus effectus es. Homil. 2 super *Epist. ad Hebr.*

99. O pecunia quam dura es magistra! nihil tam asperum est, aut tam difficile, quin ipsum percipias, et facias quod obediatur tibi. Serm. *Dom.* 1 *post Epiph.* JOAN. GERS.

100. Fomes avaritiæ, pabulum mortis, contentionum præliorumque causa pecunia. Lib. 4 *de Nugis curial.*, cap. 3. JOAN. SAR.

101. Qui pecuniam abscondit in terra, diabolo domicilium facit. In cap. 2 *Regulæ S. Bened.*, verbo *Sollicitus.* JOAN. TRITH.

102. Vis pecuniam bene collocare, fac illam beneficium, fac humanitatem : largire pauperibus, quia salvum est quidquid pluribus profuit. Lib. 3 *de Divin. inst.*, cap. 23. LACT. FIRM.

103. Contemnenda est pecunia, et ad cœlestes transferenda thesauros. In *Epitome*, cap. *Dixi.*

104. Pecunia dominus iniquitatis est, qui inique humanis corporibus dominatur et mentibus. Serm. 126. S. PETRUS CHRYSOL.

105. Pecunia imperat gentibus, jubet regnis, bella mandat, comparat bellantes, sanguinem vendit, agit mortes, prodit patrias, urbes destruit, subdit populos, arces urget, vexat cives, foro præsidet, jus delet, fas nefasque confundit, violat virtutem, famam carpit, honestatem dissipat, solvit affectus, innocentiam tollit, pietatem sepelit, necessitudinem scindit, amicitiam subruit. *Ibid.*

106. Cedat, cedat terrena pecunia, ubi cœlestis thesaurus admittitur. Opusc. 12, cap. 4. S. PETRUS DAMIANUS.

107. Periculosior est animæ pecunia, cum acquiritur, quam cum ultro suppeditans, possidetur. *Prosec.*

108. In ista siquidem terreno more, est justa

possessio : in illa vero, feralis sæpe regnat ambitio. *Ibid.*, cap. 5.

109. Sicut qui Christum colit, vere Christicola dicitur : ita et qui nummis per custodiam servit non immerito nummicola perhibetur. *Ibid.* cap. 6.

110. Ipse ab ea quam possidet pecunia possidetur : qui dum in ea cor figere, eique pervigili deservire custodia, avaritia dominante, compellitur. Opusc. 24, cap. 4.

PHILO JUD.

111. Pecunia bono viro auctor bonorum est : malo autem, malorum. Lib. *de Plant. Noe.*

S. SIDONIUS EPISCOPUS.

112. Per fas nefasque crescere affectans, pecuniæ per avaritiam parcus est, per ambitum prodigus. Lib. 1, epist. 11, *ad Montium.*

S. VALER. EPISCOPUS.

113. Pars mendicitatis est, congestam secreto pecuniam possidere. Homil. 8 *de Misericord.*

114. Sine lucro est pecunia, quæ sacculo tenetur inclusa. *Ibid.*, homil. 13.

115. Nihil clausum constat, quod auro argentoque non pateat : nihil occultum, quod non pecunia indagante sit cognitum. *Ibid.*, homil. 20, *de Avarit.*

116. Haberet profecto integritas totum secretum, si in aliena domo proditrix pecunia non haberet ingressum. *Ibid.*

117. Sit unusquisque vestrum illa pecuniæ qualitate contentus, quæ gratiam salutis acquirat, non quæ causam damnationis accendat. *Ibid.*

S. ZENO EPISCOPUS ET MART.

118. Pecuniæ non jura, non leges, non honor ullus obsistit, quia quidquid aut emitur, aut distrahitur, liberum non est : non nobilitas, quia per hanc credit, hanc excolit, per hanc hoc sibi nomen invenit : non sanctitas, non munitio, quia nihil est tam sanctum, quod non violari, nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia possit : non necessitudo sanguinis, non amicitia, quia non suo merito, sed auri, argenti, facultatumque beneficio, quis aut amatur, aut odio est. Serm. 1 *de Avarit.*

119. Omne genus humanum suo interitu, suisque calamitatibus delectatur, viliorem habens animam, quam pecuniam : inde est quod justitia, honestas, pietas, fides, veritas perit. *Ibid.*, serm. 2.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL.

120. Ea vita, quæ pecuniis incumbit, violenta quædam est vita. Lib. 1 *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 5.

121. Sumptus quidem, datioque pecuniarum, est usus earum : acceptio vero conservatioque, possessio potius esse videtur. *Ibid.*, lib. 4, cap. 1.

122. Fieri non potest, ut is pecunias habeat, qui non adhibet diligentiam, ut paret ipsas. *Ibid.*

123. Nummus ex instituto factus est, ut pro indigentia sit. *Ibid.*, lib. 5, cap. 5.

124. Fortitudinis non est pecuniam parare, sed fiduciam animi. Lib. 1 *Polit.*, cap. 6.

125. Homines cuncta ad pecuniam convertunt, quasi hic sit finis. *Ibid.*

126. Nihil in mundo, quod non metiatur nummus. Lib. 5 *Moral.*, cap. 5.

CICERO.

127. Cujus omnis in pecunia spes est, ejus a sapientia est animus remotus. Lib. 4 *de Arte rhet. ad Herenn.*

128. Nihil est tam sanctum, quod non violari, nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia possit. Orat. 5 *in Verrem*, act. 1.

129. Malo virum qui pecunia egeat, quam pecuniam quæ viro. Lib. 2 *Offic.*, num. 71.

130. Nihil honestius magnificentiusque, quam pecuniam contemnere. Lib. 1 *Offic.*

131. Filiam quis habet? pecunia opus est : duas, majore : si plures, etiam majore ea si, ut aiunt, quinquaginta sint filiæ alicui, tot dotes magnam quærunt pecuniam. *De Paradox.*, cap. 6.

132. Male se res habet, cum quod virtute effici debet, id tentatur pecunia. Lib. 2 *Offic.*

133. Maxime admirandus est, qui pecunia non movetur, quod in quo viro perspectum sit, hunc dignum spectatu arbitramur. *Ibid.*

PLATO.

134. Pecuniæ furtum, vitium illiberale est : rapina vero, turpissimum. Sizygia 4, lib. 12, *de Legibus.*

SENECA.

135. Optimus pecuniæ modus est, qui nec in paupertatem cadit, nec procul a paupertate discedit. *De Tranquillit. animi*, cap. 8.

136. Pecuniæ etiam male creditæ, exactio est. Lib. 4 *de Benefic.*, cap. 39.

137. Pecunia ex quo in honore esse cœpit, verus rerum honor cecidit. Epist. 115.

138. Pecunia tot magistratus, tot Judices detinet, quot magistratus et judices facit. *Ibid.*

139. Majore tormento pecunia possidetur, quam quæritur. *Ibid.*

140. Sapiens nullum denarium inter limen suum admittet, male intrantem. *De Beata vita*, cap. 23.

141. Pecuniæ imperare oportet, non servire. *De Morib.*

142. Pecunia non satiat avaritiam, sed irritat. *Ibid.*

143. Homo semper indigens pecunia, scit cum ejus moribus convenire. *Ibid.*

144. Accepit ille grandem pecuniam, absque dubio superbiam accepit. *De Remediis fortuitor.*

145. Iste quem dominum pecunia æstimas, pecuniæ loculus est. *Ibid.*

146. Pecunia, si uti scias, ancilla est : si nescias, domina est. In suis *Proverb. in fine positis.*

SIXTUS PHILOSOPH. 147. Sapiens vir et pecuniæ contemptor, similis est Deo. *Sent.* 15.

THEMISTOC. PHILOSOPH. 148. Præstat habere viros egentes pecunia, quam pecuniam egentem viris. In suis *Sent.*, sent. 1.

Vide etiam tit. *Acquirere*, sent. 18; *Contemptus in genere*, sent. 1, 2; *Eleemosyna*, sent. 37, 38; *Judicii corruptio*, sent. 19; *Juventus*, sent. 28; *Magnanimitas*, sent. 10; *Modus*, sent. 52; *Mundus*, sent. 127; *Negotium*, sent. 39, 40; *Onus*, sent. 70; *Paupertas in genere*, sent. 56; *Pecuniarum cupiditas*, per totum; *Possessio*, sent. 37, 66; *Prodigalitas*, sent. 5; *Rapina*, sent. 18; *Simonia*, sent. 14; *Usura*, sent. 35, 47, 48.

PECUNIARUM CUPIDITAS.

HUGO A S. VICTORE. *Definitio.* Philargyria est, per quam singulari appetitu pecuniæ corradendæ, continentiæ fræna laxantur, interpretatur enim amor argenti. *De Fruct. carnis et spirit.*, cap. 8.

HUGO CARD. Pecuniarum cupiditas est sitis argenti, sive pecuniæ, quam habet febricitans, sive hydropicus. Super I *Timoth.*, cap. III.

JOAN. GERS. Pecuniarum cupiditas est vitium, quo quis appetit acquirere vel retinere pecunias contra rectam rationem. Part. 4 *de Descript. termin.*, cap. *Temperantia.*

JOAN. CASS. *Productio.* De Philargyria iram necesse est pullulare : quare ut extinguatur ira, philargyria calcanda est. Collat. 5, *Abbat. Serapionis*, cap. 10.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Cupiditatibus omnis divitiarum abundantia, inopia est. Lib. 10, epist. 82, *ad Vercellens. Eccles.*

2. Quo plus unusquisque acquisierit, plus sitit, et quasi quadam inardescit ebrietate cupiditatum suarum. *Ibid.*

3. Nec satietas unquam, nec finis aderit cupiditati. Serm. 81.

4. Nihil satis est divitum cupiditati : quanto ditior quis fuerit, tanto avidior ad possidendum. Lib. 1 *de Abraham*, cap. 3.

5. Quasi gradus quosdam cupiditas habet pecuniarum ; quo plures ascenderit, eo ad altiora festinat ; unde fit gravis ruina lapsura. *De Nabuthe*, cap. 2.

6. Pecuniarum cupiditas damnum suum putat, quidquid alienum est. *Ibid.*, cap. 3.

7. Auri cupiditas, materia perfidiæ est. Lib. 1 *de Apolog. David*, cap. 4.

S. ANTONIN. 8. Quanto magis pecuniæ concupiscentia crescit, tanto etiam minus habet quod ei sufficere possit. Part. 2, tit. 1, cap. 2.

9. Quanto pecuniarum cupiditas propinquior fit fini vitæ suæ, tanto majori cupidine inardescit. Part. 2, tit. 1, cap. 3, § 3.

S. ANTONIUS DE PADUA. 10. Non aliter satiatur cor hominis auro, quam corpus hominis aura. Serm. *Dom.* 6 *post Pascha.*

S. AUGUST. 11. Adolescentes amorem pecuniæ, totius suæ spei certissimum venenum esse credant. Lib. 2 *de Ordine*, cap. 8.

12. Pecuniæ cupidos videmus, ut ad desiderata perveniant, adeptisque non careant, soles, imbres, glacies, fluctus, et procellosissimas tempestates, aspera et incerta bellorum, immanium plagarum ictus, et vulnera horrenda, non inevitabili necessitate, sed culpabili voluntate perferre. *De Patientia*, cap. 3.

13. Quisquis servit mammonæ sua cupiditate implicatus, subditur diabolo, et non eum diligit, quis enim est qui diligat diabolum? sed tamen patitur. *De Serm. Domini in monte*, lib. 2.

14. Amatores pecuniæ quantis patienter laboribus doloribusque subduntur, a quantis se continent voluptatibus, sive cupiditate augendi pecuniam, sive timore minuendi : quanta lucrum sagacitate sectantur, et prudenter damna devitant. Lib. 4 *contra Julian.*, cap. 3.

15. Fieri non potest ut res deterior te faciat meliorem : homo es, deterius te est quidquid cupis, quo beatus esse desideras, aurum, argentum, quibus inhias acquirendis, possidendis, fruendis, inferiora sunt te, tu melior es, tu fortior es, et utique vis melior esse quam es, cum beatus esse vis, quia miser es. Super *Psalm.* XXXII, conc. 2, vers. 12.

16. Si secularibus viris est perniciosa cupiditatis industria, quanto magis illis perniciosior est, qui habitu et conversatione jam sæculares esse desierunt, qui totum quod vivunt, Domino Deo devoverunt. *De Conflictu vitior. et virtut.*, cap. 16.

17. Non solum vobis charissimis, verum etiam inimicis notissimum fiat, nulla nos cupiditate pecuniæ sordidari. Epist. 225.

18. Non essent homines amatores pecuniæ, nisi eo se putarent excellentiores, quo ditiores. Lib. 11 *de Genesi ad lit.*, cap. 15.

19. Qui pecuniam diligit, quantum amat pecuniam, tantum timet ne perdat pecuniam. Tract. 43 super *Joan.*

20. Si amas pecuniam, per avaritiam implicatus es : erit tibi avaritia catena pedum, ultra progredi non potes. Tract. 9 super *Epist. Joannis.*

21. Pecuniam aliquis quærit, non sit ibi finis. *Ibid.*, tract. 10.

S. BERNARD. 22. Divitiarum amor insatiabilis longe amplius desiderio torquet animam, quam refrigeret usu suo : ut pote quarum acquisitio quidem laboris, possessio vero timoris, amissio plena doloris invenitur. Serm. *de Convers. ad clericos*, cap. 12.

23. Nihil est pejus quam amare pecunias, hic

enim animam suam qui amat, venalem habet. Serm. 44 *ad Sororem.*

CLEMENS ALEX. 24. Arx vitii est, pecuniæ cupiditas. Lib. 2 *Pædag.*, cap. 3.

S. CYPRIAN. 25. Sitis divitiarum tantum miseris pectoribus assidet. *De Cardinal. oper. Christi*, cap. 4.

GLOSS. ORD. 26. Amatores pecuniæ, Deum amare non possunt : qui ergo Deum amat, pecuniam contemnit. Super *Luc.*, cap. XVI.

S. GREGOR. NAZ. 27. Viro pecuniarum cupido nulla est satietas, nec proximorum benevolentia, etiamsi plurimum argenti possideat. Super *Ecclesiast.*, cap. 5.

S. HIERON. 28. Qui amat pecuniam, Deum amare non potest. Epist. 29 *ad Algasiam*, quæst. 6.

29. Divitiarum amor insatiabilis est, expleri nescit. Epist. 1 *ad Demetriad.*

30. Quid agis, cæca cupiditas? quid crudelis in parvulo? quid sæva in alieno filio? ordinem naturæ et religionis evertis. *Prosec.*

31. Judicio mentis everso, per aurum libidini mancipatur : qui eodem astu acquirit solidum, quo animam perdet, lucratur imperatoris imaginem, et amittit imaginem Christi.

32. Vis nosse quam perniciosus sit amor habendi, et amor requirendæ pecuniæ? per hunc Judas tradidit Salvatorem.

33. Quanti inter nos Judæ Judam damnant? quanti in semetipsis cum per cupiditatem suas animas æternis cruciatibus tradunt, et traditores fiunt pariter et occisi? Epist. 37 *ad Pammach. et Ocean.*

S. HILAR. 34. Radix maxime iniquitatum, in pecuniæ cupiditate est, quam qui appetit, gravissimæ tempestatis naufragio mergitur. In explanat. super *Psalm.* LXI.

35. Magnæ in pecuniarum cupiditate desiderii et amoris illecebræ sunt : rapiunt ingenia, mentesque pendulas apprehendunt. *Ibid.*

36. Pecuniæ æstus, diaboli sunt arma atque virtutes. Super *Psalm.* CXXXVIII.

HUGO CARD. 37. Pecuniarum cupiditas, quo magis arcam implere desiderat, eo amplius mentem evacuat. Super *Prov.*, cap. XXI.

38. Nihil scelestius quam ecclesiasticum virum amare pecuniam. *Ibid.*, cap, 29.

39. Amor divitiarum guttur mentis suffocat, et claudit ne bonum desiderium possit per illud intrare. Super *Luc.*, cap. VIII.

40. Qui febricitat, nunquam impletur, sic et concupiscentia pecuniæ semper sitit. Super II *Timoth.* III.

IDIOTA. 41. Terrenarum divitiarum amor insatiabilis est, et longe amplius desiderio torquet animam, quam refrigeret usu suo. Lib. 1 *Contemplat. de Amore Dei*, cap. 33.

42. Qui divitias amat, Dominum amare non potest : sed cum ipsis labentibus, labitur in perditionem : et qui eis innititur per amorem, cum ipsis defluit in mœrorem. *Ibid.*

43. O ignis inextinguibilis, cupiditas insatiabilis! Quis autem cupidus primo fuit voto contentus? *Prosec.* S. INNOC. III

44. Insatiabilis est oculus cupidi : cum enim adipiscitur, quod optaverat, desiderat ampliora, semper in habendis non habitis finem constituit. Lib. 2 *de Contemptu mundi*, cap. 6.

45. Vis, o cupide, scire quare semper es vacuus, cur nunquam impleris! si vis satiari, desinas esse cupidus : quia dum cupidus fueris, satiari non poteris. *Ibid.*, cap. 7.

46. Quam multos seduxit pecuniarum cupiditas, quam plures perdidit! *Prosec.*

47. Balaam asella redarguit, quia captus cupiditate promissorum disposuerit maledicere Israel.

48. Achar populus lapidavit, quia tulit aurum et argentum de anathemate.

49. Naboth interemptus est, ut Achaz ejus vineam possideret.

50. Giezi lepra percussus est, quia petiit et recepit aurum et argentum, et vestes sub nomine Helisæi.

51. Judas laqueo se suspendit, quia propter pecuniam vendidit et tradidit Christum.

52. Ananiam et Saphyram subitanea mors extinxit, quia de pretio agri defraudaverunt apostolos. *Ibid.*, cap. 9.

53. Omnis pecuniarum cupidus contra naturam nititur, et molitur : natura enim adducit pauperem et immundum, natura pauperem reducit a mundo ; cupit autem, cupit et curat fieri dives in mundo. *Ibid.*, cap. 16.

54. Pecuniarum non solum vitanda est possessio, sed etiam desiderium earum radicitus extirpandum. Lib. 5 *de Cœnob. inst.*, cap. 10. JOAN. CAS

55. Non pecunias sufficit non habere, quod plerumque solet, etiam ex necessitate descendere : sed ne ipsam quidem, si forte oblatæ fuerint, habendi recipere voluntatem. *Ibid.*

56. Hic philargyriæ morbus, quanto accedens facilius potest respui, tanto neglectus et intromissus cordi, fit perniciosior cunctis, difficiliusque propellitur. *Prosec.*

57. Malorum omnium efficitur radix, multiplices fructificans fomites vitiorum. *Ibid.*, lib. 7, cap. 2.

58. Philargyria receptaculum est vitiorum, et inextricabilis nequitiæ fomes. *Ibid.*, cap. 6.

59. Cum pecuniæ incremento rabies cupiditatis augetur. Tanto enim avidior fames accrescit auri, quanto summa lucri major apponitur. *Ibid.*, cap. 7.

60, Non tam effectus philargyriæ vitandus est, quam affectus ipsius radicitus amputandus. *Ibid.*, cap. 21.

61. Vis nosse quam perniciose, quam noxie fomes iste philargyriæ, nisi fuerit diligenter excisus, ad ejus interitum, qui eum conceperit, fructificet et omnigenis pullulet ramusculis vitiorum? Respice Judam, qui nequaquam esset ad tam scelestum proditionis facinus devolutus, si non philargyriæ morbo fuisset infectus. *Ibid.*, cap. 23.

62. Philargyriæ morbus, sicut potest perfacile declinari, ita si quemquam possederit, ad sanitatis remedia vix pervenire concedit. *Ibid.*, cap. 6.

JOANNES RYSOST. 63. Pecuniæ concupiscentia telum est diaboli. Hom. 3 super *Genes.*

64. Pecuniarum aviditas mentem obtenebrat. *Ibid.*

65. Si cupiditate pecuniarum aliquis capiatur, superos et inferos continuo contemnit, modo his obsequatur. Hom. 4 super *Matth. Oper. perf.*

66. Quid est hac peste iniquius, quidve rixosius? non solum dico de materia pecuniarum, sed de importuna ista cupiditate hominum atque furiosa. *Ibid.*, homil. 9.

67. Sicut palea ignem, sic pecuniæ cupiditas avaritiæ flammam incendit, et quasi cœnum inquinat possidentes. *Ibid.*, hom. 40.

68. Tam atrox est pecuniarum cupiditas, ut licet virtutis aliqui sint alumni, nihil tamen earum appetitione impediti proficere possint. *Ibid.*, hom. 64.

69. Accessione pecuniarum, cupiditas habendi magis atque magis adeo inflammatur, ut rerum copia crescente; paupertas quoque augeatur : nam qui majori desiderio ardent, egere se magis sentiunt. *Ibid.*

70. Qui pecunias despicit, is cupiditati terminum constituit : qui vero ditari desiderat, plurimas in dies conquirit, et majore siti compulsus, nunquam ad finem deveniet. *Ibid.*

71. Facilius est volare, quam acquisitione, ac accessione pecuniæ, cupiditatem habendi terminare. *Ibid.*

72. Multas domos pecuniarum cupiditas evertit, multa bella concitavit, et laqueo plerosque abrumpere vitam coegit. *Ibid.*

73. Ex desidia solum originem trahit, inde nascitur, inde augetur, inde conservatur terribilis bellua cupiditas pecuniarum. *Ibid.*, homil. 81.

74. Pessima est omnium hæc passio cupiditatis pecuniarum, terrarum pestis, urbium pernicies, singularum calamitas est. *Ibid.*

75. Nullus dubitabit facilius posse a paupertate, quam in rerum copia pecuniam despici; ac multo magis a divitibus, quam a pauperibus magnitudinem pecuniæ posse concupisci. *Ibid.*

76. Cupiditas pecuniarum majori cumulo rerum minime potest extingui, sed e contra inflammari atque incendi solet. *Prosec.*

77. Quemadmodum ignis addita materia magis effertur, sic pecuniarum cupiditas adjectione auri magis extollitur. *Ibid.*

78. Qui magis amat pecuniam, magis concupiscit : qui porro magis concupiscit, hic pauperior est : quia qui plura expetit, inops est, et maxima paupertate deprimitur. *Prosec.*

79. Ubi satietas est, cupiditas esse non potest : ex indigentia enim cupiditas originem trahit. *Ibid.*

80. Insatiabilis pecuniarum cupiditas homines facit vecordes, furiosos, ex pecunia penitus pendentes, qualis et Judas factus fuit. *Ibid.*, hom. 82.

81. Pecuniæ cupiditas tenebra est, qua efficitur, ut aliter quam se habeant res videantur. *Ibid.*, homil. 84.

82. Omni tyranno gravior est pecuniarum cupiditas : nullam enim voluptatem veram habet, sed curas, invidiam, insidias, calumnias, et innumera virtutis impedimenta. Homil. 58 super *Joan.*

83. Pecuniarum cupiditas dæmone est gravior, qua multi persuasi sunt, quam illi ab idolis, quibus non omnia parent : huic vero omnia, et quodcunque faciendum suggerit, obsequuntur. *Ibid.*, hom. 64.

84. Amator pecuniarum multos formidat, multos habet accusatores, invidos, calumniatores, insidiatores, omnibus veris privatur deliciis, omnique voluptate : multum gloriæ, et multum honoris amittit. *Ibid.*, hom. 86.

85. Amator pecuniarum his uti minime potest : sed servus et custos est, non dominus. *Ibid.*

.86. Divitias concupiscere ignavissimi animi est, nihilo muscis et culicibus præstantioris humique repentis. Hom. 7 super *Acta Apostolorum.*

87. Divitiarum cupiditas, omnium mœrorum fundamentum est, bellorum et contentionum causa. *Ibid.*, hom. 13.

88. Amor pecuniarum talis est, ut et modum et finem nesciat : et quanto in hac via processerit longius, tanto minus ad finem usque pertingat. Serm. 12 super *epist. ad Rom.*

89. Qui pecunias despicit, omnia superflua arbitratur, neque animam immensis excruciat cupiditatibus. *Prosec.*

90. Nihil adeo animum torquet, quam cupiditas; cum ea satiari non possit. Hom. 14 super I *Cor.*

91. Nullo modo simul stare possunt, et argenti et animæ amor. *Ibid.*, homil. 23.

92. Dirus habendi amor velut crudelis tyrannus inhumana imperia hominibus imponit, et in feras feroces illos transfert. Hom. 35 super I *Cor.*

93. Quem magnum vicit cupiditas pecuniarum? nullum, sed miserabiles valde atque abjectos. Homil. 23 super II *Cor.*

94. Pecuniarum amor, ambitio dominandi et gloriæ, vincula sunt et laquei. Serm. 9 super *Epist. ad Ephes.*

95. Incantatio quædam est et præstigium, cupiditas pecuniarum. Hom. 10 super I *Thess.*

96. Qui pecuniarum insano tenetur studio, desiderium suum exsatiare nulla opum poterit copia. Hom. 7 super II *Timoth.*

97. Nihil ita absque ullo gratitudinis sensu est, sicut pecuniæ cupidus. *Ibid.*

98. Nihil ita pecuniarum desiderium infert, sicut pecuniarum ipsa possessio. Hom. 5 super *Epist. ad Tit.*

99. Servitus pessima, cupiditas pecuniarum. Hom. 33 super *Epist. ad Hebr.*

100. Amor pecuniæ velut crudelis quædam domina, omnium corda possidet, et tyrannica dominatione devincit. Hom. *Quod nemo læditur.*

101. Amor pecuniarum sævit ut barbarus, fervet crudeliter ut tyrannus, debacchatur impudenter ut meretrix : nusquam miseretur, nusquam se pudet. *Ibid.*

102. Amor pecuniarum inexplebilis est, et infinitus, quantoque plus processeris vitæ, tanto magis a fine aberis. Serm. *de Nequitia depulsa.*

103. Pecuniarum amor vesana est cupiditas, morbus insanabilis, fornax inextinguibilis, tyrannis insatiabilis. Hom. *de Avarit.*

104. Nihil sic diabolo subjici hominem facit, ut inhiare opibus, atque habendi amore superari. Hom. 13 super *Matth. Oper. perf.*

105. Quovis febricitante pejor est, qui cupiditate pecuniarum captus est : quid enim turpius viro pecunias amante? Hom. 15 super *Epist. ad Hebr.*

JOAN. TRITH. 106. Pecuniarum cupiditas radix malorum omnium est, mater transgressionis, magistra nocendi, auriga malitiæ, inventrix doli, seditionis origo, fovea scandali, promotrix mendacii. *De Inst. vitæ sacerd.*, cap. 5.

107. Pecuniarum cupiditas sacrilegia committit et furta, prædas agit et incendia, bella gerit et homicidia. *Ibid.*

108. Qui amat pecuniam, Dei servus non est. Epist. 5 *ad Quemdam sacerdot.*

S. ISIDORUS HISPALENS. 109. Omni peccato pejor est amor pecuniarum Lib. 2 *de Sum. bono*, cap. 41, sent. 3.

110. Nunquam satiari novit cupiditas pecuniarum; semper enim eget, quantoque magis acquirit, tanto amplius quærit : nec solum desiderio augendi excruciatur, sed etiam amittendi metu afficitur. *Ibid.*, sent. 7.

111. Si bona mundi hujus peritura credimus, cur peritura tanto amore cupimus? *Ibid.*, sent. 8.

112. Acris atque ad omnia audax pecuniarum amor, nec satietatem ullam sentiens, animam eam, quam ceperit, in extremum malorum præcipitem agit. Lib. 3, epist. 24, *ad Martyrium.* S. ISIDORUS PELUSIOTA.

113. Divites impedimentis pluribus implicati, immo catenati et compediti, serviunt ad nutum dominæ cupiditatis. *Prosec.* LACT. FIRM.

114. Cupiditas ita divites inextricabilibus vinculis irretivit, ut non possint in cœlum aspicere, quoniam mens eorum prona humique defixa est Lib. 7 *de Divin. inst.*, cap. 1.

115. Mens pecuniæ avida, cupiditatis est serva : quæ nec abstinere novit a vetitis, nec gaudere concessis, nec pietati adhibere consensum : angustatur ex abundantia, tristatur et constringitur ex opulentia. *Prosec.* S. LAURENT. JUSTIN.

116. O ignis inextinguibilis, cupiditas insatiabilis? quis unquam primo voto fuit contentus, cum adipiscitur quod optaverat? desiderat ampliora, in habendis semper, et nunquam in habitis finem constituit. *De Ligno vitæ*, tract. 10, *de Paupert.*, cap. 2.

117. Amori pecuniæ vilis est omnis affectio, et anima lucri cupida, etiam pro exiguo perire non metuit. Serm. 9 *de Passione Dom.* S. LEO PAPA I.

118, Armatur gemina face homo pecuniæ cupidus : avaritia, ut rapiat aurum : impietate, ut auferat Christum. Serm. *in Natali S. Laurent.*

119. Qui pecuniam appetit, fidem perdit : qui aurum redigit, gratiam prodigit. Lib. 1 *de Avarit.* S. MAXIMUS EPISCOP. TAURIN.

120. Omnis qui possessionum curis stringitur, et divitiarum cupiditate distenditur, aversus est a Deo. Hom. 12 *Exodi.* ORIGEN.

121. Pecuniarum cupiditas non solum ebrium, sed et rabidum hominem reddit. Hom. 7 in cap. x *Levitici.*

122. In avaritiam lapsus efficitur, cum homines parum pecuniæ desiderant : augescente vitio, cupiditas increscit. Lib. 3 *Peri-Archon.*, cap. 2.

123. Avidus opum nunquam dicit, sufficit : et tanquam sanguisuga invincibilis, semper sanguinem sitit. Serm. 34 *in Festo omnium Sanctorum.* PETRUS BLESENS.

124. O pecuniæ amor! o tinea cordium, rubigo mentium, languor pessimus animarum, virtutum subversio, germen vitiorum ; quomodo divitum corda excæcas? ut quanto amplius habeant, tanto minus habere se credant? Tract. *de Hierosol. peregrinat.*

S. PETRUS DAMIANUS. 125. Cupidus quisque dum sordentis pecuniæ quæstus accumulat, vertens exedram in latrinam, quasi molem stercoris coacervat. Opusc. 31, cap. 2.

S. PROSPER. 126. Jubet nobis imperiosa cupiditas, ut divina parvipendentes, possessionum terrestrium damnosa compendia cogitemus, etc. (Vide ibi plura scitu dignissima.) Lib. 2 *de Vita contemplat.*, cap. 15.

PRUDENT. 127. Nec parcit propriis amor insatiatus habendi
Pignoribus, spoliatque suos fames impia natos.

In *Psychomach. de Avaritiæ et largitatis pugna.*

128. Omne hominum rapit illa genus, mortalia cuncta
Occupat interitu, neque enim est violentius ullum
Terrarum vitium, quod tantis cladibus ævum
Mundani involvat populi, damnetque gehennæ.

Ibid., vers. 40.

S. THEODOR. 129. Infelix certe, et plusquam infelix, qui plura habendi cupiditatum incendiis flagrat. Super *Habac.*, cap. II.

THOMAS A KEMPIS. 130. Exterminat seminarium litis, qui abjicit vitium cupiditatis. *De Recognit. propr. fragit.*, cap. 4, sect. 2.

131. Noli multa cupere, nam cupiditati nunquam satis erit, nec extinguitur cupido pretio rerum. Medit 18 *de Paupert. Christi*, cap. 3.

S. VALER. EPISC. 132. Tanta est apud aliquos cupiditas ut venalis pudor pretium fœditatis inveniat : nam ita ad corruptionem corporis pecunia studiose pensatur, quasi dignum aliquid comparetur. *Prosec.*

133. Infelix profecto est, qui plus cupiditati consulit, quam pudori. Homil. 20, *de Avarit.*

S. ZENO EPISCOPUS ET MART. 134. Quid miser homo, auri argentique metalli incensus vana cupiditate torqueris? quid talentorum magnas struis congeries? *Prosec.*

135. Quid hic remansura pervigil sollicitudine cassa, nec tibiipsi inde aliquid concedendo illibata custodis?

136. Insuper de inopia quereris, qui quod habes, nescis : quidquid feceris, nihil horum tecum ad inferna portabis. Serm. 2 *de Avaritia.*

137. Qui diligit aurum et argentum, non tantum deos colere, sed eorum mores et actus imitari perspicuum est. *Ibid.*

138. Quodvis piaculum, scelus, dedecus, nefas libenter admittit, cujus præcordia implacabilis cupiditas pestifera flamma repleverit. *Ibid.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 139. Cum pecuniarum cupiditas in infinitum extendatur, illa quoque quæ efficiunt infinita, cupiunt. Lib. 1 *Polit.*, cap. 6.

CATO POET. 140. Dilige denarium, sed parce dilige formam :
Quam nemo sanctus nec honestus captat habere. Lib. 4, *Distichor.*, metr. 11.

CICERO. 141. Multos magnis incommodis afficit pecuniæ cupiditas. Lib. 1 *de Invent. rhetor.*, num. 95.

142. Pecuniæ est fugienda cupiditas : nihil enim est tam angusti animi, tamque parvi, quam amare divitias. *Prosec.*

143. Magna eorum servitus est, qui pecuniæ cupiditate nullam conditionem recusant durissimæ servitutis. *De Paradox.*, cap. 5.

144. Si propter aviditatem pecuniæ nullum quæstum turpem putas, si quotidie fraudas, decipis, poscis, pacisceris, aufers, eripis, si socios spolias, ærarium expilas ; hæc utrum abundantis, an egentis signa sunt? *Ibid.*, cap. 6.

145. Qui innumerabiles cupiditates habet, quæ brevi tempore magnas copias exhaurire possint, hunc ego quomodo appellabo divitem, cum ipse egere se sentiat? *Ibid.*

PLATO. 146. Pecuniæ cupiditate capi, turpe est atque importunum. Sizygia 5 *de Convivio.*

PLINIUS II. 147. Tanta invasit homines habendi cupido, ut possideri magis, quam possidere videantur. Lib. 9, epist. 30.

SENECA. 148. Neminem pecunia divitem fecit, immo contra nulli non majorem sui cupiditatem incussit. Epist. 119.

149. Qui propter pecuniæ amorem moritur, ostendit se nunquam sui causa vixisse. *De Moribus.*

SIXTUS PHILOSOPH. 150. Amor pecuniæ, amorem carnalium indicat. *Sent.* 68.

151. Cupiditas possidendi, origo avaritiæ est. *Ibid.*, sent. 129.

152. Inexplebilis est omnis pecuniæ cupiditas, propterea et semper indiget. *Ibid.*, sent. 138.

Vide etiam tit. *Abundantia*, sent. 11 ; *Amor in genere*, sent. 15 ; *Avaritia*, sent. 114 ; *Aurum*, sent. 85 ; *Desiderium*, sent. 68 ; *Divitiæ*, sent. 4, 233, 234 ; *Egestas*, sent. 18 ; *Habere*, sent. 4 ; *Judas*, sent. 90 ; *Rapina*, sent. 1 ; *Relinquere*, sent. 34.

PEREGRINATIO.

CASSIODOR. *Etymologia.* Peregrinus dicitur, quasi pergens longius. Super *Psalm.* XXXVIII, vers. 17.

HUGO CARD. *Definitio.* Peregrinus est, qui transeundo terram alienam præterit, nec manet ad vivendum, nec possessiones acquirit ad ibi sistendum. Super epist. I *B. Petri*, cap. II.

Peregrinus est, qui solo corpore in hac peregrinatione constitutus, tota aviditate et desiderio in illa cœlesti patria conversatur. *Ibid.*

S. JOAN. CL. Peregrinatio est omnium quæ sunt in patria constantissima desertio. *Gradu* 3.

Descriptio. Peregrinatio vera est omni confidentia noxia vacuus affectus, ignota sapientia, publicum fugiens prudentia, secreta via, invisibilis destinatio, occulta cogitatio, vilitatis appetitus, angustiæ desiderium, divini affectus argumentum, amoris copia, inanis gloriæ abnegatio, silentii profundum. *Cradu* 3.

Peregrinatio vera est omnium prorsus rerum desperatio, ea ratione suscepta, ut nunqaum cogitatio nostra a Deo separetur. *Ibid.*

Peregrinus est luctus perpetui, et penitus in memoria conditi amator. *Ibid.*

Peregrinus est, qui omnem suorum alienorumque affectuum memoriam fugit. *Ibid.*

HUGO CARD. *Divisio.* Triplex est peregrinus : peregrinus mundo, peregrinus cœlo, peregrinus Deo. Super IV, *Regum*, cap. IV.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Dulcis est una patria, et vera una patria, sola patria : præter illam quidquid nobis est, peregrinatio est. Super *Psalm.* LXI, vers. 4.

2. Cui peregrinatio dulcis est, non amat patriam : si dulcis est patria, amara est peregrinatio; si amara peregrinatio, tota die tribulatio. Quando non est tribulatio ? quando in patria, delectatio. Super *Psalm.* LXXXV, vers. 6.

3. Nos modo peregrinamur, et peregrinatio nostra gemit : gemit autem si scimus, quia peregrinamur. Super *Psalm.* XCIII.

4. Odit valde patriam ille qui putat sibi bene esse cum peregrinatur. *Ibid.*

5. Incolere, peregrinari est : omnis homo in hac vita peregrinus est. Super *Psalm.* LV, vers. 6.

6. Mutat homo patriam, et aliquando in peregrinatione illi bene est : invenit amicos fideles peregrinando, quos in patria invenire non potuit, et cum peregrinatur invenit quod non habebat in patria. Super *Psalm.* CXIX, vers. 5.

7. Animam dixit Propheta peregrinari : corpus peregrinatur locis, anima peregrinatur affectibus ; si amaveris terram, peregrinaris a Deo; si amaveris Deum, ascendis ad Deum. *Ibid.*, vers. 5 : *Multum incola fuit anima mea.*

8. Angitur cor christiani, quia peregrinatur, et desiderat patriam ; etiamsi felix secundum sæculum sit, gemit et angitur cor ejus, quia in peregrinatione se constitutum videt. Super *Psalm.* CXXII, vers. 1.

9. Homini peregrino in sæculo, nulla est jucundior recordatio, quam civitatis unde peregrinatur : sed recordatio civitatis cœlestis in peregrinatione non est sine dolore atque suspirio. Super *Psalm.* CXLV.

10. Iter agis, exiturus venisti, non remansurus : iter agis, stabulum est hæc vita. Utere nummo quomodo viator in stabulum utitur mensa, calice, urceo, lectulo, dimissurus, non permansurus. Tract. 40, super *Evang.*, cap. 8.

11. Nemo tam libenter peregrino miseretur, quam qui peregrinationis exitus novit. *De Vita christiana*, cap. 8.

12. Ipse est christianus, qui in domo sua, et in patria sua peregrinum se esse cognoscit : patria nostra sursum est, ibi hospites non erimus. *De Verbis Dom.*, serm. 32.

13. Ipsa spes peregrinationi necessaria est, ipsa est quæ consolatur in via : viator enim quando laborat ambulando, ideo laborem tolerat ; quia pervenire sperat : tolle illi spem veniendi, continuo franguntur vires ambulandi. *De Verbo apost.*, serm. 16.

14. Tibi suspiret peregrinatio mea. Lib. 12 *Conf.*, cap. 15.

15. In hac peregrinatione pignus nos consolatur. Tract. 32 super *Joan.*

16. Nihil aliud in hac vita nostræ peregrinationis meditemur, nisi quia et hic non semper erimus : et ibi nobis locum bene vivendo præparabimus, unde nunquam migremus. *Ibid.*

17. Si peregrinationem nostram in gemitu sentiremus, et sæculum non amaremus, ad eum qui nos vocavit, ipsa mente perpetuo pulsaremur. *Ibid.*, tract. 40.

18. Homo non amet peregrinationem ; totum amarum sit, præter illum qui vocat. Tract. 9 super *Epist. Joan.*

19. Tædet me istius ærumnosæ peregrinationis. Lib. *Medit.*, cap. 21.

20. Ille est in tabernaculis, qui se esse in mundo intelligit peregrinum : ille se intelligit peregrinantem, qui se videt patriæ suspirantem. Tract. 28 super *Joan.*

21. Invenisti in via suspirantem peregrinum, adjunge te illi, comes tuus est, curre cum illo, si tamen et tu hoc es. Tract. 10 super *Epist. Joan.*

22. Via porrecta est ad peregrinos, ambulemus per ipsam. *Ibid.*

S. BASILIUS MAGNUS. 23. Peregrinatio permittenda est ei qui potest eam citra detrimentum animæ suæ, et ut commodum sit his cum quibus congreditur, perficere. *Quæst. diffuse explicat.*, quæst. 44.

V. BEDA. 24. Mirandum dolendumque illud est, quod plurimi simulantes se pro peccatorum venia visitare sancta et pocul posita loca, cum fuerint reversi multo pejores fiunt quam antea. In suis *Proverb.*, verbo *Mirandum*.

S. BERNARD. 25. Peregrinus si prudens est, et non obliviscitur suæ peregrinationis, licet cum labore transit et non magnopere sæcularibus implicatur :

mortuus æque blanda hujus sæculi sicut aspera spernit. Serm. 7 *Quadr.*

26. Quam dulce est peregrinis post multam longi itineris fatigationem, post plurima terræ marisque pericula, ibi tandem quiescere, ubi et agnoscitur suum Dominum quievisse. Serm. *ad Milites templi*, cap. 11.

. BONAV. 27. Qui in peregrinatione paupertatis, peregrinorum defectus habere nolunt, non veri sunt peregrini. Serm. 3, *Dom. infra octav. Epiph.*

28. Multi de sancta terra redeunt, et negligendo et male vivendo præmium amittunt. Serm. 3, *Dom. in oct. Paschæ.*

29. Interdum peregrinus lacrymari cogitur, cùm suæ patriæ recordatur. Tit. 7 *Diætæ.*

EPHRÆM. 30. Ex aliorum scandalis, dum peregrinantur, lucrum cape. Adhort. 4, tom. 2.

VAGRIUS. 31. Peregrinus et pauper, Dei sunt collyrium : qui eos excipit, confestim visum recipiet. Hab. apud *D. Joan. Damasc.*, lib. 3 *Parall.*, cap. 37.

ANCISCUS TELMAN. 32. Advenis et peregrinis debetur, vel ex naturali lege, commiseratio. In fine *Argumenti super Psalm.* XXXVIII.

OSS. INT. 33. Civis patriæ cœlestis, inquilinus est mundi. Super *Genes.*, cap. XXI, in illud : *Et fuit colonus terræ.*

GREGOR. MAGNUS. 34. Qui peregrinationem pro patria diligit, dolere etiam inter dolores nescit. Lib. 7, *Moral.*, cap. 3, num. 2, super illud *Job* VI : *Unde et verba mea.*

35. Peregrinatio est vita præsens, et qui suspirat ad patriam, ei tormentum est peregrinationis locus, etiamsi blandus esse videatur. Lib. 9, in *Registro*, indict. 4, cap. 70, epist. 70. *ad Aurelium.*

HIERON. 36. Longinquæ peregrinationis terret difficultas. Epist. 1 *ad Heliodor.*

37. Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis bene vixisse laudandum est : quia et de Hierosolymis, et de Britannia æqualiter patet aula cœlestis. Epist. 13 *ad Paulin.*

UGO A S. VICTORE. 38. Peregrinus, quo tendat, considerat; longitudinem itineris ante metitur, necessaria victui secum portat; quam minimum potest, se onerat; baculum gerit; pretiosis vestibus non induitur; bonæ societati se conjungit; a perfectione justi itineris aliqua molestia ponderis non impeditur; non retrahitur a transitoriis: per pericula se fidelibus commendat; timore et suspicione non caret; amore patriæ laborem tolerat, sua non multis ostendit; divitem se non prædicat; de fine itineris semper loquitur, cogitat, ad illum suspirat. Lib. 4 *de Propriet.*, cap. 14.

UGO CARD. 39. Merito peregrinatio dicitur hujus vitæ viatio, quia peregrina est nobis regio hujus exilii. Super *Ecclesiasten*, cap. 7.

40. Peregrinus non habet in terra aliena hereditatem, nec hospes propriam mansionem. Super *Epist. ad Hebr.* cap. 11.

41. Certius signum nostræ peregrinationis, sunt mores et operationes. *Ibid.*

42. Multi sunt peregrini coram mundo, sed non coram Deo. *Ibid.*

S. JOANNES CHRYSOST. 43. Quando quis peregrinationem suscepturus est, offerat Domino sacrificium precum, et ejus adjutorium invocat, et sic institutum aggrediatur. Homil. 65 super *Gen.*

44. Qualem mercedem habet, qui propter Deum peregrinationem habet, qui suscipit peregrinantem. *Prosec.*

45. Fiunt æquales pro mercede : et ille qui propter Deum laborat peregrinando, et iste qui propter Deum laborantem hospitalitate refrigerat. Homil. 6 super *Matth. Oper. imperf.*

46. Prima virtus est, et tota virtus, peregrinum esse mundi hujus, et sospitem esse, et nihil commune habere cum rebus hujus sæculi, sed removeri ab eis, sicut peregrinum decet. Homil. 24 super *Epist. ad Hebr.*

S. JOAN CL. 47. Qui propter Deum peregrinatur, habitus omnesque affectus sæculi deponat, ne perturbationibus ludibrio sit. *Gradu.* 3.

48. Fieri non potest, ut in his anima non periclitetur, qui corpore et cogitatione ab omnibus, et propinquis et extraneis, non se peregrinum fecerit. *Ibid.*

JOAN. TRITH. 49. Ecce in hac vita positi peregrinos nos esse cognoscimus, et tamen finiri nostram peregrinationem non oramus : sed patriæ cœlestis obliti, peregrinationis carcerem diligimus. *De Vanitate et miser. hum. vitæ*, cap. 3.

PETR. CELL. 50. Pium quidem est ire, pium non ire : bona est peregrinatio, quam comitata fuerit sancta devotio. Lib. 7, epist. 20 *ad Prior. Cantuariens.*

THOMAS A KEMPIS. 51. Qui multum peregrinantur, raro sanctificantur. Lib. 1 *de Imitatione Chr.*, cap. 23, sect. 4.

52. Ubicunque fueris, extraneus es et peregrinus. *Ibid.*, lib. 2, cap. 1, sect. 3.

53. Felix peregrinus qui habet hospitium in cœlis. *In Hortulo rosar.*, cap. 4.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 54. Malæ sunt leges, quæ peregrinos urbibus uti prohibent, eosque exterminant. *Prosec.*

55. Usu urbis prohibere peregrinos sane inhumanum est. Lib. 3 *de Offic.*

PLATO. 56. Adversus peregrinos sanctissima fœderum auctoritas est constituenda. Sizygia 4, lib. 5, *de Legibus.*

57. Multa cautione opus est ei, cui vel exigua prudentia est, ne adversus peregrinos ullo modo

peccet : maximum enim peccatum est, cum in peregrinos supplices peccatur. *Prosec.*

58. Deus, qui eximius est custos afflicti peregrini supplicis, non feret impune eum qui supplicem violaverit. *Ibid.*

SENECA. 59. In peregrinatione vitam agentibus, hoc evenit ut multa hospitia habeant, nullas amicitias. Epist. 2.

60. Quid prodesse peregrinatio potuit? non voluptates temperavit, non cupiditates refrænavit, non iras repressit, non indomitos amoris impetus fregit, nulla denique animo mala eduxit. Epist. 104.

61. Peregrinatio notitiam dat Gentilium. *Ibid.*

62. Quandiu nescies quid fugiendum, quid petendum, quid necessarium, quid supervacuum, quid justum, quid honestum sit, non erit peregrinari, sed errare. *Prosec.*

63. Nullum tibi opem feret ista peregrinatio; peregrinaris enim cum affectibus tuis, et mala te sequuntur : utinam quidem sequerentur, longius abessent : nunc fers illa, non ducis. *Ibid.*

64. Peregrinatio non facit medicum, non oratorem, nulla ars peregrinatione discitur : quid ergo? sapientia res omnium maxima in peregrinatione colligetur? *Prosec.*

65. Nullum, mihi crede, iter est, quod te extra cupiditates, extra iras, extra motus sistat, quamdiu malorum gestaris causas.

66. Medicina ægro, non regio quærenda est : te igitur emenda, onera tibi detrahe, et desideria saltem intra modum contine : omnem ex animo erade nequitiam, si vis peregrinationes habere jucundas ac fructuosas. *Ibid.*

67. Magnus animus, conscius sibi melioris naturæ, dat operam, in hac statione peregrinationis in qua positus est honeste se atque industrie gerat : cæterum nihil, quæ circa ipsum sunt, suum judicat, sed ut commodatis utitur, peregrinus et properans. Epist 120.

PERFECTIO.

S. DIONYS. AREOPAG. *Definitio.* Perfectus dicitur, qui nunquam augetur, semperque suis omnibus numeris est absolutus. *De Divinis nominibus*, cap. 13.

ARISTOTEL. Perfectum est, cui nihil deest : et est duplex, scilicet simpliciter et extra quod nihil est, et perfectum in genere. Lib. 5 *Metaphys.*, text. 21.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Perfectorum est non facile mundanis moveri, non turbari metu, non exagitari suspicione, non terrore concuti, non dolore vexari. Lib. 2, *de Jacob.*, cap. 6.

2. Sunt multi qui ad perfectionis culmen subito conscendere conantur, sed quia per gradus virtutum non conscendunt, facile corruunt. Super *Apocal.*, cap. 4.

S. ANTONIN. 3. Summa hominis perfectio in hoc consistit, quod mens hominis Deo vacet. Part. 4, tit. 12, cap. 2.

S. AUGUST. 4. Nullus perfectus aliquo eget, et quod videtur corpori necessarium sumet si affuerit : si non affuerit, non eum istarum rerum franget inopia. *De Beata vita*, in *Disputatione tertiæ diei.*

5. Non in annis, sed in animis est perfectio. *De Salut. docum.*, cap. 43.

6. Perfectus dicitur, non qui in ætate, sed qui in sese perfectus est. *Ibid.*

7. Illa est summa perfectio, cui nihil addatur, cum id quo tenditur, cœperit possideri. *De Nat. et Grat.*, cap. 12.

8. Cur non præciperetur homini perfectio, quamvis eam in hac vita nemo habeat? non enim recte curritur, si quo currendum est nesciatur : quomodo autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur? *De Perfect. justitiæ*, cap. 8, ratiocinat. 17.

9. Potest fieri ut sit aliquis sapientiæ auditor, cujus nondum sit perfectus et doctor : potest perfectus esse justitiæ cognitor, nondum perfectus effector : potest perfectus esse ut diligat inimicos, qui nondum est perfectus ut sufferat. Lib. 2 *de Peccator. meritis et remiss.*, cap. 15.

10. Quotquot perfecte currimus, hoc sapiamus quod nondum perfecti sumus, ut illic perficiamur, quo perfecte adhuc currimus. *De Perfect. justitiæ*, cap. 8, ratiocinat. 17.

11. Nemo se dicat perfectum hic, decipit se, fallit se, seducit se; non potest hic habere perfectionem. Super *Psalm.* XXXVIII, vers. 11.

12. Hic non potes esse perfectus, nisi scias hic te non esse posse perfectum; hæc ergo erit perfectio tua. *Ibid.*, vers. 12.

13. Perfectus non crescit; Deus autem non crescit, nec minuitur : si enim crescit, perfectus non est : si minuitur, Deus non est. Tract. 14 super *Evang. Joan.*, cap. 3.

14. Qui adhuc quærit, perfectus non est. Lib. 1, *contra Academ.*, cap. 3.

15. Qui ad finem non pervenit, fateor quod perfectus non sit. *Ibid.*

16. Omnia esse incipiunt et crescunt, ut perficiantur; et perfecta senescunt, et intereunt. Lib. 4 *Conf.*, cap. 10.

17 Perfecto tibi displicet rerum imperfectio, ut ex te perficiantur, et tibi placeant. *Ibid.*, lib. 13, cap. 4.

18. Tunc perfecti sumus in charitate; quando nihil restat ex infirmitate. Epist. 29.

19. Non est homo perfectus, si vel anima carni,

vel animæ ipsi mens humana defuerit. Epist. 57.

20. A perfectis requiescit Deus, qui nec perfectis eget, quo beatior esse possit. Lib. 4 *de Genesi ad lit.*, cap. 177.

21. Erit quandoque perfectio boni, quando erit consumptio mali. *De Continent.*, cap. 8.

22. Ad perfectionem paterna flagella perducunt. *Annot. in Job*, cap. 38.

23. Quamdiu perfectionem angeli non habemus, præsumptionem diaboli non habemus. Lib. 2, *de Baptismo contra Donat.*, cap. 5.

24. Cum ad perfectam vitam Deus perduxerit, non deserit, si non deseratur. *De Nat. et Grat.*, cap. 26.

25. A fundamento fidei non recedamus, ut ad culmen perfectionis veniamus. Tract. 39 super *Joan.*

26. Perfectio boni est consummatio et finis mali. *Ibid.*, tract. 41.

27. Hoc debet conari omnis qui tendit ad perfectionem, ut et ipsa concupiscentia quotidie in proficiente minuatur. *Ibid.*

28. Minuitur in vita proficientium, quod in vita consumitur perfectorum. *Ibid.*

29. Non proficit, quod perfectum est. Tract. 4 super *Epist. Joan.*

30. Omnes imperfecti sumus, et ibi perficimur, ubi perfecta sunt omnia. Homil. 34 *ex* LIII *Hom.*, cap. 10.

S. BASILIUS MAGNUS.

31. Basis ac fundamentum ad perfectionem, ipsa est religio et pietas. Homil. 1 *in Hexam.*

S. BERNARD.

32. Perfectus omnis reputatur in cujus anima tria hæc congruenter concurrunt; si placens est Deo, cautus sibi, et utilis proximo. Serm. 57 super *Cant.*

33. Nemo perfectus est, qui perfectior esse non appetit : et in eo quisque perfectiorem se probat, quod ad majorem tendit perfectionem. Epist. 34, *ad Drogonem monach.*

34. Perfectus non habet quo proficiat, et qui proficit, eo ipso quo proficit, perfectus non esse convincitur. Epist. 253 *ad Abbat. Garinum.*

35. Indefessum proficiendi studium, et jugis conatus ad perfectionem, perfectio deputatur. *Prosec.*

36. Si enim studere perfectioni, esse perfectum est, profecto nolle proficere, deficere est. *Ibid.*

37. In proposito perfectionis apparere imperfectum, nævus est. Epist. 249 *ad Bernard. priorem portarum.*

38. Perfectæ conversationis culmen apprehende: nulli enim in eodem statu diu esse conceditur. Servo Dei aut semper proficiendum, aut deficiendum est : aut sursum nititur, aut in inferiora urgetur. *Prosec.*

39. Ab omnibus autem vobis perfectio exigitur, licet non uniformis; sed si incipis, incipe perfecte : si jam in profectu es, et hoc ipsum jam perfecte age : si autem perfectionis aliquid attigisti, teipsum in temetipso metire. *De Vita solitar.*

40. Perfectum nolle esse, delinquere est. *Ibid.*

41. Non deficias neque tepescas, ut gradum perfectionis possis ascendere; ad quem non nisi multis laboribus pervenitur. *De Ordine vitæ.*

42. Perfectio alta res est valde, inquirentes habet multos, pervenientes paucos, exequentes multo pauciores. Epist. *ad Quemdam.*

S. BONAV.

43. Ille perfectus dicitur esse, qui in via divinis meritis adornatur, et in patria regio diademate coronatur. Serm. 1 *de SS. Philippo et Jacobo.*

44. Magna est perfectio, suæ imperfectionis cognitio. Lib. 1 *Pharetræ*, cap. 35.

CASSIODOR.

45. Non potest dici perfectus, qui humilitatis virtute privatus est. Super *Psalm* CXVIII, vers. *Humiliatus sum.*

PAPA.

46. Vere digna confusio est, ubi nihil amplius gessimus ab his, quibus amplius intelleximus. *Prosec.*

47. Si confusio nobis erit æquales sæcularibus inveniri in operibus bonis; quid erit nobis, si inferiores nos ac deteriores examinatio futura reperiat? Lib. 6 *Recognit.*

CLEMENS ALEX.

48. Is est perfectus, qui in unaquaque virtute se recte gerit. Lib. 4 *Stromat.*

49. Perfectus multis modis accipitur : perficitur enim et consummatur, ut pius ac religiosus, et ut tolerans, et ut continens, et ut operarius et martyr, et ut cognitione præditus. *Ibid.*

S. DIONYS. AREOPAG.

50. Nihil per se absoluteque perfectum, aut quod omnino perfectionis non indigeat, nisi id quod revera absolute perfectum est, et perfectionis est principium. *De Cœlesti hierarchia*, cap. 10.

DIONYSIUS CARTHUS.

51. Hoc valde pensandum est omni religioso, ac metuendum, cum status religiosorum sit status perfectionis acquirendæ : ideo ad proficiendum dignam diligentiam, debitumque conatum non impendere absque mora seu indilate, utpote, tempore opportuno, extat eis damnabile ac mortale præcipitium. In *Hymno de temp. feriali, ad Matut.*

52. Nemo repente fit summus, nec subito perfectus, sed pedetentim proficitur, atque de statu incipientium ad statum proficientium, et de statu proficientium ad statum pertingitur perfectorum. In *Exhort. ad novitios*, art. 3.

53. Studeat religiosus quotidie humilior, timoratior, et custoditior fieri, atque in reformatione interna perfectior inveniri. *De Profess. monast.*, art. 7.

54. Necesse est, ut quod spiritualis homo inten-

dit ad majorem perfectionem ascendere, eo in fortiori ac profundiori virtutum fundamento figat suam conversationem. *De Profect. spirit.*, art. 19.

55. Si vis tendere ad perfectionem, necesse est ut studeas mentis tuæ vitiosas passiones edomare. *De Perfect. charit.*, art. 4.

S. EPHRÆM. 56. Perfectio est cujusvis sermonis, et omnis actionis finis. *De Juliano anachoreta.*

GLOSS. ORD. 57. Nemo est tam perfectus, qui non possit crescere. Super *Epist. ad Ephes.*, cap. II, in illud: *Crescit in templum sanctum.*

S. GREGOR. MAGNUS. 58. Quo vir sanctus semetipsum imperfectum respicit, inde ad humilitatis culmen perfectior assurgit. *Prosec.*

59. Viri sancti unde se destructiores æstimant, inde locupletiores ad cœlestis patriæ constructionem surgunt. Lib. 5 *Moral.*, cap. 4.

60. Qui nonnunquam sanctitatis habitum tenent perfectionis meritum exequi non valent. *Ibid.*, lib. 31, cap. 8, num. 11.

61. Perfectio de patientia nascitur, quia statim post patientiam, viarum perfectio subinfertur. *Prosec.*

62. Ille vere perfectus est, qui erga perfectionem proximi impatiens non est.

63. Qui alienam imperfectionem ferre non valet, patientiam deserit, ipse sibi testis est Deus, quod perfecte necdum proficit. *Ibid.*, lib. 5, cap. 13, num. 14.

64. Qui culmen perfectionis apprehendere nituntur, prius se in campo operis per exercitium probent. *Ibid.*, lib. 6, cap. 17, num. 27.

65. Plerumque omnipotens Deus idcirco rectorum mentes, quamvis ex magna parte perficit, tamen imperfectas ex parva aliqua parte derelinquit, ut cum miris virtutibus rutilant, imperfectionis suæ tædio tabescant. Part. 2 *Pastor.*, cap. 1.

66. Sublimitas perfectionis non consistit in fortitudine boni operis, sed in virtute contemplationis. Lib. 3 in I *Reg.*, cap. 5, super illud : *Si in toto corde vestro convertimini.*

67. Tam certa virtus perfectionis est, ut fructus ejus qui nondum constant in re, constent in spei certitudine. *Ibid.*, lib. 4, cap. 4, super illud : *Et de asinis quas perdidisti.*

S. HIERON. 68. Tu perfectum te fore pollicitus es : nam cum derelicta militia sæculi te castrasti, quid aliud quam perfectam secutus es vitam? *Prosec.*

69. Perfectus servus Christi nihil præter Christum habet : si quid præter Christum habet, perfectus non est : et si perfectus non est, cum se perfectum fore pollicitus sit, ante mentitus est.

70. Si perfectus es, cur bona paterna desideras? Dominum fefellisti, si perfectus non es. Epist. 1 *ad Heliodor.*

71. Ubi per inquietudinem aliquid aufertur ex studio, minus fit ab eo quod tollitur : et ubi minus est, perfectum non potest dici. *Ibid.*

72. Constat perfectum monachum in patria sua esse non posse : perfectum esse nolle, delinquere est. *Ibid.*

73. Hæc hominibus sola est perfectio, si imperfectos esse se noverint. Epist. 23 *ad Ctesiphont.*

74. Hæc est hominis vera sapientia, imperfectum esse se nosse : atque ut ita loquar, cunctorum in carne justorum imperfecta perfectio est. Lib. 1 *Dialog. advers. Pelag.*

75. Non minuisse solum, sed et non auxisse culpabile est. Epist. 1 *ad Demetriad.*

76. Ad omnem morum perfectionem, mentis aciem intende. *Ibid.*

77. Perspicuum est omnem hominem, quamvis ad perfectionem venerit, tamen indigere misericordia Dei, et plenam perfectionem ex gratia, non ex merito possidere. Lib. 14 super *Ezech.*, cap. 46, super illud *Philip.* III : *Quasi jam perfectus sim.*

78. Quanto plus quis ascenderit, tanto perfectior erit. Lib. 5 *Didasc.*, cap. 9. HUGO A S. VICTORE.

79. Satis miserum est, ut cum debeas ad perfectionem tendere, incipias ad inferiora decidere. Lib. 4 *de Cœnob. instit.*, cap. 36. JOAN. CASS.

80. Non leve noveris esse peccatum, perfectionem professum quempiam, ea quæ sunt imperfecta sectari. *Ibid.*, cap. 38.

81. Puritate charitatis perfectio possidetur. *Ibid.*, cap. 43.

82. Evidenter monstratur non posse quemquam perfectionis finem attingere, nisi per humilitatem veram. *Ibid.*, lib. 12, cap. 23.

83. Jejunia, vigiliæ, meditatio Scripturarum, nuditas ac privatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt. Collat. 1, *Abbat. Moysis*, cap. 7.

84. Sunt qui Evangelicam perfectionem simulare potius quam in veritate arripere malunt, æmulatione scilicet eorum vel laudibus provocati, qui universis divitiis mundi perfectam Christi præferunt nuditatem. Collat. 18, cap. 7.

85. Miserum est cujuslibet artis ac studii disciplinam quempiam profiteri, et ad perfectionem ejus minime pervenire. Cellat. 19, *Abbat. Joan.*, cap. 5.

86. Perfectionis culmen pertingere cupienti non satis proderit ad finem pœnitentiæ pervenisse, id est, ab illicitis temperare, nisi etiam in illis virtutibus indefesso cursu semetipsum semper extenderit. Collat. 20, *Abbat. Pinufii*, cap. 11.

87. Quamdiu imperfecti sumus, nobis parcitur : ubi autem perfectiores facti fuerimus, perfecto- S. JOANNES CHRYSOST.

rum certamina etiam suscipimus. Serm. *de Job et Abraham.*

S. JOAN. DAM. 88. Ad perfectionem adipiscendam, ingens in secessu subsidium positum est. Lib. 1 *Parall.*, cap. 37,

JOAN. GERS. 89. Nulli negant posse aliquos extra statum perfectionis inveniri valde perfectos : sicut e contra, proh dolor! perfectionis professio, vel status, multos patitur imperfectos. *De Relig. perf.*, consid. 5.

JOAN. TRITH. 90. Currendum est non incessu pedum, sed ordine virtutum : celeriter, non pigre : affectualiter, non acediose. Super prolog. *Regul. S. Bened.*, cap, 2, text. 2.

S. ISID. HISP. 91. Nihil in eo perfectum est, cui Spiritus sanctus deest : perfectio itaque cunctorum bonorum in Spiritu sancto consistit. Super *Josue*, cap. XIV.

LACT. FIRM. 92. Nemo perfectissimus, nisi qui omnes gradus virtutis impleverit. Lib. 5 *de Divin. inst.*, cap. 15.

S. LAURENT. JUSTIN. 93. Nemo criminibus prægravatus, ad perfectionis valet evolare fastigium. *De Perfect. gradib.*, cap. 6.

94. Arduum prorsus est perfectionis propositum, difficilis ascensus, et beata comprehensio : currunt multi, sed apprehendunt pauci. Tract. *de Compunct et complanctu.*

S. LEO PAPA. I. 95. Hæc est perfectorum vera justitia, ut nunquam præsumant se esse perfectos; ne ab itineris nondum finiti intentione cessantes, ibi incidant deficiendi periculum, ubi proficiendi deposuerint appetitum. *Prosec.*

96. Quia ergo nemo nostrum tam perfectus est, ut perfectior esse non possit. Serm. 2 *Quadrag.*

LUDOV. BL. 97. Quotquot religioni per professionem sese astringunt, obligati sunt totis viribus ad perfectionem contendere, licet non sint obligati ad eam pervenire. Epist. *ad Clement. Levantium.*

S. MACHAR. ÆGYP. SEN. 98. Christiani perfecti, qui meruerunt ad gradum perfectionis pervenire, et regi proximi fieri, cruci Christi perpetuo consecrati sunt. Hom. 17.

S. NILUS. 99. Quanto magis proficis, tanto magis te abesse a perfectione intelliges. *Parænes.* 29.

ORIGEN. 100. Melius est perfectam vitam quærenti, in itinere mori, quam nec proficisci quidem ad perfectionem. Hab. apud *Bedam*, in suis *Scintillis*, cap. 59.

PETRUS BLESENS. 101. Dum adhuc in profectu es, nunquam te perfectum existimes. Epist. 137, *ad Alexand. de S. Albano.*

102. Ad perfectionem facilior et compendiosior via est obedientia, extra quam vix et raro perfecti fiunt. *Ibid.*, serm. 21, *de Ascens.*

S. PETRUS DAMIANUS. 103. Sancti quique quanto celsiori perfectione sunt præditi, tanto majori sunt humilitate fundati Opusc. 32, cap. 8, gradu 42.

S. PROSPER. 104. Tanto quis divinis vicinior factus est, quanto supra humana omnia studio perfectionis ascendit. Lib. 2 *de Vita contemplat.*, cap. 5.

105. Hic quantalibet quis excellentia sanctitatis emineat, quantalibet eminentia perfectionis excellat : potest quidem fieri pro modulo hujus vitæ perfectus ; sed non est sic de sua perfectione securus, ut non debeat esse de casu sollicitus. *Ibid.*, cap. 9.

RICHARD. A S. VICTORE. 106. Non potest perfectum exteriorum bonorum fastigium pertingere, qui interiorum bonorum dulcedinem nondum meruit gustando sentire. Part. 1, tract. 2, *de Extermin. mali*, cap. 7.

107. Perfectionis gratia quanto melius agnoscitur, tanto ardentius concupiscitur. *Ibid.*, cap. 9.

108. Ubi perfectio animi, ibi et inhabitatio Dei : quanto ad perfectiones appropinquatur; tanto mens arctius fœderatur. Part. 1, in *Allegor. tabernac.*

S. SYNESIUS EPISCOPUS. 109. Non consummatam hominis perfectionem assequi, cujusvis est hominis. In *Encomio calvitii.*

110. Venustate ac decore non indiget quod perfectum est. *Ibid.*

S. THEODOR. 111. Non sufficit ad perfectionem sola possessio divinæ scientiæ, sed oportet virtutem ad actum deducere, qua quidem apprehensa, certam tutamque ibitis viam. Super *Psalm.* II, vers. penult.

S. THOMAS AQUINAS. 112. Ridiculum est perfectionis magistrum fieri, qui perfectionem per experimentum non novit. *De Perfect. vitæ Spirit.*, cap. 19.

THOMAS A KEMPIS. 113. Si omni anno unum vitium extirparemus, cito viri perfecti efficeremur : sed modo e contrario sæpe sentimus, ut meliores et puriores in initio conversionis nos fuisse inveniamus, quam post multos annos professionis. Lib. 1 *de Imitatione Christi*, cap. 11, sect. 5.

114. Multorum est incipere, paucorum proficere, paucissimorum ad perfectionem pervenire. In *Hortulo rosar.*, cap. 4.

115. Rara avis perfectio. *Ibid.*

116. Quanto plus homo scit se distare a perfectione, tanto prope est perfectioni. *De vita Girardi magni*, cap. 18, sect. 20.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 117. Perfectum nihil est prorsus, quod non habeat finem. Lib. 3 *Phys.*, cap. 6, text. 64.

118. Perfectum nasci solet a perfectione. Lib. 2 *de Generat. animal.*, cap. 1.

119. Perfectus est, cujus accessu nullo amplius nobis opus est. Lib. 1 *Magnor. moral.*, cap. 2.

CICERO. 120. Omnia et in animo et in corpore perfecta velimus esse. Lib. 5 *de Finibus*, num. 37.

SENECA. 121. Projice omnia vana, si sapis, immo ut sapias : et ad bonam mentem magno cursu, ac totis viribus tende : si quid est quod teneris, expedi, aut incide. Epist. 17.

PERICULUM.

ARISTOTEL. *Definitio*. Periculum est timendæ rei appropinquatio. Lib. 2 *Rhetor.*, cap. 5.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Mihi quidem etsi præstabilius communi videatur usui, sapientem de periculo quam insipientem evadere, tamen non videtur quod vir christianus, et justus, et sapiens, quærere sibi vitam aliena morte debeat : utpote qui etiamsi in latronem armatum incidat, ferientem referire non possit : ne dum salutem defendit, pietatem contaminet. Lib. 3 *Offic.*, cap. 4.

2. Quam dulce quod a periculo incipit, et in periculis desinit : periculis emitur, nec pro arbitrio possidetur! Lib. 1 *de Virginibus*.

S. ANTONIN. 3. Ubi periculum vertitur, vitanda est mora. Part. 2, tit. 9, *de Acedia*, cap. 13.

S. AUGUST. 4. Nihil ad misericordiam sic inclinat, quam proprii periculi cogitatio. In *Exposit. super Epist. ad Galatas*, cap. VI.

5. Quanto majus periculum fuit in prælio, tanto majus est gaudium in triumpho. Lib. 8 *Conf.*, cap. 3.

V. BEDA. 6. Nunquam periculum sine periculo vincitur. In suis *Prov.*, verbo *Nunquam*.

S. BERNARDINUS SEN. 7. Ubi gravius periculum imminet, ibi majori solertia succurrendum est. Serm. 20, *Fer.* 3, *Dom.* 2, *Quadrag.*

S. BERNARD. 8. Qui pavet, cavet : qui negligit, incidit. Serm. *de Convers. ad clericos*, cap. 5.

9. Periclitatur castitas in deliciis, humilitas in divitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, charitas in hoc sæculo nequam. *Ibid.*, cap. 30.

10. Invalescente periculo, invalescit et metus. Serm. 54 super *Cant.*

11. Prævidere jacturam periculi, sapientis hominis est. Serm. 55 *ad Sororem*.

S. BONAV. 12. Proximus periculo diu tutus non erit. In collat. *de Contemptu sæculi*.

CASSIODOR. 13. Si corpus periculis exponitur, animæ tamen salus illæsa servetur. Super *Psalm.* LIII, vers. 4.

14. Anxius spiritus vicinitatem periculi prodit. Super *Psalm.* CXLII, vers. 4 : *Et anxiatus est*.

S. CYPRIAN. 15. Nemo tutus est diu periculo proximus. Epist. 62, *ad Pomponium*, cap. 1.

16. Nimium præceps est qui transire contendit, ubi alium conspexerit cecidisse : et vehementer infrænis est cui non incutitur timor alio pereunte. *De Singularit. clericor.*, cap. 2.

17. Amator est salutis suæ, qui evitat alienæ mortis incursum : ipse est providus, qui sollicitus fit cladibus cæterorum. *Ibid.*

S. EUSEBIUS EMISSEN. 18. Plus est periculum inter medias acies ignorasse, quam periculum non vidisse. Homil. *in Litaniis*.

19. Quotidianus sit illius periculi metus, cujus nescitur incursus. *Ibid.*, homil. 1 *ad Monachos*.

FRANCISCUS TITELMAN. 20. Qui est in maximis periculis, proximus est morti. In *Annot. super Psalm.* IX, vers. 14.

GLOSS. INT. 21. Minus diligitur ereptio, si nescitur periculi magnitudo. Super *Job*, cap. XL.

22. Naturale est unumquemque in suo periculo plus de alio quam de se sperare. Super *Joan.*, cap. I.

23. Contra commune periculum communis fiat oratio. *Ibid.*

S. GREGOR. MAGNUS. 24. Fit aliquando causa periculi res salutis. Lib. 7 in *Registro*, indict. 2, cap. 110, epist. 110, *ad Siagrium episc.*

25. Quid prodest cuncta muniisse, si per unum locum perniciosus hosti præbeatur accessus? *Ibid.*

S. GREGOR. NAZ. 26. Melius est in periculis esse, quam secure agere. Epist. 50, *ad Cæsarium fratr.*

S. HIERON. 27. Securius est perire non posse, quam juxta periculum non periisse. Epist. 47 *de Vitando suspecto contub.*

28. Ubi necessitas exigit, periclitari melius est, quam perire. Epist. 6, *ad Amicum*.

29. Nocivum non debet esse periculum, ubi nascitur præmium. *Ibid.*

HUGO CARD. 30. Felix quem faciunt aliena pericula cautum. Super *Epist. ad Romanos*, cap. IX.

31. Sunt multi temerarii in periculis et naufragiis spiritualibus : temerarium enim est, non cavere ubi multa sunt pericula. Super II *Cor.* XIII.

S. JOANNE CHRYSOST. 32. In evidentibus periculis, magna acceleratione opus est et studio. Homil. *de Habenda cura salutis proximi*.

33. Sanctorum animæ cum in pericula ceciderint, non quomodo periculis liberentur, considerant : sed quo persequentes lucrentur, satagunt. Homil. 16 *ad Populum Antioch.*

34. Ut supervacue ac superflue se quisquam in periculum jactet, hoc diabolicum est. Homil 26 super *Epist. ad Hebr.*

JOAN. TRITH. 35. Qui non timet periculum, jam certe prope interitum est. Lib. 1, homil 9 *ad Monachos*.

36. Nunquam prudenter de securitate præsumitur, cum periculum non vitatur. Part. 1 *de Regione claustr.*, tract. 2, reg. 2, art. 7.

37. Nusquam securius vivitur, quam si periculum semper timeatur : enimvero periculum qui

timet, cavet : qui negligit, incidit. *De Inst. vitæ sacerd.*, cap. 1.

38. Nihil tutius in periculo fuga. Orat. 1 *in Conventu abb. habita.*

39. De mora periculis robur. *Ibid.*

S. ISID. HISP. 40. In magno mali discrimine, ut evadendi aditus pateat, minora potius eligenda sunt, ut majora pericula vitentur. Lib. 3 *de Sum. bono*, cap. 5, sent. 22.

41. Non diu tutus esse poterit, qui periculo proximus fuerit. *Ibid.*, cap. 17, sent. 2.

42. Proximus periculo, diu tutus non eris. Lib. 2 *de Synon.*, cap. 4.

LACT. FIRM. 43. Non meremur in periculo liberari, si non succurrimus : nec meremur auxilium, si negamus. Lib. 6 *de Divin. inst.*, cap. 12.

S. LAURENT. JUSTIN. 44. Quid prodest æquoris evasisse procellas, marisque pertransisse pericula, et in portu præ negligentia periclitari? multi namque pereunt securitate *Prosec.*

45. Pericula quippe hominem circumspectum, vigilantem, sollicitum et robustum faciunt, securitas vero dormitantem, lentum, imprudentem et remissum. *De Discipl. monast. conversat.*, cap. 14.

S. PETRUS CHRYSOL. 46. Pericula despicit, qui tendit ad regnum. Serm. 22.

47. Sicut periculum vincere virtutis est : ita felicitatis est evasisse. *Ibid.*, serm. 29.

S. PROSPER. 48. Si periculosum est navim inter fluctus caute non regere, quanto periculosius est eam undis intumescentibus fluctuantem in tempestate relinquere? Lib. 1 *de Vita contemplat.*, cap. 16.

SALVIAN. 49. Nemini facilis sua causa fit, nullus difficilius evadit, quam qui se evasurum præsumpserit. Lib. 4 *ad Eccles. cathol.*

THEOPHILACTUS. 50. Temere se in periculis objicere, Deo gratum non est. Super *Matth.*, cap. XII, in illud : *Secessit illinc.*

S. THOMAS AQUINAS. 51. Ubi majus est periculum, ibi major virtus ostenditur, si periculum evitetur. *De Perfect. vitæ spirit.*, cap. 20.

52. Quamvis quilibet sapiens magis eligeret esse tantæ virtutis, ut etiam inter pericula quæcunque illæsus posset persistere, nullus tamen nisi insipiens statum periculosiorem ex hoc ipso statui securiori præferret. *Ibid.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 53. Qui non possunt fortiter pericula subire, servi sunt invadentium. Lib. 7 *Polit.*, cap. 15.

CICERO. 54. Animus paratus ad periculum, si sua cupiditate, non utilitate impellitur, temeritatis potius nomen habet, quam fortitudinis. Lib. 1 *Offic.*, num. 63.

55. Fugiendum est illud, ne offeramus nos periculis sine causa, quo nihil potest esse stultius. Lib. 1 *Offic.*

56. Animus vereri qui scit, scit tuto aggredi. In suis *Sententiis*, sent. 3. MIMUS PUB.

57. Citius venit periculum, cum contemnitur. *Ibid.*, sent. 76.

58. Nunquam periculum sine periculo vincitur. *Ibid.*, sent. 257.

59. Contemptum periculorum assiduitas periclitandi dabit. *De divina Providentia*, cap. 4. SENECA.

60. Tam multis periculis petitur, quam quis multorum ipse periculum est. Lib. 1 *de Clementia*, cap. 25.

61. Sero animus ad periculorum patientiam post pericula instruitur. *De Tranquillit. animi*, cap. 11.

Vide etiam tit. *Cavere*, sent. 61; *Damnum*, sent. 36; *Gloria bona*, sent. 47; *Perire*, sent. 31; *Prævisio*, sent. 63; *Securitas*, sent. 11, 41; *Spes*, sent. 38; *Via*, sent. 26.

PERIRE.

Etymologia. Perire dicitur quasi perditum ire. COLLECTOR.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Caveant ii qui pereunt, ne sua pereant negligentia. Lib. 2 *de Cain et Abel*, cap. 3. S. AMBROS.

2. Qui Deo adhæret, perire non potest. Lib. 6 super *Luc.*, cap. VIII, in illud : *Modicæ fidei.*

3. Perit omne quod perditis datur. Serm. 81.

4. Increpandi et accusandi sunt illi, quos perire cum pereunte delectat. Epist. 45 *ad Armentarium.* S. AUGUST.

5. Sine dolore non pereunt, quæ cum amore possessa sunt. In *Enchiridio*, cap. 68.

6. Si tanta suffert anima ut possideat unde pereat, quanta debet sufferre ne pereat? *De Patient.*, cap. 7.

7. Qui perit de via justitiæ, cum magna miseria per vias iniquitatis errabit. Super *Psalm.* II.

8. Non times ne aliquando a te pereat, qui facit ne tu pereas? Super *Psalm.* LXXXV, vers. 4.

9. Melius est erudiri in virga patris, quam in blandimento perire prædonis. Super *Psalm.* LXXXVIII, conc. 2, vers. 34.

10. Si mergi incipis, dic, Domine, pereo, libera me : dic, Domine, pereo, ne pereas. Serm. 3 *de Verb. Dom.*

11. Fieri non potest ut filius lacrymarum pereat. Lib. 3 *Conf.*, cap. 12.

12. Bona opera non pereunt, etiam quæ de bonis pereuntibus fiunt. Epist. 70.

13. Per remissionem peccatorum non perit quod perierat. In *Enchirid.*, cap. 64.

14. Perire a regno Dei tam grandis est pœna, ut ei nulla possint tormenta quæ novimus comparari. *Ibid.*, cap. 112.

15. Non scandalum nos contristat alicujus, nisi quem perire, aut per quem perire infirmum videmus. *De Cathechis. rud.*, cap. 14.

16. Quicunque prædestinati sunt, etiam nondum nati, omnino perire non possunt. *De Correct. et grat.*, cap. 9.

17. Non proficiatis in malis, ne pereatis a bonis. Lib. 3 *contra Crescon.*, cap. 40.

18. Timeat Christianus ne pereant homines Christo; contristetur cum perit aliquis Christo; timeat et sibi ne pereat Christo. Tract. 60 super *Joan.*

19. Periculosum est homini animam amare ne pereat; ideo non debes illam amare, quia non vis illam perire. Homil. 37 *ex* LIII *Hom.*, cap. 1.

20. Pereat avaritia, et dives est natura. *Ibid.*, homil. 42, cap. 4.

V. BEDA. 21. Qui succurrere perituro potest, si non succurrat, reus mortis ejus erit. In suis *Proverb.*, verbo *Qui.*

S.BERNARD. 22. Minus damnabile est in sæculo perire, quam in monasterio. Serm. 2 *de S. Michaele.*

23. Melius est ut pereat unus, quam unitas. Epist. 102, *ad Quemdam abbatem.*

24. Cadit asina, et est qui sublevet eam : perit anima, et nemo est qui reputet. Lib. 4 *de Consid. ad Eugen. Pap.*

25. Aliorum perditio, tua sit cautio. *De Inter. domo*, cap. 45.

S. BONAV. 26. Per negligentiam prælatorum pereunt multi, qui criminibus et flagitiis vulnerati non sunt. Super *Lament. Hierem.*, cap. II.

27. Duodecim de causis perit aliquis : propter defectum pœnitentiæ, propter defectum providentiæ, propter defectum patientiæ, propter defectum innocentiæ, propter defectum clementiæ, propter defectum sapientiæ, propter defectum credulitatis, propter defectum charitatis, propter defectum veritatis, propter defectum pacis, propter defectum liberalitatis, propter defectum humilitatis. Super *Luc.*, cap. XIII, in illud : *Omnes similiter peribitis.*

28. Perduntur peccatores a Deo, ab angelo, a proximo, a diabolo ; a Deo judicante, ab angelo exequente, a proximo scandalizante, a diabolo tentante. Serm. 2, *Fer.* 3 *Pent.*

29. Insanus esset qui seipsum laqueo perderet corporaliter; magis autem insanus, qui se vitio perdit æternaliter. Serm. 2, *Fer.* 3 *Pent.*

30. Pereunt divitiæ, pereunt deliciæ, pereunt dignitates, et quod majus omnibus est, moriuntur, et sæpe pereunt habentes tales honores. Serm. 7 *de SS. Apost.*

31. Tutius est non posse perire, quam juxta periculum non periisse. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 30.

S. CÆSARIUS ARELAT. 32. Quidquid pro carne laboramus, totum peribit : hoc solum perire non poterit, quod unusquisque pro salute animæ in cœlis reposuit. Homil. 20.

S. CYPRIAN. 33. Vehementer infrænis est, cui non incutitur timor alio pereunte. *De Singularit. clericor.*, cap. 2.

S. EPHRÆM. 34. Dæmones omni odio imbuti, nihil æque desiderant, quam cunctos funditus perire. *De Vita spirit.*, cap. 58.

S. EUSEBIUS EMISSEN. 35. Pereuntem in peccatis perditio plus delectat. Homil. 3, *de Epiphan.*

36. In sæculo summa virtus est non perire. *Ibid.*, homil. 5, *ad Monachos.*

37. Qui cum plurimorum destructione se perdidit, cura plurimorum ædificatione se redimat. *Ibid.*, homil. 10.

GLOSS. INT. 38. Nullus prædestinatus perit. Super *Matth.*, cap. XIV.

S. GREGORIUS MAGNUS. 39. Clausis oculis cordis, eo anima præcipitatur in infimis, quo obscuratur a summis. Lib. 26 *Moral.*, cap. 8.

40. Tunc exterius pereunt, qui intus dudum æterna negligendo perierunt. *Ibid.*, lib. 7, cap. 11, super illud *Job* VI : *Tempore quo fuerint dissipati.*

41. Quanti mali incrementum est, pereuntes aspicere, et sequi ad perditionem eorum vestigia non timere? Lib. 4 in I *Reg.*, cap. 1.

S. HIERON. 42. Securius est perire non posse, quam juxta periculum non periisse. Epist. 47, *de Vitando suspecto contubernio.*

43. Ubi necessitas exigit, periclitari melius est quam perire. Epist. 6 *ad Amicum.*

44. Quid prodest per discrimina prospere cucurrisse, si post cursum contigerit perire? *Ibid.*

45. Stultitia est, si, ex parte salvari cupit, qui ex toto periit. Epist. 8, *de Scientia divinæ legis.*

46. Perire sibi existimat diabolus, quidquid Christo salvatur : et mori Synagogæ suæ, quidquid Ecclesiæ vivificatur. Epist. 32 *de Quadrag.*

47. Virtus non perit, licet homo cadat et pereat. Super *Psalm.* CVIII, vers. 7.

HUGO A S. VICTORE 48. Melius est unius solatium perdere, quam per unum totum corpus perire. Super *Regul. D. Aug.*, cap. 7.

HUGO CAR. 49. Merito perit qui se a vita elongat. Super *Psalm.* LXXII.

JOAN. CAS. 50. Occasiones causæque perditionum his qui perituri sunt, immo qui perire desiderant, deesse non possunt. Collat. 17, *Abbat. Joseph*, cap. 16.

S. JOANN. CHRYSOS. 51. Justius est injustum injuste evadere, quam justum injuste perire. *Prosec.*

52. Si reus semel evaserit, iterum potest perire : innocens autem si semel perierit, jam non potest revocari. Homil. 1 super *Matth. Oper. imperf.*

53. Homines pereuntes mente commoti sunt, et insaniunt : propterea maledicunt, et iniquo animo ferunt salubria medicamenta. Homil. 4 super I *Cor.*

S. JOAN. CLIM. 54. Miserabile sane spectaculum, eos in portu naufragium passos aspicere, qui in mari servati fuerant. *Gradu* 2.

JOAN. TRITH. 55. Melius est occasionem fugere, quam incaute perire, Lib. 1 *de Tent. relig.*, cap. 10.

56. Copia pereuntium non tollit pœnam, sed auget. Fpist. 14, *ad Nicol. presbyt. Mernicens.*

LAURENT. JUSTIN. 57. Si qui pereunt, propria pereunt voluntate. *De Triumphali Christi agone*, cap. 5.

58. Multi pereunt securitate. *De Discipl. monast. convers.*, cap. 14.

PHILO JUD. 59. Natura comparatum est, corpus absente anima, animam absente ratione, rationem destitutam virtute, interire funditus. Lib. *de Eo quod deterius potiori*, etc.

PROSPER. 60. Qui de casu pereuntis exultat, necesse est ut prius pereat ipse, quam alium perdat : et ab ipso ea perditio, qua perire alium cupit, incipiat. Lib. 3 *de Vita contemplat.*, cap. 29.

61. Sub immensa omnipotentis Dei misericordia atque justitia non putemus, quod quisquam pereat, qui perire non debeat. Lib. 2, *de Vocat. gent.*, cap. 33.

SALVIANUS. 62. Perde te ipse, ne pereas : dilige hanc tuam salubrem perditionem, ut assequaris veram salutem. Lib. 5 *de Gubern. Dei.*

63. Cum maxima nostri pars jam perierit, id agimus, ut pereamus omnes. *Ibid.*, lib. 6.

THOMAS KEMPIS. 64. Omnia pereunt præter amare Deum : perit dives, perit pauper, perit juvenis, perit senex, perit pulcher, perit niger, perit doctus, perit indoctus, perit magnus, perit parvus, perit nobilis, perit ignobilis, perit dominus, perit servus, perit prælatus, perit subditus, perit honoratus, perit refutatus, perit magister, perit discipulus, perit laicus, perit clericus, perit canonicus, perit monachus, perit theologus, perit astrologus, perit medicus, perit chirurgus. In *Manuali parvulor.*, cap. 7.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 65. Perierat totus orbis, nisi iram finisset misericordia. Lib. 1, controvers. 1.

66. Perieras, ni perire meruisses, *Ibid.*, controvers. 5.

67. Multi in carcere vixerunt, in convivio perierunt. *Ibid.*, lib. 4, controvers. 25.

68. Nemo pereat, nisi quem perire etiam pereuntis intersit. Lib. 1 *de Ira*, cap. 5.

69. Nihil tam magnum est, quod perire non possit. Lib. 6 *de Beneficiis*, cap. 31.

70. Omnia mortalium opera mortalitate damnata sunt, inter peritura vivimus. Epist. 91.

71. Tam necesse est perire, quam perdere : et hoc ipsum, si intelligimus, solatium est, æquo animo perdere quod periturum est. Epist. 98.

72. Periere perituri. *De Remediis fortuitor.*

73. Non cito perit ruina, qui ruinam timet. In suis *Proverb. in fine positis.*

74. Ubi sunt superbæ Carthaginis alta mœnia? ubi maritima gloria inclyti portus? ubi cunctis littoribus terribilis classis? ubi tot exercitus? ubi tantus equitatus? omnia interitus extinxit, periere. Lib. 5, *Dictor. memorabil.*, cap. 6. VALERIUS MAXIMUS.

Vide etiam tit. *Dilectio*, sent. 28; *Dilectio inimici*, sent. 48; *Exemplum*, sent. 10; *Humilitas*, sent. 97; *Malum*, sent. 26; *Martyrium*, sent, 58; *Multitudo*, sent. 6; *Prædestinatio*, sent. 20; *Salus animæ*, sent. 106.

PERJURIUM.

Etymologia. Pejerare dicitur quasi pejus jurare. COLLECTOR.

Definitio. Perjuratio est jurare scienter falsum, vel quid illicitum promittendo, vel sine necessitate : aut non servare promissum juramento firmatum. Part. 1, tit. 2, cap. 4, § 5. S. ANTONIN.

Perjurium est mendacium juramento firmatum. Part. 2, tit. 10, *de Mendacio*, cap. 7, *et S. Bonavent.*, part. 1. *Centiloquii*, sect. 12.

Perjurium est voluntas violans sacramentum, et juramentum. Part. 1 *Centiloquii*, sect. 22. S. BONAV.

Perjurium est fraudulenta commodi consequendi, aut damni devitandi gloria, veritatis agnitæ abnegatio pejerando facta. *De Fruct. carnis et spir.*, cap. 8. HUGO A S. VICTORE.

Perjurium est mendacium juramento confirmatum. *In Summa Sent.*, tract. 4, cap. 5.

Perjurium est Dei abnegatio. *Gradu* 12. S. JOAN. CL.

Perjurus est, qui mendaciter jurat in nomine Domini. Centuria 4, *de Virt. et vitio*, cap. 67. S. MAXIMUS MART.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Tolerabiliora perjuria, quam sacramenta sunt tyrannorum. Lib. 3 *de Virginibus*. S. AMBROS.

2. Non verum jurare, peccatum est : sed pejerare, immane peccatum est. Epist. 154 *ad Publicolam.* S. AUGUST.

3. Melius est nec verum jurare, quia jurandi consuetudine, in perjurium sæpe caditur, et semper perjurio propinquatur. Epist. 89 *ad Hilarium.*

4. Quanto per quod juratur magis est sanctum tanto magis est pœnale perjurium. Epist. 154, *ad Publicolam.*

5. Tanto est quisque inexcusabilior perjurus,

quanto magis ea, quæ pejerando asserit, falsa novit esse, vel credit. *Contra mendacium*, cap. 19.

6. Omnes artifices mali, Deum non timentes, pro lucro, vel pro timore, damni aut egestatis mentiuntur et perjurant. Super *Psalm.* LXX, vers. 17.

7. Homo, qui per consuetudinem jurandi potest lingua in perjurium prolabi, bene prohibetur jurare : tanto enim longius erit a perjurio, quanto erit longe a jurando. Super *Psalm.* CIX, vers 5 : *Juravit Dominus.*

8. Ecce dico charitati vestræ : Qui per lapidem falsum jurat, perjurus est. *De Verb. Apost.*, serm. 28.

9. Perjurii detestanda est bellua, et de rebus humanis exterminanda. *Ibid.*

S. BASILIUS MAGNUS. 10. Perjurii occasio amputanda est. Qui enim recte jurat, fortassis etiam falli potest : qui vero non jurat, perjurii periculum effugit. Super *Psalm.* XIV, conc 3, vers. 6.

S. BERNARD. 11. Sicut mentiri non potest qui non loquitur; sic pejerare non poterit, qui jurare non appetit. Serm. 32 *ad Sororem.*

S. BONAV. 12. Perjurium præcipitium est : qui jurat, juxta est ; qui non jurat, longe est. Lib. 3 *Pharetræ*, cap. 3 *de Juratione.*

GRATIANUS. 13. Perjurii pœna gravissima est quam si quis timens ad confessionem venire noluerit, a fidelium consortio abjiciendus est. In *Decret.*, part. 2, causa 22, quæst. 1, can. *Movet*, § *Perjurii.*

S. GREGOR. MAGN. 14. Sæpe mendacium perjurio tegitur, ut ante hominum judicia veletur. Homil. 12 super *Ezech.*

S. JOANNES CHRYSOST. 15. O insipiens, qui alterum jurare compellis! nescis quid agis : ille etsi perjuraverit, vel cum lucro perjurat, tu autem sine lucro perjurii illius particeps inveniris. Homil. 12 super *Matth. Oper. imperf.*

16. Qui mentiri non dubitat, nec perjurare timet : qui enim mentitur, veritatem in corde suo transgreditur : qui autem perjurat, in verbis suis transit Deum. *Ibid.*

17. Qui non se abstinet a perjurio quomodo se abstineat a juramento ? *Ibid.*, homil. 18.

18. Ex facetiis perjuria proveniunt. Serm. 17, super *Epist. ad Ephes.*

19. Perjurat quisque ut rapiat. Homil. 7 super II *Timoth.*

20. Non pejerare tantum, verum et jurare diabolicum est, et tota maligni machinatio. Homil. 19 *ad Populum Antioch.*

21. Qui pejerare paratus est, antequam juret, jam perjurus esse videtur : quia Deus non ex operibus judicat, sed ex cogitationibus, et ex corde. Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 22, quæst. 5, can. *Qui.*

22. Pejeras continuo ? Non sufficiat perjurium cohibuisse, sed et juramentum evelle, et nullo deinceps opus erit labore : multo quippe difficilius est jurantem non pejerare, quam prorsus a jurejurando abstinere. Serm. 12 super *Epist. ad Rom.*

23. Qui rem falsam interposito jurejurando confirmat, perjurium acquirit. Lib. 3 *Parall.*, cap. 17. S. JOANNES DAMASCEN.

24. Nemo perjurium committit, nisi qui male jurat. In cap. 4 *Regulæ S. Bened.*, verbo *Perjurare.* JOAN. TRITH.

25. Sicut mentiri non potest qui non loquitur ; sic perjurare non poterit qui jurare non appetit. *Prosec.* S. ISIDORUS HISPALENS.

26. Non est contra Dei præceptum jurare, sed dum usum jurandi facimus, perjurii crimen incurrimus.

27. Nunquam juret qui perjurare timet. Lib. 2 *de Sum. bono*, cap. 31, sent. 1.

28. Multi ut fallant, perjurant : ut per fidem sacramenti, fidem faciant verbi ; sicque fallendo, dum perjurant, hominem incautum decipiunt, non Deum. *Ibid.*, sent. 4.

29. Dei sectator non jurabit, ne quando vel necessitate, vel consuetudine in perjurium cadat. In *Epitome*, cap. *Superest.* LACT. FIRM.

30. Quisquis jusjurandum pejerans violat, a Christi se corpore, quasi per quoddam abscissionis dissidium separat, et a redemptionis humanæ mysteriis alienat. Lib. 8, epist. 10, *ad Moricum doctor.* S. PETR. DAM.

31. Quisquis perjurat, studiose perpendat, quia nisi pœnitens canonice satisfecerit, nec incarnatio Domini, neque nativitas, neque passio, vel resurrectio, aut ascensio sibi proficere aliquatenus potest. *Ibid.*

32. A perjuriis cave, immo ab omni te juramento compesce : quia sicut qui non loquitur, non mentitur, ita qui non jurat, impossibile est ut perjurium incurrat. *Ibid.*

33. Deum citare testem mendacii, scelus est nefarium. *De Decalogo.* PHILO JUD.

34. Ex frequenti juramento nascitur perjurium et impietas. *Ibid.*

35. Si quis quem perjurum scit, non indicat, amicitiæ, reverentiæ, timori plus quam pietati tribuens, perjurii pœnæ fit obnoxius. Lib. 1, *de Specialib. leg.*

36. Qui compulsus a domino sciens pejerat, utrique sunt perjuri, et dominus et servus : Dominus, quia præcepit ; servus, quia plus dominum quam animam suam dilexit. Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 22, quæst. 5, can. *Qui.* S. PIUS PAPA.

37. Qui pejerat, pœnam : qui verum dejerat, RUPERT

ABB. veniam : qui non jurat omnino, gratiam meretur et gloriam. Lib. 5 *de Spiritu Sancto*, cap. 19.

LVIANUS. 38. Si pejeret Francus, quid novi faceret ? qui perjurium ipsum sermonis genus putat esse, non criminis ? Lib. 4 *de Gubern. Dei*.

39. Quis est omnino hominum sæcularium præter paucos, qui non ad hoc semper Christi nomen in ore habeat, ut pejeret ? *Ibid.*

40. Cum Deus non sit per quem juratur, non est perjurium, cum pejeratur. *Ibid.*

VINCENT. RRARIUS. 41. Perjurium est majus peccatum, quam homicidium. Serm. 2, *Fer.* 6, *post diem Ciner.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

RISTOTEL. 42. Iniquitatis est mentiri, etiam pejerare. Lib. 1 *de Virtutibus*, cap. 5.

CICERO. 43. Qui mentiri solet, pejerare consuevit. Orat. 3 *pro Roscio*.

44. Ubi semel quis pejeraverit, ei credi postea (etiamsi per plures deos juret) non oportet. Orat. 39 *pro Rabirio*, num. 36.

45. Non, falsum jurare, pejerare est : sed quod ex animi tui sententia juraveris, sicut verbis concipitur more nostro, id non facere, perjurium est. Lib. 3 *de Offic.*

Vide etiam tit. *Juramentum*, sent. 17, 26, 28, 29, 43, 61, 62 ; *Negotiatio*, sent. 62.

PERSECUTIO.

GO CARD. *Definitio.* Persequi est vim inferre, vel insidiis appetere. Super *Matth.*, cap. v.

NAV. *Divisio.* Sunt quatuor persecutiones principales : prima tyrannorum ; secunda hæreticorum ; tertia falsorum christianorum ; quarta erit ex omnibus conflata, quæ erit antichristi, et suorum complicium. In cap. xvii, *Lucæ*, super illud : *Venient dies.*

Et hæ designatæ sunt in quatuor bestiis quas vidit Daniel : prima erat similis leænæ, secunda urso, tertia pardo, quarta non describitur, quia in ea est omnium perversitatum concursus.

THOMAS QUINAS. Duplex est persecutio : una bona, qua aliquis alium persequitur ut reducat eum ad bonum ; alia est mala, qua quis persequitur alium ut pervertat ad malum. Super *Epist. ad Galat.*, cap. iv, lect. 8.

SENTENTIÆ PATRUM.

AMBROS. 1. Si patrimonium petitur, invadite : si corpus occurram : vultis in vincula rapere, vultis in mortem ? voluptati est mihi. Lib. 5, epist. 33, *ad Marcellinam sororem suam.*

2. Quælibet jacula justo nocere non possunt, cui Deus lux est. *De Nabuthe*, cap. 14.

3. Persecutio fit ut fidelis luceat, virtus excellat, mens interna omnibus manifestetur. Super *Psalm.* xxxvii.

4. Magna est virtus, quæ sub magnis persecutionibus constituta et pene oppressa, tamen suum non est oblita præsidium, nec mandata Dei dereliquit. Super *Psalm.* cxviii, serm. 11, vers. 7.

5. Tolle persecutiones, et martyres desunt : persecutores Deus est passus assurgere, ne deessent qui vincerent Christo. *Prosec.*

6. Sed quis hodie neget beatiores illos esse, qui persecutionem passi sunt, quam illos quos nulla vexarunt supplicia persecutorum ? *Ibid.*, serm. 14, vers. 2.

7. Si multæ persecutiones, multæ probationes, ibi multæ coronæ, ubi multa sunt certamina. *Prosec.*

8. Tibi proficit quod multi persecutores sunt, ut inter multas persecutiones facilius invenias quomodo coroneris. *Ibid.*, serm. 20, vers. 5.

9. Multi persecutione publica coronati, occulta vitiorum persecutione ceciderunt. *Ibid.*

10. Qui patitur persecutionem, in ultimo certamine constitutus probatur adversis, ut cum legitime certaverit, coronetur. Lib. 5 super *Luc.*, cap. vi, in illud : *Beati qui persecutionem patiuntur.*

11. Quidquid sævit pro nomine Christi, si vinci potest, tolerabile est : si vinci non potest, et migrare hinc faciat, non aufert, sed accelerat ipsam requiem. Part. 1, tit. 5, cap. 1, § 11. S. ANTONIN.

12. Ecclesia decem habuit persecutiones ab imperatoribus Romanis, figuratas per decem plagas Ægypti, et undecima erit tempore antichristi : prima sub Nerone, secunda sub Domitiano, tertia sub Trajano, quarta sub Antonino, quinta sub Severo, sexta sub Maximino, septima sub Decio, octava sub Valerio, nona sub Aureliano, decima sub Diocletiano et Maximiano. *Ibid.*, cap. 2, § 8.

13. Persequi, diaboli inventum est, qui omnibus infestus, ubique persequendi votum concipit. In *Apologia de sua fuga*. S. ATHANAS. MAGNUS.

14. Est persecutio injusta, quam faciunt impii Ecclesiæ Christi : et est justa persecutio, quam faciunt impii Ecclesiæ Christi. Epist. 50, *ad Bonifac.* S. AUGUST.

15. Semper mali persecuti sunt bonos, et boni persecuti sunt malos : illi nocendo per injustitiam, isti consulendo per disciplinam : illi immaniter, isti temperanter : illi servientes cupiditati : isti charitati. Epist. 43, *ad Vincentium.*

16. Quid hic magis persequitur vitam bonorum, quam vita iniquorum ? non cum cogit imitari quod displicet, sed cum cogit dolere quod videt. Epist. 144, *ad Sebastianum.*

17. Ipse diabolus etiam per filios infidelitatis, tanquam per sua vasa, filios lucis insequitur. *De Patient.*, cap. 10.

18. Justi impios persequuntur, non sane no-

cendi studio, sed necessitate potiùs consulendi. Lib. 4 *contra Cresconium*, cap. 46.

19. Non deerunt insultantes, usque in finem sæculi. Super *Psalm.* LXXIII.

20. Illi vere persequuntur Ecclesiam, qui dolis persequuntur. Tract. 5, super cap. I, *Evang. Joan.*

21. Non cessat hostis persequi, et si non aperte sævit, insidiis agit. *Ibid.*, tract. 10, cap. II.

22. Omnis malus qui persequitur bonum, velut in somnis hoc facit, quia malorum persecutio non manet, sed velut somnium evanescit. Homil. 15 super *Apocal.*

23. Omnes mali persequuntur bonos, si non ferro et lapidibus, vita tamen et moribus. *De Verb. Apost.*, serm. 24.

24. Sæviat mundus, fremat mundus, concrepet linguis, coruscet armis, quod potest faciat, quid faciet rei quam accepturi sumus? appendo quod patior, contra id quod spero. *Prosec.*

25. Non extinguit, sed accelerat ipsum præmium; quod cum venerit, sine fine erit: opus cum fine merces sine fine.

26. Cum attenderis quid sis accepturus, omnia tibi erunt vilia quæ pateris, nec digna æstimabis, pro quibus illud accipias. Serm. 1 *de Convers. S. Pauli.*

27. Hæretici dicunt Ecclesiam veram ipsam esse, quæ persecutionem patitur, non quæ facit. Epist. 50.

28. Justus temporaliter cadit persecutionibus, ut postea infidelibus dominetur. *Annot. in Job*, cap. 17.

29. Tria sunt genera hominum in Ecclesia, cum fit persecutio: alii enim consentiunt, alii fugiunt, alii patiuntur. *Ibid.*, cap. 24.

30. Sunt duri ad non consentiendum veritati, et acuti ad persequendum. *Ibid.*, cap. 39.

31. Persecutionem nullis putandum est deesse posse temporibus. Lib. 18, *de Civitate Dei*, cap. 51.

32. Reges terræ, qui ante persequebantur christianos, nunc sunt christiani: ipsos habet defensores, quos ante habuit persecutores. *De Quinque hæres.*, cap. 7.

33. Non est unde gaudeas te pati persecutionem, cum invenire non possis quomodo te asseras innocentem. Lib. 1, *contra Gaudent.*, cap. 5.

34. Persecutionem patimini a vobis: diligit vos persecutor vester, et persequitur vos furor vester. *Ibid.*, cap. 21.

35. Novit Deus etiam de ipsis diaboli persecutionibus coronas suscitare martyribus: utens bene omni genere malorum ad utilitatem bonorum. Lib. 4 *contra Julian.*, cap. 7.

36. Quisquis christianum persequitur, Christi est inimicus. Lib. 3 *Contra Cresconium*, cap. 51.

37. Gravius persequitur filius patrem male vivendo, quam pater filium castigando. *De Unit. Eccles.*, cap. 20.

38. Si tu bene vivis, non te persequitur, nisi qui malus est. Homil. 6 *ex* LIII *Homil.*

39. Qui persequebantur christianos pro idolis, persequuntur idola propter Christum. *Ibid.*, homil. 36, cap. 1.

40. Inimicum tuum vides persequi te, iniquitas est quæ te persequitur. *Ibid.*, homil. 38, cap. 7.

41. Persecutio indubitanter mercenarios a pastoribus segregat, et discernit. Serm *de Convers. ad clericos*, cap. 31. S. BERNARD.

42. Nunquam deest persecutio christiano, sed neque Christo: et nunc, quod gravius est, ipsi Christum persequuntur, qui ab eo utique christiani dicuntur. Serm. *de Convers. S. Pauli.*

43. Is qui exemplo suo ad remissius agendum, cæteros provocat, aut singularitate turbat, aut inquietat curiositate, aut impatientia et murmuratione molestat, aut quocunque modo contristat Spiritum Dei, qui in eis est, hic manifeste persequitur Christum. *Ibid.*

44. Herodiana malitia et Babylonica crudelitas, nascentem velle extinguere religionem, et allidere parvulos Israelis. *Prosec.*

45. Si quid ad salutem pertinens, si quid religionis oritur, quicunque resistit, quicunque repugnat, plane cum Ægyptiis parvulos Israelitici germinis necare conatur; immo cum Herode nascentem persequitur Salvatorem. Serm. 3 *Epiph.*

46. Expedit cedere persecutori potius quam resistere: fugere ferientem, quam referire. Fugere enim persecutionem non est culpa fugientis, sed persequentis. Epist. 1 *ad Robertum nepotem suum.*

47. Omnis homo, qui alium in corpore persequitur, prius ipse in corde persecutionem sustinet. *De Inter. domo*, cap. 52.

48. Quantumlibet sæviant mali, sapienti tamen corona non decidet, non arescet. Lib. 4 *de Consolat. philos.*, prosa. 3. BOETIUS.

49. Multo magis non insequendi, sed miserandi sunt, quorum mentes omni languore atrocior urget improbitas. *Ibid.*, lib. 4, prosa. 4.

50. Ecclesia solet passionis falce crescere, et persecutionum plagis in sancto populo semper augeri. Super *Psalm* LXXIX, vers. 9. CASSIODOR.

51. Per persecutionem, sanctæ martyrum germinant palmæ: per hanc coronalis illa beatitudo præparatur: per hanc, nuptialis stola conceditur: per hanc, cœlorum regna reserantur: et quidquid

desiderio magno petitur, ipsa potius sæviente præstatur. Super *Psalm.* XCIII, vers. 22.

52. Qui sanctos persequuntur, ad cœlorum quidem regna transmittunt; sed credunt se perdere, quos statuerint iniqua voluntate trucidare. *Ibid.*

53. Permittit Deus diabolum sævire, ut ex illius iniquitate sibi debeat fidelissimos invenire; et nascatur de afflictione gaudium, de persecutione temporali æterna securitas. Super *Psalm.* CX, vers. 2.

54. Persequi plerumque facit homines, aut divitiarum ambitus, aut superbiæ odiosa jactantia. *Prosec.*

55. Pauperem vero et mendicum insequi sola sævitia est, cujus nec honor quæritur, nec abundantia facultatis ambitur. Super *Psalm.* CVIII, vers. 15 : *Et persecutus est hominem inopem.*

56. Viri sancti tanto plus enitescunt, quanto amplius persecutorum studio comprimuntur. Super *Psalm.* CXV, vers. 1.

57. Quid prodest crudelibus persequi, quos vident persecutionibus augeri? Super *Psalm.* CXVII, vers. 17.

58. Pactum Domini est, ut quicunque persecutiones superavit, gloriosa debeat electione coronari. Super *Psalm* CXVIII, vers. *Vidi prævaricantes.*

59. Dum persecutiones catholicam religionem exhaurire cupiunt, felicissimas atque copiosas coronas martyribus conferunt. Super *Psalm.* CXXXVI, vers. 10.

60. Persecutores aperti et obstinati, sanctos Dei scelerata præsumptione dilacerant. Super *Psalm.* CXXXVIII, vers. 22.

S. CYPRIAN. 61. In persecutionibus militia, in pace conscientia coronatur. *De Exhort. martyrii*, cap. 12.

DIONYSIUS CARTHUS. 62. Quælibet persecutio, tentatio dici potest : quia per eam homo examinatur, et qualis sit noscitur. Super *Apocal.*, cap. 3, art. 4.

63. Sicut vita Christi in mundo persecutionibus fuit plena, sic electorum christianorum vita in hoc sæculo diversis persecutionibus exercetur, probatur, et coronatione gloriæ sempiternæ digna efficitur. *De Mortificat. vivifica*, in Procemio.

64. Magis timere debet christianus, se non esse in statu salutis et gratiæ, et ad electorum consortium non pertinere, dum nil afflictionis aut persecutionis sibi contingit. *Ibid.*

S. EUSEBIUS EMISSEN. 65. Quanto persecutor in necem confitentis immanis est, tanto Deus in remuneratione perseverantis est ditior. Homil. 4 *Epiph.*

GLOSS. INT. 66. Post quietis otia persecutio redit. Super *Job*, cap. 17.

GLOSS. ORD. 67. Tribus modis fit persecutio : odio cordis, dictis, factis. Super illud *Mat.* V : *Sic enim persecuti sunt.*

GRATIANUS. 68. Boni laudabiliter persequuntur malos, et damnabiliter mali persequuntur bonos. In *Decret.*, part. 2, causa 23, quæst. 4, can. *Si non*, § *Breviter.*

S. GREGOR. MAGNUS. 69. Perversi duobus modis bonorum vitam impetunt : quia aut prava eos dicere afferunt, aut recta non servare, quæ dicunt. Lib. 5 *Moral.*, cap. 12, num. 13.

70. Multos peste propriæ paupertatis obsessos sub christiano nomine, ipsa tranquillitas ecclesiasticæ pacis abscondit : quos tamen si levis persecutionis aura pulsaverit, mox extra aream velut paleas tollit. Lib. 25 *Moral.*, cap. 10, num. 14.

71. Omnipotens Deus electorum suorum adversarios temporaliter permittit excrescere, ut per malorum sævitiam purgetur vita bonorum. *Prosec.*

72. Nunquam Dominus adversus bonos, eos sævire permitteret, nisi etiam quantum prodessent, videret.

73. Nam dum injusti sæviunt, justi purgantur et utilitati innocentium militat vita pravorum; dum hanc et premendo humiliat, et humiliando semper ad melius format. *Ibid.*, lib. 20, cap. 19.

74. Sancta Ecclesia sine labore persecutionis non potest tempora peregrinationis transigere : quæ si foris apertos hostes non habet, intus tamen tolerat fictos fratres. *Ibid.*, lib. 31, cap. 4, num. 6.

75. Duobus modis Ecclesia persecutionem patitur, aut verbis, aut gladiis : verbis, ut exerceatur ejus sapientia; gladiis, ut exerceatur ejus patientia. *Ibid.*, lib. 18, cap. 3, num. 1.

76. Quamvis occasio persecutionis desit, habet tamen pax nostra martyrium suum : quia etsi carnis colla ferro non subdimus, spirituali tamen gladio carnalia desideria in mente trucidamus. Homil. 3, super *Evang.*

77. Sæpe torpentis animus persecutionibus tangitur, ut excitetur. *In septem Psalm. Pœnit.* super *Psalm.* III, vers. 18.

78. Erga virum Dei ferina corda sunt hominum, et quasi humana bestiarum. Lib. 3, *Dialogi*, cap. 11.

79. Plerumque mali justos, qui eorum salvationem appetunt, execrabilis nequitiæ persecutionibus affligunt. *In septem Psalm. Pœnit.* super *Psalm.* III, vers. 20 : *Qui oderunt me inique.*

80. Minus pie vivis, si minus persecutionem pertuleris. Lib. 6, in *Registro*, indict. 15, cap. 191, epist. 27, *ad Narsam.*

S. GREGOR. NAZ. 81. Nil ita vincit persecutorem, sicut promptitudo passionis. Orat. 21 *ad Heronem.*

HAYMO. 82. Sicut silex calcata pedibus hominum elimari potest, comminui non potest : et tanto magis

elimatur, quanto magis calcatur : ita sancta Ecclesia ex persecutione perfidorum robustior redditur et luculentior. Super *Apocal.*, cap. 11.

83. Tanto robustior, quanto immanior persecutorum sævitia. *Ibid.*, cap. 12, super illud : *Persecutus est mulierem.*

84. Erras, frater, erras, si putas unquam christianum persecutionem non pati : tunc maxime oppugnaris, si te oppugnari nescis. Epist. *ad Heliodor.*

S. HIERON. 85. Persequitur me hostis, cui nomina mille, mille nocendi artes : et ego infelix victorem me putabo dum capior? *Ibid.*

86. Christi Ecclesia persecutionibus crevit, martyriis coronata est. Epist. 16 *ad Theophil.*

87. Persecutio non ad negationem credentium, sed ad probationem pertinet, et coronam. Lib. 5, super *Isaiam*, cap. 19, super illud : *Et percutiet Dominus Ægyptum.*

88. In persecutionibus non licet propria perire manu, absque eo ubi castitas periclitatur, sed percutienti colla submittere. Super *Jonam*, cap. I, super illud : *Tollite me.*

89. Qui instigator justorum est, diabolus est. Super *Psalm.* XXXVIII, vers. 2.

90. Non omnis persecutio culpabilis est, sed rationabiliter hæreticos persequimur, sicut et Christus corporaliter persecutus est eos, quos de templo expulit. Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 23, quæst. 4, can. *Ille*, § *Porro.*

S. HILARIUS 91. Graves persecutorum molestiæ, justo utiles sunt : periculosa otiosæ fidei pax est, et faciles securis excubiis insidiæ sunt. Super *Psalm.* CXVIII, vers. *Defecit in salutare tuum.*

HUGO A S. VICTORE. 92. Bonos persequendo affligere inimicus potest, consumere autem non potest. Super *Thren.*

HUGO CARD. 93. Dum bonos persequuntur mali, inflammantur boni ad dilectionem Dei. Super *Psalm.* IX.

94. Quatuor persecutiones significantur per quatuor bestias Danielis septimo : prima bestia est leæna : ecce martyricidæ; secunda est ursus, qui est fortis in renibus, sed debilis in capite : ecce hæretici debiles in fide; tertia est pardus : ecce falsi fratres; quarta non nominatur, nisi terribilis et mirabilis, scilicet antichristus. Super *Psalm.* LIV.

95. Periculosior est persecutio seductoris, quam aperte sævientis. Super *Psalm.* LXIX.

96. Justi quando amplius impetuntur, tanto gloriosius coronantur. Super *Hierem*, cap. 39.

S. INNOC. III. 97. Quod facit flagellum grano, et fornax auro, id efficit persecutio viro justo. Super *Psalm.* XXXVII, vers. 19.

S. JOANNES CHRYSOST. 98. Tolle persecutores, et non erunt martyres : tolle congeriem malorum, et non erit plenitudo virtutum. Homil. 1, *de Lapsu primi hominis.*

99. Persecutio gentilium et hæreticorum, est ventilatio ventilabri cœlestis. Homil. 3, super *Matth. Oper imperf.*

100. Ideo non posuit Scriptura personas persequentium, sed solam causam persecutionis, ut tu non aspicias qui te persequitur, sed ut quid te persequatur. *Ibid.*, homil. 9.

101. Fructus confessionis in persecutione, gratiosior est Deo quam in pace ; fructus boni operis gratiosior est Deo in pace, quam in persecutione. *Ibid.*, homil. 31.

102. Sicut assidua est in mari tempestas, sic in mundo persecutio Satanæ, ubi nunquam tranquillitas est. *Ibid.*, homil. 39.

103. Sicut vernali flatu arbores laxantur in folia, et fructus : sic in persecutionibus, excitantur animæ ad virtutem. *Ibid.*, homil. 49.

104. Doctrina et consolatio sacerdotis semper opportuna, maxime autem tempore persecutionis. *Prosec.*

105. In persecutionibus plus necessaria est doctrina fidei, quam conversationis : in pace autem plus necessaria est doctrina conversationis, quam fidei : quia in persecutione fides christianorum, periclitatur, in pace autem justitia. *Ibid.*, homil. 51.

106. Sicut justa ira non est ira, sed diligentia : sic justa persecutio non est percussio, sed correctio. *Ibid.*

107. Cum quis te persequitur, non ipsum, sed dæmonem instigantem considera, et adversus illum iram seda, et miserere quod ita a diabolo irritetur, a quo sibi mendacium oritur, multo magis injusta ira. Homil. 83, super *Joan.*

108. Certum est persecutione magna bona facere, et persequentes vinci, eos autem qui persecutionem ferunt, clariores apparere. Homil. 30, super *Acta Apost.*

109. Magnum bonum est persecutio. et magnæ ac generosæ animæ opus. *Ibid.*, homil. 31.

110. Persecutio est, et fugimus, et dicimus; JOAN.
Non est persecutio. In cap. 4, *Regulæ S. Bened.*, TRITH.
verbo *Justus.*

111. Qui a malis persequitur, quia ipsis dissimilis est, pro justitia vexatur. *Ibid.*

112. Persecutionem patiuntur justi, et affliguntur, et occiduntur, in abundantia autem sunt peccatores. Lib. 2, *advers. Hæres.*, cap. 38. S. IRENÆUS.

113. Quanto propinquius finem mundi diabolus videt, tanto crudelius persecutiones exercet : ut, quia se continuo damnandum conspicit, socios sibi multiplicet cum quibus gehennæ ignibus abdicatur. Lib. 1 *de Sum. bono*, cap. 25, sent. 8. S. ISID. HISP.

114. Quanto breve tempus videt sibi restare diabolus, ut damnetur : tanto in magna persecu

tionis ira movetur, ut glorificentur electi, sordidentur impii, et ut diabolo durior crescat damnationis sententia. *Ibid.*

115. Persecutionis igne conflaris, ut omni peccatorum sorde purgeris. Lib. 1, *de Synonym.*

S. LEO I. — 116. Quia cessavit persecutor, quia jam omnes Deo militant potestates, non ideo desunt Christianis, quas superent, passiones. *Prosec.*

117. Qui ergo putas quievisse persecutionem, et nullum tibi cum hostibus esse conflictum : intimum cordis tui scrutare, et omnes recessus animæ tuæ diligens explorator ingredere, et vide si nulla te impugnat adversitas, si nullus tyrannus vult in mentis tuæ arce dominari. Serm. *de Machabæis.*

118. Nunquam deest tribulatio persecutionis, si nunquam desit observantia pietatis. Serm. 9 *Quadrag.*

119. Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur : et semper Dominicus ager segete ditiori vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur. Serm. 1 *in Natali SS. Petri et Pauli.*

PELAGIUS PAPA. — 120. Unicuique providendum est, ut non aliquem injuste persequatur, judicet, vel puniat, ne Jesum persequatur. Epist. *ad Benign. archiepisc.* Hab. in *Decret. Gratiani,* part. 2, causa 11, quæst. 3, can. *Unicuique.*

121. Non persequitur, nisi qui ad malum cogit : qui vero malum vel factum jam punit, vel prohibet ne fiat, non persequitur iste, sed diligit. *Ibid.*, part. 2, causa 23, quæst. 5, can. *Non vos.*

PHILO JUD. — 122. Qui invitum ad bonum cogit, non persequitur, sed diligit. *Ibid.*

123. Quisquis se putat persecutorem, alium persecutorem habet : et qui se putat prehendisse tenereque, comprehensus tenetur. Lib. *de Cherubim.*

PROSPER. — 124. Bona persecutio, quæ non hominem, sed peccatum hominis insectatur. Super *Psalm.* c, vers. 6.

125. Justo judicio Dei datur plerumque peccatoribus potestas, qua sanctos ipsius persequantur : ut qui Spiritu Dei juvantur et aguntur, fiant per laborum exercitia clariores. Apud *D. August.*, sent. 23.

ROBERTUS BELLARM. — 126. Quicunque alium injuste persequitur, seipsum lædit, et vastat. Super *Psalm.* XXXIV, vers. 16.

TERTULL. — 127. Totum quod agitur in persecutione, gloria Dei est probantis et reprobantis, imponentis et deponentis. *De Fuga,* cap. 1.

VIT. PAT. — 128. Si te persequuntur adversarii, primo fuge, secundo fuge, tertio esto rhomphæa contra ipsos, et concides eos. In *Sententiis in fine positis*, sent. 42.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

129. Mores honestos, aut pravos, elucere necessum est in persecutione. Lib. 2 *Ethic. ad Eudomium.* — ARISTOTEL.

Vide etiam tit. *Antichristus*, sent. 9, 27, 28; *Conversatio,* sent. 61; *Diabolus,* sent. 3; *Fides,* sent. 109; *Fuga,* sent. 2, 4, 34, 35, 36; *Judas,* sent. 102; *Judicium extrem.*, sent. 89; *Laqueus,* sent. 22; *Martyrium,* sent. 128; *Mors in genere,* sent. 232; *Occisio,* sent. 30, 37; *Spiritus sanctus,* sent, 3; *Tyrannis,* sent. 23, 27, 29, 30.

PERSEVERANTIA.

Definitio. Perseverantia vera, est in bonis operibus frequens exercitatio, continuum studium ad perfectionem, spiritualiumque gratiarum et virtutum diligentissima usque ad mortem observatio. *De Paradiso animæ,* part. 1, *de Virtutibus,* cap. 42. — S. ALBERTUS MAGNUS.

Perseverantia est permanentia in bono diuturna, sive finalis. Part. 3 *Centiloquii,* sect. 43. — S. BONAV.

Perseverantia est exitus rei per consummationem fidei. Lib. 4 *de Anima,* cap. 16. — HUGO A S. VICTORE.

Perseverantia est quæ virtutum quadam perfectione, longanimitate perficiente, confirmat animum, ne ante consecutum finem desistat ab incœpto. *De Fruct. carnis et spirit.*, cap. 14.

Perseverantia est in ratione bene considerata, stabilis et perpetua permansio. Part. 1 *de Ligno vitæ,* tract. *de Perseverantia,* cap. 1. — S. LAURENT. JUSTIN.

Perseverantia est fortitudo figens in assiduitate operis, ne finaliter opus deseratur. Part. 4, *de Descript terminor,* cap. *Fortitudo.* — JOAN. GERS.

Perseverantia est specialis virtus, per quam homo in honestis operibus persistit quantum necesse est. 2, 2, quæst. 137. — S. THOMAS AQUINAS.

Perseverantia est in ratione bene considerata, stabilis et perpetua permansio. Lib. 2 *de Invent. rhetor.* — CICERO.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Argumentum veræ perseverantiæ habet, qui nec amore vitæ, nec timore mortis, nec minis, nec promissis a rectitudine recedit, vel flecti potest. In *Paradiso animæ,* part. 1, *de Virt.*, cap. 42. — S. ALBERTUS MAGNUS.

2. Complementum et conservatio operum nostrorum est perseverantia. Part. 4, tit. 3, cap. 8, § 2. — S. ANTONIN.

3. Perseverantia magnum Dei donum est, quo cætera dona conservantur. *De Bono perseverantiæ,* cap. 2. — S. AUGUST.

4. Cum dicit Dominus, *Timorem meum dabo in cor eorum, ut a me non recedant,* quod quid est aliud quam, Talis ac tantus erit timor meus, quem dabo in cor eorum, ut mihi perseveranter adhæreant? *Ibid.*, cap. 2.

5. Justior videtur excusatio dicentium; Non accepimus audientiam, quam dicentium ; Non accepimus perseverantiam. *De Correp. et gratia*, cap. 7.

6. Perseverantia informat meritum, colorat boni propositum, remunerat currentem, coronat pugnantem, ducit ad bravium, conducit cunctos ad portum. Serm. 8 *ad Fratres in eremo.*

7. Contra diaboli insultum valet sola perseverantia, ut bono fine bona concludantur initia, ut principium medio, medium ne discrepet ultimo. *Ibid.*

8. Nihil boni dicitur, nisi usque ad mortem in bono perseveretur. *Ibid.*, serm. 34.

9. Beati hujus vitæ licet de suæ perseverantiæ præmio certi sint, de ipsa tamen perseverantia sua reperiuntur incerti. Lib. 11 *de Civit. Dei*, cap. 12.

10. Negare non possumus perseverantiam in bono proficientem usque in finem, magnum esse Dei munus. *De Correpi. et gratia*, cap. 6.

11. Primus homo donum perseverantiæ non habuit. *Ibid.*, cap. 10.

12. Sicut bonus *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* : sic et malus qui perseveraverit usque in finem, hic salvus non erit. Lib. 4 *de Baptismo contra Donat.*, cap. 14.

13. Non aliud oramus cum oramus, ut qui stat, stet; nisi ut perseveret. *De Correpi. et grat.*, cap. 6.

14. Deus eos facit perseverare in bono, qui facit bonos. *Ibid.*, cap. 12.

15. Certi estote quia non erit inanis labor vester, si in bono proposito proficientes perseveretis usque in finem. *De Gratia et libero arbitrio*, cap. 23.

16. Memoria promissæ mercedis perseverantem facit in opere. Tract. 3 super *Epist. Joan.*

17. Tentatio accidit, persevera usque in finem : quia tentatio non perseverat usque in finem. Tract. 45 super *Joan.*

18. Salutem Deus promisit perseverantibus in charitate, non in iniquitate. Homil. 5 *ex* LIII *Homil.*, cap. 4.

S. BERNARD. 19. Ubi sane et sanctimoniæ decus, et indeficientis gratiæ expressa perseverantia est, ibi est sanctitudo. Serm. 46 super *Cant.*

20. Perseverantia sola meretur viribus gloriam, coronam virtutibus. Epist. 129, *ad Januenses.*

21. Prorsus absque perseverantia, nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur. *Ibid.*

22. Perseverantia est vigor virium, virtutum consummatio, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium, soror patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimitatis vinculum, propugnaculum sanctitatis. *Ibid.*

23. Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. *Ibid.*

24. Perseverantia summæ honestatis est insigne, totius probitatis unica fidaque custos. *Ibid.*

25. Si perseveraveris pulsans, non exibis inde vacuus. *De Inter. domo*, cap. 48.

26. Perseverantia singularis est filia summi regis, virtutum fructus, earumque consummatio, totius boni repositorium. Serm. *de Virt. obed.*

27. Profunda oblivione virtutes illæ sepeliuntur, quas perseverantia non insignivit. *Ibid.*

28. Nullum bonum sine perseverantia coronatur. Lib. 2 *Pharetræ*, cap. 43. S. BONAV.

29. Perseverantia perficit inchoata, impetrat postulata, stabilitat acquisita. Tit. 8 *Diætæ*, cap. 2.

30. Aliæ virtutes coronam merentur, sed sola perseverantia coronatur. Tit. 9 *Diætæ*, cap. 2.

31. Qui perseverat, cessare nescit. *De Sex alis Cherub.*, ala 5, penna 5.

32. Perseverantia ipsa est virtutum omnium complementum, decor et gloria. *De Profess. monast.*. art. 5. DIONYSIUS CARTHUS.

33. Quamlibet negligens, quamlibet tepidus, non in vacuum currit, qui ad palmam consummationis perseverando in bono pervenerit. Homil. 5 *ad Monachos.* S. EUSEBIUS EMISSEN.

34. Hosti, quem ipsa conversione provocavimus, in medio certamine manus damus, si in fervore quo cœpimus, non perseveramus. *Ibid.*, homil. 8.

35. Incassum bonum agitur, si ante terminum vitæ deseratur : quia frustra velociter currit, qui priusquam ad metas veniat, deficit. Lib. 1 *Moral.*, cap. 21, num. 41. S. GREGOR. MAGNUS.

36. Bene cœpta cunctis diebus agenda sunt, ut cum malum pugnando repellitur, ipsa boni victoria constantiæ manu teneatur. *Ibid.*

37. Virtus boni operis perseverantia est. Homil. 25 super *Evang.*

38. Non sufficit bene incipere, nisi studeat quis in bono opere perseverare. *Super septem Psalm. Pœnit.* super *Psalm.* I, vers. 6.

39. Habes in Sanctis perseverantiæ documentum : ut si primo non exaudiris, ab oratione non deficias, immo precibus et clamori insistas. *Ibid.*, super *Psalm.* VI, vers. 1, super illud : *De profundis clamavi.*

40. Qui bona inchoata minime consummant, dum proposita non perficiunt, etiam quæ fuerant cœpta convellunt. *Prosec.*

41. Nec malos bona imperfecta adjuvant, nec bonos mala inconsummata condemnant. Part. 3 *Pastoral.*, cap. 11, admonit. 31 et 35.

S. HIERON. 42. Incipere plurimorum est, perseverare paucorum. Lib. 1 *adversus Jovianum*.

43. Qui ad cupita pervenire voluerit, reflectere mentem a studio orationis non debet, sed magis perseverare in intentione cœpta illum oportet. Lib. 2 super *Lamen. Hierem.*, cap. III. super illud: *Oculus meus*.

HUGO A S. VICTORE. 44. Perseverantia est bonorum omnium coronatrix. Lib. 4 *de Anima*, cap. 16.

HUGO CARD. 45. Tria impediunt perseverantiam : levitas, remissio, pusillanimitas. Super *Matth.*, cap. XXIV.

46. Omnes virtutes ante tentationem perseverantiam promittunt, sed adveniente nocte tentationum sæpe fugam accipiunt. Super *Marc.*, cap. XIV.

S. INNOC. III 47. Nec perseverantia piget aggredi magna, nec fatigat inchoatum. *Prosec.*

48. Hæc firmat nutantem, hæc coronat pugnantem, hæc ducit ad bravium, hæc ad portum, hæc dat formam operi, regulam actioni. *De Eleemosyn.*, cap. 6.

49. Si totam vitam perseverantia non illustrat, saltem perseverantia finalis finem concludat. *De Eleemos.*, cap. 6.

50. Felix perseverantia, quæ impœnitentiam excludit, obstinationem expellit, contemptum eliminat, obdurationem expugnat. *Ibid.*

JOAN. TRITH. 51. Non potest vincere, qui nescit perseverare. Lib. 1, homil. 1 *ad Monachos*.

52. Nullum virtus habet meritum, cui perseverantia non dedit incrementum. Lib. 2, serm. 1 *ad Monachos*.

S. ISID. HISP. 53. Non est beatus qui bonum facit, sed qui incessabiliter facit. Lib. 1 *de Synonym*.

S. LAURENT. JUSTIN. 54. Perseverantia est triumphus pugnantium, laborantium merces, charitatis indicium, virtutum palma, scala cœlorum, paradisi porta, meta currentium, tribulationum finis, spiritualium interemptrix ferarum, inimicorum ruina, miserorum spes, miseriarum terminus, initium vitæ, religionis decus, christianæ perfectionis testimonium, æternæ salutis imprædabile bravium. *De Obedient.*, cap. 26.

55. Qui cœpta bona districte non exequitur, dissolutione negligentiæ manum destruentis imitatur. Lib. 7, epist. 10, *ab Gothifred. ducem*.

56. Perseverantiam faciunt expectatio præmiorum, et pœnarum recordatio. Serm. 56, *de S. Andræa*.

THOMAS A KEMPIS. 57. Felix anima, quæ vitam suam ad bonum perseverantiæ finem perducere meretur, ut post multos labores corporis et dolores cordis, possit in fine dicere, quod Christus dixit in cruce, *Consummatum est*. Serm. 30, *ad Novit.*, divis. 8.

S. THOMAS 58. Grandis virtus perseverantia est, qua sola bene cœptis consummatio præstolatur. Conc. 2, *de Assumpt. B. M.*

A VILLA NOV. IN VITIS PATR. 59. Perseverantia boni victoria est. Lib. 6, libell. 4, num. 21.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 60. Persevera ut cœpisti, et quantum potes propera. Epist. 4.

61. Perseverandum est, et assiduo studio robur addendum, donec bona mens sit, quod bona voluntas est. *Ibid.*

62. Scito te in quibusdam debere perseverare, quia cœpisti : quædam vero nec incipere, in quibus perseverare sit noxium. *De Quatuor virt.*

Vide etiam tit. *Bonitas*, sent. 22; *Dilatio*, sent. 55; *Firmitas*, sent. 2; *Incipere*, fere per totum; *Necessitas*, sent. 37; *Novitius*, sent. 7; *Opus*, sent. 80; *Philosophia*, sent. 94; *Præmium*, sent. 60; *Propositum*, sent. 3; *Tentatio*, sent. 261; *Victoria*, sent. 72.

PERSONA in genere.

S. BONAV. *Etymologia.* Persona dicitur, quasi per se una, vel a personando, quasi per se sonans. Super I *Sentent.*, dist. 23, art. 1, quæst. 1.

CASSIODOR. & HUGO CARD. *Definitio.* Persona est substantia rationalis individua, suis proprietatibus a consubstantialibus cæteris segregata. Super *Psalm.* VII. *Et Hugo Card.*, super *Epist. Jacobi*, cap. II.

RICH. A S. VICTORE. Persona est rationalis naturæ individua substantia. Part. 1, lib. 4 *de Trinit.*, cap. 21.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. In persona humana mixtura est animæ et corporis : in persona divina, mixtura est Dei et hominis. Epist. 3.

2. Una persona Deus et homo est, et utrumque est unus Christus Jesus. Epist. 57.

3. Sicut in homine quolibet anima et corpus, una persona est : ita in Christo Verbum et homo, una persona est. Epist. 102.

4. Sicut non augetur numerus personarum, cum accedit caro animæ, ut sit unus homo : sic non augetur numerus personarum, cum accedit homo Verbo, ut sit unus Christus. Epist. 120, cap. 4.

5. Filius hominis hærendo ad unitatem personæ Filio Dei, facta est una persona : eademque Filius Dei, quæ et Filius hominis. Tract. 19, super *Joan.*

6. Una persona est Christus Deus et homo, non duæ : ne fides nostra non sit trinitas, sed quaternitas affirmet. *Ibid.*, tract. 27.

7. Anima et caro Christi cum Verbo Dei, una persona est, unus Christus. *Ibid.*, tract. 49.

8. Non alia Verbi, alia est hominis persona,

quoniam utrumque est Christus una persona. *Ibid.*, tract. 69.

GRATIANUS. 9. Cum simus omnes in Christo, nihil contrarium personarum diversitas format, ubi efficaciam prosperitatis unitas fidei repræsentat. In *Decretis*, part. 2, causa 7, quæst. 1, can. *Nihil*, § *Cum enim.*

S. GREGOR. MAGNUS. 10. Cujuslibet personæ probitas, non solum quo degit, sed per diversas provincias fama loquente cognoscitur. Lib. 1 *in Registro*, indict. 9, cap. 74, epist 74, *ad Gaudiosum.*

11. Plerumque personarum ordinem permutat qualitas morum. Part. 3, *Pastoral.*, cap. 1, Admonit. 3.

12. Persona magna amissa humilitate placere omnipotenti Deo non valet. Lib. 2 in I *Reg.* cap. II; super illud. *Et magnificatus est puer Samuel.*

S. INNOC. III 13. Sicut in Christo sunt tres substantiæ in una persona; sic in Deo tres sunt personæ in una substantia. *Prosec.*

14. In tribus substantiis est aliud, sed non alius: in tribus autem personis est alius, sed non aliud. Serm. 2, *de Omn. Sanctis.*

S. JOANNES CHRYSOST. 15. Quando persona firmiter cognoscitur, tunc doctrina fideliter suscipitur : quoniam personæ dignitas commendat personæ doctrinam. Hom. 4, super *Mat. Oper. imperf.*

16. Malitia persona propria caret, nisi personam veritatis assumat. Serm. *de Fide et lege.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

EPICTETUS. 17. Si quam personam, quæ vires tuas superat, indueris; tum eam indecore geres, tum eam quam sustinere posses, negliges. In suo *Enchiridio*, cap. 59.

PERSONARUM ACCEPTIO.

S. ANTONIN. *Definitio*. Acceptio personarum, est vitium quo id quod ex debito justitiæ est alteri conferendum, exhibetur personæ non ob meritum ejus ad ipsam rem, sed ob conditionem ipsius non congruentem ad ipsam rem. Part. 2, tit. 1, cap. 20.

S. BERNARD. Acceptio personarum est quod non minus sæpe, nec noxie minus insidiari judicantibus solet, facies peccatorum sumens, et non prorsus judicans causas meritorum. Lib. 2, *de Consid. ad Eugen. Pap.*

S. BONAV. Personarum acceptio est injustitia, qua præfertur persona personæ propter causam indebitam. Part. 1 *Centiloquii*, sect. 10. Et in *Confessionali*, cap. 1, part. 6.

DIONYSIUS CARTHUS. Acceptio personarum est, qua aliquid alicui impenditur, seu confertur, qui ad illud est indignus, et alteri digno subtrahitur aut negatur. Super *Epist. Jacobi*, cap. II, art. 4.

HUGO A S. VICTORE. Ille personas accipit, qui pro aliquo quod hominis est, hominem veneratur, et aliis præfert. *De quæst. circa epist. ad Rom.*, quæst. 66, in illud : *Non est acceptor personarum Deus.*

HUGO CARD. Personæ acceptio in bono est honoris debita exhibitio, servato gradu dignitatis et officii. Super *Epist. Jacobi*, cap. II.

JOAN. GERS. Personarum acceptio est vitium, quo non observatur æqualitas proportionis ratione conditionis alicujus, quæ non facit ad rem. Part. 4, in *Descript. terminor.*, cap. *Justitia.*

S. THOMAS AQUINAS. Accipere personam proprie, est in aliquo negotio attendere quasi regulam ipsius negotii, conditionem personæ nihil facientem ad negotium. Super *Epist ad Galatas*, cap. II, lect. 2.

Acceptio personarum est inæqualitas justitiæ distributivæ, in quantum aliquid attribuitur alicui præter proportionem. 2, 2, quæst. 63, art. 4.

S. BONAV. *Differentia*. Differentiæ acceptionis personarum sunt tres : una committitur in honoris exhibitione; alia in judicii executione; alia in promotione ad dignitates. Part. 1 *Centiloquii*, sect. 10.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Non personam alterius accipiamus in judicio, gratia absit, causam merita decernant. *Prosec.*

2. Nihil sic opinionem, imo fidem gravat, quam si in judicando potentiori dones causam inferioris : vel pauperem innocentem arguas, divitem excuses reum culpæ. Lib. 2 *Offic.*, cap 24.

3. Contuitus regalis potentiæ non est habendus, ubi religioni exhibetur obsequium. Lib. 1 *de Apolog. David.*, cap. 6.

S. AUGUST. 4. Non sane putandum est leve esse peccatum, in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi. *Prosec.*

5. Quis ferat eligi divitem ad sedem honoris Ecclesiæ, contempto paupere instructiore atque sanctiore? Epist. 29, *ad D. Hieronymum.*

6. Acceptio personarum ibi recte dicitur, ubi ille qui judicat, relinquens causæ meritum de qua judicat alteri contra alterum suffragatur : quia invenit aliquid in persona, quod honore vel miseratione sit dignum. Lib. 2, *contra Duas epist. Pelagianor.*, cap. 7.

7. Admonemur personam divitis non accipere : hoc omnis homo videt, atque utinam sic omnis homo faceret. *Prosec.*

8. Illud est, ubi fallitur, veluti qui vult placere Deo, si personam pauperis in judicio accipiat, et dicat, Favi pauperi : imo si teneres utrumque, et misericordiam et judicium, placeres Deo. Super *Psalm.* 32, conc. 1.

9. Nulla justitia, nulla laus, sed omnis perversitas et personarum acceptio regnat. Serm. 47 *ad Fratres in eremo.*

10. Absit ut in tabernaculo tuo præ pauperibus accipiantur personæ divitum, aut præ ignobilibus nobiles. Lib. 8 *Conf.*, cap. 4.

11. Deus sine acceptione personarum bene faciendum omnibus intimavit. Lib. 2, *contra Advers. legis*, cap. 11.

12. Nulla est acceptio personarum in duobus debitoribus æqualiter reis, si alteri dimittitur, ab altero exigitur, quod pariter ac utroque debetur. Lib. 2 *ad Bonifac.*, cap. 7.

13. Deus nec fato premitur, nec personarum acceptione corrumpitur. Lib. 6, *contra Julian.*, cap. 10.

14. In sæculo magni laboris est non personaliter judicare : quis est qui non judicat personaliter? qui æqualiter diligit : dilectio æqualis facit non acceptari personas : nam cum homines pro suis gradibus honoramus, tunc timendum est ne personas accipiamus. Tract. 30, super *Joan.*

S. BERNARD. 15. Persona ubi minime accipitur, defertur meliori, non nobiliori. Serm. *ad Milites Templi*, cap. 4.

16. Apud justum plus valet pauperis precatio, quam potentis vultus. Epist. 13, *ad Honorium Pap.*

17. Contra justitiam, ne amicum quidem respicere fas est. Epist. 15, *ad Haymericum Cancellar.*

18. Non parvi te reum peccati existimes, si facies peccatorum sumis, et non potius causas judicas meritorum. Lib. 2 *de Consid. ad Eugen. Pap.*

19. Omnis hominis institutio est, justum rationis, ac discretionis habere judicium, nec alicujus in judicio accipere personam. *De Vita solit.*

S. BONAV. 20. Sive inops, sive dives fuerit quis, non personas attendamus, sed res scrutemur. Lib. 3, *Pharetræ*, cap. 39.

S. CYPRIAN. 21. Personam accipere non potest humana indulgentia, ubi legem tribuit divina præscriptio. Epist. 68, *ad Clerum*, cap. 1.

DIONYSIUS CARTHUS. 22. Cum bona spiritualia sint corporalibus potiora, personarum acceptio in eis tanto vitiosior comprobatur, quanto hujusmodi bona sunt digniora, super *Epist. Jacobi*, cap. II, art. 4.

23. Personarum acceptio amplius locum habet in exhibitione honoris; idcirco virtutibus præditi et sapientes sunt honorandi. *Ibid.*

24. Personarum acceptio opponitur justitiæ distributivæ, quæ diversis personis tribuit, secundum dignitatem ipsarum et merita. Super *Acta Apostol.*, cap. 10, art. 10.

GLOSS. INT. 25. Quicunque divitem propter divitias eligit, et pauperem propter paupertatem abjicit, utrobique peccat. Super illud *Jacobi* II : *Nolite in personarum acceptione habere fidem.*

GLOSS. ORD. 26. Si hanc distantiam sedendi et standi ad honores ecclesiasticos referamus, non est putandum leve esse peccatum in personarum acceptione habere fidem Domini gloriæ. *Ibid.*, super illud : *Tu sta illic, aut sede.*

27. Cum non intuemur quid homo sit, sed quid possit, in acceptione personarum, non ex personis, sed ex rebus adjacentibus ducimur. Lib. 25 *Moral.*, cap. 1. S. GREGOR. MAGNUS.

28. Nullum pro personali amore defendimus, sed auctore Deo normam justitiæ, postposita cujuslibet personæ acceptione, custodimus. Lib. 2, in *Registro*, indict. 10, cap. 14, epist. 14, *ad Natalem epist. Salonitam.*

29. Juvenes qui promoventur, super omnia personas in judicio non accipiant, sed justa æquitatis lance cuncta disponant. Lib. 4, in I *Reg.*, cap. 4.

30. In acceptione personarum ardor avaritiæ causa est accipiendorum munerum; et acceptio munerum, causa est pervertendi judicii. *Ibid.*, super illud : *Declinaverunt post avaritiam.*

31. In ecclesiastica censura etsi non est acceptio personarum, est tamen discretio meritorum. *Ibid.*, lib. 5, cap. 4, super illud : *Qui fecit salutem hanc.*

32. Non cujusquam personæ gratia, non favor, non blandimenta, quemquam emolliat, vel a tramite veritatis excutiat. Lib. 10 in *Registro*, indict. 5, cap. 37, epist. 37.

33. Personam pauperis non accipias in judicio, ne sub prætextu misericordiæ, quod injustum est, judices. *Prosec.* S. HIERON.

34. Unusquisque non hominum, sed rerum pondere judicandus est : nec diviti obsunt opes, si eis bene utatur : nec pauperem egestas commendabiliorem facit : si inter sordes et inopiam peccata non caveat. Epist. 9, *ad Salvinam.*

35. Memor sis tribunalis Domini, et de judicio tuo te intelligens judicandum, nec mihi, nec adversario faveas, neve personas, sed causam consideres. Epist. 15, *ad Pammach. et Oceanum.*

36. Nec bonis adversariorum, si honestum quid habuerint, detrahendum est : nec amicorum laudanda sunt vitia, et unumquodque non personarum, sed rerum pondere judicandum est. Epist. 19, *ad Pammach. et Oceanum.*

37. Inter omnia peccata sacerdotum, illud ultimum et maximum ponitur, quod non causas, sed personas considerent, justumque pauperem despicientes, iniquos divites suscipiant et honorent. Super *Malach.*, cap. II, super illud : *Sicut non servatis vias meas.*

38. Æquum judicium est, ubi non persona, sed opera considerantur. Hab. apud *Bedam*, in suis *Scintillis*, cap. 58.

S. IGNATIUS MART. 39. Nemo secundum carnem spectet proximum, sed in Christo Jesu. Epist. 6 *ad Magnesianos.*

S. JOANNES CHRYSOST. 40. Respectum personarum nescit spiritualis doctrina. Hom. 18 super *Gen.*

41. Acceptor personarum non facit differentiam gratiarum. Hom. 53 super *Matth. Oper. perf.*

42. Nihil ibi personarum diversitas valet, ubi dignitas par est. Hom. 39 super I *Cor.*

43. Deus noster discrimen personarum ignorat, sed voluntatis examinator, mentem et intentionem coronat. Hom. 18 super *Gen.*

JOAN. TRITH. 44. Ubi personarum acceptio est, ibi justitia esse non poterit. In cap. 2, *Regulæ S. Bened.*, verbo *Hinc.*

45. Acceptio personarum non tantum in bonorum largitione, vel judiciorum prolatione, sed etiam in honorum exhibitione est : non divitiæ, non potentia, sed virtus honorabiles reddit. *Ibid.*

S. ISID. HISP. 46. Non est persona in judicio observanda, sed causa : qui enim consanguinitatis, vel amicitiæ favore, sive inimicitiarum odio judicium pervertunt, sine dubio in Christum, qui est veritas et justitia, peccare noscuntur. *Prosec.*

47. Iniqui judices errant in veritate sententiæ, dum intendunt in qualitatem personæ, et exulcerant sæpe justos, dum improbe defendunt iniquos.

48. Qui autem recte præsidere studet in judicio, nec partem palpare novit, nec cohibere a justitia didicit. Lib. 3 *de Sum. bono*, cap. 53.

49. Nullum contra veritatem defendas : dum judicas, nullius personæ affectu deflectaris a vero : pauper an dives sit, causam perspice, non personam. Lib. 2 *de Synon.*, cap. 16.

PETRUS BLESENS. 50. In executione justitiæ, non debet esse personarum acceptio. Epist. 22, *ad Magistr. Joannem.*

ROBERTUS BELLARMIN. 51. Sumere faciem alicujus in judicio, nihil est aliud, nisi talem sententiam ferre, non qualem justitia exigit, sed qualem requirit amicus vel alius. Super *Psalm.* LXXXI, vers. 2.

Vide etiam tit. *Debitum*, sent. 14; *Electio*, sent. 5; *Fortuna*, sent. 30; *Honor*, sent. 43; *Monialis*, sent. 64; *Parentes*, sent. 67; *Pastor*, sent. 76; *Prælatio*, sent. 98, 99; *Rex*, sent. 10 ; *Sententia*, sent. 4.

PERVERSITAS.

S. HIERON. *Definitio.* Perversus non dicitur, nisi qui depravatus a recto est. Super *Ecclesiasten*, cap. I, in illud : *Perversum non poterit adornari.*

Perversi dicuntur, qui de rectitudine declinant ad perversitatem : ut diabolus, et Judas, et hæretici, et omnes superbi. Super *Psalm.* XVII, vers. 29 : *Et cum perverso perverteris.*

HUGO CARD. *Differentia.* Pravitas ad intellectum, perversitas ad affectum referenda est. Super *Prov.*, cap. VIII.

HUGO CAR. *Comparatio.* Sicut nitrum aspersum aceto crepitat, ita cor perversum aqua sapientiæ salutaris aspersum, id est quantumcunque suavi correctione tactum, ebullit irascendo, et crepitat murmurando. Super *Proverb.*, cap. XXV.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUS. 1. Tanta est aliquando perversitas, ut nec corripi possit. Super *Psalm.* XXX, conc. 2, vers. 11.

2. Si quid recti in perversis invenerimus, eorum perversitate correcta, illud quod rectum est minime violamus. *De unico Baptismo*, cap. 5.

3. Quia a bono aversi sumus, perversi sumus. Lib. 4 *Conf.*, cap. 16.

4. Perversi quod faciunt bene, volunt sibi tribuere : si male faciunt, Deum volunt accusare. Tract. 8 super *Epist. Joan.*

5. Qui recte facere nolunt, desinant saltem docere perversa. *De Opere monachor.*, cap. 33.

S. BERNARD. 6. Vir perversus annuit oculo, terit pede, digito loquitur, et ex insolenti corporis motu recens animæ morbus deprehenditur. *De Duodecim grad. humilit.*, verbo *Primus.*

S. BONA. 7. Omnium flagellorum causa, est vita perversa. Super *Lament. Hierem.*, cap. V.

8. Diabolus non decipit, nec capit nisi perversos. Super *Luc.*, cap. XXII, in illud : *Satanas expetivit vos.*

9. O! quot sunt hodie in mundo perversi, qui cum perficere sua mala vota non valeant, alios perversos associant, ut sic quod cupiunt, ad complementum adducant. Serm. 10, *de SS. Apost.*

S. CYRILL. HIEROSO. 10. Cum Dei oblivisceris, tum demum cogitas perversa, et iniqua perficis. *Cateches.* 2.

S. DAMAS. PAP. 11. Qui potest obviare et perturbare perversos, et non facit, nihil est aliud quam favere impietati eorum. Hab. apud *Gratian.*, in *Decretis*, part. 2, causa 23, quæst. 3, can. *Qui.*

DIONYSI. CARTHU. 12. Periculosissimum est congregationi sustinere perversum, quia congregationem contaminat, inficit, et seducit. Super *Epist. I ad Cor.*, cap. 5, art. 5.

GLOSS. IN. 13. Perversi similium societate gaudent. Super *Genes.*, cap. 21.

S. GREG. MAGNUS. 14. Qui perversus est, neque hoc potest videre quod est. Lib. 24 *Moral.*, cap. 6.

15. Locus perversorum, est temporalis vitæ delectatio, et carnis voluptas. *Ibid.*, lib. 18, cap. 12, num. 12.

16. Cum infirmus quisque perversos florere conspicit, hunc in perversitatis pelagus unda miseræ imitationis mergit. *Ibid.*, lib. 20, cap. 19, num. 21.

17. Qui a perversitatis opere ex timore perstringitur, perversa libenter ageret, si liceret. *Ibid.*, lib. 9, cap. 22.

18. Gravis est iniquitas quando is qui perversus est, ostendere alios perversos molitur; ut inde ipse quasi sanctus appareat, quod alios sanctos non esse docuerit. *Ibid.*, lib. 12, cap. 25, super illud *Job.* xv : *Peperit iniquitatem.*

S. HIERON. 19. Quidquid pervertitur atque curvatur, de recto torquetur in pravum. Lib. 16 super *Isaiam*, cap. LIX, super illud : *Opera eorum opera inutilia.*

HUGO A S. VICTORE. 20. Perversis perversa sunt omnia. Lib. 1 *Miscellan.*, codic. 1, tit. 40.

JOAN. CASS. 21. Perversos quoque sanctorum virorum numero insertos latitare non miremur, quia dum in hujus sæculi area conculcamur atque conterimur, necesse est etiam paleas igni perpetuo deputandas, inter electissima frumenta misceri. Collat. 18, *Abbat. Piammonis*, cap. 16.

TERTULL. 22. Perversa sunt omnia, quæ a Deo non sunt. *De Cultu Fœminar.*, cap. 1.

S. THOMAS AQUINAS. 23. Deus non est causa ejus quod homo sit deterior, sed per excæcationem et obdurationem fit homo deterior. 1, 2, quæst. 79, art. 3.

THOMAS A KEMPIS. 24. Quem Deus adjuvare voluerit, nullius perversitas nocere poterit. Lib. 2 *de Imit. Chr.*, cap. 2.

Vide etiam tit. *Correctio*, sent. 57; *Differentiæ*, sent. 29; *Error*, sent. 67; *Imitatio*, sent. 34; *Locus*, sent. 20; *Mors*, sent. 79.

PETITIO.

COLLECTOR. *Etymologia.* Petitio dicitur, quasi pectoris itio.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Cum impetraveris quod petisti, ingrati est tardare promissum. Lib. 1 *de Cain et Abel*, cap. 7.

2. Disce, christiane, rogare quod cupias impetrare : fastidiosos viros cœlestium profectus munerum non sequuntur. Lib. 4 super *Luc.*, cap. IV, in illud : *Nemo eorum mundatus est.*

3. Non quid petas, sed a quo postules intuendum est, nec majoribus intento animo putes minoribus obstrependum. *Ibid.*, lib. 7, cap. 12, in illud : *Magister, dic fratri meo*, etc.

4. Nihil prodest nobis clementiam Dei verbis implorare, et operibus irritare. Super *Apocal.*, cap. 8.

S. AUGUST. 5. Pudeat petere, quæ non pudet cupere : aut si et hoc pudet, sed cupiditas vincit, quanto melius hoc petitur, ut etiam ab ipso cupiditatis malo liberet, cui dicimus, Libera nos a malo? Epist. 121, *ad Probam*, cap. 12.

6. Non vocem, sed affectum audit Deus. *De Catechiz. rudib.*, cap. 9.

7. Ingenuus animus nihil magis erubescendum æstimat, quam rogare. *De Amicitia*, cap. 25.

8. Quare Deus petere nos et quærere et pulsare compellit, qui novit quid nobis necessarium sit, priusquam petamus ab eo, nisi ut intelligamus quod velit exerceri in orationibus desiderium nostrum, quod possumus, capere quod præparat dare. Epist. 121, *ad Probam*, cap. 8.

9. Æger petit multa a medico, non dat medicus : non exaudit ad voluntatem, ut exaudiat ad sanitatem. Super *Psalm.* LXXXV, vers. 4.

10. Avertit Deus ab orantibus faciem, non exaudiendo ad id quod volunt, quando sibi nesciunt expedire quod petunt. Super *Psalm.* LXXXIII.

11. Impius quilibet et infelix anima rogare Deum nescit, et vult se rogari ab hominibus. *Prosec.*

12. Quis potens et tumidus et superbus in terra qui dignetur humiliter rogare Deum? Super *Psalm.* CIII, conc. 4, vers. 33.

13. Juris forensis est, ut qui in precibus mentitus fuerit, non illi prosit quod impetravit. Tract. 7 super *Evang. Joan.*, de cap. I.

14. Male usurus eo quod vult accipere, Deo potius miserante non accipit : proinde si hoc ab illo petitur unde homo lædatur exauditus, magis metuendum est, ne quod posset non dare propitius, det iratus. *Ibid.*, tract. 73, de cap. 14.

15. Audi, Deus meus, audi quæ peto : et da ut petam quod audias. In *Medit.*, cap. 36.

16. Consideret unusquisque qualis debet esse qui petit, qui petat, pro quo petat, et a quo petat. Serm. 42, *ad Fratres in eremo.*

17. Longior est petitio, quam impetratio. Lib. 12, *Conf.*, cap. 1.

18. Satius est minus quemque habere quod a Deo petat, quam plus habere quod sibi tribuat. Epist. 89, quæst. 2.

19. Si non bona Deus quibusdam petentibus concederet, non ad eum ista pertinere diceremus : item si omnibus ea petentibus daret, nonnisi propter talia serviendum illi esse arbitraremur. Lib. 1, *de Civit. Dei*, cap. 8.

20. Dei est volentibus et petentibus donare quod bonum est. Contra *Ep. Manich.*, cap. 1.

21. Ut homines petant Deus providenter instruit, et petentes clementer exaudit. Lib. 4, *ad Bonifacium*, cap. 12.

22. Ideo jubet Deus aliqua quæ non possumus, ut noverimus quæ ab illo petere debeamus. *De grat. et lib. arb.*, cap. 16.

23. Magis valet petentis affectus, quam petitionis locus. *De Eccles. unit.*, cap. 19.

24. Si Deus non dat ad horam, exercet quæ-

rentem, non contemnit petentem. Tract. 20, super *Joan.*

25. Differtur quod petimus, non negatur. *Ibid.*, tract. 73.

26. Simul petamus, quando bene petimus, ut non faciat Deus quod non bene petimus. *Ibid.*

27. Nobis aliquando subrepit, ut hoc petamus quod nobis non expedire nescimus. *Ibid.*, tract 81.

28. Tua oratione admonitus peto, quæro, et pulso. Lib. *Medit.*, cap. 39.

29. Illud da mihi petere quod te audire delectet, et mihi expediat : audi quæ peto, et da ut quod peto exaudias. Lib. *Meditationum*, cap. 40.

30. Da quod nosti tibi placere, et mihi prodesse. *Ibid.*, cap. 36.

31. Mali quidquid petunt a Deo, in luxuriis suis, et conviviis volunt consumere : et tunc putant quod bonus sit Deus, quando illis præstat, unde corrumpantur. Homil. 8, *ex Quinquag. Homil.*

S. BASILIUS MAGNUS. 32. Discas nunquam desperare, ut ubi petieris et non acceperis, non desistas petere donec accipias. In *Constit.*, cap. 1.

V. BEDA. 33. Nil petas quod negaturus es. In suis *Prov.*, verbo *Nil.*

S. BERNARD. 34. Fiducialiter postulare potest homo, tantum caveat ne forte aut postulet non postulanda aut minus postulet quæ a Deo sunt postulanda. Serm. *de Quatuor modis orandi.*

35. Considerare debet is, qui orat, et qui petit, et ipsum quem petit, et se ipsum qui petit. In suis *Sent.*, cap. *Diximus.*

36. Libere petitur quod in potestate petentis accipere est. Serm. 76, super *Cant.*

37. Blanditur petentis favor, et petitionis terret exactio. Dat ausum ipsius dignitatis dignanter indulta familiaritas, et excusat præsumptionem auctoritas imperantis. Epist. 42, *ad Henricum Senon. archiepisc.*

38. Semper consideretur non a quo, sed quid petatur. Epist. 344, *ad Eugen. Pap.*

39 Indignus benedictioni cœlesti convincitur, qui dubio quærit affectu, duplici petit intentione. In *Declamat.*

S. BONAV. 40. Petitionis congruitas in tribus est, videlicet ut congruus congrua congrue, dignus digna digne petat. Serm. 3, *in Rogat.*

41. Dominus non cessat dare, si tu non cesses petere. *Ibid.*, serm. 4.

42. Futura non sapis, neque gaudia concupiscis, si non quotidie postulas ea cum lacrymis. Serm. 1, *Dom.* 9, *post Pentec.*

43. Erubescat humana pigritia, plus vult Deus dare, quam audeat homo postulare. In *Soliloq.*, cap. 2.

44. Quis in causa sua amplius petere potest, quam iste qui pro inimicis suis acerrimis postulavit? Super *Psalm.* VI, vers. ultimo. CASSIODOR.

45. Ille tantum clamet ad Dominum, qui eum talia petit, qualia se daturum fidelibus pollicetur. *Prosec.*

46. Nam qui eum pro rebus transitoriis rogat, non ad Dominum clamare cognoscitur, quamvis ipsum petere videatur.

47. Sed quid expeteret non designat Propheta, merito, quia non est illi necessarium dicere quod præstet, qui solus novit largiri quod expedit. Super *Psalm.* LXXVI, vers. 1. *Ad Dominum clamavi.*

48. Semper supplicare non decet : petamus et ætate florida, petamus et in juventute positi, petamus et occidua senectute perducti. Super *Psalm.* LXXXV, vers. 3.

49. Illud desiderio inardescente semper exquiritur, quod venire magnis precibus postulatur. Super *Psalm.* CXVIII, vers. *Et Exquiram eam semper.*

50. Petenti nunquam debet esse fastidium, ubi largitas donatoris non potest habere defectum. Super *Psalm.* CXVIII, vers. *Fac cum servo tuo*, etc.

51. Justum est, ut jugiter rogetur, qui, si non petatur, offenditur. *Ibid.*

52. Licet peti nimia supplicatione, quod summum est. Super *Psalm.* CXXVII.

53. Magna quæris, et parva non expendis. *Cateches.* 3. S. CYRILLUS HIEROSOL.

54. Petamus orando, quæramus laborando, pulsemus desiderando, pulsemus proficiendo, pulsemus perseverando. Homil. 3, *ad Monachos.* S. EUSEBIUS EMISSEN.

55. Si pater filium uno expulerit ostio, alio sibi reintrandum est. In suis *opusc.* colloquio primo. S. FRANCIS. ASSISIAS.

56. Non solum quod petimus, immo etiam quæ humana fragilitas aut nescit, aut non præsumit petere, gratuito munere largitur Deus. Super III, *Reg.*, cap. 10. GLOSS. ORD.

57. Quod charitas unanimitate petitur, cito impetratur. Super *Judith*, cap. IV. GLOSS. INT.

58. Qui cœlestia petit, torqueri se dicit, dum de imis agere cogitur. Super illud *Job* XVII, *Torquentes cor meum.*

59. Tunc quisque quod recte petit adipiscitur, cum ejus animus non in petitione odio inimici fuscatur. Super *Hierem*, cap. 15. GLOSS. ORD.

60. Nullus ex his, qui mundana petunt, ac animabus damnosa, in nomine Christi petit. Super illud *Joan.* XVI : *Si quid petieritis*, etc.

61. Non statim Deus facit, quidquid ad salutem oratur : nec ideo negat, quia differt; sed tempore suo, id est, congruo præstat. Super illud *ad Galat.* VI, *Tempore enim suo.*

GREGOR. MAGNUS. 62. Sæpe homines dum bona temporalia postulant, æterna præmia non requirunt : petunt quod adjicitur, et illud non desiderant ubi adjiciatur. Lib. 15, *Moral.*, cap. 27.

63. Vera postulatio non in oris est vocibus, sed in cordis cogitationibus. *Prosec.*

64. Valentiores enim voces apud secretissimas aures Dei non faciunt verba, sed desideria. *Ibid.*, lib. 22, cap. 13, num. 18, super illud *Job* XXXI : *Ut desiderium meum audiat.*

65. Sæpe petitio eo perficitur, quo differtur. *Ibid.*, lib. 26, cap. 15.

66. Plus concupiscentia, quam necessitas petit. Homil. 19, super *Ezech.*

67. Tunc quisque quod recte petit adipiscitur, cum ejus animus in petitione nec inimici odio fuscatur. Homil. 27, super *Evang.*

68. Sicut injusta poscentibus nullus est tribuendus effectus, ita legitima desiderantium non differenda petitio. Lib. 5, in *Registro*, indici. 14, cap. 101, epist. 1 *ad Martinianum episcopum Ravennæ.*

69. Ubi veritas cum ratione concordat, desideria petentis implere non minus justum est, quam benignum. *Ibid.*, lib. 9, indict. 3, cap. 22, epist. 22, *de Probo abbate monasterii S. Andreæ.*

70. Citius ad precem Judex flectitur, si a pravitate sua petitor corrigatur. *Ibid.*, lib. 11, indict. 6, cap. 2, epist. 2, serm. *ad Populum.*

71. Effectum justa postulantibus indulgere, et vigor æquitatis, et ordo exigit rationis. *Ibid.*, cap. 5, epist. 5, *ad Adeodatum.*

72. Ea quæ ingrata esse hominibus in precibus importunitas solet, Judici veritatis placet. *Ibid.*, cap. 2, epist. 2.

73. Sicut rationi contraria procul est abjicienda petitio, ita in his quæ bene desiderantur non convenit negare. *Ibid.*, cap. 58, epist. 58, *ad Joan. episc. Panormic.*

74. Petamus orando, quæramus legendo, pulsemus operando. *Ibid.*, lib. 6, indict. 15, cap. 197, epist. 33.

75. Implenda sunt semper postulantium desideria, quoties illa poscuntur, quæ a ratione non deviant. *Ibid.*, lib. 11, ind. 6, cap. 49, epist. 49, *ad Joan. episc. Panormit.*

GREGOR. NAZ. 76. Cum eo a quo aliquid postulatur metienda est postulatio, atque absurdum est a parvo magna postulare, et a magno parva. Et hab. apud D. Joan. Damasc., lib. 2, *Parall.*, cap. 62.

77. Supplicem admitte, cui calamitas opitulatur. *Ibid.*

RAYMO. 78. Vult Deus nos importunos esse in petendo, ut sua gratuita dona, nostra sint merita. Serm. 2, *Fer.* 2, *Litaniar.*

S. HIERON. 79. Nihil omnino amico poscenti dare, amicitiæ dissimulatio est. Epist. 12, *ad Gaudentium.*

80. Nihil illum credit posse, qui quod judicat posse, non possit. Epist. 7, *de Viro perfecto.*

81. Importunitatis non vereamur offensam; quia hæc apud Dominum importunitas opportuna est. *Prosec.*

82. Acceptior enim est illi importuna deprecatio, quam secura præsumptio.

83. Plus meretur, qui sollicitus orat instanter, quam qui confidens dissimulat negligenter. Homil. super *Evang. Matth.*

RICH. A S. VICTORE. 84. Cum oras, quem petas potius, quam quid petas cogites : et ipse quem petis, quidquid tibi petendum fuerat, providebit. Super *Psalm.* XXXIV, cap. 45.

85. Omnis qui petit quod petendum est, quomodo petendum est, semper exauditur ad utilitatem. In *Annot. super Epistolam ad Romanos*, in illud : *Quid oremus, sicut oportet*, etc.

IDIOTA. 86. Qui obsequium præstare nescit, injuste petit, immo etiam in odium cadit. Lib. 1, *Contemplat. de Amore Dei*, cap. 2.

S. INNOC. III 87. Quam prudens, modestus, ac diligens est in petendo, qui ea petit, quæ licent, quæ decent, et quæ expediunt, justa, honesta, et necessaria ! Super *Psalm.* L, vers. 10.

JOAN. CASS. 88. Nihil caducum vult a se, nihil vile, nihil temporale æternitatum Conditor implorari. *Prosec.*

89. Itaque magnificentiæ ejus, ac munificentiæ maximam irrogabit injuriam, quisquis sempiternis petitionibus prætermissis, transitorium aliquid et caducum ab eo maluerit postulare. Collat. 9, *Abbat. Isaac*, cap. 24.

S. JOANNES CHRYSOST. 90. Talia petite, qualia a Deo petere convenit, ut et petita obtineatis. Homil. 30.

91. Sive consequamur quod petimus, sive non, perseveremus semper : et non solum gratias agamus, si exaudiamur, sed etiam si repulsam passi fuerimus. *Ibid.*

92. Non est ægre ferendum, si differatur quod petimus ; quia magis scit Deus quid nobis prosit, quam ipsi nos : et cum aliquid denegat, non minus est quam si concessisset. *Ibid.*

93. Nihil temporale a Deo petendum : indignum valde est a tam liberali et tanta virtute præstanti hujusmodi petere, quæ in præsenti vita dissolvuntur, et magnam vicissitudinem experiuntur. *Ibid.*, homil. 54.

94. Habe fiduciam, Christiane, ut petas : pete quod desideras, ut accipias, Deus tibi petendi fiduciam tribuit, et voluntatem dandi se habere ostendit. Serm. *de Moyse.*

95. Omnis qui petit, sive justus sit, sive peccator, tantum petere non dubitet; cum constet neminem sperni, nisi qui petere dubitaverit. Homil. 18, super *Matth. Oper. imperf.*

96. Si quæ non expediunt petis, non tibi præstat Deus (etiamsi petas) quia pater benignus est : alioqui si præstat nociva petenti, non est pater, sed inimicus. *Ibid.*

97. Petentis negligentia reprehenditur, ubi de dantis misericordia non dubitatur. *Ibid.*, homil. 35.

98. Finis postulati, acceptio deprecantis est. Homil. 16, *ex Divers.*

99. Ne recedas a Deo quousque accipias quod petisti : tunc cessa clamare quando acceperis; imo magis nec tunc cesses, sed persevera agens gratias pro eo quod accepisti, ut perseveret tibi quod acceperis. *Ibid.*

JOAN. SAR. 100. Confidentia securas emittit preces, nec justæ petitionis repulsam veretur apud amicum, qui ad illius semper est accinctus obsequium. Epist. 204.

101. Hanc inter amicos ratio præfinit legem, ut ab invicem nonnisi honesta petantur : et si inhonesta petita fuerint, non admittantur. *Prosec.*

102. Ubi autem amici petitionibus honestas suffragatur, et eas admittendi facultas suppetit, admittendus est sine difficultate consensus, et adimpletione voti, si potest fieri, prævenienda est molestia exigendi. *Ibid.*, epist. 249, *ad Robertum Archidiac.*

S. LAURENT. JUSTIN. 103. Petendi inest nobis facultas, sed petitionum effectus desuper expectandi sunt. *De casto connub.*, cap. 22.

LUDOVICUS BLOSIUS. 104. Dum ex infirmitate humana postulas a Deo quæ utilia non sunt, absit ut donet quæ petis. In *Canon. vitæ spirit.*, cap. 17.

S. NILUS ABB. MART. 105. Ne petas a Deo dulcia, sed sola tibi salutaria : illa enim rogatus non donat : quod si ea acceperis, nocumentum tibi afferunt. Parænes. 148.

S. PETRUS CHRYSOL. 106. Audiat petentem, qui petens optat audiri : auditum Dei aperit sibi, qui suum supplicanti non claudit auditum. Serm. 43.

107. Improbus petitor est, qui quod aliis negat, sibi postulat. *Ibid.*

108. Cum petit anima, mens pulsat, quærit sensus, sperat pietas, fides exigit, meretur intentio. *Ibid.*, serm. 96.

109. Salva reverentia, a Deo quæ digna sunt postulentur. *Prosec.*

110. Qui enim mala a Deo postulat, Deum mali judicat et sentit auctorem : et qui vilia et indigna precatur, præstantis potestatem degener petitor ignorat.

111. Non ergo impia, sed pia : non terrena, sed cœlestia : non illecebris, sed virtuti congrua : non digna odiis, sed apta concordiæ, a tali semper exoranda sunt largitore. *Ibid.*, serm. 132.

112. Deus cum male aliquid poscitur, dando irascitur, non dando miseretur. Apud. D. Augustin., sent, 252. S. PROSPER

113. Fortissimum petentibus adjumentum, fides est. Lib. 4 *de Gubern. Dei.* SALVIAN.

114. Quid irreligiosius quam petere aliquid in injuriam Dei? aut quid stultius, quam quid petas non considerare? *Ibid.*, lib. 6.

115. Noli ingentia postulare, ne duorum alterum contingat : ut sive obtinueris, molestiam facias : sive non obtinueris, molestiam capias. Epist. 64, *ad Joan.* S. SYNESIUS EPISCOPUS

116. Scire quid sit petendum, difficillimum est, cum difficillimum sit scire quid sit desiderandum. *Prosec.* S. THOMAS AQUINAS.

117. Ea enim quæ licite petuntur in oratione, licite desiderantur. Opusc. 7, super *Pater noster*, petit. 1.

118. Pete, non quod tibi est delectabile et commodum, sed quod mihi est acceptabile atque honorificum : petent alii et accipient, tu petes nec impetrabis. Lib. 3 *de Imit. Chr.*, cap. 49, sect. 3 et 4. THOMAS A KEMPIS.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

119. Quod justum est petito, vel quod videatur honestum : CATO POETA
Nam stultum est petere id, quod possit juste negari. Lib. 1 *Distichor.*, metr. 60.

120. Grave est homini pudenti petere aliquid magnum ab eo, de quo se bene meritum putet. Lib. 2, epist. 6, *ad Curionem.* CICERO.

121. Frustra rogatur qui misereri non potest. In suis *Sent.*, sent. 124. MIMUS PU.

122. Genus est rogandi, rogare non posse. Lib. 5, *Controv.*, controv. 33. SENECA.

123. Mala pro bonis petenti, periculosum est assequi. *De beata vita*, cap. 14.

124. Exorari in perniciem rogantium, sæva bonitas est : rogantibus pestifera largiri, blandum et affabile odium est. Lib. 2 *de Benef.*, cap. 14.

125. Audacter roga Deum, nihil illum de alieno rogaturus, roga bonam mentem, bonam valetudinem animi, deinde corporis. Epist. 10.

126. Nihil petas, quod negaturus fuisti : nihil negabis, quod petiturus fuisti. *De Moribus.*

127. Nulli suadenti acquiescas petere quod non est bonum. Sent. 83. SIXTUS PHILOSOPH.

128. Hæc posce a Deo, quæ dignum est præstare Deum. *Ibid.*, sent. 114.

129. Ea pete a Deo, quæ accipere ab homine non potes. *Ibid.*, sent. 116.

VALERIUS MAXIMUS. 130. Nos plerumque id votis expetimus, quod non impetrasse melius foret. *Prosec.*

131. O densissimis tenebris involuta mortalium mens! in quem late patentem errorem cæcas precationes tuas spargis? divitias petis, quæ multis exitio fuerunt.

132. Honores concupiscis, qui plures pessumdederunt : regna tecum ipsa volvis, quorum exitus sæpenumero miserabiles cernuntur.

133. Desine igitur stulta futuris malorum tuorum causis, quasi felicissimis rebus per petitiones tuas inhiare : sed te totum cœlestium arbitrio permitte. Lib. 7, *Dictor. memorabil.*, cap. 2.

Vide etiam tit. *Angelus*, sent. 19; *Beneficium Dei*, sent. 26; *Desiderium*, sent. 44; *Dilatio*, sent. 16, 17, 36, 55; *Eleemosyna*, sent. 308; *Exaudire*, sent. 21, 30, 32, 45, 52, 59, 80, 85, 117, 119, 127; *Jesus*, sent. 97; *Judicium extremum*, sent. 141; *Mendicitas*, sent. 42; *Relinquere*, sent. 114; *Temporale*, sent. 34; *Voluntas propria.*, sent. 63.

PHILOSOPHIA.

S. ANTON. *Definitio* Philosophia est divinarum, humanarumque rerum cognitio, seu creaturarum Creatorisque utilis inquisitio. Part. 4, tit, 11, cap. 4, § 1.

V. BEDA. Philosophia est eorum quæ sunt et non videntur, et eorum quæ sunt et videntur vera comprehensio. Lib. 1 *de Elementis.*

HUGO A S. VICTORE. Philosophia est amor sapientiæ, quæ nullius indigens, vivax mens, et sola rerum primæva ratio est. Lib. 2, *Didascali.*, cap. 1.

HUGO A S. VICTORE & ISIDORUS HISPALENS. Philosophia est ars artium, et disciplina disciplinarum. *Prosec.*

Philosophia est meditatio mortis. *Ibid.*, et S. Isidorus Hispal., lib. 2, *Etymol.*, cap. 24.

HUGO A S. VICTORE. Philosophia est disciplina omnium rerum divinarum, atque humanarum rationes probabiliter investigans. *Ibid.*

S.ISID.HISP. Philosophia est rerum humanarum divinarumque cognitio, cum studio bene vivendi conjuncta. Lib. 2 *Etymol.*, cap. 24.

S. NILUS. Philosophia est morum correctio cum vera certæ cognitionis gloria conjuncta. In *libro Ascetico.*

PLATO. Philosophia est scientiæ acquisitio, sive possessio. in *Dialogo Euthydemi.*

Vera Philosophia est solida germanaque veritatis cognitio. Lib. 6 *de Republica.*

Philosophia est scientia eorum quæ semper sunt, appetentia, quæ considerat verum, quomodo verum sit. *De Definit.*

SENECA. Quid philosophia, nisi vitæ lex est? Epist. 94.

CICERO. Qui sapientiam expetunt, philosophi nominantur : nec quidquam aliud est philosophia, præter studium sapientiæ. Lib. 2 *de Offic.*

Philosophia est cultura animi. Lib. 2, *Tusc. quæst.*

S.ANTONIN. *Divisio.* Vera Philosophia in tribus consistit, in religione, in moribus, in doctrina. Part. 4, tit. 11, cap. 4, § 1.

S.ISID.HISP. Philosophia triplex est : physica, ethica, logica, in physica causa quærendi, in ethica ordo vivendi, in logica ratio intelligendi. Lib. 2 *Etym.*, cap. 24.

SENECA. Philosophiæ tres partes esse dixerunt et maximi et plurimi auctores : moralem, naturalem, et rationalem. *Prosec.*

Prima componit animum, secunda rerum naturam scrutatur, tertia proprietates verborum exigit, et structuram, et argumentationes, ne pro vera falsa surrepant. Epist. 89.

Differentia. Multum interest inter sapientiam et philosophiam : sapientia perfectum bonum est mentis humanæ, philosophia sapientiæ amor est, et affectatio. Epist. 89.

SENTENTIÆ PATRUM.

S.ANTONIN. 1. Totius Philosophiæ robur, patientia est. Part. 4, tit. 11, cap. 4, § 2.

2. Moralem Philosophum omnes dixerunt, cujus vita doctrinæ concordat, et eam mortis necessario discrimini parat. *Ibid.*

3. Philosophia, quæ argumentis et subtilitatibus componitur, dum verisimilibus causis et commentis rebus divinis adimit fidem, omnino vitanda est, atque detestanda. *Ibid.*, cap. 4, § 5.

S. AUGUST. 4. Sunt qui seducunt per philosophiam, magno et blando et honesto nomine colorantes, et fucantes errores suos. Lib. 3, *Confess.*, cap. 4.

5. Nunc philosophos non fere videmus, nisi aut cynicos; aut peripateticos, aut platonicos : et cynicos quidem, quia eos vitæ quædam delectat libertas atque licentia. Lib. 4 *contra Academ.*, cap. 19.

6. Pulchrior est philosophia, quam Thysbe, quam Pyramus, quam illa Venus et Cupido, talesque omnimodi amores. Lib. 1 *de Ordine*, cap. 8.

7. Divinæ scripturæ non omnino philosophos, sed philosophos hujus mundi evitandos atque irridendos esse præcipiunt. *Ibid.*, cap. 11.

8. Philosophi si quæ forte vera, et fidei nostræ accommoda dixerunt, non solum formidanda non sunt; sed ab eis etiam tanquam injustis possessoribus, in usum nostrum vendicanda. Lib. 2 *de Doctrina christiana*, cap. 40.

9. Non falsæ philosophiæ loquacitate seducamur. Lib. 1 *de Genesi ad lit.*, cap. 21.

10. Philosophia est finis boni : nulla est igitur causa philosophandi, nisi finis boni : quamobrem quæ nullum boni finem sectatur, nulla philosophiæ secta dicenda est. Lib. 19 *de Civit. Dei*, cap. 1.

11. Non est honestior philosophia gentium

quam christiana, quæ una est vera philosophia. Lib. 4 *contra Julian.*, cap. 14.

12. Philosophi Epicuræi, etc. Vide titul. *Beatitudo*, sent. 13, 14, 15, 16, 17.

13. Nulla mihi videtur prospera fortuna, nisi quæ otium philosophandi dat. Lib. 2 *contra Academ.*, cap. 1.

14. Philosophia nutrit ac fovet. *Ibid.*, lib. 1, cap. 1.

15. A philosophiæ uberibus, se nulla ætas queritur excludi. *Ibid.*

16. Non parvum in philosophia profectum puto, cum in comparatione recti verique inveniendi, contemnitur a disputante victoria. *Ibid.*, cap. 3

17. Ipsum verum non videbis, nisi in philosophiam totus intraveris. *Ibid.*, lib. 2, cap. 3.

18. Nullus philosophorum finem actionum suarum constituit in fama vugli, aut in lingua hominum. Epist. 56.

19. Omnia quæ corporeus sensus attingit, divina philosophia monet frænare atque sopire. Epist. 214.

20. Nulla est homini causa philosophandi, nisi ut beatus sit. Lib. 19 *de Civitate Dei.*, cap. 1.

21. Quidam philosophorum quædam magna, quantum divinitus adjuti sunt, invenerunt : quantum autem humanitus impediti sunt, erraverunt. *Ibid.*, lib. 2, cap. 7.

22. Major societas debet esse nobis cum philosophis, quam cum poetis. *Ibid*, lib. 6, cap. 6.

23. Nomen philosophiæ, si latine interpretetur amorem sapientiæ profiteu : porro si sapientia Deus est, verus philosophus est amator Dei. *Ibid.*, lib. 8, cap. 1.

24. Cedant omnes illis philosophis, qui non dixerunt beatum esse hominem fruentem corpore vel fruentem animo, sed fruentem Deo. *Ibid.*, cap. 8.

25. Tunc beatus est studiosus sapientiæ (id enim est philosophus) cum Deo frui cœperit. *Ibid.*, cap. 9.

26. Communiter omnes philosophi studendo, quærendo, disputando, vivendo appetierunt apprehendere vitam beatam : hæc una fuit causa philosophandi. *De Epicur.*, cap. 3.

27. Si qui philosophi gentium, de Filio Dei, aut de Patre Deo vera prædixisse, seu dixisse perhibentur ; valet quidem aliquid ad paganorum vanitatem revincendam. Lib. 13 *contra Faust.*, cap. 15.

28. Pereant argumenta philosophorum, qui negant in sapientem cadere perturbationes animorum. Tract. 60, super *Joan.*

V. BEDA. 29. Spiritus est vita, mors carnis philosophia. In suis *Proverb.*, verbo *Spiritus.*

S. BERNARD. 30. Philosophorum vel hæreticorum intellectus non habet in se puritatis veritatisque nitorem : et ideo multam curam gerunt ipsum colorare et fucare phaleris verborum, et versutiis syllogismorum, ne si nudus appareat, falsi etiam appareat turpitudo. Serm. 41, super *Cant.*

31. Philosophorum ventosa loquacitas, non bonus imber est, qui sterilitatem magis infert terris, quam fertilitatem. *Ibid.*, serm. 58.

S. BONAV. 32. Intentio moralis philosophiæ versatur principaliter circa rectitudinem. In *Reduct. artium ad Theolog.*

33. Philosophi de Deo quærere contendentes, nihil se invenisse confessi sunt, nisi quod incognoscibilis est Deus. *Prosec.*

34. Sicut qui in vagum Oceanum usurpat navigare, cum non potest transire, necesse est ut per eamdem viam revertatur : sic illi ab ignoto cœperunt, et in ignotum finierunt. Super *Luc.*, cap. 10.

35. Philosophi non solum abstinebant a vitiis, gravibusque peccatis, sed et ab omnibus mundi vanitatibus et curiositatibus : et multi conati sunt, ut possent fieri virtuosi. Serm. 2, *de S Gregorio.*

CASSIODOR. 36. Pisces maris philosophos fortasse significant, qui hujus mundi naturam erratica curiositate pertractant. *Prosec.*

37. Nam sicut illi posita fronte itinera sibi reserant pelagi inundatione confusa : ita et isti capite demisso venas rerum ratione humana assiduo labore perquirunt. Super *Psalm.* VIII, vers. 8 : *Et pisces maris*, etc.

CLEMENS ALEX. 38. Philosophia vera non adulatur. Lib. 1 *Stromat.*

39. Ars sophistica est potestas phantastica, seu quæ visione percipitur, verbis falsas opiniones tanquam veras ingenerans. *Ibid.*

S. CYPRIAN. 40. Philosophos nec humiles videmus esse, nec mites, sed sibi multum placentes : et hoc ipsi quod sibi placeant, Deo displicent. *De Bono patient.*, cap. 1

S. EPHRÆM. 41. Ille vere divinus est philosophus, qui omni tempore pravis suis concupiscentiis resistit. *Prosec.*

42. Nam qui in solo nomine sapientiæ sibi blanditur et gloriatur, insipiens hic prorsus ac stultus reputabitur philosophus. *Serm. ad pietatem.*

S. GREGOR. MAGNUS. 43. Nulla philosophiæ honestas ad salutem, sine Christo proficit. Lib. 18 *Moral.*, cap. 27, in titulo.

44. Philosophia sapiens est amanda, aut nequaquam philosophia existit, si non sit sapiens. Orat. 21 *ad Heronem.*

45. Philosophiam animi passionibus dominam constituere oportet. *Ibid.*

46. Verus philosophus per afflictiones clarescit, et ex gravibus materiam facit virtutis, ac in adversis gloriatur, nec dextris justitiæ armis extollitur, nec sinistris deprimitur. Orat. 25.

47. Nihil vera philosophia est inexpugnabilius, nihil quod minus lædi queat : omnia prius cedunt, quam Philosophus. *Ibid.*

48. Hæc duo philosophia novit, et rebus recte habentibus modeste uti, et calamitatem honeste ferre. Epist. 35 *ad D. Gregor. Nyssen.*

S. HIERON. 49. Philosophi seculi solent amorem veterem amore novo, quasi clavum clavo expellere : illi vitium vitio, peccatum peccato medicantur : nos autem amore virtutum vitia superemus. Epist. 4 *ad Rustic.*

50. Mundi philosophus gloriæ est animal, et popularis auræ, atque rumorum venale mancipium. Epist. 26 *ad Pammach.*

HUGO CARD. 51. Philosophorum, vel philosophantium plurima sunt figmenta atque vanitates, paucæ veritates, et nullæ utilitates. Super *Prov.*, cap. 5.

S. JOANNES CHRYSOST. 52. Nusquam ita probe cognoscuntur ea, quæ (cum non sint) esse putantur, quemadmodum in philosophia. Homil. 84 super *Matth. Oper. perf.*

53. Philosophi magna loquuntur, sed nec modica faciunt. Homil. 10 super *Matth. Oper imperf.*

54. Philosophi etsi exteriori usi sunt sapientia, minime est mirandum, sed potius ridendum; cui neque de Deo, neque de creatura firmum quid et solidum invenire potuerunt. Homil. 65, super *Joan.*

55. Philosophi magni sunt in civitatibus, et philosophia eorum extenditur; quos si intrinsecus inspexeris, pulvis sunt et cinis, in quibus nihil sani, sed sepulchrum patens est guttur eorum, plenum immunditia et sordium, et præcepta omnia vermium plena. *Ibid.*

56. Qui philosophiam docet, primum de seipso id docere, et se auditoribus conciliare debet. Homil. 4 super I *ad Cor.*

57. Philosophia animi, litterarum eruditione studiisque liberalibus tanto difficilior est et operosior, quanto facere quam dicere difficilius, operaque quam verba laboriosiora sunt. Lib. 1 *Advers. vituperat. vitæ monast.*

JOAN. GERS. 58. Vana est philosophia, vana prorsus, inutilis et noxia, si non comes affuerit devotio. Tract. 7 super *Magnificat.*

59. Philosophia et theologia sine devotione dispergunt superbos et deprimunt. *Ibid.*

JOAN. TRITH. 60. Philosophia altior est, quæ intellectum discentis erudiens, amantis affectum non solet negligere. Orat. 2, in *conventu Abbat. habita.*

S. ISIDORUS PELUSIOTA. 61. Philosophiam consequi non potest, qui in verborum pugnis, et concertationibus operam suam collocat. Lib. 1, epist. 220.

S. JUSTIN. MART. 62. Non dignus est philosophi nomine, qui in Christi disciplina versatus non est : sed improbus est, multoque idiotis deterior. In *Apolog.* 1.

63. Philosophiæ nomen et speciem sibi vendicant nonnulli, qui nihil dignum promissione præstant. *Ibid.*, in *Apolog.* 2.

LACT. FIRM. 64. Melius est civiliter quam philosophice vivere : si non stulte vivit, qui civiliter vivit : sequitur ut stulte vivat, qui philosophice vivit. *Prosec.*

65. Si sapientia est, quæ dicitur philosophia, stulte profecto vivit, qui non secundum philosophiam vivit. Lib. 3 *de Divin. Inst.*, cap. 14.

66. Nihil esse testatur in omni philosophia melius et fructuosius, quam præcepta vitæ dare. *Ibid.*, lib. 6.

67. Philosophia hominibus est eximia, unigenita vero existens sola soli vult coire possessori. *Parænes.* 159.

PETRUS BLESENS. 68. Philosophi nihil putant verum, nisi ratio humana præbeat eis experimentum. Serm. 1 *de Adventu.*

69. Philosophia mea sit philosophia fratris Gerardi, qui nihil habebat aliud in ore et in corde, nisi Jesum Christum. *Prosec.*

70. Philosophia mea sit philosophia Pauli, qui constantissime affirmabat se nihil aliud scire, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. *Ibid.*, super *Job*, cap. 2.

S. PETRUS MAURITIUS ABB. CLUN. 71. Quis dicere audeat eum philosophari, qui universis laboribus suis non ad æternam beatitudinem, sed ad æternam miseriam tendit? Lib. 1, epist. 9, *ad Petrum.*

72. Eris verus philosophus Christi, cum in te stultam fecerit ipse sapientiam mundi. *Ibid.*

PHILO JUD. 73. Sicut liberales artes conferunt ad quærendam philosophiam, ita philosophia ad parandam sapientiam. *De Congressu quærendæ erudit. gratia.*

74. Bonorum omnium, quæ vere bona sunt, fons, est philosophia : ex eo si quis haurit, ut virtutem sibi quærat, laudandus : contra vituperandus, qui solam inde petit vafriciem. Lib. 2 *de Special. legib.*

RICH. A S. VICTORE. 75. Philosophus mundi, captator est famæ, neglector conscientiæ. Part. 1, lib. 3 *de Contemplat.*, cap. 3.

SALVIANUS. 76. Nihil est philosopho turpius, vitia obscœna sectanti : quia præter eam deformitatem, quam vitia in se habent, sapientiæ nomine plus notatur. Lib. 4 *de Gubern. Dei.*

S. SYNESIUS EPISC. 77. Philosophia asperam se ab initio, et tractatu difficilem præbet. *De Regno ad Arcadium imperat.*

78. Philosophare, ac quod divinum in te est,

ad divinum illud effer primigenium et antiquissimum. *Ibid.*, epist 138, *ad Herculiam.*

S. THOMAS AQUINAS. 79. Philosophia est contra morbos subsidium, ingenii remedium, et amicorum præsidium. *De Scientiis vilioribus.*

THOMAS A KEMPIS. 80. Multi docti philosophi et magni in oculis suis viam salutaris prudentiæ neglexerunt aut nescierunt, et ab humilitate Christi recedentes, a veritate erraverunt, et difficulter ad contemptum seculi venire potuerunt. Serm. 12 *ad Novit.*, divis. 6.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 81. Philosophia scientia veritatis appellatur : speculativæ etenim finis, veritas : practicæ autem, opus. Lib. 2 *Metaphys.*, cap. 1.

82. Oportet profecto, ut substantiarum principia et causas philosophus habeat. *Ibid.*, lib. 4, cap. 2.

83. Philosophi est de omnibus posse speculari : si enim non philosophi, quis erit qui considerabit? *Ibid.*

CICERO. 84. Philosophia virtutis continet et officii, et bene vivendi disciplinam, quam qui profitetur, gravissimam mihi sustinere personam videtur. Orat. 37, in *Pisonem*, num. 71.

85. Doloris medicina est philosophia. Lib. 1. *Academic. quæst.*, num. 11.

86. Omnis auctoritas philosophiæ consistit in beata vita comparanda. Lib. 5, *de Finibus*, num. 87.

87. Philosophia nihil uberius, nihil florentius, nihil præstantius hominum vitæ datum est. Lib. 1 *de Legib.*, num. 51.

88. Efficit hoc philosophia, scilicet : medetur animis, inanes sollicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, pellit timores. Lib. 2 *Tusc. quæst.*

89. Cultura animi est philosophia. *Ibid.*

90. Profecto animi medicina est philosophia. *Ibid.*, lib. 3.

91. O vitæ philosophia dux! o virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum! *Prosec.*

92. Tu urbes peperisti, tu dissipatos homines in societatem vitæ convocasti : tu inventrix legum, tu magistra morum et disciplinæ es. *Ibid.*, lib. 5.

93. Non ex singulis vocibus philosophi spectandi sunt, sed ex perpetuitate atque constantia. *Ibid.*

EPICTETUS. 94. Philosophi status et expressa imago est, omnem utilitatem et damnum a semetipso expectare. In suo *Enchirid.*, cap. 71.

95. Nusquam te philosophum profitearis. *Ibid.*, cap. 68.

96. In omnibus rebus illud tibi satis sit te esse philosophum : sin alicui etiam videri philosophus cupis, tibi videre, idque tibi satis esto. *Ibid.*, cap. 30.

PLATO. 97. Verus philosophus, quæ ad corporis cultum spectant, contemnit. In *Dialogo Phædonis.*

98. Omnis veri philosophi opera et labor in eo versatur, non in curando colendoque corpore, sed quantum poterit, seipsum ab illo sevocando, et ad animum penitus convertendo. *Ibid.*

99. Boni et recte philosophi ab omnibus corporeis abstinent voluptatibus, et constanter fortiterque seipsos compescunt, neque sese illis condonant permittuntque. *Ibid.*

100. In re vocamus philosophum eum hominem ad disciplinam quamlibet degustandam propensum, et alacri animo ad aliquid discendum incumbentem. Lib. 5 *de Republ.*

101. Necesse est, ut qui veri philosophi fieri inhiant, mendacium minime amplectantur : sed illud potius, ubi agnoverint, summo odio prosequantur, ament vero veritatem. *Ibid.*, lib. 6.

102. Nisi quis ficte atque simulate, non vere et solide sit philosophus; prorsus necesse est, ut temperans sit, neque pecuniæ ullo modo cupidus. *Ibid.*

103. Cum ignava et liberali natura, vera philosophia nihil habet commune. *Prosec.*

104. Vir enim vere philosophus, modestus est, non quæstui deditus, non illiberalis, non arrogans, non insolens, non ignavus. *Ibid.*

SENECA. 105. Philosophiæ servias oportet, ut tibi contingat vera libertas : hoc enim ipsum philosophiæ servire libertas est. Epist. 8.

106. Non est philosophia populare artificium, nec ostentationi paratum : non est in verbis, sed in rebus est. *Prosec.*

107. Animum format et fabricat, vitam disponit, actiones regit, agenda et omittenda demonstrat, dirigit cursum, sine hac nemo securus est. Epist. 16.

108. Multis ad philosophandum obstitere divitiæ : paupertas expedita est, secura est. Epist. 17.

109. Verba rebus proba; facere docet philosophia, non dicere, ne orationi vita dissentiat. *Prosec.*

110. Maximum hoc est et officium sapientiæ et judicium, ut verbis opera concordent. Epist. 20.

111. Hoc turpissimum est, quod nobis objici solet, verba philosophiæ, non opera tractare. Epist. 24.

112. Philosophia animum præstat alacrem. Epist. 30.

113. Ad philosophiam te confer, si vis salvus esse, si securus, si beatus. Epist. 37.

114. Philosophi pronuntiatio, sicut vita, debet esse composita. Epist. 40.

115. Nec rejicit quempiam philosophia, nec eligit, omnibus lucet. Epist. 44.

116. Quid turpius philosophia captante clamores? Epist. 52.

117. Exercet philosophia regnum suum : dat tempus, non accipit : non est res successiva, ordinaria est, domina est, adest et jubet. Epist. 53.

118. Philosophia inexpugnabilis murus est, quem fortuna multis machinis lacessitum non transit. Epist. 82.

119. Nec philosophia sine virtute est, nec sine philosophia virtus est : philosophia studium virtutis est, sed per ipsam virtutem : nec virtus esse sine studio sui potest, nec virtutis studium sine ipsa. Epist. 89.

120. Qui ad philosophorum scholas venit, quotidie secum aliquid boni referat, ut sanior domum redeat, aut sanabilior : ea enim philosophiæ vis est, ut non solum studentes, sed etiam conversantes juvet. Epist. 108.

VALER. MAX. 121. Philosophia, ubi pectore recepta est hominum, inhonesto atque inutili affectu depulso, totum in solidæ virtutis munimento confirmat. Lib. 3 *Dictor memorabil.*, cap. 3.

Vide etiam tit. *Beatitudo*, sent. 13, 14, 15, 16, 17; *Discere*, sent. 63; *Dogma*, sent. 15, 32; *Fortitudo*, sent. 25, 26; *Laus in genere*, sent. 71; *Melior*, sent. 31; *Princeps*, sent. 86; *Ratio*, sent. 11; *Relinquere*, sent. 20; *Solitudo*, sent. 67; *Voluptas*, sent. 187.

PIETAS.

S. AUGUST. *Definitio*. Pietas est cultus Deo reddere quod debet, et Deum pura mente colere. Serm. 24, *ad Fratres in eremo*.

Pietas est verax veri Dei cultus. Lib. 4 *de Civit. Dei*, cap. 23.

HUGO A S. VICTORE. Pietas est ex benignæ mentis dulcedine grata omnibus auxiliatrix affectio. *De fruct. carnis et Spirit.*, cap. 18.

HUGO CARD. Pietas est affectus erga proximum, quo ei subvenitur, vel saltem condoletur. In principio *Prologi*, super *Apocal.*

LACT. FIRM. Pietas nihil aliud est, quam Dei parentis agnitio. *De divinis instit.*, lib. 3, *de Falsa sapientia*, cap. 9.

S. LAURENT. JUSTIN. Pietas est per quam conjunctis sanguine, et benevolentia, affectus, et diligens tribuitur cultus. Part. 1, *de Ligno vitæ*, tract. 3 *de Justitia*, cap. 2.

S. THOMAS AQUINAS. Pietas est, per quam parentibus, patriæque benevolentiæ officium impenditur. Super I, *ad Timoth.*, cap. 4, lect. 2.

CICERO. Quid est pietas, nisi voluntas grata in parentes? Orat. 31, *pro Plancio*.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Pietas est prima, in Deum; secunda, in patriam; tertia, in parentes. Lib. 1, *Offic.*, cap. 27. S. AMBROS

2. Pietas amica est Deo, parentibus grata, dominum conciliat, necessitudines fovet, cultura Dei est, merces parentum, filiorum stipendium, justorum tribunal, egenorum portus, miserorum suffugium, indulgentia peccatorum. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 18, vers. 8.

3. Ea est vera pietas, quæ præponit divina humanis, perpetua temporalibus. Lib. 7, epist. 56, *ad Romulum*.

4. Multi induerunt indumenta pietatis, virtutem vero negaverunt. Epist. 4, *ad Fratres*. S. ANTONII ABBAS.

5. Pietas timore inchoatur, charitate perficitur. *De vera Relig.*, cap. 17. S. AUGUST

6. Quanto fis celsior potestate, tanto humilior fias pietate. Epist. 54, *ad Macedonium*.

7. Ad majora mentem, nisi pietas puritasque non perducit. *De moribus Manichæorum*, cap. 7.

8. Pius est a pietate, non pietas a pio : potest enim esse pietas, et si ille qui pius erat factus sit impius : ipse perdidit pietatem, pietati nihil abstulit. Tract. 39, super *Evang. Joan.*, de cap. VIII.

9. Optime de Deo existimare, verissimum est pietatis exordium. Lib. 1, *de Lib. arbit.*, cap. 2.

10. Ad Deum tendimus itinere pietatis. *Ibid.*, lib. 3, cap. 21.

11. Pietas ad omnia prodest. Epist. 52.

12. Qui vera pietate munitus est, decipi non potest. *De Agone Christ.*, cap. 4.

13. Merces pietatis non hic speranda est. Annot. in *Job*, cap. 21.

14. Omnis in hac vita pietas exercitatio est, qua in Deum tenditur. Lib. *de Mendacio*, cap. 19.

15. Illa tanto digniora sunt imitatione, quanto excellentiora pietate. Lib. 1 *de Civit. Dei*, cap. 23.

16. Sine vera pietate omne quamvis laudabile ingenium superbia vanescit et decidit. *Ibid.*, lib. 2, cap. 5.

17. Si quid in te laudabile naturaliter eminet, non nisi vera pietate purgatur atque perficitur, impietate autem dispergitur et punitur. *Ibid.*, cap. 29.

18. Constat inter omnes veraciter pios, neminem sine vera pietate veram posse habere virtutem. *Ibid.*, lib. 5, cap. 19.

19. Quantumlibet prædicetur virtus, quæ sine vera pietate servit hominum gloriæ, nequaquam Sanctorum exiguis initiis comparanda est. *Ibid.*

20. Nulla est hominis sapientia, nisi pietas, qua recte colitur verus Deus. *Ibid.*, lib. 24, cap. 28.

21. Deus dat regnum cœlorum solis piis, regnum vero terrenum et piis et impiis. *Ibid.*, lib. 5, cap. 20.

22. Gradus pietatis est fides, fidei fructus intellectus. Tract. 22, super *Joannem.*

23. Firmamentum salutis est habere virtutem pietatis, non formam solam. Tract. 2, super *Epist. Joan.*

24. Erit voluntas tua libera, si fuerit pia. Tract. 41, super *Joan.*

S. GREGOR. MAG. 25. Pietas cordis, viscera misericordiæ operibus replet. Lib. 1 *Moral.*, cap. 16.

26. Inordinata pietas cum temporaliter parcit ad æternum supplicium pertrahit. Hom. 19, super *Ezech.*

27. Ut vera et ordinata sit pietas, ad scientiæ gradum est sublevanda : ut sciat vel quid ex misericordia puniat, vel quid ex pietate dimittat. *Ibid.*

S. GREGOR. THAUMAT. 28. Pietas parens est, initium, finisque omnium virtutum. In *Orat. panegyrica.*

S. HIERON. 29. Pietatis genus est, impium esse pro Domino. Epist. 23, *ad Marcellam.*

30. Grandis in suos pietas, impietas in Deum est. Epist. 25, *ad Paulam.*

31. Pietas et vera Religio, via regia est. Lib. 16, super *Isaiam*, cap. 57, super illud : *In multitudine viæ*, etc.

32. Impietas diabolus est, et pietas Christus. Super *Ecclesiasten*, cap. VIII, super illud : *Et non salvabit impietas.*

HUGO CARD. 33. Affectus boni animi semper proclivis est ad pietatem. Super *Genes.*, cap. 43.

34. Omnia quæ sunt in regno cœlorum possidet pietas : quia quidquid possidet pietas, pauperum est. Super *Matth.*, cap. 5.

S. JOANNES CHRYSOST. 35. Non solum parentum debet esse pietas, sed et magna erga pueros diligentia. Hom. 21, super *Gen.*

36. Sicut cæcus non potest aspicere in splendorem luminis, sic homo malignus non potest intelligere mysteria pietatis. Hom. 39, super *Matth. Oper. imperf.*

37. Pietas certissima vitæ norma est, et conversationis optimæ disciplina. Hom. 12, super I *Timoth.*

38. Pietati hoc proprium est, ut in tenebris fulgeat : impietas autem et si in lumine fuerit, tenebrescit. Homil. 2, *de Cruce et Latrone.*

S. ISID. PEL. 39. Divina quædam res est sermo, divinior autem virtus, divinissima denique pietas. Lib. 3, epist. 118, *ad Isidor. diacon.*

S. LEO I. 40. Si non est omnium æqualis facultas, debet esse par pietas. Serm. 3, *de Collectis.*

41. Nullo caret pietatis officio, cui studium est colere Deum, et juvare conservum. Serm. 7, *de Quadrag.*

S. NILUS. 42. Pius est, non qui multorum miseretur, sed qui neminem injuria afficit. *Parænes.* 5.

S. PETRUS DAMIANUS. 43. Inordinata pietas nutrit impietatem. Opusc. 57, cap. 1, dissertat. 1.

S. PETRUS MAURITIUS ABB. CLUN. 44. Salubrior est mordens pietas, quam mulcens iniquitas. Lib. 2, epist. 9, *ad Innocent. Pap.*

PHILO JUD. 45. Nihil est pietate gnavius, nihil magis industrium. *De Abrahamo.*

S. THEODOR. 46. Nihil potest obscurare pietatem, quæ ubicunque sit proprios emittit radios, sive illa in servo, , sive in captivo reperiatur. Orat. 6, super *Daniel.*

47. Nihil animo pietatis studio destinato firmius. Serm. 8 *de Providentia.*

S. VALER. EPISC. 48. Crudelis est profecto pietas, quæ scit dolere miseris, et nescit subvenire perituris. Homil. 7, *de Misericord.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 49. Nemo pius est, qui pietatem cavet. Lib. 2 *de Finibus.*

PLATO. 50. Pietate generi humano nihil est majus, nihilque augustius. Lib. 13 *de Legib.*

SIXT. PHIL. 51. Fundamentum pietatis est continentia : culmen autem pietatis, amor Dei. Sent. 78.

VALERIUS MAXIMUS. 52. Nulla acerbitate fortunæ, nullis sordibus pretium charæ pietatis evilescit; quin etiam eo certius, quo miserius experimentum habet. Lib. 5, *Dictor memorabil.*, cap. 4.

53. Cæteræ virtutes tantummodo vultum admirationis, pietas vero etiam amoris plurimum meretur. *Ibid.*

54. Prima et optima rerum natura et magistra est pietas, quæ nullo vocis ministerio, nullo usu litterarum indigens, propriis ac tacitis viribus, charitatem parentum, liberorum pectoribus infundit. *Ibid.*

PLACARE DEUM.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Perspicuum est Deum non muneribus oblatis placari, sed offerentis affectu. Lib. 1 *de Cain et Abel*, cap. 6.

2. Non falli potest, qui ubique est, sed placari. Lib. 8, super *Luc.*, cap. 17, in illud *Psalm.* CXXXI : *Si ascendero in cœlum*, etc.

S. ANSELM. 3. Potui per me te, sancte Pater, offendere, sed non possum per me te mihi placare. Littera S.

S. AUGUST. 4. Non est quo fugias a Deo irato, nisi ad Deum placatum. Super *Psalm.* LXXIV, vers. 6.

5. Qui Deum non habet placatum, nequaquam evadet iratum. In *Medit.*, cap. 30

6. Tanto citius placat homo Deum, quanto re-

pressa arbitrii sui superbia gladio præcepti se immolat. Serm. 7, *ad Fratres in eremo*.

7. Sacrificio misericordiæ placatur Deus, quem nisi propitium haberent mali, nulli essent boni. Epist. 54.

8. Non placatur divina majestas, quibus humana dignitas inquinatur. Lib. 2 *de Civit. Dei*, cap. 29.

9. Agnosce hominem, et placabis Deum. Lib. *de Quinque hæresib.*, cap. 7.

10. Grandis offensa, nolle placare quem offenderis. In suis *Proverb.*, verbo *Grandis*.

S. BERNARD. 11. Omnino non potest non placari Deus, si quæ in ore sonuit, in corde radiet humilitas. Serm. 16, super *Cant.*

12. Parvulus est Jesus, leviter placari potest. Serm. 1, *Epiphan.*

13. In omni loco esto Deo subjectus et contentus, et compone mores tuos, ut sit in te placatus. Lib. *Meditationum*, cap. 7.

14. Nihil ita Deum placat, quemadmodum purus mentis affectus. *De Inter. domo*, cap. 48.

15. Frustra Deum propitiari sibi quærit, qui cito placari proximo negligit. *Ibid.*, cap. 51.

S. CYPRIAN. 16. Putas ne tu Dominum cito posse placari, quem verbis perfidis abnuisti? *De lapsis*, cap. 13.

S. EUSEBIUS EMISSEN. 17. Longe est, cum irascitur Deus : prope est, cum placatur. Hom. *de Resurr.*

FRANCISCUS TITELM. 18. Sola humilitas est pœnitentiæ, quæ iram justi Judicis peccatis provocatam potest mitigare. In *Elucid.*, super cap. XXII, *Job*.

GLOSS. ORD. 19. Non placatur Deus ab homine, nisi in arca cordis per lumen rectæ fidei et veræ dilectionis, constituat illi altare humilitatis, in quo offerat sacrificium laudis. Super illud I *Paralip.* XXI : *Extrueretque altare Domino.*

20. Potest quisque resipiscendo Deum placare, quem contigit stulte loquendo offendisse. Super *Prov.*, cap. 16.

S. GREGOR. MAGNUS. 21. Tanto quisque Deum citius placat, quanto ante ejus conspectum repressa arbitrii sui superbia, gladio præcepti se immolat. Lib. 35 *Moral.*, cap. 10.

22. Electi culpis suis nunquam sciunt parcere, ut possint Judicem culparum placatum invenire. Lib. 11 *Moral.* cap. 17, super illud *Job* 13 : *Verumtamen vias meas*, etc.

23. Vult placari precibus, qui scit quia portari non possit iratus. Homil. 37, super *Evang.*

24. In omni quod agis, inspectorem cordis appete habere placatum. Lib. 8, in *Registro*, indict. 3, cap. 36, epist. 36, *ad Maxim., episc. Salonitan.*

S. HIERON 25. Placatur Deus virtutibus. Epist. 9, *ad Salvinam.*

26. Quam pulchra res est, quæ placat Deum, et dæmones terret. Lib. 2, *Advers. Jovian.*

27. Si peccaverit vir in virum, placari potest ei Deus : quia placato sibi viro, in quem peccavit, placabilem sibi facit Deum, cui in viro peccavit. *Prosec.*

28. Cum in virum quis peccat, placato sibi viro, facit sibi Deum placabilem. In *Quæst.*, super lib, *Reg.*

29. Jejunio et eleemosyna, et excussa socordia continuis precibus, placatur Deus. Homil. 27, super *Gen.* S. JOANNES CHRYSOST.

30. Deus non voce clamosa pulsandus est, sed conscientia recta placandus, quia non est vocis auditor, sed cordis. Homil. 13, super *Matth. Oper. imperf.*

31. Deus placandus est, non docendus : non est ei neccessaria longa narratio, sed bona voluntas. *Ibid.*

32. Spirituali Medico spiritualis merces est offerenda : nam omnes Medici pecuniis, iste autem oratione placatur. *Ibid.*, homil. 21.

33. Liga eum qui deliquit, donec placet Deum. Homil. 14, super II *Cor.*

34. Oratione in communi facta Deus potissimum placatur. Homil. 4, super II *Thess.*

35. Multi in mediis civitatibus ignorati possunt pro aliis placare Deum. Homil. 42, super *Gen.*

36. Deus non thure, non hostia, non pretiosis muneribus quæ omnia sunt corruptibilia sed morum emendatione placatur. *De Ira Dei*, cap. 21. LACT. FIRM.

37. Neque salus esse cuiquam potest, nisi prius sibi propitium faciat Dominum. Et hab. apud Bedam, in suis *Scintillis*, cap. 33. ORIGEN.

38. Magis placandus est in adversis Deus, et minus lædendus in prosperis. *Prosec.* SALVIANUS.

39. Placari quippe debet, cum irascitur : lædi non debet, cum propitiatur. Lib. 6, *de Gubern. Dei.*

40. Preces Deum flectere ac mitigare solent. Epist. 69, *ad Theophil.* S. SYNESIUS EPISC.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

41. Thure Deum placa; vitulum sine, crescat aratro: CATO POET.
Nec credas placare Deum, dum cæde litatur.
Lib. 4, *Distichor.*, metr. 76.

42. Divinum numen placandum est, atque demulcendum precibus et sacrificiis. *In Dialogo Theagis.* PLATO.

43. Vis Deum propitiare? bonus sis. Epist. 95. SENECA.

Vide etiam tit. *Eleemosyna*, sent. 14; *Judicium sui*, sent. 22; *Oblatio*, sent. 36; *Oratio*, sent. 156; *Zelus*, sent. 15.

PLACERE.

Definitio. Placere Deo, nihil aliud est, quam seipsum laudatum, et beatum, et similem ipsi efficere. *De Virginit.* S. BASILIUS MAGNUS.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Si quis vult placere omnibus per omnia, quærat non quod sibi utile est, sed quod multis, sicut quærebat et Paulus. Lib. 3, *Offic.*, cap. 3.

2. Nullus placere Deo, sine Deo potest. Lib. 1 *de Vocat. gent.*, cap. 3.

S. ANTONIN. 3. Potest quis placere alteri quadrupliciter. Primo ad Dei honorem et gloriam procurandam; secundo, ad ejus benevolentiam habendam; tertio, propter proximorum utilitatem faciendam; quarto, propter inanem gloriam sui, vel ad decipiendum eum, vel aliquod illicitum consequendum. Part 2, tit. 10, *de Mendacio*, cap. 2, § 1.

4. Fere non est homo in mundo, qui tantum studeat placere Deo : quantum mulier, etiam mediocris, suis vanitatibus studet hominibus placere. Part. 3, tit. 1, cap. 25.

S. AUGUST. 5. Videat cui placeat, qui Domino placet : et utique tanto est beatior, quanto plus placet ei. *D. Bono viduit.*, cap. 19.

6. Amate ardentius, cui placetis attentius. *De sancta Virginitate*, cap. 27.

7. Quæ gravior offensio, quam ut superbia illi displiceas, qui propter te superbis displicuit? *Ibid.*, cap. 38.

8. Vis Deo placere? non potes quamdiu deformis es; quid facies, o anima, ut pulchra sis? prius tibi displiceat deformitas tua, et tunc ab illo ipso, cui vis placere pulchra, mereberis pulchritudinem. Super *Psalm.* CIII, conc. 1, vers. 2 : *Decorem induisti.*

9. Breve præceptum est; ille placet Deo, cui placet Deus. Super *Psalm.* XXXII, vers. 1, conc. 1.

10. O error horrendus! itane, o Caipha, ut placeas Deo, percutis placentem Deo? o execrabilis cæcitas! Tract. 39, super *Evang. Joan.*, de cap. XVI.

11. Periculosum est sibi placere, cui cavendum est superbire. *Ibid.*, tract. 58, de cap. XIII.

12. Tolle de me quod mihi nocet, et tibi displicet : et da quod nosti tibi placere et mihi prodesse. In *Medit.*, cap. 36.

13. Semper tibi displiceat quod es, si vis pervenire ad quod nondum es : nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti. *De Verb. Apost.*, serm. 15.

14. Deus perverso non placet; vis ut placeat tibi Deus? noli tibi placere. Serm. 2, *Dom.* 19, *post Trin.*

15. In Dei servitio placere perfecte, sola libertas est. *De quant. animæ*, cap. 24.

16. Computrui coram oculis tuis placens mihi, et placere cupiens oculis hominum. Lib. 2, *Conf.*, cap. 1.

17. Non recte in vitio displicet, nisi quia vitiat quod in natura placet. Lib. 3, *de Libero arbit.*, cap. 13.

18. Si animus placet tibi, tanto fit minor, quanto se cupit esse majorem. *Ibid.*, cap. 25.

19. Si placent corpora, Deum ex illis lauda. Lib. 4, *Conf.*, cap. 11.

20. Si placent animæ, in Deo amentur. *Ibid.*, cap. 12.

21. Placere quærebam hominibus, non ut eos docerem, sed tantum ut placerem. *Ibid.*, lib. 6, cap. 6.

22. Qui placet hominibus, non ab ipsis suam gloriam quærens, sed Dei, ut salvi fiant : non jam hominibus, sed Deo placet. Aut certe cum et Deo placet simul et hominibus, non utique hominibus placet. In *Exposit. super Epist. ad Galat.*, cap. 1.

23. Qui hominibus propter veritatem placet, non ipse illis, sed veritas placet. *Ibid.*

24. Quando diabolo placemus, displicemus Deo. *Annot. in Job*, cap. 31.

25. Placeat tibi Deus qualis est, non qualem illum esse vis : perversus enim es, et talem vis esse Deum, qualis es, non qualis est. *Prosec.*

26. Si autem placeat tibi qualis est, corrigeris : placeat tibi Deus qualis est. *De decem chordis*, cap. 8.

27. Tolle de me quod mihi nocet, et tibi displicet, et da quod nosti tibi placere, et mihi prodesse. Lib. *Medit.*, cap. 36.

28. Gloriæ contemptores sibi sapientes videntur, et sibi placent. Lib. 5 *de Civit. Dei*, cap. 20.

29. Homo fit superbus, cum sibi nimis placet : sibi vero ita placet, cum ab illo bono immutabili deficit, quod ei magis placere debuit, quam ipse *Ibid.*, lib. 14, cap. 13.

30. Salubrius Petrus sibi displicuit, quando flevit, quam sibi placuit, quando præsumpsit. *Ibid.*

31. Per ignorantiam malum, quasi bonum placet. Lib. 1, *ad Bonifac.*, cap. 13.

32. Qui naturali lege sunt justi, placent Deo, et ex fide Christi placent. Lib. 4, *contra Julian.*, cap. 3.

33. Da quibus operibus tibi placeam. Lib. *Medit.*, cap. 2.

34. Qui sibi placet, stulto homini placet : quia ille ipse stultus est, cum sibi placet solus : solus securus placet, qui Deo placet : et quis est qui Deo placet? cui placuerit Deus. *Prosec.*

35. Displicere sibi Deus non potest : placeat et tibi, ut placeas illi : sed tibi ille placere non poterit, nisi tu tibi displicueris. Super *Psalm.* CXXII.

36. Nulli studeas placere in vita tua, nisi soli Deo. Apud Bedam, tom. in suis *Scintillis*, cap. 11. S. BASILIUS MAGN.

V. BEDA. 37. Facile offendit, qui non optimis, sed pessimis placere cupit. In suis *Proverb.*, verbo *Facile.*

38. Licet multis vita tua placeat, tibi placere non debet. *Ibid.*, verbo *Licet.*

39. Stultum valde est, si his placere quærimus quos non placere Deo scimus. *Ibid.*, verbo *Stultum.*

.BERNARD. 40. Qui non placet Deo, non potest illi placere Deus : nam cui placet Deus, Deo displicere non potest. Serm. 24, super *Cant.*

41. Audis cui places, ama unde places. Epist. 113.

42. Non potest bonus non esse, qui bonis placet. Epist. 248, *ad Eugen. Pap.*

43. Nullam invenit requiem, qui sibi placere cupit, et suis. In *Declamat.*

44. Qui sibi displicet, Deo placet. *De Inter. domo*, cap. 28.

45. Tanto majori studio placendi opus est, quanto est major ille cui placendum est. Lib. *de Passione Dom.*, cap. 29.

46. Nunquam vultum tuum componas ut hominibus placeas : sed interius orna faciem conscientiæ tuæ bonis virtutibus, ut Jesu Christo cœlesti placere valeas. Serm. 64, *ad Sororem.*

47. Qui plus desiderat placere hominibus, quam Christo, nec Christum perfecte diligit, nec a Christo diligitur. *Ibid.*

S. BONAV. 48. Stultus est, qui stulte placere laborat. *De Inst. Novit.*, cap. 10.

49. Nullius opus placet Deo, nisi placeat ipse prius. Lib. 6, *Compend. theolog. verit.*, cap. 15.

CASSIODOR. 50. Ipse Domino placet, qui sibi displicet : quia cum nos culpamus, veriloquium est : cum nos volumus laudare, mendacium. Super *Psalm.* XXXI.

CYPRIAN. 51. Illic placere hominibus non licet, ubi voluntas hominum non capit Domini voluntatem. *De singularit. Clericor.*, cap. 5.

EVAGRIUS. 52. Ad hoc ut Deo quis placeat, nihil interest quo loco degat. *De octo vitiosis cogit. de Pigritia.*

EUSEBIUS EMISSEN. 53. Qui placiturus est Deo, ipse sibi displiceat. Homil. *de Pœnitentia Ninivitar.*

GLOSS. ORD. 54. Placere Deo non poterit, quod non ad normam voluntatis ejus correctum fuerit. Super *Levit.*, cap. 2.

55. Ille placet Deo, qui fidem rectam, quam habet, executione virtutum, et perfectæ operationis decorat. Super illud I *Thessal.* IV : *Et placere Deo*, etc.

S. GREGOR. MAGNUS. 56. Placere Deo et hominibus, consummatæ perfectionis est : tam Deo quam hominibus placere, magnæ virtutis est. Lib. 2, in I *Reg.*, cap. 3, super illud : *Non audierunt vocem*, etc.

57. Tam Deo, quam hominibus placet, qui sic Deo placere curat, ut de Dei ministerio aliquem non offendat. *Ibid.*

58. Qui perfecte placere Deo desiderat, sibi de se nihil relinquat. Lib. 10 *Moral.*, cap. 4, num. 6.

59. Habet hoc humana infirmitas proprium, ut plus ei intueri libeat quod sibi in se placet, quam quod sibi in se displicet. *Ibid.*, lib. 22, cap. 5, num. 7.

60. Si hominibus placerem, Christi servus non essem. Placet Paulus, et non placet : quia in eo quod placere appetit, non se; sed per se hominibus placere veritatem quærit. Part. 2, *Pastoralis*, cap. 8.

61. Hoc certissimum scito, quod placere Deo, et pravis hominibus nullus potest. *Prosec.*

62. Intantum ergo se existimet fraternitas tua Omnipotenti Deo placuisse, quantum se perversis hominibus displicuisse cognoverit. Lib. 8, in *Registro*, indict. 3, cap. 36, epist. 36, *ad Maxim. episc. Salonitan.*

63. Quidquid est unde Deo placeas, facere non omittas. *Ibid.*

64. In omni opere ante omnia Deo placere studeamus. *Prosec.* HAYMO.

65. Non enim primum placendum est hominibus, sed primum placere debemus Deo, deinde hominibus, non ob nostram gloriam, sed ut ipsi homines placeant Deo, cui nos placere viderint, Serm. 2, *Fer.* 2 *Paschæ.*

66. Desiit placere hominibus, qui servus factus est Christi. Epist. 2, *ad Nepotian.* S. HIERON.

67. Nescio quomodo plus placent mundo, qui Christo displicent. Epist. 13, *ad Paulin.*

68. Plures hoc ipso cupiunt placere, quod placere contemnunt. Epist. 22, *ad Eustoch.*

69. Prima virginis cura, primumque studium est scire voluntatem Domini sui, et quid ei placeat, quidve displiceat, diligenter inquirere. *Prosec.*

70. Impossibile est ei quemquam placere, cui quid placeat, ignorat. Epist. 1, *ad Demetriad.*

71. Ille servus domino placet, qui ita aliquid ultro operis exercet, ut tamen etiam imperata perficiat, qui non fassit aliud pro alio, sed utrumque, nec mutat, sed addit obsequium. *Ibid.*

72. Illi tantum placere stude, cui sæpe displicet quod hominibus placet. *Ibid.*

73. Qui merito suo viles placere non possunt, placere volunt in comparatione pejorum. *Ibid.*

74. Tanto majore placendi studio opus est, quanto major est ille, cui placendum est. *Ibid.*

75. Ille absque invidiæ infectione esse non poterit, qui soli Deo placere gestierit. In *Regula monachorum*, cap. 19, *de Laude et detract.*

76. Difficile, imo impossibile est, omnibus placere. Lib. 11 super *Isai.*, in Prœmio.

77. Si fieri potest, ut pariter et Deo et homini-

bus placeamus, placendum est hominibus : sin autem aliter non placemus hominibus, nisi Deo displiceamus, Deo magis quam hominibus placere debemus. Lib, 1, super *Epist. ad Galat.*, cap. 1, in illud : *Quæro hominibus placere.*

HUGO A S. VICTORE. 78. Christianus placere debet Domino, non vestibus, sed moribus. Super *Regul. D. August.*, cap. 6.

HUGO CARD. 79. Ille placet Deo, qui factus est per gratiam, amicus ejus. Super *Sapient.*, cap. 4.

80. Plus placent Deo interiora, quam exteriora : exteriora enim non placent, nisi propter interiora. Super *Epist. ad Galatas*, cap. 3.

S. JOANNES CHRYSOST. 81. Animæ fortis et constantis est, nihil facere ut homini placeat. Homil. 23, super *Gen.*

82. Tolle hoc vitium de Clero, ne velint hominibus placere, et sine labore omnia vitia resecantur. Homil. 43, super *Matth. Oper. imperf.*

83. Non propter spem regni cœlestis, sed ut Deo placeat, viro bono est laborandum. Homil. 43, super I *Cor.*

84. Placere Deo quovis etiam regno præstantius est. *Ibid.*

85. Si proprio placere vis viro, aliis ne cura ut placeas : si vero aliis placere vis, non potes placere tuo. Præterea ne placere velis viro unde placent et scorta, sed magis unde placent mulieres liberæ. Serm. 10, super *Epist. ad Coloss.*

S.ISID.HISP. 86. Flenda est ruina, qua sibi quisque magis quam Deo placere studeat. Lib. 3 *de Sum. bono*, cap. 23, sent. 1.

S. PAULIN. 87. Beata esset nostra conditio, si æque Deo ut hominibus vel displicere timeremus, vel curaremus placere. Epist. *ad Alethium episcopum.*

PETR. BLES. 88. Non potes placere Deo et mundo : displicet mihi, si ut mundo placeas, Deo displicere non times. Epist. 131, *ad Quemdam Priorem.*

89. Studeas illi placere modis omnibus, quibus potes : qui te talem facere dignatus est, ut placeres. *Ibid.*, *de Charitate*, cap. 21.

S. PETRUS DAMIANUS. 90. Unum est quod mens cujusque fidelis debet assidue et solerter attendere, et intra semetipsum sollicita semper inquisitione versare, scilicet utrum placeat Deo quod agit : quid enim prodest quidquid faciat homo, si hoc non placeat Deo? Lib. 5, epist. 3 *ad Quemdam Archipresbyterum.*

PHILO JUD. 91. Si qui Deo displicent, sunt miseri : quibus placere contigit, proculdubio felices erunt. *De Abrahamo.*

S. PROSPER. 92. Pax super ipsum est, cui Deus semper placet. Super *Psalm.* CXXIV, vers. ult.

S. THOMAS AQUINAS. 93. Si quis in hoc mundo vult multis gratus haberi,

Det, capiat, quærat, plurima, pauca, nihil, 2,2, quæst. 117, art. 4.

94. In omnibus bonis quæ agis et dicis, Deo placere studeas : qui autem sibi placet, stulto placet, et Deo displicet. In *Valle liliorum*, cap. 7, sect. 2. THOMAS A KEMPIS.

95. Discat prius displicere seculo, qui placere vult Christo. Homil. 17, *de Bono martyrii.* S. VALER. EPISC.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

96. Maluerim veris offendere, quam placere adulando. Lib. 2, *de Clement. ad Neron.*, cap. 2. SENECA.

97. Nunquam volui populo placere : nam quæ ego scio, non probat populus ; quæ probat populus, ego nescio : quis enim placere potest populo, cui placet virtus? Epist. 29.

98. Quid stultius, quam aliquem eo sibi placere, quod ipse non fecit? Epist. 74.

99. Placeat homini quidquid Deo placet. *Ibid.*

100. Non quam multis, sed qualibus placeas, cogita. *De Quatuor virtutibus.*

101. Non quam multis placeas, sed quibus stude. *De Moribus.*

102. Maximum in eo vitium est, qui non melioribus vult placere, sed pluribus. *Ibid.*

103. Multitudini placere, ne satagas. Sent. 104. SIXTUS PHILOSOPH.

Vide etiam tit. *Colere*, sent. 53 ; *Deliciæ*, sent. 14 ; *Displicere*, fere per totum. *Egredi*, sent. 133 ; *Fama*, sent. 18 ; *Luctus*, sent. 12; *Opus*, sent. 54 ; *Ornatus*, sent. 63; *Persona*, sent. 12 ; *Potesta Dei*, sent. 57 ; *Pudicitia*, sent. 25 ; *Remuneratio*, sent. 34 ; *Servire Deo*, sent. 7 ; *Stultitia*, sent. 17.

POENA.

Definitio. Pœna est supplicium, quo quis ob delictum afficitur. COLLECTOR.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Impius ipse sibi pœna est, justus autem ipse sibi gloria : et utrique aut bonorum aut malorum operum merces ex seipso solvitur. Lib. 1 *Offic.*, cap. 12. S. AMBROS.

2. Omnis pœna, si justa est, peccati pœna est, et supplicium nominatur. *Prosec.* S. AUGUST.

3. Si autem injusta est pœna (quoniam pœnam esse nemo ambigit) injusto aliquo dominante homini imposita est. Lib. 1, *Retractat.*, cap. 9.

4. Est justitiæ pulchritudo, cum benignitatis gratia concordans, ut quoniam bonorum inferiorum dulcedine decepti sumus, amaritudine pœnarum erudiamur. *De Vera Religione*, cap. 15.

5. Qui injuste se ordinat in peccatis, juste ordinatur in pœnis. Epist. 120, *ad Honorat.*

6. Quisquis pœnas non vult luere pro peccatis, inimicus est æquitatis. Lib. 7 *de Genesi ad litt.*, cap. 26.

7. Pœna proprie dicitur læsio, quæ punit et vindicat quod quisque commisit : ille igitur pœ-

nam tenet, qui semper punit quod commisisse dolet. *De Vera et falsa pœnit.*, cap. 19.

8. Qui solus est sine culpa, solus est et sine pœna : sed quoniam nullus est sine culpa, ideo nullus sine pœna vivere debet. Serm. 24, *ad Fratres in eremo.*

9. Ubi major pœna, major victoria est. *Ibid.*, serm. 45.

10. Nemo injuste pœnas luit. Lib. 1, *de Lib. arbit.*, cap. 1.

11. A Deo pœnam meremur aut præmium. *Ibid.*, lib. 2, cap. 1.

12. Diversitate pœnarum, diversitas agnoscitur meritorum. Epist. 162.

13. Peccantem justa pœna sequitur. Lib. 8, *Confess.*, cap. 5.

14. Diaboli, quos invenerint sui similes, secum ad pœnas trahunt. *De Agone Christ.*, cap. 2.

15. Juste mali pœnas patiuntur. *Ibid.*, cap. 7.

16. Nullus cruciatus pœnarum temporalium potest sempiternis iniquorum cruciatibus comparari. *De Catechiz. rud.*, cap. 24.

17. Si nunc omne peccatum manifesta plecteretur pœna, nihil ultimo judicio reservari putaretur. Lib. 1 *de Civit. Dei*, cap. 8.

18. Non quisquam de vitiis naturalibus, sed de voluntariis pœnas luit. *Ibid.*, lib. 12, cap. 3.

19. Rarissimi sunt, qui nullas in hac vita, sed tantum postea pœnas luant. *Ibid.*, lib. 21, cap. 14.

20. Nullus debitæ pœnæ accipit veniam, nisi qualemcunque solverit pœnam. *De Continent.*, cap. 6.

21. Deus omnia sive per pœnas, sive per præmia justitia moderante disponit. *Contra Adimant.*, cap. 17.

22. Comes morienti, aut vita erit, aut pœna. *De Epicur.*, cap. 6.

23. Bonam voluntatem sequitur corona, malam sequitur pœna. Lib. 2 *de Actis cum Felice*, cap. 12.

24. Nascitur proles ad pœnam, nisi renascatur ad vitam. Lib. 1 *de Nuptiis*, cap. 17.

25. Qualis et quanta pœna cuique culpæ debeatur, divini judicii est non humani. *De Natura boni*, cap. 9.

26. Tolera malum bonus, ut venias ad præmia bonorum, ne mittaris in pœnam malorum. Tract. 50, super *Joan.*

27. Productior est pœna quam culpa, ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur et pœna. *Ibid.*, tract. 124.

BERNARD. 28. Par esse non debet pœna, ubi dispar est causa : et dispar esse non debet pœna, ubi par est causa. Epist. 326, *ad Abbat. Lessiensem, pro reconciliatione fratris Roberti.*

29. Justum est ut qui æternaliter peccato perfrui voluit, æternaliter pœnam inveniat : et quorum voluptas non habuit finem peccandi, non habeat finem torquendi. Super *Luc.*, cap. 6, in illud : *Eadem mensura*, etc. S. BONAV.

30. Vere levis reputanda est omnis pœna, qua evaditur æterna : levius est enim parum spina pungi, quam gladio occidi. Serm. 4, *in die Ciner.*

31. Pœna præsens, si afflicti animum convertit, finis est culpæ præcedentis : si tamen ad timorem minime convertit, initium est pœnæ sequentis. Serm. 4, *Dom.* 2, *post Pascha.*

32. Tanto quisque pœnam facilius et acrius sentit, quanto natura est vivacior. In *Fasciculario*, cap. 8.

33. Solatium est miseris, socios habere pœnarum. Lib. 3, *Compend. theolog. verit.*, cap. 7.

34. Gravior pœna est, quæ usque ad interiora descendit. Super *Psalm.* XXXVII, vers. 3. CASSIODOR.

35. Justi pœna non patientis culpa, sed facientis invidia est. Super *Psalm.* XL, vers. 8.

36. Dignus est male, imo pejus tractari ab aliis qui alios prior male tractavit. In *Elucid.* super cap. XXXI, *Job.* FRANCISCUS TITELM.

37. Pœna impii, eruditio est justi. Super illud *Genes.* XIX : *Versa est in statuam salis.* GLOSS. INT.

38. Beatus vere, qui hic pœnas dedit scelerum : futuras non habebit. Super illud *Job* 5 : *Beatus homo qui corripitur.* GLOSS. ORD.

39. Qui sibi nunc in culpa parcit, ei postmodum in pœna non parcitur. Lib. 11 *Moral.*, cap. 17. S. GREGOR MAGNUS.

40. Pœna interrogat, si quietus quis veraciter amat. In *Præfat. exposit.*, super cap. III *Job*, num. 5.

41. Solos pœna a supplicio liberat, quos immutat : nam quos præsentia mala non corrigunt, ad sequentia perducunt. Lib. 9 *Moral.*, cap. 24.

42. Pœna interrogat, si veraciter cognoscimus culpam. *Ibid.*, lib. 24, cap. 6.

43. In pœna sua oculos aperit, quos in culpa clausos tenuit. Lib. 25 *Moral.*, cap. 3.

44. Iniquus sæpe, quia pœnam quam meretur, repente non suscipit; hoc ipsum Deo non æstimat displicere quod facit. *Ibid.*

45. Nunquam culpam suam reprobi, nisi in pœna cognoscunt : et quia pœna differtur, culpa despicitur. *Ibid.*, cap. 7.

46. Omne quod hic agitur, pœna et miseria est. *Ibid.*, lib. 11, cap. 26, super illud *Job* XIV : *Brevi vivens tempore.*

47. Pœna præsens, si animum afflicti convertit, finis est culpæ præcedentis : si autem ad timorem Domini minime convertit, initium est pœnæ sequentis. Lib. 9 in *Registro*, indict. 3, cap. 25, epist. 25, *ad Venantium episcopum Syracusan.*

48. Quicunque stultus est in culpa, erit sapiens in pœna. Et hab. in *Decret. Gratiani*, dist. 38, can. *Qui ea.*

HAYMO. 49. Pro qualitate et quantitate peccatorum redditur pœna tormentorum : non enim æqualis pœna debetur ei, qui parum peccavit, et ei qui multum. Serm. 2, *Dom.* 2, *post Pent.*

S. HIERON. 50. Omnis pœnarum finis, bonorum exordium est, et dolor proficit ad sanitatem. Lib. 2 super *Michœam*, cap. VII, super illud : *Et erit terra in desolationem*, etc.

HUGO A S. VICTORE. 51. Omnis pœna malum est, sed non omnis pœna mala est. *De Orat. Dom.*, cap. 16.

52. Pœna quam fugit hic peccator, transitoria est : quam incurrit, æterna. Lib. 1 *Miscellan.*, codic. 2, tit. 101.

HUGO CARD. 53. Pœna post peccatum vicem janitoris obtinebit, quia semper comitabitur te, sive introeas, sive exeas. Super *Genes.*, cap. 4.

54. Solatium est misero, socios habere pœnarum. Super *Deut.*, cap. 1.

55. Ut probet, aut purget, aut puniat, aut veneretur, aut Christi pateat gloria, pœna datur. Super *Job*, cap. 1.

56. Miserabiliter cruciatur, qui causam sui cruciatus non attendit. *Ibid.*, cap. 10.

57. Triplici culpæ triplex pœna respondet : peccato in Deum, carentia visionis Dei; peccato in proximum, ignis inextinguibilis; peccato in seipsum, vermis immortalis. Super *Isai.*, cap. 13.

58. Homo in pœna nascitur, et in pœna moritur, et ideo in pœna vivere debet. *Ibid.*, cap. 30.

S. INNOC. III 59. Nemo se confidat expertem a pœna, qui se novit immunem a culpa. Lib. 1 *de Contemptu mundi*, cap. 29.

S. JOANNES CHRYSOST. 60. Major est pœna dilata, quam subita : et molestius supplicium, quod præmisso terrore differtur. Homil. 25 *ex divers. in Matth.*

61. Gravior est pœna, quæ ad hoc tardat, ut diutius feriatur : subita enim cito percutiunt, dilata fœneratam pœnam restituunt. *Ibid.*

62. Pœna hic inflicta, liberat a pœna futura. Conc. 3 *de Lazaro.*

63. Peccatum sanies est, pœna ferrum medicinale : sicut saniem habens, si non secatur, tunc in majoribus est malis, ita peccans si non puniatur, omnium est miserrimus. Homil. 6 *ad Pop. Antioch.*

64. Illic coronæ, ubi pœnæ. *Ibid.*, homil. 67.

JOAN. SAR. 65. Est pœna duplex, cum et ipsa sentitur, et causa ignoratur. Epist. 139.

JOAN. TRITH. 66. Quanto status fuerit altior, tanto pœna delinquentis gravior. Lib. 1, homil. 5, *ad Monachos.*

67. Copia pereuntium non tollit pœnam, sed auget. Epist. 14 *ad Nicol. presbyt. Mernicens.*

S. ISID. HISP. 68. Christus sicut peccatum, quod pœna dignum est, non admisit : ita pœnam peccati nostri suscepit, ut per indebitam pœnam suam, debitam ablueret culpam nostram, ut per hoc amitteret diabolus, qui reos tenebat, dum unum interfecit, qui nihil peccati admiserat. Lib. 1 *de Sum. bono*, cap. 14, sent. 12.

69. Crescit Sanctorum gloria, dum debita damnantur impii pœna. Lib. 1 *de Sum. bono*, cap. 30, sent. 3.

S. ISID. PEL. 70. Non grave est eos, qui gravia perpetrarunt, gravibus quoque pœnis affici : sed eos, qui nihil grave commiserunt, gravia perpeti, prorsus gravissimum est. Lib. 3, epist. 26 *ad Casium presbyt.*

ORIGEN. 71. O tu! qui pœnæ reus es, non mereberis misericordiam, si irasceris ad pœnam : quin potius intelligas digne te pati quod pateris, ut misericordiam consequaris, et possis ad pristinum statum revocari. Homil. 10, in cap. 16 *Ezech.*

PHILO JUD. 72. Quamvis abominandæ videantur, plurimum tamen prosunt pœnæ insipientibus, quemadmodum medicinæ silva corporeo morbo laborantibus. *De Agricultura.*

SALVIANUS. 73. Plurimi pœnas peccatorum suorum perferunt, et intelligere causas pœnarum nemo dignatur. Lib. 5, *de Gubern. Dei.*

S. SYNESIUS EPISC. 74. Sua cuique nequitia sufficiens pœna est. Epist. 32, *ad Fratrem.*

75. Quisquis longo tempore pœnæ expers manet, eum par est infelicissimum haberi, qui neque Deo, neque homini curæ sit. Epist. 44 *ad Joannem.*

S. THEODOR. 76. Ineffabilis Dei clementia pœnas minatur, ne pœnas inferat : cum vero non veriti fuerimus minas, tunc experientia eas percipimus. Sect. 2, super *Ezech.* in illud : *Afflictio ecce venit*, etc.

S. THOMAS AQUINAS. 77. Pœnæ purgant peccata, humiliant reos, provocant bonos ad amorem Dei. Opusc. 6, super *symbolum Apost.*, art. 1.

78. Pœna voluntaria in hac vita suscepta multo plus purgat, quam pœna post mortem inflicta. *De ultimo Advent. Christi.*

79. Licet pœnæ quandoque sint absque culpa personæ, semper tamen sunt in culpa naturæ. Super 2 sent., dist. 37, art. 4.

THOMAS A KEMPIS. 80. Pœna non facit aliquem reum, sed culpa justam exigit pœnam. Serm. 14 *ad Novit Divis.* 7.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 81. Pœnæ sunt medicamenta quædam, medicamenta autem per contraria fiunt. Lib. 2. *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 3.

SENECA. 82. Levis est, si ferre possum : gravis est, si ferre non possum. Epist. 24

83. Prima et maxima peccantium est pœna peccasse. Epist. 97.

84. Dat pœnas quisquis expectat : quisquis autem meruit, expectat. Epist. 105.

85. Potest pœna dilata exigi, non potest exacta revocari. Lib. 2 *de Ira*, cap. 23.

86. Jam sibi pœnas dedit, qui peccavit. *Ibid.*, cap. 30.

87. Impunitatis genus est, jam non habere pœnæ locum. Lib. 1 *de Clement. ad Neron.*, cap. 21.

88. Satis est pœnarum, potuisse puniri. *De Moribus.*

Vide etiam tit. *Damnatio*, sent. 41; *Delectatio*, sent. 68; *Flagellum Dei*, sent. 173, 231; *Gaudium*, sent. 91; *Ira Dei*, sent. 25; *Læsio*, sent. 20; *Martyrium*, sent. 166; *Providentia Dei*, sent. 59; *Punitio*, sent. 40; *Remuneratio*, sent. 8; *Sententia*, sent. 36; *Timor pœnæ*, per totum; *Venia*, sent. 56.

POENÆ TIMOR.

Vide TIMOR PŒNÆ.

POENITENTIA.

S. ISID. HISP. *Etymologia*. Pœnitentia appellata est, quasi punientia : eo quod ipse homo in se puniat pœnitendo, quod male admisit. Lib. 6. *Etymol.*, cap. 18.

B. ALANUS DE RUPE. *Definitio*. Pœnitentia est dolor voluntarie susceptus satisfaciendi pro peccatis, et porro cavendi peccata. Part. 3, serm. 4, regina 14, cap. 23.

S. ANTONIN. Pœnitentia est virtus, qua peccata commissa plangimus, et odimus, et ea ulterius committere nolumus. Part. 4, tit. 5, cap. 14.

S. AUGUST. Pœnitentia vera est pœnitenda non admittere, et admissa deflere. *De Ecclesiast. dogmat.*, cap. 54.

Pœnitere est pœnam tenere, ut semper puniat in se ulciscendo, quod commisit peccando. *De vera et falsa pœnitentia*, cap. 19.

Pœnitentia est vindicta semper puniens in se quod dolet commisisse. *Ibid.*

Pœnitentia est anteacta deflere, et flenda iterum non committere. Serm. 11, *ad Fratres in eremo.*

S. BONAV. Nihil aliud est pœnitentia, quam voluntaria pœna pro peccatis assumpta. Serm. 2, *de Plur. Mart.*

CASSIODOR. Quid est aliud pœnitere, nisi irasci sibi, ut horreat quod fecit, et cruciatus a se exigat, ne Judex potius iratus affligat? Super *Psalm.* IV, vers. 5 : *Irascimini*, etc.

GLOSS. INT. Pœnitentia est correctio malæ mentis. Super *Matth.*, cap. 4.

S. GREG. NYSS. Pœnitentia est dissolutio et eversio peccatorum, quæ vel re, vel cogitatione sunt admissa. *In eos qui alios judicant.*

HUGO CARD. Pœnitentia est correctio animæ. Super *Psalm.* XXXV.

S. JOANNES DAMASC. Pœnitentia est ab eo quod naturæ adversatur, ad id quod naturæ consentaneum est : atque a diabolo, ad Deum per piæ vitæ studia, et labores reditus. Lib. 2 *de Fide orthodoxa*, cap. 30.

JOAN. CASS. Pœnitentiæ plena et perfecta definitio est, ut peccata pro quibus pœnitudinem gerimus, vel quibus nostra conscientia remordetur, nequaquam ulterius admittamus. Collat. 20, *Abbat. Pinufii*, cap. 5.

JOAN. GERS. Pœnitentia est justitia, qua quis inclinatur punire malum, vel emendare quod in se reperit. Part. 4 *de Descript. termin.*, cap. *Justitia.*

LACT. FIRM. Agere pœnitentiam nihil aliud est quam profiteri et affirmare se ulterius non peccaturum. *De divinis Inst.*, lib. 6 *de Vero cultu*, cap. 13.

LUDOVICUS BLOSIUS. Pœnitentia est vera ab omnibus extra Deum aversio, et integra ad purissimum certissimumque bonum, illud quod Deus ipse est, conversio. In *Apolog. pro Thaulero*, cap. 5.

PETRUS LOMBARDUS MAG. SENT. Pœnitentia vera est dolor cordis, et amaritudo animæ pro malis, quæ quisque commisit. Lib. 4, dist. 17.

RICH. A S. VICTORE. Vera pœnitentia est abominatio peccati, cum voto cavendi, confitendi, satisfaciendi. Part. 1 *de Potestate ligandi et solvendi*, cap. 5.

S. THOMAS AQUINAS. Pœnitentia est quædam specialis virtus, qua homo operatur ad præteriti peccati destructionem, et detestationem. Part. 3, *Summæ*, quæst. 85, art. 2.

S. JOAN. CLIM. *Descriptio*. Pœnitentia est revocatio baptismatis. *Prosec.*

Pœnitentia est secundæ vitæ conventio ad Deum.

Pœnitentia est humilitatis emptor.

Pœnitentia est corporeæ consolationis perpetua et jugis repudiatio.

Pœnitentia est seipsum semper condemnans cogitatio, securaque cujusque sui cura.

Pœnitentia est spei filia, infidelitatisque et desperationis abnegatio.

Pœnitentia est reus confessione liber.

Pœnitentia est reconciliatio Domini per bona opera peccatis repugnantia.

Pœnitentia est conscientiæ emendatio.

Pœnitentia est voluntaria earum rerum omnium, quæ affligant, toleratio.

Pœnitens est cruciatuum sibi semper opifex.

Pœnitentia est valida ventris afflictio, animæque in sensu firmissimo jugis reprehensio. Gradu 5.

HUGO CARD. & S. BONAV. *Divisio*. Tres sunt species pœnitentiæ : simulatoria et infructuosa, ut in Esau et in Saul; crudelis et desperata, sicut in Cain et Juda; Utilis et consummata, sicut in Maria et Zachæo, istius pœnitentia partes sunt quinque : contritio in corde, confessio in ore, maceratio in carne, correctio in opere, perseverantia in virtute. In suis *Sent.*, verbo *Tres.*

Pœnitentiæ tres sunt partes : contritio cordis

confessio oris, satisfactio operis. Super *Ecclesiastic.*, cap. 17. *Et S. Bonavent.* super *Psalm.* LXXX.

PETR. BLES. Pœnitentiæ tres sunt partes : prima contritionis, secunda confessionis, tertia satisfactionis, *Prosec.*

Prima mentem lavat, secunda refrigerat, tertia fœcundat. Prima debetur Deo, secunda prælato, tertia proximo.

Deo debemus conteri, prælato confiteri, proximo bene operari. Serm. 10, *in Die Cinerum.*

S. BONAV. *Comparatio.* Sicut virus serpenti vitam conservat, sed homini mortem propinat : et sicut ignis aurum probat, et virgulta incinerat : sic eadem pœnitentia, non omnibus est imponenda, sed diversis diversa. *Prosec.*

Sicut talpa moritur in luce, et sub terra vivit : et sicut ignis quem cætera animalia timent, salamandram nutrit; et sicut homo sub aqua moritur, ubi piscis delectatur; sic eadem pœnitentia non omnibus est injungenda, sed diversa diversis. Tit. 2, *Diætæ*, cap. 1.

SENTENTIÆ PATRUM.

B. ALANUS DE RUPE. 1. Pœnitentia est ruina vitiorum, reparatio virtutum, reparatio virtutum, confusio dæmonum, lætitia angelorum, medicina peccatorum. Part. 3, serm. 4, regina 14, cap. 23.

S. ALBERTUS MAGNUS. 2. Falsa est pœnitentia, quando unum peccatum emendatur, et de alio non curatur. Part. 1, *de Paradiso animæ*, cap. 41.

S. AMBROS. 3. Studeant qui agunt pœnitentiam, quomodo agere debeant, quo studio, quo affectu, qua mentis intentione, qua intimorum concussione viscerum, qua cordis conversione. Lib. 2 *de Pœnit*, cap. 6.

4. Tanta pœnitentiæ medicina est, ut mutare videatur suam Deus sententiam. *Ibid.*

5. Facilius inveni qui innocentiam servaverint, quam qui congrue egerint pœnitentiam. *Ibid.*, cap. 10.

6. Peccavi : o quantum valent tres syllabæ, tres enim syllabæ sunt, Peccavi, sed in tribus syllabis! flamma sacrificii cordis pœnitentis ad cœlum ascendit. In *Exhortat. ad pœnitentiam.*

7. Nihil peccare solius est Dei, emendare, sapientis est, et corrigere erratum, et pœnitentiam gerere peccati : id tamen difficile est in hac vita homini. *Prosec.*

8. Quid enim tam rarum, quam ut invenias virum, qui seipsum coarguat, et factum condemnet suum?

9. Rara itaque confessio de peccato, rara pœnitentia, rara in hominibus verbi ejus assertio.

10. Repugnat enim natura, repugnat verecundia : natura, quia omnes sub peccato, et qui carnem gerit, culpæ obnoxius est : repugnat ergo natura carnis, et illecebra sæculi innocentiæ, integritatique.

11. Repugnat etiam verecundia, quia erubescit unusquisque propriam culpam fateri : dum præsentia magis quam futura cogitat. Lib. 1, epist. 3, *ad Simplicianum.*

12. Pigra et verecunda est pœnitentia, quæ premitur et revocatur præsentium pudore. *Ibid.*

13. Prudentis est prospicere, ne frequenter eum pœniteat sui : nunquam enim pœnitere, solius est Dei. Lib. 10, epist. 82, *ad Vercellens. Eccles.*

14. Peccavit David ut solent Reges, sed pœnitentiam gessit, flevit, ingemuit, quod non solen Reges. Lib. 1, *de Apologia David*, cap. 4.

15. Vera medicina est, gerere pœnitentiam; quæ tunc legitime prædicata est, quando medicus venit e cœlo; qui non exasperaret vulnera, sed sanaret. Super *Psalm.* XXXVII, in præfat.

16. Fidelior factus est Petrus, postquam fidem se perdidisse deflevit; atque ideo majorem gratiam reperit, quam amisit. Serm. 47 *de Fide Petri.*

S. ANTON. 17. Si quis senserit aliquod mortalium in se damnari, nisi pœnitentiam egerit, æterna illum flamma trucidabit. Part. 2, tit. 4, cap. 8, § 5.

18. Sicut Baptismus est janua omnium sacramentorum, ita pœnitentia est secunda tabula post naufragium. Part. 3, tit. 1 *de Matrimonio*, cap. 19, § 11.

S. ANTON. DE PADU. 19. Pœnitens debet videre præterita, ut defleat; futura, ut caveat; prospera, ne elevent; adversa, ne deprimant; superiora, ut sapiant; inferiora, ut desipiant; interiora, ut sibi in Deo sapiant. Serm. *Dom 4, Quadrag.*

20. Pœnitentia est cibus peccatorum. Serm. in *die Paschæ.*

S. ASTER. 21. Tunc pœnitentia prodest, cum pœnitens emendandi voluntatem habet. *Prosec.*

22. Sublata vero copia recte faciendi, inutilis est dolor et irrita pœnitentia, Homil. *de Divite et Lazaro.*

S. AUGU. 23. Ne quemquam putes ab errore ad veritatem, vel a quocunque seu magno, seu parvo peccato ad correctionem sine pœnitentia posse transire. Epist. 48, *ad Vincentiun.*

24. Non solum cum agitur pœnitentia, verum etiam ut agatur, Dei misericordia necessaria est. In *Enchirid.*, cap. 82.

25. In actione pœnitentiæ non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris. *Ibid.*, cap. 65.

26. Pœnitentia aboleri peccata indubitanter credimus, etiam si in ultimo vitæ spiritu admis-

sorum quem pœniteat. *De Ecclesiasticis dogmatibus*, cap. 80.

27. Qui per pœnitentiam peccata diluunt, angelicæ felicitatis consortes in æternum erunt. Lib. 1 *de Mirab. sacræ Script.*, cap. 2.

28. Pœnitentia languores sanat, leprosos curat, mortuos suscitat, vitia fugat, virtutes exornat, mentem munit, et roborat, omnia satiat, omnia reintegrat, omnia lætificat, sanitatem auget, gratiam conservat, claudis gressum, aridis copiam, cæcis restituit visum, temperat successus, constringit impetus, moderatur excessus. *De Vera et falsa pœnit.*, cap. 1.

29. Pœnitentiæ gemitus, fletus, et lamentatio hoc acquirit, ut et veniam mereatur et reformationem. *De quæst.*, *Veteris et novi Test.*, quæst. 102.

30. Temerarius est, qui peccatum non abhorret, sed cum peccat, ad pœnitentiam recurrat. *De Vera et falsa pœnit.*, cap. 7.

31. Pœnitentia efficax est et fructifera, neminem relinquens sine venia. *Ibid.*, cap. 8.

32. Quem pœnitet omnino pœniteat, et dolorem lacrymis ostendat. *Ibid.*, cap. 10.

33. Semper dolendum est in vita : ubi enim dolor finitur, deficit et pœnitentia; si pœnitentia finitur, quid relinquitur de venia? *Prosec.*

34. Tamdiu gaudeat et speret de gratia, quamdiu sustentatur quis a pœnitentia. *Ibid.*, cap. 13.

35. Periculosissimum est, et interitui vicinum, post mortem protrahere pœnitentiæ remedium. *Ibid.*, cap. 17.

36. Pœnitentia acquirit indulgentiam, sine qua nemo pervenit ad veniam. *Ibid.*, cap. 2.

37. Recte pœnitens quidquid sordium post purificationem contraxit, oportet ut abluat saltem lacrymis mentis. *Ibid.*, cap. 9.

38. Timendum est de pœnitente sero, multos enim solet serotina pœnitentia decipere. *Ibid.*, cap. 17.

39. Pœnitentia omnibus utilis est, nec spem auferens, nec temeritatem concedens, sed digne et vere suscepta, promittit non solum indulgentiam, sed certa præmia. *Ibid.*, cap. 20.

40. Petrum nisi Dominus respexisset, nunquam pœnitentia motus amare flevisset. Lib, 3 *Hypognostic.*, cap. 9.

41. Pœnitentia res est optima et perfecta, quæ defectos revocat ad perfectum. *Ibid.*

42. Multi quos peccare non pudet, agere pœnitentiam pudet. O incredibilis insania! de vulnere ipso non erubescis, de ligatura vulneris erubescis. Nonne putridum nudum fœdius et putidius est? confuge ergo ad medicum, age pœnitentiam. Super *Psalm.* L, vers. 4.

43. Tunc cum venerit judicii tempus, correctionis locus non erit, sed tantum damnationis; et erit ibi pœnitentia, sed infructuosa, quia sera. *Prosec.*

44. Vis ut fiat fructuosa? non sit sera. Considera, hodie te corrige. Super *Psalm.* LI, vers. 6.

45. Violentiæ pœnitendi cedat consuetudo peccandi. Tract. 49, super *Evang. Joan.*, cap. 11.

46. Quid est infelicius, quid perversius, quam de ipso vulnere quod latere non potest, non erubescere, et de ligatura illius erubescere? *De Pœnitentiæ medicina*, cap. 3.

47. Noli timere, adest in itinere auxiliator, qui in Ægypto non defuit liberator : noli timere, aggredere viam, præsume securus. *De Utilit. pœnit.*, cap. 1.

48. Quem pœnitet, ita pœniteat, ut ulterius jam lugenda non committat. *De Rectitud. catholicæ conversat.*

49. Ipsa impœnitentia est Spiritus sancti blasphemia, quia ille quid hoc impœnitentiæ peccato est ligatus, dono Spiritus sancti resistere videtur. Serm. 11, *de Verbis Dom.*

50. Propter dolorem salubrem pœnitentiæ in fletu Dominus posuit officium ; in risu, hoc est in gaudio, beneficium. *De Verb. Apost*, serm. 9.

51. Si pœnitens es, pœnitet te : si non pœnitet te pœnitens non es. Si ergo te pœnitet, cur facis quod male fecisti? si fecisse te pœnitet, noli iterum facere : si adhuc facis, certe non es pœnitens. Homil. 41 *ex* LIII *Homil.*

52. Si quis positus in ultima necessitate ægritudinis suæ voluerit accipere pœnitentiam, et accipit, et mox reconciliatur, et hinc vadit : fateor vobis, non illi negamus quod petit, sed non præsumimus quia bene hinc exit. *Prosec.*

53. Non præsumo, non vos fallo, non præsumo : fidelis bene vivens, securus hinc exit : baptizatus ad horam, securus hinc exit : sanus agens pœnitentiam, et reconciliatus, et postea bene vivens, securus hinc exit. Differens autem et agens pœnitentiam ad ultimum et reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus.

54. Unde securus sum, dico et do securitatem ; unde non sum securus pœnitentiam dare possum, securitatem dare non possum.

55. Numquid dico, damnabitur? Non dico, sed dico etiam liberabitur? Non. Et quid dicis mihi? nescio, non præsumo, non promitto, nescio.

56. Vis te de dubio liberare, vis quod incertum es evadere? age pœnitentiam dum sanus es.

57. Si enim agis veram pœnitentiam dum sanus es, et invenerit te novissimus dies, curre ut reconcilieris; si sic agis, securus es. Quare securus es? quia egisti pœnitentiam eo tempore quo et peccare potuisti.

58. Si autem tunc vis agere pœnitentiam ipsam,

quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa.

59. Sed unde scis, inquis, ne forte Deus dimittat mihi? verum dicis. Unde? Nescio : illud scio, hoc nescio. Nam ideo tibi do pœnitentiam, quia nescio : nam si scirem tibi nihil prodesse, non tibi darem; si scirem tibi prodesse, non te admonerem, non te terrerem.

60. Duæ res sunt : aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur. Quid horum tibi futurum sit, nescio : ergo tene certum, dimitte incertum. *Ibid.*

61. Pœnitentiam age : quidquid enim feceris, quæcunque peccaveris, adhuc in hac vita es, unde te Deus, si sanare nollet, auferret. *Ibid.*, homil. 50.

62. Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati et amor Dei. Serm. 3 *de Nativit. Dom.*

63. Quando sic te pœnitet ut tibi amarum sapiat in animo, quod ante dulce fuit in vita; et quod te prius oblectabat in corpore, ipsum te cruciet in mente : jam tunc bene ingemiscis ad Deum, et vere te pœnitet. *Ibid.*

64. Ista est vera pœnitentia, quando sic convertitur quis, ut non revertatur : quando sic se pœnitet, ut non repetat. *Ibid.*

65. Quid infelicius, quid perversius, quam de ipso vulnere quod latere non potest non erubescere, et de ligatura illius erubescere? Homil. 50, *ex* LIII *Homil.*

66. Pœnitentia vera, non annorum numero censetur, sed amaritudine animi. *Prosec.*

67. Non longitudinem temporis tantum requirit Deus, quantum affectum sinceritatis pœnitentis pensat. Serm. 3 *Dom.* 1 *Quadrag.*

68. Fidelior factus est Petrus postquam fidem se perdidisse deflevit, atque ideo majorem gratiam reperit quam amisit. Serm. 2 *de Cathedra S. Petri.*

69. Pœnitentia mater est omnium bonorum. Serm. 11 *ad Fratres in eremo.*

70. Pœnitentia illa digna et bona est, quæ peccata peracta deplorat, sic ut deplorata iterum non committat. *Prosec.*

71. Qui sic peccata deplorat, ut iterum peccata committat, adhuc pœnitentiam agere ignorat.

72. Qui dissimulat, irrisor est : et non pœnitens, qui adhuc agit cujus se pœnitet. *Ibid.*

73. Si casu quis instigante diabolo ac suadente peccaverit, ad pœnitentiam, quæ est medicamen lapsorum, tota animi aviditate confugiat. *Ibid.*, serm. 60.

74. Qui tempus pœnitentiæ datum negligit, frustra ante tribunal Christi preces effundit. *Prosec.*

75. Ibi a Deo non potest mereri quod petit, qui hic noluit audire quod jussit. *Ibid.*, serm. 71.

76. Inanis est pœnitentia, quam sequens culpa inquinat. Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 2 *de Pœnit.*, dist. 3, can. *Inanis.*

77. Natura quam fecit Deus de nihilo, posteaquam peccavit, cogitur ad pœnitentiam. Lib. 2 *de Gen. contra Manich.*, cap. 29.

78. Quicunque Dei auxilio corriguntur, quod amiserant peccando, se pœnitendo recuperant. *De Morib. Eccles.*, cap. 34.

79. Nihil aliud agit quem veraciter pœnitet, nisi ut id quod male fecerit, impunitum esse non sinat. Epist. 54.

80. Pœnitentia animi quædam mors est. Lib. 1 *de Doctrina Christ.*, cap. 19.

81. Age pœnitentiam de præteritis malis. Epist. 70.

82. Peccata quæ male agendo committuntur, possunt et pœnitendo sanari. In *Enchirid.*, cap. 46.

83. Quicunque compunguntur homines pœnitentia peccatorum, homines sunt. Annot. in *Job.*, cap. XXXVI.

84. In judicio sera erit et infructuosa infidelium pœnitentia. *Ibid.*, cap. 37.

85. De conversione nullius desperandum est, quandiu patientia Dei eum ad pœnitentiam adducit. Lib. 4 *de Baptismo contra Donatistas*, cap. 14.

86. Pœnitentia non est alienæ naturæ, sed voluntatis nostræ. Lib. *de Actis cum Felice*, cap. 8.

87. Deus sanat pœnitentes peccata confessos. *Ibid.*

88. Inexcusabilis est omnis homo quem et admonitum pœnitere non vult in malo. *De Cultura agri Dom.*, cap. 3.

89. Si me pœnitet, parcis : insuper dum differo, præstolaris. Lib. *Medit.*, cap. 2.

90. Pœnitentes, si tamen estis pœnitentes et non estis irridentes, mutate vitam. Homil. 41 *ex* LIII *Hom.*

91. Ne desperando augeamus peccata, propositus est pœnitentiæ portus. *Ibid.*, homil. 27.

92. Quisquis pœnitentiæ recusat humilitatem, Deo propinquare non cogitat. *Ibid.*, homil. 50, cap. 1.

93. Non vehementius diabolum prosternimus, nec acriores ei dolores infligimus, quam cum plagas peccatorum nostrorum confitendo et pœnitendo sanamus. *Ibid.*, cap. 3.

S. BASILIUS MAGNUS.

94. A peccato afflicti sumus! per pœnitentiam curemur : pœnitentia porro remoto jejunio, inanis et infrugifera est. Homil. 1 *de Jejunio.* Hab. apud *D. Joan. Damasc.*, lib. 2 *Parall.*, cap. 86.

S. BASILIUS SELEC.

95. Mali remedium cape, cape lapsus tui repositum in pœnitentia pharmacum. Orat. 29.

V. BEDA. 96. Tale est genus vitiorum, ut nisi præteritum celeri pœnitentia deleatur, alia ex inde oriantur. In suis *Proverb.*, verbo *Tale*.

S. BERNARD. 97. Pœnitudo sine correctione non proderit : in pœnitudine enim mens accenditur, in correctione ardet. Serm. 3 *Vigil. Nat.*

98. Pœnitentiam habere, dolere est; pœnitentiam agere, remedium doloris est. Serm. *de Convers. ad Clericos*, cap. 5.

99. Pœnitentia quæ per corpus geritur, brevis est et levis : brevis, quia corporis morte terminatur : levis, quia per societatem corporis fertur facilius. In suis *Sent.*, verbo *Tres*.

100. Quisquis dum in corpore vivit, pœnitentiam recte agere negligit, nullum in futuro salutis remedium obtinere poterit. *Ibid.*

101. Necessaria sunt pœnitentiæ tria hæc; abstinentia, lectio, oratio. *Ibid.*, verbo *Necessaria*.

102. Qui veraciter pœnitet, laborem pœnitentiæ non abhorret, sed quidquid sibi pro culpa, quam odit, injungitur, tacita conscientia patienter amplectitur. *De grad. humilit.*, grad. 9.

103. Vera pœnitentia est quando sic pœnitet hominem peccasse, ut crimen non repetat. *De Inter. domo*, cap. 52.

104. Verus pœnitens semper in labore et dolore est, dolet de præteritis, laborat pro futuris cavendis. Lib. *Medit.*, cap. 4.

105. Vera pœnitentia est sine temporis intermissione de peccatis dolere : sic plangere commissa, ut non committantur plangenda. *Ibid.*

106. Irrisor est, et non verus pœnitens, qui adhuc agit quod pœniteat : quoniam inanis est pœnitentia, quam sequens coinquinat culpa. *Ibid.*

S. BONAV. 107. Aut continui dolores cruciabunt pœnitentem vitam, aut æterni cruciatus vexabunt puniendam animam. Serm. 1, *Dom.* 1, *Quadrag.*

108. Agere pœnitentiam, fructuosum est, respectu hominis agentis, respectu diaboli invidentis, respectu Angeli gaudentis, respectu Dei retribuentis. *Prosec.*

109. Fructuosa utique et utilis est actio pœnitentiæ ad hominis expiationem, diaboli spoliationem, Angeli congratulationem, Dei remunerationem. Serm. 1, in die Cinerum, in illud 42. Job, Ago pœnitentiam, etc. pag. 61, col. 1, tom. 3.

110. Cinis et cilicium, sunt arma pœnitentium. Super *Luc.*, cap. x.

111. Asinus Christi est, qui onus pœnitentiæ portat; malus asinus est, qui et saccum pœnitentiæ, et Dominum insidentem projicit; gravius enim onus peccator assumit. Serm. 3, *Dom. Palmar.*, in illud *Matth.* xxi : *Sedens super asinam.*

112. Nullus potest esse particeps gloriæ, nisi perseveret ad monumentum pœnitentiæ. Serm. 4, *Dom.* 13, *post Pent.* super illud *Joan.* xx : *Maria stabat ad monumentum.*

113. Sicut baptismus est porta intrantium, sic pœnitentia est porta resurgentium : quia dum per eam peccatum destruitur, homo ad innocentiam reparatur. Serm. 3, *de S. Andræa.*

114. Vere non est vera, sed falsa pœnitentia : immo nec pœnitentia est nominanda, ubi nulla sunt aspera, sed dulcia universa, Serm. 2 *de S. Joan. Bapt.*

115. Vere homo et non ficte debet se pro peccato punire medici more, qui ægroto non parcit, ut sanari possit. Serm. 5 *de Plur. Mart.*

116. Nihil valet pœnitentiam inchoare, et eam usque ad medium trahere, si non adsit perseverare. *Ibid.*

117. Pœnitentia est discrete imponenda, devote assumenda, perfecte adimplenda. Tit. 2, *Diætæ*, cap. 1.

118. Bonus et perfectus pœnitens fugit diabolum, sequitur Christum, spernit mundum, et appetit cœlum. *Ibid.*

119. Pœnitentia angelos lætificat, impium justificat, impium justificat, amissa bona revocat, vitam æternam donat, pœnam æternam vitat. Lib. 6 *Theolog. verit.*, cap. 22.

120. Væ mihi, si peccata mea non deflevero : væ mihi, si media nocte ad confitendum tibi non surrexero. In *Soliloq.*, cap. 3.

121. Erubescimus modo parvo tempore pœnitentiam agere, et non timemus sine ullo termino S. CÆSARIUS ARELAT.
æterna supplicia sustinere. *Prosec.*

122. O infelix homo! de ipso vulnere non erubescis, et de ligatura vulneris erubescis : peccatum enim vulnus est, pœnitentia ligatura vulneris est.

123. Tu qui pœnitentiam non vis agere, sine dubio dissimulas medicamenta tuis vulneribus adhibere. Homil. 13.

124. Tu homo sapiens, considera si justum est, ut per totam vitam tuam vitiis et peccatis servias, et ad acquirendam vitam per pœnitentiam jam semivivus assurgas. *Ibid.*

125. Ista quædam formula pœnitentium est, CASSIODOR.
ut inchoent a lacrymis, et desinant lætitia. Super *Psalm.* vi, vers. ult.

126. Perfecta pœnitentia est, futura cavere peccata, et lugere præterita. Super *Psalm.* L, vers. 4.

127. O conditio beata pœnitentium, quæ de reis efficis justos, de tristibus perenniter lætos, de mortalibus absolute perpetuos. Super *Psalm.* ci.

128. Quemadmodum aridum lignum aqua S. CYRILLUS

HIEROSOL. participans, flores emittit, sic et anima peccatrix per pœnitentiam Spiritu sancto digna reddita, justitiæ racemos progenerat. Cateches. 16.

DIDYMUS. ALEX. 129. Quem peccasse pœnitet, ita pœniteat, ut non amplius peccando ab ira in peccantes futura fugiat. Lib. *contra Manich.*

S. ELIGIUS. 130. Caveant omnes, qui pœnitentiam volunt in fine vitæ suæ accipere : vix enim paucos videmus eam secundum quod desiderant, adipisci. Homil. 6.

131. In pœnitentia majorem in se quisque severitatem debet exercere, ut a seipso judicatus, non judicetur a Domino. *Ibid.*

132. Peccator dum labitur in peccatum, non differat pœnitentiam, quia nescit si tempus pœnitendi accipiet, aut digne pœnitebit. *Ibid.*, homil. 9.

133. Ille pœnitentiam digne agit, qui reatum suum satisfactione legitima plangit, condemnando scilicet ac deflendo quæ gessit. *Ibid.*, homil. 6.

134. Dominus paratus est semper recipere peccantes ad pœnitentiam converti volentes. *Ibid.*, homil. 13.

S. EUSEBIUS EMISSEN. 135. Beatus, qui hic mala sua deflere, qui hic debita sua festinat exsolvere, et innocentiam, quam jam non potest reparare per baptismi iterationem, recuperare studet per summum pœnitentiæ fructum. Homil. *de Pœnit. Ninivit.*

136. Non pudeat pœnitere, quod peccare non puduit. *Ibid.*, homil. *ad Pœnitent.*

FRANCISCUS TITELM. 137. Tempus pœnitentiæ, quo se valet homo ad Deum convertere, nunc volvitur : neque ultra hoc seculum extenditur. In *Annot. super Psalm.* v, vers. 5, sect. 1.

GLOSS. DEC. 138. Ætatis ratio habenda est in pœnitentia. In *Decretis Gratiani.*

139. Sicut prima bona per sequentia mala, mortua et irrita fiunt : ita ipsa eadem per pœnitentiam, et alia bona sequentia reviviscunt. In *Decret. Gratiani.*

140. Qui a malis sic mentem revocat, ut commissa plangat, et plangenda committere non velit, nec satisfacere negligat, vere pœnitens est. *Ibid.*

GLOSS. ORD. 141. Necesse est ut cito post peccatum ad pœnitentiam redeamus, ne forte diabolus per malignos spiritus in necem nostram conspiret, et morti perpetuæ nos tradat. Super II *Regum*, cap. 13.

142. Quando peccator vere pœnitet, æterna pœna, quam meruerat, in temporalem commutatur. Super III *Regum*, cap. XXI.

143. Vere revertens ad Deum per pœnitentiam, quanto commisit peccata graviora, tanto conari debet ad faciendum opera meliora. Super II *Paralip.*, cap. XXXIII.

144. Peccator quantumcunque magnus, si vere pœniteat, et in bono terminet vitam, finaliter consequetur vitam beatam. *Ibid.*

145. Potentia Domini bonitate plena, opus suum propter peccata non despicit, sed per pœnitentiam abluit, et pie fovet et nutrit. Super illud *Sap.* XI : *Misereris omnium.* GLOSS. INT.

146. Sic pœnitere, ut non sit iterandum. Super illud *Ecclesiastici : Et non iteres verbum*, etc.

147. Libenter suscipit Dominus pœnitentem, eique occurrit et gratiam reddit revertenti, si tamen cum pœnitentia ratu redeat. Super *Hierem.*, cap. III. GLOSS. ORD.

148. Puniat quisque mala prioris vitæ, quia appropinquabit salus, quam perdidimus, et facultas redeundi unde cecidimus. Super illud *Matth* III : *Pœnitentiam agite.* GLOSS. INT.

149. Virtus est per pœnitentiam perimere veterem hominem, et vitia odisse ; sed qui non facit non modo virtutes non comprehendit, sed nec etiam supplicia fugit. Super illud *Matth.* III : *Pœnitentiam agite.* GLOSS. ORD.

150. Forma pœnitentibus describitur, locus scilicet conversationis, non frequentia hominum, sed desertum; vestitus non mollis ad fluxum, sed asper, victus tenuis et inusitatus. Super illud *Matthæi* III : *Vox clamantis*, etc.

151. Nunquam Deus spernit pœnitentiam, si ei sincere et simpliciter offeratur : etiamsi ad summum quis perveniat malorum, et inde tamen velit reverti ad virtutis viam, suscipit et libenter amplectitur. In *Decret.*, part. 2, *de Pœnit.*, dist. 3, can. *Talis.* GRATIANUS.

152. Peccatum quod per pœnitentiam non diluitur, suo pondere mox ad aliud trahit. Lib. 25 *Moral.*, cap. 9. S. GREGOR. MAG.

153. Nulla est cognitio reprehensionis, si non sequatur etiam lamenta pœnitudinis. *Ibid.*, lib. 35, cap. 5.

154. Quod flendo insequimur, nequaquam nobis a venturo Judice hoc objici certe speramus. *Ibid.*, lib. 4, cap. 17.

155. Qui accepta pœnitentiæ tempora, divertit ad culpam, districtus in ultimis judex impensa argumenta misericordiæ convertet ad pœnam. *Ibid.*, lib. 17, cap. 4, num. 3, super illud : *Job.* 24, *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ.*

156. Tanto arctiori manu pœnitentiæ mens a pollutione tergenda est, quanto se per consensum conspicit sordidius inquinatam. *Ibid.*, lib. 4, cap. 17, super illud *Job.* 2 : *Involvatur amaritudine.*

157. Ne captiva mens culpæ serviat, culpam a pœnitentia libera non relinquat. *Ibid.*

158. Amaritudo præsentis pœnitentiæ extinguit supplicia sequentis iræ. *Ibid.*, lib. 9, cap. 24.

159. Nihil sibi blandiatur infirmitas, sed quanto sibi mali sit conscia, tanto in se benignius sit severa, et quæque in se sentit districte ferienda, pie feriat per pœnitentiam conversionis. *Ibid.*, lib. 25, cap. 4.

160. Omnis qui pœnitendo corrigit aliqua quæ fecit, eo ipso quo pœnitet, se sibi displicuisse indicat : quia emendat quod fecit. Homil. 8, super *Ezech.*

161. Vita nostra ad tempus amarescat in pœnitentia, ne æternam amaritudinem sentiat in vindicta. Homil. 2, super *Evang.*

162. Perpendo Petrum, considero Latronem, aspicio Zachæum, intueor Mariam, et nihil in eis aliud video, nisi spei et pœnitentiæ exempla. *Ibid.*, homil. 25.

163. Nemo indulta pœnitentiæ tempora parvipendat. *Ibid.*, homil. 29.

164. De omnipotentis Dei misericordia ordinate confidit, qui hoc quod peccando delinquit, pœnitendo corrigit, flendo tergit. Lib. 2, in I *Reg.*, cap. 3, super illud : *Dominus est, quod bonum est,* etc.

165. Debitum redditur pro peccato, cum peccatores affliguntur, et cruciatu tergere culpas satagunt, quas carnis delectatione contraxerunt. *Ibid.*, lib. 3, cap. 4, super illud *Psalm.* L : *Tibi soli peccavi.*

166. Tria in unoquoque pœnitente veraciter consideranda sunt : videlicet conversio mentis, confessio oris, vindicta peccati. *Ibid.*, lib. 6, cap. 2, super illud : *Peccavi.* etc.

167. Minus est de anteacta vita erubescere, nisi quis etiam studeat ea quæ admisit pœnitendo corrigere. In *septem Psalm. Pœnit.*, super *Psalm.* I, vers. 10.

168. Mala quæ nos egisse meminimus, fletibus puniamus ; et per lamenta pœnitentiæ perveniamus ad carmen vitæ : ne si affligi modo pœnitendo nolumus, væ postmodum sine fine sentiamus. Homil. 9, super *Ezech.*

169. Pœnitentiam agere est et perpetrata mala plangere, et plangenda mala non perpetrare. *Prosec.*

170. Nam qui sic alia deplorat, ut tamen alia committat, adhuc pœnitentiam agere aut dissimulat, aut ignorat.

171. Quid enim prodest, si peccata quis luxuriæ defleat, et tamen avaritiæ æstibus anhelat?

172. Aut quid prodest, si iræ culpas jam lugeat, et tamen invidiæ facibus tabescat?

173. Qui ergo peccata deplorat, ploranda minime committat : et qui plangit vitia, perpetrare vitia timeat. Homil. 34, super *Evang.*

174. Quisquis desperans de venia, agere pœnitentiam dubitat, David pœnitentiam ad animum reducat. In *septem Psalm. Pœnit.* super *Psalm.* IV, in Prologo.

175. Eorum mala in Dei memoria nequaquam veniunt, qui ipsi pœnitentiæ afflictione delere obliti non sunt. Lib. 3, in I *Reg.*, cap. 5.

176. Debet pœnitens diluere pœnitendo quæ fecit ; et non iterum revocare quod flevit. Serm. 1, *fer.* 2, *Litan.* HAYMO.

177. Nullus dignam pœnitentiam agere potest, nisi Spiritus sancti gratia cor ejus ad pœnitendum emolliat. Serm. *Dom.* 13, *post Pent.*

178. Nullum peccatum tam magnum est, quod medicamento pœnitentiæ sanari non possit. *Ibid.*

179. Nullus de magnitudine, vel multitudine peccatorum desperet ; quia etsi magni sunt morbi animarum, omnipotens est medicus, qui non venit vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. *Prosec.*

180. Nullum enim vulnus peccati tam magnum est, ut per pœnitentiam sanari non possit, si tamen medicina pœnitentiæ non negligatur. Serm. 2, *Dom.* 4, *post Pent.*

181. Nulli membrorum tuorum parcas, ut soli parcas animæ. Epist. 4, *ad Rustic.* S. HIERON.

182. Non statim nobis pœnitentiæ subsidia blandiantur, quæ sunt infelicium remedia : cavendum est vulnus, quod dolore curatur. Epist. 9, *ad Salvinam.*

183. Necessaria est pœnitentia, quæ aut æquet crimina, aut certe excedat. Epist. 22, *ad Susannam lapsam.*

184. Secundum conscientiæ molem, exhibenda est pœnitentiæ magnitudo. *Ibid.*

185. Pœnitentia non verbo agenda est, sed facto. *Ibid.*

186. Si peccaveris, o homo, festina liberando te reconciliari Deo : ut ex mercede sudoris, et digna pœnitentia recipias quod ex gratia donatum tibi, perdidisti. Epist. 40 *de Duobus filiis.*

187. Apud Deum non tam valet mensura temporis, quam doloris. In *Regula monachorum*, cap. 30, *de Pœnitentia.*

188. Secunda post naufragium tabula, pœnitentia est. Lib. 2, super *Isaiam*, cap. 3, super illud : *Ruit enim Hierusalem.*

189. Pœnitentia non amat delicias, sed diebus et noctibus orat, vigilat, jejunat, jacet in sacco, non in pluma, non in serico. Super *Psalm.* XVIII, vers. 19 : *Qui fingis laborem in præcepto.*

190. Si volueris perfecte pœnitentiam agere, segregare te debes a consortio peccatorum, vel omnium malorum hominum, et fugere in alium

locum, ut perfecte eam agere valeas. Super *Psalm.* cxviii, super illud : *Declinate a me maligni.*

191. O vera est pœnitentia jugiter fletibus commissa diluere, et abluta non iterare. *Ibid., Exitus aquarum,* etc.

192. Amaritudinem radicis dulcedo pomi compensat : pericula maris, spes lucri delectat; dolorem medicinæ, spes salutis mitigat. Qui desiderat nucleum, frangit nucem : pœnitentiam agit, qui vult æterno bono adhærere. Super *Marc.*, cap. 1, can. 6, num. 9, super illud : *Pœnitemini*, etc.

193. Via Domini, qua ad homines ingreditur, pœnitentia est : per quam Deus ad nos descendit, et nos ad illum ascendimus. Super *Marc.*, cap. 1.

HUGO A S. VICTORE. 194. Si quis post lapsum peccatorum, ad veram pœnitentiam se converterit, cito a misericorde Judice veniam impetrabit. Et habet. part. 2, *de Pœnit.*, dist. 1, can. *Quia*, in *Decret. Gratiani.*

195. Homo, qui malum velle potest, et mutare potest, pœnitentiam agere potest. Super I *Reg.*

196. Vera pœnitentia a compunctione inchoat, quæ per aquam lacrymarum sordes peccatorum abluit, et animam irrigando ad germina virtutum fœcundat. Super *Thren.*, in illud 2 : *Deduc quasi torrentem lacrymas.*

197. O fructuosa pœnitentia, mediatrix peccatorum fidissima! o secunda naufragii tabula! o refugium peccatorum, miserorum auxilium, exulum spes, debilium fomes, lumen cæcorum, solamen orbatorum, petulantium virga, vitiorum sera, virtutum apotheca! *Prosec.*

198. Sola Judicem flectis, Conditorem arguis, Omnipotentem sternis.

199. Dum vinceris, vincis : dum cruciaris, crucias : dum vulneras, sanas, dum salubriter succumbis, gloriose triumphas.

200. Tu sola cæteris silentibus, thronum gratiæ conscendis : David reconcilias, Petrum restituis, Paulum illuminas, publicanum apostolorum inseris choro, Mariam de prostibulo jungis Christo, Latronem inseris paradiso. Super *Joel*, in illud *Psalm.* L : *Cor contritum*, etc.

201. Tria sunt in pœnitentia : dolor præteriti, satisfactio delicti, custodia futuri. Dolor culpam placat, satisfactio vitium sanat, custodia sanitatem servat. Lib. 1 *Miscell.*

HUGO CARD. 202. Quamvis in tempore sanitatis securior sit pœnitentia : tamen melior sera, quam nulla; ante finem time, ne pœnitere differas, in fine confide, ut vel tunc resipiscas. Lib. 2 *de Sacram.*, part. 14, cap. 5.

203. Spes præmii decorat pœnitentiæ laborem super *Gen.*, cap. 24.

204. Gradus quatuor pœnitentiæ, primus, vitæ præteritæ recordatio : hinc pudor de peccato commisso, dolor de bono omisso, timor de supplicio promerito. Secundus, est peccati abominatio. Tertius, est peccati nuda, vera, voluntaria confessio. Quartus, est satisfactio Deo, sibi, et proximo. *Ibid.*, cap. 38.

205. Sicut in arca thesaurus servatur, ita per pœnitentiam virtutes custodiuntur. Super *Josue*, cap. 12.

206. Nihil debet esse in domo pœnitentiæ, quod non germinet dignos fructus pœnitentiæ. Super 2 *Reg.* 23.

207. Pigri cum viam pœnitentiæ aggredi cogitant, animadvertunt amaritudinem pœnitentiæ, et quasi a sepibus spinarum resiliunt. Super *Prov.*, cap. 15, in illud : *Quasi spes spinarum.*

208. Per pœnitentiam de imo vitiorum in alta virtutum, de servitute peccati in libertatem gratiæ ascenditur. Super *Cantica*, cap. 3.

209. Pœnitentiam agere, tibi est securum, proximo fructuosum, angelo gaudium, Deo honorificum. Super *Matth.*, cap. 4.

210. Pœnitentia facit homines beatos, beatitudine quadam imperfecta, quæ tamen in spe perficitur. *Ibid.*, cap. 5. S. INNOC. II.

211. Falsam pœnitentiam esse constat, cum spretis pluribus, de uno solo pœnitentia agitur : et sic de uno agitur, ut non discedatur ab alio. Et hab. in *Decret. Gratiani*, dist. 6, can. *Fratres.* S. INNOC. III.

212. Tunc securum est homini pœnitere, cum potest ipse peccare. Serm. 2, *Dom.* 1, *Advent.*

213. Tria sunt in vera pœnitentia necessaria : dolor compunctionis in corde, pronuntiatio confessionis in ore, flagellum satisfactionis in opere. Super *Palm.* xxxvii, vers. 17. S. JOANNES CHRYSOST.

214. Nullum est peccatum, quantumcunque grave sit, quod Dei misericordiam vincat, modo tempore debito pœnitentia agatur, et venia petatur. Homil. 19, super *Gen.*

215. Nulla pœnitudinis seræ utilitas. *Ibid.*, homil. 43.

216. Plus Deus unius pœnitentia commovetur, quam justorum merito delectatur. Serm. *de Moyse.*

217. Si pœnitet, corrige : si dolet, quiesce. *Prosec.*

218. Peccator curret pœnitendo quod fecit : ut possit recipere quod amisit. *Ibid.*

219. Pœnitentia cor emundat, sensus illuminat, animas sanctificat, et ad susceptionem Christi præparat humana præcordia. Homil. 3, super *Matth. Oper. imperf.*

220. Omne peccatum quomodo committitur, eo modo et pœnitetur : recogita bene quod cogitaveras male, et pœnituisti. *Prosec.*

221. Si operibus aliquem offendisti, puta alicu-

jus pecuniam fraude abstulisti, aut rem aliquam per violentiam rapuisti; redde ei quæ abstulisti, et pœnituisti. *Ibid.*, homil. 11.

222. Magna pœnitentiæ remedia sunt, nullumque animæ vulnus insanabile : non grave est venisse in profundum malorum, sed manere ibi postquam veneris. Homil. 24, super *Acta Apost.*

223. Bona est pœnitentia, fratres, si tarda nimis non fuerit, et si fuerit sera, in opere videatur perfecta. Serm. 2 *de Resurrectione.*

224. Melius est, ut nunc anima mordeatur ex recordatione peccati, quam in futuro tempore supplicia sentiat sempiterna. Homil. 31, super *Epist. ad Hebr.*

225. Non sic insanus amator dilectam suam amat, ut Deus pœnitentem animam. Homil. 22 *ad Popul. Antioch.*

226. Qui proposito excitato servet, atque multa cum solertia pœnitentiam ostendit, brevis temporis momento longævi temporis peccata delere poterit. Homil. 1 *de Pœnitentia.*

227. Pœnitentia est delictorum medicina, iniquitatum consumptio, lacrymarum impensa, ad Deum fiducia, adversus diabolum arma. *Ibid.*, homil. 3.

228. Pœnitentia est spes salutis, et desperationis occasus. *Ibid.*

229. Pœnitentia cœlum aperit, in paradisum ducit, diabolum superat. *Ibid.*

230. Pœnitentia medicamentum est, peccatum extinguens, donum cœlitus datum, virtus admirabilis, gratia vim legum superans. *Ibid.*, homil. 5.

231. Virtutis digestio pœnitentia est. *Ibid.*

232. Pœnitentia non fornicatorem renuit, non ab ebrio avertitur, non abominatur idololatram, non adulterum repellit, non maledicum insectatur, non reprobat blasphemum, non superbum, sed omnes suscipit, communicat omnibus. *Ibid.*

233. Sicut aqua ignem extinguit ardentem, sic pœnitentia diluit crimina fontibus lacrymarum. In serm. *de Pœnit.*

234. O pœnitentia, quæ peccatum remittis, et paradisum reseras, quæ contritum sanas, et tristem exhilaras ! *Ibid.*

235. O pœnitentia, quæ vitam de interitu revocas, statum restauras, honorem revocas, fiduciam das, reformas vires, gratiam refundis ! *Ibid.*

236. O pœnitentia ! omnia ligata tu solvis, omnia soluta tu reseras, omnia adversa tu mitigas, omnia contrita tu sanas, omnia confusa tu lucidas, omnia desperata tu animas. *Ibid.*

237. O pœnitentia, rutilantior auro, splendidior sole : quam non vincit peccatum, nec defectio superat, nec desperatio delet ! *Ibid.*

238. Pœnitentia respuit avaritiam, horret luxuriam, fugit furorem, firmat amorem, calcat superbiam, linguam continet, componit mores, odit malitiam, excludit invidiam. *Ibid.*

239. Perfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter sufferre : si violentus quærat quæ habet, non vetat : si vestem dirimat, non refragatur. *Ibid.*

240. Perfectus pœnitens castigatus gratias agit, provocatus tacet, exasperatus blanditur, superiori supplex est, inferiori subjacet. *Ibid.*

241. Pœnitenti præsto est Deus, esurienti nutritor, sitienti potator. *Ibid.*

242. O pœnitentia misericordiæ mater et magistra virtutum ! reos solvis, delinquentes reficis, lapsos relevas, recreas desperatos. *Ibid.*

243. Quidquid durum in pœnitentia, aut rigidum objicitur, vigilantia vincitur, orationibus mollitur, fletibusque resolvitur. *Ibid.*

244. Quid times pœnitentiam ? nihil tam durum quod non deleat : cum gustaveris, tunc persenties quoniam suavis est, et odor ejus in naribus, et sapor in faucibus. *Ibid.*

245. Non ad temporis rationem, sed juxta affectum animæ solet dijudicari pœnitentia. Epist. 5 *ad Theodor. laps.*

246. Peccasti ? pœnitere : millies peccasti? millies pœnitere. Homil. 2, super *Psalm.* L.

247. Vulneratus es? adhibe tibi curam dum vivis, dum spiras : etiam in ipso lecto positus, pœnitere ; non enim impeditur temporis angustia misericordia Dei. *Ibid.*

248. Si tui memor sis peccati, Deus non erit memor : si tu oblitus ejus fueris, Deus ejus memorabitur. *Ibid.*

249. Qui in castigatione victus : se dicit agere pœnitentiam ; frustra hoc sermone promittit, nisi continentiam addat. Et habet in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 33, quæst. 4, can. *Qui.*

250. Pœnitentia correctio est voluntatis, non emendatio malæ naturæ. *Prosec.*

251. Nam si emendatio naturæ esset pœnitentia, Creator Dominus noster venisset in mundum, ut sui operis culpam emendaret, non nostros errores. Homil. 6 *Oper. imperf. in Matth.*

252. Clerici peccantes, difficile pœnitentiam agunt : erubescit enim aliquando reus videri, qui semper fuerat judex. *Ibid.*, homil. 43.

253. Pœnitentia multam habet potentiam, etiam in eum, qui peccatis valde demersus est, si voluerit potest eum liberare ex onere, etiamsi ad ipsum fundum iniquitatis pervenerit. Homil. 9, super *Epist. ad Hebr.*

254. Magna est pœnitentiæ virtus, siquidem nos sicut nivem efficit et sicut lanam dealbat, etiamsi

antecedens peccatum inficiat animas nostras. *Ibid.*, homil. 12.

255. Vulnus et medicamentum, peccatum est et pœnitentia, vulnus saniem habet, medicamentum saniei purgationem exhibet. Homil. 80 *ad Popul. Antioch.*

256. Non expectat Deus tempus a pœnitentia : dixisti peccatum tuum? justificatus es : pœnituisti? misericordiam es consecutus; non tempus æstimatur, sed pœnitentis modus peccatum extinguit. Homil. 5 *de Pœnit.*

257. Nunquam aversatur Deus pœnitentiam sincere factam, etsi quis ad malitiæ fines pervenerit : illinc eum ad virtutis viam reducere conatur, et suscipit redeuntem, et suaviter amplectitur. Epist. 5 *ad Theodor. de reparat. lapsi.*

S. JOAN. CL. 258. Veræ germanæque pœnitentiæ certum argumentum est, oblivio injuriarum. *Prosec.*

259. Qui vero inimicitias tenet, et se pœnitere èxistimat, similis est ei, qui se in somniis currere putat. Gradu 9.

JOAN. GERS. 260. Nihil est magis diabolicum, nihil ita displicens Deo, quam post culpam nolle pœnitere. Serm. 1 *de Omn. Sanctis.*

261. Pœnitentia reficit, quod peccatum destruit et inficit. Serm. *Dom.* 1, *Advent. contra gulam.*

262. Peccare, est fragilitatis humanæ; non velle vero pœnitentiam agere, obstinationis est diabolicæ. Serm. 2 *de Spirit. Sancto.*

JOAN. TRITH. 263. Noli tempus pœnitentiæ indultum negligere : quoniam qui veniam donat pœnitentibus, sæpe gratiam subtrahit differentibus. *De vir. illustr. Ord. S. Bened.*, cap. 339.

264. Anima, quæ purgationem delictorum in præsenti vita neglexerit, gravius in futuro punietur. Lib. 1, homil. 13 *ad Monachos.*

265. Semper pœnitendum est Monacho, qui non solum pro suis, sed etiam pro delictis aliorum intercessor ad Deum constituitur. *Ibid.*, homil. 14.

266. Magnum est bonum pœnitentia mortalibus, quæ sordidas purgat animas, et mentes ab interitu revocat destinato. *Ibid.*

267. Nunquam sine pœnitentia vivit, qui verus est Monachus. *Ibid.*

268. Valde dubia res est, pœnitentiam agere, cum jam necessitas compellit, et mortis te instantia facit, non amplius posse peccare. *Ibid.*

269. Quanto diutius pœnitentiam distuleris, tanto semper ad pœnitentiam minus dispositus invenieris. *Ibid.*

S. IRENÆUS. 270. Pœnitentibus largitur benignitatem suam Deus. Lib. 3, *advers. Hæres.*, cap. 37.

S. ISIDORUS HISPALENS. 271. Bene se judicat justus in hac vita, ne judicetur a Deo damnatione perpetua. *Prosec.*

272. Tunc autem de se quisque sumit vindictam, quando per dignam pœnitentiam sua prava facta condemnat.

273. Amaritudo pœnitentiæ facit animum sua facta subtilius discutere, et dona Dei (quæ contempsit) flendo commemorare : nihil enim pejus, quam culpam agnoscere, nec deflere. Lib. 2 *de Summo bono*, cap. 13, sent. 3.

274. Duplicem habere debet fletum in pœnitentia omnis peccator, sive quia per negligentiam bonum non fecit, seu quia malum per audaciam perpetravit. *Prosec.*

275. Ille pœnitentiam digne agit, qui reatum suum satisfactione legitima plangit, condemnando ac deflendo quæ gessit : tanto in deplorando profusius, quanto extitit in peccando proclivius.

276. Ille pœnitentiam digne agit, qui sic præterita mala deplorat, ut futura iterum non committat.

277. Nam qui plangit peccatum, et iterum admittit peccatum, quasi si quis lavet laterem crudum, quem quanto magis laverit, tanto amplius lutum facit. *Ibid.*, sent. 5.

278. Quamvis quisque sit peccator et impius, si vere ad pœnitentiam convertatur, consequi posse veniam creditur. *Ibid.*, sent. 8.

279. A malo in deterius vadit, qui tempus sibi ad pœnitendum indultum, ad libertatem pravi operis vertit. *Ibid.*, sent. 12.

280. Festinare debet ad Deum pœnitendo unusquisque, dum potest : ne si dum potest noluerit, cum tarde voluerit, omnino non possit. *Ibid.*, sent. 9.

281. Qui cum prave vixerit, pœnitentiam in mortis agit periculo : sicut ejus damnatio incerta est, sic remissio dubia. *Prosec.*

282. Qui ergo cupit certus esse in morte de indulgentia, sanus pœniteat, sanus perpetrata facinora defleat. *Ibid.*, sent. 11.

383 Nunquam oportet pœnitentem habere de peccatis securitatem : nam securitas negligentiam parit, negligentia autem sæpe incautum ad vitia transacta reducit. Proinde quia miseratio Dei occulta est, sine intermissione flere necesse est. *Ibid.*, sent. 14, etc.

284. Irrisor est, non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet : nec videtur Deum poscere subditus, sed subsannare superbus. *Prosec.*

285. Canis reversus ad vomitum, est pœnitens ad peccatum.

286. Lavatur et mundus est, qui præterita plangit, et flenda iterum non committit.

287. Lavatur et non est mundus, qui plangit quæ gessit, nec tamen deserit; sed post lacrymas ea quæ defleverat, repetit.

288. Quisquis ergo culpas præteritas plorat,

hunc necesse est modum teneat : ut sic admissa defleat, ne iterum flenda committat.

289. Væ mihi misero Isidoro, qui et pœnitere retro acta negligo, et adhuc pœnitenda committo. *Ibid.*, cap. 16, fere per totum.

290. Pœnitentia est medicamen vulneris, spes salutis ; quæ non tempore pensatur, sed profunditate luctus et lacrymarum. Lib. 2 *de Offic. Eccles.*, cap. 16.

291. Lacrymæ pœnitentium apud Deum pro baptismate reputantur. *Prosec.*

292. In actione enim pœnitudinis non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris.

293. Quanto in peccando fuit ad malum promptior mentis intentio, tanto devotior debet esse in pœnitendo. *Ibid.*

294. Quod male fecisti, dum potes, emenda : dum potes, a peccato et vitio te revoca : dum tempus est, clama : dum datur spatium, luge : dum est licentia, pœniteas. *Prosec.*

295. Festina dum potes, plange dum adhuc anima versatur in corpore, dum adhuc vivis, remedium tibi futurum acquire.

296. Priusquam te dies mortis præveniat, priusquam te profundum absorbeat, priusquam te infernus rapiat, pœnitentiam age.

297. Ubi nullus indulgentiæ locus, ubi nulla pœnitentiæ patebit libertas, nulla correctionis licentia, ubi nullus erit ad confessionem recursus, ad veniam nullus regressus. Lib. 1 *de Synonym.*

298. Quamvis criminosus, quamvis sceleratus, quamvis criminibus nefandis oppressus, non denegatur pœnitentiæ locus, facile pœnitentibus divina misericordia subvenit. *Prosec.*

299. Per pœnitentiam indulgentia datur, per pœnitentiam delicta absterguntur. *Ibid.*

300. Peccati pudore oculos tuos attollere erubesce, incede deposita facie, incede abjecto vultu, mœsto ore, perculso corde, lugubri veste, sacco involutus, opertum cilicio corpus, semper lugens, semper mœrens, semper suspiria cordis emittens. *Ibid.*, lib. 2, cap. 5.

S. ISIDORUS PELUSIOTA.

301. Admisso delicto pœnitentia minime duci, perniciosum est ; et desperatione affici perniciosius : illud enim a segnitie ac socordia manat ; hoc a stupore atque indolentia. *Prosec.*

302, Quanto autem stupor socordia gravior est, tanto quoque desperatio negligentiam gravitate superat. Lib. 2, epist. 94, *ad Isidor. presbyt.*

LACT. FIRM.

303. Cur desperemus clementiam Dei Patris pœnitendo posse placari? parens indulgentissimus est, et remissurum se pœnitentibus peccata promittit, et oblitteraturum omnes iniquitates nostras, si justitiam denuo cœperimus operari. Lib. 6 *de Divin. Inst.*, cap. 24.

304. Is, quem facti sui pœnitet, errorem suum pristinum intelligit : ideoque Græci melius et significantius μετάνοιαν dicunt, quam nos latine possumus dicere resipiscentiam : respicit enim quasi suam mentem ab insania receperit, quem errati piget. *Ibid.*

305. Nemo potest esse tam prudens, tam circumspectus, ut non aliquando labatur. Et idcirco Deus imbecillitatem nostram sciens, pro sua pietate aperuit homini portum salutis : ut huic necessitati (cui fragilitas nostra subjecta est) medicina pœnitentiæ subveniret. *Ibid.*

306. Magnum est pœnitentiæ auxilium, magnum solatium : illa est vulnerum peccatorumque sanatio, illa spes, illa portus salutis : quam qui tollit, viam vitæ sibi amputat. In *Epitome*, cap. *Fides*.

307. Nemo esse tam justus potest, ut nunquam sit ei pœnitentia necessaria. *Ibid.*

S. LAURENT. JUSTIN.

308. Dedit Deus generale pro omnium facinorum satisfactione remedium, pœnitentiæ videlicet portum : ad quem quisquis fideliter confugerit, quamvis ingenti delictorum fasce oneratus sit, damnari non poterit. *De casto connub.*, cap. 7.

S. LEO I.

309. Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ. Epist. 91 *ad Theodor. Forolivicens, episc.*

LUDOVICUS BLOSIUS.

310 Pœnitentia, quæ usque ad vitæ extremum differtur, dubia admodum est, periculosa, non semper vera. In *Canon. vitæ spirit.*, cap. 2.

311. Optima pœnitentia atque præclara est, mentem humilem habere, et voluntatem ab omni peccato atque ab omnibus, quæ impedimentum amori divino afferunt, avertere, eamque integre ad ipsum Deum convertere. *De Instit. spirit.*, cap. 8.

S. NILUS.

312. Si sordidum quid a nobis commissum est, pœnitentia id lavemus : debemus enim puram nostram imaginem, ut regulam imitari. Parænes. 210.

313. Nemo unquam periit, qui efficaci pœnitentiæ pharmaco usus est. Et habet. apud D. Joannem Damascenum, lib. 2. *Parall.*, cap. 86.

ORIGENES.

314. Pœnitentia quamvis sit exigua, non despicitur apud judicem justum Deum. Et habet. apud Bedam, in suis *Scintill.*, cap. 9.

S. PACIANUS EPISC. BARCINON.

315. Pigeat sane peccare, sed pœnitere non pigeat, pudeat periclitari, sed non pudeat liberari. Epist. 1. *ad Sympronian.*

316. Nunquam Deus non pœnitenti comminaretur, nisi ignosceret pœnitenti. *Ibid.*

PETR. BLES.

317. Satis tempestiva est pœnitentia, quæ anti-

cipat diem mortis : Latro in cruce pœnitet, nemo sero pœnituit, quem mors invenit pœnitentem. Epist. 15. *ad Episc. Carnotens.*

318. Non noverunt divites magnum, et supereminens, et gloriosum, et supercœleste, et inæstimabile pœnitentiæ donum. *Prosec.*

319. Hæc est secunda tabula post naufragium, cœlorum scala, reconciliatio pacis, acquisitio vitæ, vitiorum abolitio, corporum custodia, medicina spirituum.

320. Nihil adeo deprimit et suffocat pœnitentiæ fructum, sicut opum affluentia ; et eminentia dignitatum.

321. Quis enim magis indiget remedio pœnitentiæ, quam dives, qui semper pœnitenda committit ? de salute animæ vix aut nunquam cogitans, semper curam carnis in desideriis agit.

322. Periculosior est in divitibus pœnitentiæ dilatio quam in aliis ; quia præter moriendi genus publicum, frequenter est eis mortis occasio, gladius aut venenum.

323. Tanto itaque debet esse per pœnitentiam paratior anima divitis, quanto periculosior eidem imminet causa mortis. *Ibid.* Tract. *de Hierosol. peregrinat.*

324. Gratius acceptat Dominus plerumque peccatoris pœnitentiam humilis et contriti, quam innocentiam justi tepidi et remissi. *Prosec.*

325. Ille fortiter cadit, sed fortius surgit : iste lentescens in via Domini, et in proximo evomendus, in suo tepore et torpore marcessit. *Ibid. de Invectiva contra depravator.*

S. PETRUS DAMIANUS. 326. Optime pœnitet, qui dum carnem maceratione mactat, et salubrem illi nunc amaritudinem ingerit cujus olim noxia delectatione peccavit. *Prosec.*

327. Nihil differt quibus pœnis caro pœnitentis addicitur, dummodo voluptas præcedentis illecebræ vicaria repressi corporis afflictione mutetur. Lib. 5, epist. 8 *ad Clericos Florentinos.*

328. Non tibi blandiaris, si graviter peccanti levior pœnitentia, vel a nesciente, vel a dissimulante dicatur : cum in purgatoriis ignibus perficiendum sit, quidquid minus feceris, quia dignos pœnitentiæ fructus quærit Altissimus. Serm. 58 *de Andrea.*

329. O quam clarum pœnitentiæ jubar, quod noctem peccati removet, quod conscientiæ nubilum erigit. Serm. 71 *de Dedic. Eccl.*

330. Quid prodest a peccatorum perpetratione desistere, nisi et hæc ipsa quæ perpetrata sunt, studeat quis districtæ pœnitentiæ satisfactione delere? Opusc. 13, cap. 6.

331. Revera quomodo de reatus sui relatione securus est, qui ad locum pœnitentiæ veniens, pœnitentiam non observat ? *Ibid.*

PHILO JU. 332. Delirat et contra veritatem mentitur, qui pergens injuste agere, profitetur pœnitentiam. *De Profugis.*

RICHARDUS A S. VICT. 333. Solet amaritudo pœnitentiæ non solum perpetrata satisfaciendo delere, verum etiam efficere, ut quæ non licet, nec libeat repetere. Part. 1, tract. 1 *de exterminat. mali.*, cap. 8.

SALVIANUS. 334. Sera quippe sera est pœnitentia mortuorum. Lib. 3, *ad Eccles. Cathol.*

THALASSIUS 335. Quisquis pœnitentiam agere per labores, ultro susceptos renititur, is coactus in labores, qui jam prædefiniti sunt, incidet, quos et invitus feret. *Hecatontad.* 2, cap. 75.

TERTULL. 336. Ubi emendatio nulla, pœnitentia necessario vana. Lib. *de Pœnit.*, cap 2.

THEOPHILACTUS. 337. Qui pœnitentiam differt in tempora posteriora, non festinat hic pœnitere; qui procrastinat, non assequitur sanitatem. Sup. *Joan.*, cap. 5.

S. THOMAS AQUINAS. 338. Nullus vere diligit, qui non vere pœnitet Opusc. 9, *de decem præcept.*, verbo *Sicut.*

IN VIT. PAT. 339. Si ex toto corde homo pœnituerit, et non apposuerit facere iterum unde pœniteat, etiam triduanam pœnitentiam suscipit Deus. Lib. 5, libell. 10 *de Discret.*, num. 40.

340. Pœnitentia peccatorum est ulterius non peccare. Lib. 7, cap. 22, num 1.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 341. Quem factorum suorum non pœnitet, is est incurabilis. Lib. 5 *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 7.

CICERO. 342. Optimus est portus pœnitentiæ, mutatio consilii. Orat. 54, *Philip.* 12.

MIMUS PUBL. 343. Gravis animi pœna est, quem post factum pœnitet. In suis *Sent.*, sent. 150.

PLATO. 344. Qui mortalium injuste agit, et pœnas non dat rerum a se injuste perpetratarum, miser est. *De Rhetor.*

PLINIUS II. 345. Maculam veteris industriæ, laudabili otio ablue. Lib. 3, Epist. 7, *ad Caninium Rufum.*

Vide etiam tit. *Angelus*, sent. 31 ; *Baptismus*, sent. 27 ; *Cadere*, sent. 186; *Compunctio*, sent. 13, 12, 46 ; *Continentia*, sent. 22 ; *Culpa*, sent. 35; *Desperatio*, sent. 15, 16, 17 ; *Eleemosyna*, sent. 45 ; *Exaudire*, sent. 49 ; *Excusatio*, sent. 19 ; *Humilitas Christi*, sent. 11 ; *Impudentia*, sent. 5 ; *Iudas*, sent. 54, 55, 74; *Lacrymæ*, sent. 37, 61 ; *Luctus*, sent. 31 ; *Negare Deum*, sent. 36, 62 ; *Peccatum* in genere, sent. 249, 171, 172, 173 ; *Peccatorum remissio*, sent. 41, 58, 44 ; *Purgatorium*, sent. 57, 88, 100 ; *Recidivatio*, sent. 36 ; *Religiosus*, sent. 53 ; *Retrogredi*, sent. 36 ; *Satisfactio*, sent. 8, 14 ; *Tempus*, sent. 58 ; *Venia*, sent. 35 ; *Vocatio Dei*, sent. 37.

POPULUS.

S. AUGUST. *Definitio*. Populus est cœtus multitudinis juris consensu et utilitatis communione. Lib. 1 *de Civitate Dei*, cap. 21.

Populus est cœtus multitudinis rationalis, rerum quas diligit concordi communione sociatus. *Ibid.*, lib. 19, cap. 24.

THOMAS AQUINAS. Populus est multitudo hominum sub aliquo ordine comprehensorum. Part. 1. *Summæ*, qu. 31, art. 1.

HUGO CARD. *Divisio*. Est triplex populus, populus Dei, populus mundi, populus diaboli. Super *Psalm*. XCV.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Si populus sit bene moderatus et gravis, communisque utilitatis diligentissimus custos, recte lex fertur, qua huic ipsi populo liceat sibi creare Magistratus per quos sua res, id est publica, administretur. Lib. 1 *de Libero arbitrio*, cap. 6.

2. Minime ambitio, nisi in populo avaritia, luxuriaque corrupto prævaleret. *Prosec.*

3. Avarus, luxuriosusque secundis rebus populus effectus est. Lib. 1 *de Civit. Dei*, cap. 31.

4. Hominum multitudo populum facit, cujus res dicitur esse Respublica. *Ibid.*, lib. 19. cap. 21.

5. Populus tanto melior, quanto in melioribus: tanto deterior, quanto est in deterioribus concors. *Ibid.*, cap. 24.

6. Ex hominibus una lege societatis populus constat. Lib. 1 *de Lib. arbit.*, cap. 7.

7. Populus fidelis non novit gaudere de seculo. Tract. 7, super *Joan.*

S. CÆSARIUS ARELAT. 8. Plebs quæ præpositus suos studet audire, Deum sequitur. Homil. 4.

GLOSS. ORD. 9. Ad bonam ordinationem populi inter se, requiritur possessionum divisio. Super. *Num.*, cap. XXVI.

GLOSS. INT. 10. Populus armatus sine Deo, inermis est. Super. *Psalm*. LXXXVIII.

HUGO CARD. 11. Bonus populus cum bono sacerdote, ad dexteram sublimandus est in gloria; malus populus cum malo sacerdote, detrudendus est in gehenna. Super *Isaiam*, cap. 24.

12. Plebs mobilis est sicut frondes, quæ moventur de facili, Super *Ezech.*, cap. 31.

S. JOANNES CHRYSOST. 13. Sicut familia sine flagello non regitur, sic et populus sine increpatione non gubernatur. Homil. 45. Super *Matth. Oper. Imperf.*

14. Vulgus judicio recto caret. Homil. 28, super *Acta Apost.*

S. ISIDORUS HISPALENS. 15. Membra Christi fideles sunt populi. Lib. 3 *de summo bono*, cap. 49, sent. 3.

LACT. FIRM. 16 Vulgus indoctum pompis inanibus gaudet, animisque puerilibus spectat omnia, oblectatur frivolis. Lib. 2 *de Divin. inst.*, cap. 3.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

17. Nihil est incertius vulgo, nihil obscurius, nihil fallacius. Orat. 23 *pro Murœna*, num. 36. CICERO.

18. Quo major est populus, cui commiscemur, hoc periculi plus est. Epist. 7. SENECA.

19. Nunquam volui populo placere; nam quæ ego scio, non probat populus, quæ probat populus ego nescio: quis enim placere potest populo, cui placet virtus? Epist. 29.

POSSESSIO.

Etymologia. Possessio secundum jura dicitur, quasi pedum sessio. Part. 3, tit. 3, princ. col. 2. S. ANTONIN.

Definitio. Possessio est corporalis rei detentio corporis et animi juris adminiculo interveniente. Part. 3, tit 3, § 2. S. ANTONIN.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Qui plurimum auri possidet, non abundat, quia nihil est quidquid in hoc seculo est. Lib. 1 *Offic.*, cap. 30. S. AMBROS.

2. Laus Domini, ubi munda pessessio, et innocens familiæ disciplina. Lib. 1 *Offic.*, cap. 50.

3. Illud possidemus, quo utimur: quod autem ultra usum est, non utique habet possessionis fructum, sed custodiæ periculum. *Ibid.*, lib. 2, cap. 26.

4. Christianus qui mundum non possidet, hic totum possidet Salvatorem. Serm. 51 *de Juda proditore*.

5. Quomodo non mendicus, cui sunt parva quæ possidet? nam et si mihi dives videatur, nec testimoniis sua vota solatur, qui quod optat, nescit credere. *De Joseph.*, cap. 4.

6. Possessio possessoris debet esse, non possessor possessionis. *Prosec.*

7. Quicunque igitur patrimonio suo tanquam possessione non utitur, qui largiri pauperi et dispensare non novit, is suarum servulus est et non dominus facultatum. *De Nabuthe*, cap. 15.

8. Hoc alienum non est, quod jure possidetur: possidetur hoc autem jure, quod juste, et hoc juste quod bene. Epist. 54 *ad Macedonium*. S. AUGUST.

9. Omne quod male possidetur, alienum est: male autem possidet, qui male utitur. *Ibid.*

10. Sine dolore non pereunt, quæ cum amore possessa sunt. In *Enchiridio*, cap. 68.

11. Nemo possidet Deum, nisi qui possidetur a Deo; simus nos ipsi facti Dei possessio, et efficietur nobis possessio Deus. *De salutar. docum*, cap. 10.

12. Nullo modo sit minor accedente, seu permanente consorte possessio: imo possessio tanto fit latior quanto concordior eam individua sociorum possidet charitas. Lib. 15 *de Civit. Dei*, cap. 5.

13. In comparatione illius quod est, attendens ista quæ non ita sunt, et plus mihi videns deesse quam adesse, ero humilior ex eo quod deest, quam elatior ex eo quod adest. *Prosec.*

14. Nam qui putant se aliquid habere, cum hic vivunt, superbiendo non accipiunt quod deest, quia magnum putant esse quod adest. Super *Psalm.* XXXVIII, vers. 6 : *Ut sciam quid desit mihi.*

15. Unde quisque possidet quod possidet? non jure humano, nam jure divino Domini est terra et plenitudo ejus. *Prosec.*

16. Noli ergo dicere possessiones tuas, quia ad ipsa jura humana renuntiasti, quibus possidentur possessiones. Tract. 6 super *Evang. Joan.*, de cap. 1.

17. Gravis acquisitio, ærumnosa possessio. *De Verbis Apost.*, serm. 26.

18. Possidere quod cum labore requiritur, paucorum est; contemnere quod cum fructu contemnas, omnium est. *Ibid.*

19. Noli timere ne angustet te compossessor, omnibus latum est quod charitas possidet. Homil. 8, *Ex quinquag. homil.*

20. Avaritia multa possidere vult, et tu possides omnia. Lib. 2 *Conf.*, cap. 6.

21. Multo mirabilius est non inhærere divitiis, quamvis possideas, quam omnino eas non possidere. *De Morib. Eccl.*, cap. 23.

22. Si privatim quæ nobis sufficiant possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum. Epist. 50.

23. In jure prædiorum, tamdiu quisque bonæ fidei possessor rectissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum : cum vero scierit, nec ab aliena possessione recesserit; tunc malæ fidei perhibetur, tunc juste injustus vocatur. *De Fide et oper.*, cap. 7.

24. Totum posside, et noli dividere Deum. *De quinque hæres.*, cap. 6.

25. Intrat possessor sub titulis suis, quo intrabat prædo sub titulis alienis. Tract. 7, super *Epist. Joan.*

26. Pater non docet filium cum quo possideat, sed qui post eum. Tract 7, super *Joan.*

27. Non vult Christus communionem, sed solus vult possidere quod emit : tanti emit Christus hominem, ut solus possideat, tu facis ei consortem diabolum; quia autem fit pars diabolo, discedit, et totum diabolus possidebit. *Ibid.*

28. Proponitur in tempore, quod possideas in æternum. Homil. 8, *Ex quinquag. homil.*

29. Mala rei possessio, cujus abdicatio fructuosa est. Serm. 26 *de Verbis Apost.*

S. BASILIUS MAGNUS.

30. Beatus est, qui ea possidet, quæ maximi pretii æstimantur, qui bonorum quæ auferri non possunt, particeps est. Super *Psalm.* I, conc. 1, vers. 1.

S. BERNARD.

31. Aliud est multas divitias scire, aliud est possidere : nec notitia divitem facit, sed possessio. Serm. 23, super *Cant.*

32. Propria possidere, seculari quidem homini medium est, quoniam et non possidere licet : Monacho vero quia possidere non licet, purum malum est. Epist. 7 *ad Adam Monach.*

S. BONAV.

33. Nimis dives est Christiana Religio, cui datum est in omnium possessore omnia possidere. Super Sap., cap. 8.

34. Bona possessio est, quæ propinqua est civitati. Lib. 5, compend. *Theolog. verit.*, cap. 9.

CASSIODOR.

35. Quando aliquid tenemus, hoc in potestate nostra redigimus : sed desinit fieri liberum, quod nobis cœperit esse captivum. Super *Psalm.* CXXXVI, vers. ult.

CLEMENS ALEX.

36. Possessio, quæ cum iniquitate acceleratur, minor redditur. Lib. 3, *Stromat.*

S. CYPRIAN.

37. Caduca sunt quæcunque fucata sunt : nec fiduciam præbent possidentibus stabilem, quæ possessionis non habent veritatem. Epist. 2 *ad Donat.*, cap. 10.

38. Possidere se credunt, qui potius possidentur : census sui servi, nec ad pecuniam suam domini, sed magis pecuniæ mancipati. *De Lapsis*, cap. 3, art. 5.

DIONYSIUS CARTHUS.

39. Quamvis temporalia bona sint possidentis, quantum ad proprietatem : tamen quoad usum esse debent eorum, qui de eorum superfluo indigent sustentari. Super *Epist.* 1 *Joan.*, cap. 5.

GLOSS. ORD.

40. Quanto major in possessione commoditas, tanto major in amissione dolor. Super *Exod.*, cap. XXII.

S. GREGOR. MAGNUS.

41. Gravis labor est, hoc cum magna fatigatione apprehendere, quod is qui apprehendit, noverit diu stare non posse. Lib. 6 *Moral.*, cap. 7.

42. Sine dolore amittitur, quidquid sine amore possidetur. *Ibid.*, lib. 31, cap. 8.

43. Si nihil in hoc mundo amando possidetis, etiam possidendo cuncta reliquistis. Homil. 37, super *Evang.*

S. GREGOR. NYSS.

44. Fieri non potest, ut aliquid possideatur eorum, quæ sunt excelsa, nisi rerum terrenarum amisso studio. Homil. 7, super *Ecclesiasten.*

S. HIERON.

45. Nonnulli sunt ditiores Monachi, quam fuerant seculares et clerici, qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete et fallace diabolo non habuerant : ut suspiret eos Ecclesia divites, quos mundus tenuerat ante mendicos. Epist. 2 *ad Nepotian.*, et epist. 3 *ad Heliodor.*

46. Nihil est grande possessionum redditibus abundare, et vile jactare palliolum. Epist. 13, *ad Paulin.*

47. Jam non sunt tua, quæ possides; sed dispensatio tibi credita est. *Ibid.*

48. Quo affectu possideamus aliquid, docemus cum id amittimus : et cupiditatem fruendi, carendi dolor prodit, quem qui in carendo non habuit in possidendo quonam modo habuit ? Epist. 1 *ad Demetriad.*

49. Qui plus possidet, plus debet timere. *Ibid.*

50. In Christo possidendum est, quod cum Christo est possidendum. Epist. 3, *ad Geruntii filias.*

UGO A S. VICTORE.

51. Quatuor sunt in rebus possessis observanda, ne licita injuste acquirantur, aut juste acquisitis illicite perfruamur, aut illicita licite defendamus. Lib. 2 *de Claust. anim.*, cap. 5.

52. Multa possidere propinquum est cupiditati, et sic quod quandoque nimium diligitur, male defendi solet. *Ibid.*

53. Duo sunt, qui male possidere volunt, avarus et prodigus. Unus ut congreget, alter ut dissipet. *Ibid.*

54. Non felix existimadus est homo, si multa possidet, sed si multis non indiget. Lib. 1, *de Vanit. mundi.*

55. Inimicus sibi fit, qui multa possidere concupiscit. *Ibid.*

UGO CARD.

56. Justorum possessio sunt virtutes, et bona opera. Super *Gen.*, cap. 47.

57. Quanto quod possidetur, cæteris est utilius, tanto amittitur damnosius. Super *Exod.*, cap. 22.

58. Justum est ut qui cœlestia tractant, nihil in terra possideant. Super *Deuter.* cap. 18.

59. Plerique dum possidere se credunt res, ipsi possidentur ab eis. Super *Ecclesiasten*, cap. 7.

60. Nimis dives est Christiana Religio, cui datum est in omnium possessore omnia possidere. Super *Sapient.*, cap. 8.

61. Vere pauperes omnia possident, quia Deus quidquid volunt, facit, et nihil facit quod non eis placeat. Super *Hierem.*, cap. 27.

62. Multi multa cum dolore et timore possident. Super *Matth.*, cap. 5.

63. Nullius erit Deus possessor, nisi illius quem ipse possederit. *Ibid.*, cap. 5.

64. Quanto plura possidet avarus, tanto parcior solet fieri. Homil. 84, super *Matth. oper. perf.*

JOANNES CHRYSOST.

65. Quanto plura amplecteris, tanto magis tuæ derogas libertati : vera namque libertas est, nulla re indigere. Homil. 79, super *Joan.*

66. Nihil sic in rerum discrimine fiduciam habere facit, sicut nihil possidere. Serm. super illud : *Salutate Priscam*, etc.

67. Magnum bonum est, non possidere pecunias, sed Dei timorem possidere. Homil. 2, *ad Popul. Antioch.*

68. Non tua possides, res pauperum sunt tibi creditæ, sive ex laboribus, sive ex hæreditate paterna possideas. *Ibid.*, homil. 34.

69. Qui multa possidet, nihil habet : qui autem nihil habet, bona omnium possidet. Homil. 12, super. II, *Cor.* in illud 4, *Quasi nihil habentes*, etc.

S. ISID. HISP.

70. Hoc habet bonum possessio rerum præsentium, si vitam reficiant miserorum. Lib. 3 *de Sum. bono*, cap. 60, sent. 2.

S. LEO. I.

71. Felix est illud horreum possessionis, et omnium fructuum multiplicatione dignissimum, de quo egentium et debilium saturatur esuries, de quo desiderium fovetur infirmi. Serm. 5 *de Jejun. decimi mensis.*

S. MAXIMUS MART.

72. Omni possessione caret, qui omnibus suis possessionibus renuntiavit neque omnino quidquam super terram præter corpus possidet. Centur. 3, *de Charit.* cap., 88.

S. PAULINUS.

73. Possessio hæc vere magna et pretiosa est quæ possessorem suum non cumulo sæculari onerat, sed redditu ditat æterno. Epist. *de Gazophylacio.*

PETRUS BLESENS.

74. Melius est tibi domum tuam augere moribus quam possessionibus : melius est cœlum implere quam horreum. Epist. 134 *ad Willelm. Electum.*

75. Cui offertur portio in terra viventium, contemnenda est possessio terrenorum. *Ibid.*, tract. *de Hierosol. peregrinat.*

S. PETRUS DAMIANUS.

76. Quanto est aucta possessio, tanto magis est possidentis inflammata cupido. Lib. 8, epist. 10 *ad Moricum doctorem.*

PHILO JUD.

77. Bonus vir nihil proprie possidet, nec seipsum quidem. Lib. 1 *de Vita Mosis.*

78. Pauca possides ? cave invideas divitibus. Lib. *de Joseph.*

79. Expedit facultates Ecclesiæ possideri, et amore perfectionis proprias contemni. *Prosec.*

S. PROSPER.

80. Hoc est possidendo contemnere, non sibi, sed aliis possidere : nec habendi cupiditate Ecclesiæ facultates ambire, sed eas pietate subveniendi suscipere. Lib. 2 *de Vita contemplat.*, cap. 9.

81. Quem possidendi delectat ambitio, Deum, qui possidet omnia quæ creavit, expedita mente possideat, et in eo habebit quæcunque habere sancte desiderat. *Prosec.*

SALVIANUS.

82. Sed quoniam nemo possidet Deum nisi qui possidetur a Deo, sit ipse primitus Dei possessio, et efficietur ei Deus possessor et possessio.

83. Et quid potest eo esse felicius, cui efficitur suus Conditor census ? quid ultra quærit, cui omnia suus Conditor fit ? aut quid ei sufficit, cui ipse non sufficit ? *Ibid.*, cap. 16.

84. Qui vult Deum possidere, renuntiet mundo, ut sit illi Deus beata possessio. *Ibid.*

85. Refugienda est ampla possessio, ne consequatur profunda perditio. Lib. 2 *ad Eccles. Cathol.*

S. THEODOR. 86. Incerta est possessio divitiarum : nunc enim ad hunc veniunt, nunc vero ad illum transeunt. Quæ autem multos habet dominos, nullius est possessio. Super I *Timoth.*, cap. 6.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

PLINIUS II. 87. Tanta invasit homines habendi cupido, ut possideri magis quam possidere videatur. Lib., 9, epist. 30

SENECA. 88. Omnium extrinsecus affluentium possessio, lubrica et incerta est. *De Constant. sapient.*, cap. 5.

89. Nullius boni sine socio jucunda possessio est. Epist. 6

90. Quæcunque ex rebus transitoriis possides, non mireris : nec magnum existimes, quod caducum est. *De quatuor vir.*,

SIXT. PHIL. 91. Non amplius possideas, quam usus corporis poscit. Sent. 107.

92. Ea posside, quæ nullus possit auferre a te. *Ibid.*, sent. 110.

93. Cupiditas possidendi, origo avaritiæ est. *Ibid.*, sent. 129.

94. Nulla propria possessio putetur sapientis. *Ibid.*, sent. 218.

Vide etiam tit. *Aurum*, sent. 47; *Habere*, per totum; *Monachus*, sent. 69; *Pecunia*, sent. 21, *Pecuniarum*, sent. 126; *Regnum cœleste*, sent, 16; 17, 18, 56; *Temporale*, sent. 42.

POTESTAS in genere.

HUGO CARD. *Etymologia*. Potestas dicitur, quasi potentia stans. Super *Joan.*, cap. 1.

CICERO. *Definitio*. Potentia est ad sua conservanda, et alterius obtinenda, idonearum rerum facultas. Lib. 2 *de Invent. Rhetor.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Omnis potentia seculi, somnium, non veritas est. *De Joseph*, cap. 6.

2. Ordinatio mundi a Deo, opera mundi a diabolo : a Deo potestatum ordinatio, a diabolo ambitio potestatis. *Prosec.*

3. Fugiamus ergo omnia quæ diabolicæ subjacent potestati, ne tanquam malus tyrannus in eos, quos intra suum regnum invenerit, acceptæ sævitia potestatis utatur. Lib. 4, super *Luc.*, cap. IV, in illud : *Et ostendit illi omnia regna*, etc.

S. ANSELM. 4. Qui potest quod sibi non expedit, et quod non debet, potest : quanto magis hoc potest, tanto magis adversitas et perversitas possunt in illum, et ipse minus contra illas. In *Prosologio*, cap. 7.

S. ANTON. 5. In nulla re tantum hodie offendunt seculi potestates, sicut in judiciis. Part. 3, tit. 3, cap. 1, § 9.

S. AUG. 6. Quanto fis celsior potestate, tanto humilior fias pietate. Epist. 54, *ad Macedonium*.

7. Optandum est ut potestas nunc detur, sed contra vitia, propter quæ vincenda potentes nolunt esse homines, et volunt propter vincendos homines, ut quid hoc? nisi ut vere victi, falso vincant, ne sint veritate, sed opinione victores. Lib. 13 *de Trinit.*, cap. 13.

8. Qui placet sibi ut potestate sua uti velit, tanto fit minor, quanto se cupit esse majorem. Lib. 3 *de Lib. arb.*, cap. 25.

9. Invidiosa est potestas, quia legitima est : invidiose facit, qui jure facit : sine invidia facit, qui præter leges facit. Tract. 5, super cap. I *Evang. Joan.*

10. Quo potestas sublimior est, eo ad peccandum major audacia, quæ totum sibi licere credit quod potest. *De Vita Christiana*, cap. 3.

11. Potentior animus non cogit in aliquid, nisi quod suæ potestati subditum est. *De Immort. animæ*, cap. 13.

12. Quisquis animus alterum animum habet in potestate, magis cum necesse est vult in potestate habere, quam corpus. *Ibid.*

13. Quæ potentiora, etiam meliora sunt. *Ibid.*, cap. ult.

14. Non est ordinatissimum, ut impotentiora potentioribus imperent. Lib. 1 *de Lib. arbit.*, cap. 10.

15. Potentior ab infirmiore, si corrumpi nolit, non corrumpitur. *Ibid.*, lib. 3, cap. 14.

16. Nulla vi superari potest, qui est in nullius potestate. *Ibid.*, lib. 3, cap. 6.

17. Si animus placens sibi potestate sua frui velit, tanto fit minor, quanto se cupit esse majorem. *Ibid.*, cap. 25.

18. In potestatibus societatis humanæ, major potestas minori ad obediendum præponitur. Lib. 3 *Conf.*, cap. 8.

19. Homo in natura posse, et in potestate habet velle. Lib. 11 *de Genesi ad litt.*, cap. 4.

20. A Deo sunt omnes potestates, quamvis ab illo non sint omnium voluntates. Lib. 5 *De Civitate Dei*, cap. 8.

21. Non superbiendum est, quasi homo eadem potestate sanetur, qua potestate vitiatus est. *De Nat. et grat.*, cap. 30.

22. Non quiescit in dæmonibus voluntas nocendi, etiam cum potestas non datur. Annot. in *Job*, cap. XXXVIII.

23. Ut esset homini potestas in Deum, ab ipso Deo accepit potestatem homo. Homil. 35, *Ex quinquag. homil.*

S. BERNARD. 24. Videte, fratres, quam noceat iniqua potestas, quomodo caput impium subjectos quoque suæ conformat impietati. *Prosec.*

25. Misera plane civitas, in qua regnat Herodes, quoniam Herodianæ sine dubio particeps erit malitiæ, et ad novæ salutis ortum Herodiana movebitur turbatione. Serm. 3, *Epiph.*

BOETIUS. 26. Nullam ejus hominis potentiam putes, qui quod ipse in alio potest, id in se alter valeat, efficere ipse non possit. Lib. 2 *de Consolat. philos.*, prosa 6.

27. Qua parte beatos faciens desinit potestas, hac impotentia subintrat. *Ibid.*, lib. 3, prosa 5.

28. Non est illa potestas, quæ sollicitudinum morsus expellere, quæ formidinum aculeos vitare nequit. *Ibid.*

29. Eo ipso quo potentes bonum deserunt, et ad vitia deflectunt, hoc modo non solum potentes esse, sed omnino esse desinunt. *Ibid.*, lib. 4, prosa 2.

S. BONAV. 30. In potentia nullo modo est gloriandum, sed semper de casu timendum. *Prosec.*

31. Ubi est vana potentia Cæsaris, qui primus solum Imperium obtinuit, a quo omnes Imperatores appellati sunt Cæsares, quem Romani tandem gladiis interfecerunt?

32. Ubi nunc est vana patentia Neronis, qui fugatus a Romanis, fustem dentibus acuit, quo seipsum per ventrem transfixit?

33. Ubi nunc est ampla et vana Alexandri potentia, qui sibi orbem totum subjecit, et duodecim annis tantum regnavit, et ultimo veneno interiit?

34. Valde gloriosus Leo incedit, sed dum suam vanam potentiam non advertit, in foveam sæpe ruit, de qua cum exire non possit, submittit collum catenis. Serm. 1 *de Uno Mart.*

. CYPRIAN. 35. Magis, quo plus cæteris unusquisque potest, sciat esse sibi metuendum, ne in aliquo minoretur. *De Singularit. cleric.*, cap. 24.

DIONYSIUS CARTHUS. 36. Qui potest quod sibi non expedit, quanto id magis potest, tanto impotentior est, et infelicior. Super *Epist. II ad Timoth.*, cap. 2, art. 2.

GLOSS. ORD. 37. Non a diabolo est potestas, sed obnoxia tamen insidiis diaboli : nec ideo mala ordinatio potestatum, quia malo sunt obnoxiæ potestates. Super illud *Lucæ* IV : *Quia mihi tradita sunt*, etc.

. GREGOR. MAGNUS. 38. Potestas cum habetur, et cogitanda est ad utilitatem, et dissimulanda est propter tumorem; quatenus is qui ea utitur, et ut prodesse debeat, posse se sciat : et ut extolli non debeat, posse se nesciat. Lib. 5 *Moral.*, cap. 8.

39. Sæpe qui in potestate sunt, dum sese a licitis retinere nesciunt, ad illicita opera et inquieta dilabuntur. *Ibid.*

40. Utilitati justorum militat potestas iniquorum. *Ibid.*, lib. 20, cap. 19.

41. Cum perversis in hac vita potestas tribuitur, quid aliud quam janua erroris aperitur? *Ibid.*

42. Amica potestati pene semper impatientia est eique etiam malæ subjectæ imperat : quia quod ipsa sentit, potestas exequitur. *Ibid.*, cap. 28, super illud *Job* XXX : *Sine furore consurgens.*

43. Sæpe transitoria potestas animum per abrupta elationis rapit. *Ibid.*, lib. 21, cap. 10.

44. Potentibus viris magna est virtus humilitatis, considerata æqualitas conditionis. *Ibid.*, num. 11.

45. Qui contra superpositam sibi potestatem murmurat, liquet quod illum redarguit, qui eamdem homini potestatem dedit. *Ibid.*, lib. 22, cap. 17, num. 24.

46. Rectori provido cogitatione sollicita, potestas quæ accepta est, non honor, sed onus æstimatur. *Ibid.*, lib. 24, cap. 16, num. 30.

47. Tunc potestas bene geritur, cum non amando, sed timendo retinetur : quæ ut ministrari recte valeat, oportet primum ut hanc non cupiditas, sed necessitas imponat. *Ibid.*

48. Potestas cum percipitur, non ex libidine amanda est, sed ex longanimitate toleranda. *Ibid.*

49. Bona est ordine suo potentia, sed cauta regentis indiget vita. *Ibid.*, lib. 26, cap. 19, super illud *Rom.* XII : *Nolite esse prudentes*, etc.

50. Cum potentiæ temporalis ministerium suscipitur, summa cura vigilandum est ut sciat quisque; et sumere ex eo quod adjuvat, et expugnare quod tentat, et æqualem se cum illa cæteris cernere, et tamen se peccantibus zelo ultionis præferre. *Ibid.*

51. Potestas quanto exterius eminet, tanto premi interius debet, ne cogitationem vincat, ne in delectationem sui animum rapiat, ne jam sub se mens eam regere non possit, cui se libidine dominandi supponit. *Ibid.*, cap. 19.

52. Subtilissima ars vivendi est culmen tenere, gloriam premere, esse quidem in potentia, sed potentem se esse nescire, ad largienda bona potentem se cognoscere, ad rependenda noxia, omne quod potenter valet ignorare. *Ibid.*, cap. 19, num. 24.

53. Deum imitari desiderat, qui fastigium potentiæ alienis intentus utilitatibus, et non suis laudibus elatus administrat. *Ibid.*

54. Superbus mundi hujus potentiam quærit, non quo aliis prosit, sed quo ipse alteri subditus non sit. *Ibid.*, lib. 29, cap. 6, super illud *Job* XLI : *Omne sublime videt.*

55. Qui a subjectis metuitur, tanto facilius persuadet, quanto et cum potestate indicat quæ sunt agenda. *Ibid.*, lib. 31, cap. 3, num. 4.

56. Nil de subsequenti judicio metuunt, qui de temporali potestate improbe gloriantur. Part. 2, *Pastor.*, cap. 8.

57. Fit ut ipsa ligandi et solvendi potestate se privet, qui hanc pro suis voluntatibus, et non pro subjectorum moribus exercet. Homil. 26, super *Evang.*

58. Bene acceptam potestatem regit, qui et tenere illam novit, et impugnare. Lib. 1 in *Registro*, ind. 9, cap. 24, epist. 24 *ad Joan. episc. Constantinop.*

59. Restringenda sub ratione potestas est, nec quidquam agendum priusquam concitata ad tranquillitatem mens redeat. *Ibid.*, lib. 8, indict. 3, cap. 12, epist. 12 *ad Gudiscalcum ducem.*

HUGO A S. VICTORE. 60. Potestas est ordinatio a Deo disposita in genere humano, qua alii aliis præesse habent. Super *Epist. ad Rom.*, in illud : *Non est potestas, nisi a Deo.*

HUGO CARD. 61. Potestas bona est in se, sed noxia est elatione, quæ sæpe comitatur. Super *Job*, cap. XXXVI.

62. Multi laudant nomen potentiæ, qui appetunt dominationem. Super *Ecclesiastic.*, cap. 17.

S. JOANNES CHRYSOST. 63. Semper grandis potestas majori timori subjecta est. Homil. 2, super *Matth. Oper. imperf.*

64. Summa potestas sine timore periculi nunquam est. *Ibid.*, homil. 30.

JOANNES SARESB. 65. Si potestas accedat sapienti, omnibus bonis grata est, et omnibus utilis : si vero cadat in insipientem, etsi bonis mala esse non possit, molesta tamen ad modicum temporis erit. Lib. 8 *de Nugis curial.*, cap. 18.

JOAN. TRITH. 66. Nihil terrena potestate brevius. *De vanit. et miser. hum. vitæ*, cap. 2.

S. ISID. HISP. 67. Non statim utile est omne potestatis insigne, sed tunc vere est utile, si bene geratur : tunc autem bene geritur, quando subjectis prodest, quibus terreno honore præfertur. *Prosec.*

68. Potestas bona est, quando Deo donante est, ut malum timore coerceat, non ut temere malum committat.

69. Nihil autem pejus est, quam per potestatem, peccandi libertatem habere, nihil que infelicius male agendi felicitate. Lib. 3 *de Sum. bono*, cap. 48, sent. 5.

70. Vir justus aut omni potestate seculari, exuitur, aut si aliqua cingitur, non sub illa curvatur, ut superbus tumeat, sed eam sibi subjicit ut humilior innotescat. *Ibid.*, cap. 48, sent. 1.

71. Intra Ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi ut quod non prævalet sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc impleat per disciplinæ terrorem. *Ibid.*, cap. 51, sent. 4.

72. Quanto quis potentia major, tanto magis liber est ad peccandum. *Ibid.*, cap. 59, sent. 10.

73. Jura potestatis adeptæ moderanter exerce, potestatis jura accepta ordinato animo administra. Lib. 2 *de Synon.*, cap. 17.

74. Cito periclitatur potestas ; alta enim arbor ventis fortius agitatur, excelsæ turres graviori casu procumbunt. *Prosec.*

75. In potentem cadit invidia, cito patet insidiis potestas : gloria enim invidiam parit, invidia vero pericula. *Ibid.*

76. Mens potentiæ avida, nec abstinere novit a vetitis, nec gaudere concessis. Epist. 53 *ad Anatolium Constantinop. episc.* S. LEO I.

77. Justum est, ut quem dignitas potestatis delectat, laborem officii non subterfugiat. *Prosec.* PETRUS BLESENS.

78. Delicatus est, qui potestate vult uti, et administrationem potestatis dissimulat exercere.

79. Merito se privat honore, qui honorem affectat sine onere. Serm. 40.

80. Quid juvat, si hodie quis temporali præditus potestate terram faciat sub suis pedibus tremere, et cras mendicus et pauper de hoc mundo compellatur exire? Lib. 7, epist. 15. S. PETRUS DAMIANUS

81. Omnis potestas, sive major, sive minor, quæ hominibus præest, aut ex voluntate Dei, aut ex permissione Dei constituta est. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 13, can. 1. S. REMIG.

82. Nulla major pauperculorum est depopulatio, quam potestas. Lib. 4 *de Gubern. Dei.* SALVIANUS

83. Potestas magna et potentissima, quæ inhibere scelus maximum potest, quasi probat debere fieri, si sciens patitur perpetrari. *Ibid.*, lib. 7.

84. Uti potentum amicitiis, non abuti convenit. Epist. 63 *ad Joan.* S. SYNESIUS EPISC.

85. Potestas se habet ad bonum et ad malum : quia sicut optimum est, quod aliquis utatur bene potestate in regimine multorum : ita pessimum est, si male utatur. 1, 2, art. 4. S. THOMAS AQUINAS.

86. Homo, qui abutitur potestate sibi data, eam amittere meretur. 2, 2, quæst. 65, art. 3.

87. Major potestas nonnisi melioribus debetur. *De Perfect. vitæ spirit.*, cap. 19.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

88. Fortitudo potentiam habens, superbia est. Lib. 5 *Politic.*, cap. 10. ARISTOTEL.

89. Difficile est, o Callicles, ac impendio est laudabile, hominem juste vivere, qui in potestate magna constitutus, impune queat esse injustus. In *Gorgia, de Justitia.* PLATO.

90. Tantum quantum vult potest, qui se, nisi quod debet, non putat posse. Epist. 90. SENECA.

91. Quomodo optime potentiam tuebor ! impotentia occasionis. *De Moribus.*

Vide etiam tit. *Ambitio*, sent. 1, 2, 3 ; *Diabolus*, sent. 18 ; *Petitio*, sent. 80 ; *Servitus*, sent. 14 ;

Stultitia, sent. 5; *Sublimitas*, sent. 40; *Superbia*, sent. 103; *Virtutes cardinales*, sent. 15.

POTESTAS DEI.

COLLECTOR. *Definitio*. Potestas Dei est ipsamet essentia divina, concepta per modum principii activi productivi.

HUGO A S. VICTORE. *Divisio*. Potestas Dei duplex est. Altera, ad aliquid faciendum; altera, ad nihil patiendum. Lib. 1, *de Sacramentis*, part. cap. 22.

HUGO CARD. Potestas Christi in quatuor consistit: scilicet primo, in efficaci prædicatione, et larga donorum Spiritus sancti effusione; secundo, in suorum fidelium consolatione; tertio, in adversariorum depressione; quarto, in suorum electorum glorificatione. Super *Apocal.*, cap. 1.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. De omnipotentia Dei, et justitia dubitare, dementis est. Lib. 1 *Retract.*, cap. 9.

2. Creatoris potentia omnipotentis, atque omnitenentis virtus, causa est subsistendi omni creaturæ. *Prosec.*

3. Quæ virtus Dei ab eis quæ creata sunt regendis, si aliquando cessaret, simul et eorum cessaret species, omnisque natura concideret. Lib. 4, *de Genesi ad lit.*, cap. 12.

4. Quid Omnipotente potentius! aut cujus creaturæ potestas potestati Creatoris comparari potest? Lib. 13, *de Trinitate*, cap. 13.

5. Deus omnipotens est: et cum sit omnipotens, mori non potest, falli non potest, nec fallere, mentiri non potest. *Prosec.*

6. Quam multa non potest, et omnipotens est: et ideo omnipotens est, quia ista non potest. Nam si mori posset, non esset omnipotens: si mentiri, si falli, si fallere, si inique agere, non esset omnipotens: quia si hoc in eo esset, non fuisset dignus qui esset omnipotens. Lib. 1, *de Symbolo fidei*, cap. 1.

7. Quanta speranda, vel timenda potestas est judicantis, si apparuit tanta morientis? Tract. 119, super *Evangelium Joan.*, de cap. XIX.

8. Demus Deum aliquid posse, quod nos fatemur investigare non posse: in talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis. Epist. 3, *ad Volusian.*

9. Quia Dominus Lazarum suscitavit, sine dubio potuit: quia vero Judam non suscitavit, numquid dicendum est, non potuit? potuit ergo, sed noluit; nam si voluisset, eadem etiam hoc potestate fecisset. *De Natura et gratia*, cap. 7.

10. Omnipotens est facienda majora et minora, omnipotens est ad cœlestia et terrestria, omnipotens est ad facienda immortalia et mortalia, omnipotens est ad facienda spiritalia et corporalia, omnipotens est ad facienda visibilia et invisibilia. *Prosec.*

11. Magnus in magnis, nec parvus in minimis: postremo omnipotens est ad facienda omnia quæ facere voluerit.

12. Jam ego dico quanta non possit. Non potest mori, non potest peccare, non potest mentiri, non potest falli: tanta non potest, quæ si posset, non esset omnipotens. Serm. 3, *fer.* 2, *post Dom. Palm.*

13. Non longe est a nobis omnipotentia tua, etiam cum longe sumus a te. Lib. 2 *Confess.*, cap. 2.

14. Dei potestati eripi aut subtrahi, quid, quando, aut ubi, a nullo potest. *Ibid.*, cap. 9.

15. Non cogeris invitus ad aliquid, quia voluntas tua non est major potentia tua. *Ibid.*, lib. 7, cap. 4.

16. Non est minor potestas tua carens obsequio meo. *Ibid.*, lib. 13, cap. 1.

17. Sicut humana consuetudo verbis, ita divina potentia etiam factis loquitur. Epist. 49, quæst. 6.

18. Deus qui potens est, etiam in nihilo, non tantum aliquid, sed etiam magnum aliquid facit. Epist. 56.

19. Nemo leges Omnipotentis evadit. *De Agone Christ.*, cap. 7.

20. Quidquid vilissimum homines putant, omnipotentia Dei gubernatur. *Ibid.*, cap. 8.

21. Bona facere si non posset Deus, nulla esset potentia: si autem posset, nec faceret, magna esset invidentia. Quia ergo est omnipotens et bonus, omnia bona valde fecit. Lib. 4 *de Genesi ad lit.*, cap. 16.

22. Movet Deus occulta patientia sua universam creaturam suam. *Ibid.*, lib. 5, cap. 20.

23. Deus patientia sua numeros creaturæ dedit, non ipsam potentiam eisdem numeris alligavit. *Ibid.*, lib. 6, cap. 13.

24. Deus naturas creat bonitate, voluntates ordinat potestate. *Ibid.*, lib. 8, cap. 23.

25. Deus non potentia temeraria sed sapientiæ virtute omnipotens est. *Ibid.*, lib. 9, cap. 17.

26. Deus per omnipotentiam suam præest universæ creaturæ. *De Catechiz. rudib.*, cap. 18.

27. Ad omnipotentiam Dei pertinet ut ex libero arbitrio voluntatis venientia mala esse permittat. *De Continent.*, cap. 6.

28. Tanta est omnipotens Dei bonitas, ut etiam de malis possit facere bona, sive ignoscendo, sive sanando, sive ad utilitates piorum coaptando atque vertendo, sive etiam justissime vindicando. *Ibid.*

29. Nihil omnipotentius Deo, qui cum mali nihil faciat, bene etiam de malis facit. *Ibid.*

30. Recte Deus omnipotens dicitur, qui tamen

mori et falli non potest : dicitur enim omnipotens faciendo quod vult, non patiendo quod non vult. Quod si accideret, nequaquam esset omnipotens : unde propterea quædam non potest, quia omnipotens est. Lib. 5 *de Civit. Dei*, cap. 10.

31. Manus Dei, potestas Dei est, qui etiam visibilia invisibiliter operatur. *Ibid.*, lib. 12, cap. 23.

32. Ut neque Angelus, neque homo caderet, in potestate Dei fuit. *Ibid.*, lib. 14, cap. 27.

33. Firmissime credendum est omnipotentem Deum omnia posse facere quæ voluerit, sive vindicando, sive præstando. *Ibid.*, lib. 18, cap. 18.

34. Deus potens est facere, quæ infidelibus sunt incredibilia, sed illius facilia potestati. *Ibid.*, lib. 21, cap. 6.

35. Deus non ob aliud vocatur omnipotens, nisi quoniam quidquid vult potest. *Ibid.*, cap. 7.

36. Efficacem potentiam suam Deus si rebus subtrahat, nec progredi poterunt, nec prorsus in eo quod creatæ sunt, aliquatenus permanebunt. *Ibid.*, lib. 22, cap. 24.

37. Ut quisque habeat bona corporis et fortunæ, non nisi in Dei potestate est. *De Corrept. et grat.*, cap. 8.

38. Exhorresce quod minatur Omnipotens, ama quod pollicetur Omnipotens. Tract. 3, super *Epist. Joan.*

39. Evadendi potentiam Dei, nullus aditum invenire poterit. Lib. *Meditationum*, cap. 30.

40. Deus ostendit potentiam suam, accommodans malitiam malorum ad bonos exercendos. Epist. 157.

41. Non lege atque doctrina insonante forinsecus, sed interna potestate operatur Deus in cordibus hominum. *De grat. Christ.*, cap. 24.

S. BERNARD. 42. Nil omnipotentiam Verbi clariorem reddit, quam quod omnipotentes facit omnes qui in se sperant. Serm. 85 super *Cant.*

S. BONAV. 43. Omnipotens est Deus, quia omnia facere, omnia trahere, omnia prospicere, omnia innovare potest. *Prosec.*

44. Omnia facit per potentiam, omnia trahit per gratiam, omnia prospicit per notitiam, omnia innovat per gloriam. Serm. 4 *Dom.* 11, *post Pent.*

S. DIONYS. AREOPAG. 45. Nihil est omnino eorum quæ sunt, quod non præpotens rerum omnium Dei vis tueatur et contineat. *De divin. Nomin.*, cap. 8.

S. EPIPHAN. 46. Potest Deus ex lapidibus excitare filios, et potest Deus corruptibilia mutare in incorruptibilitatem, et potest in terra facere quietem paradisi, quia vult. In *Libro Ancorato.*

S. EUSEBIUS EMISSEN. 47. Sit pro luce rationis magnipotentia Conditoris : Excedit enim divini opificii potestas humanæ mentis angustias. Homil. 1 *de Symbolo.*

GLOSS. INT. 48. Nulla est dignitas, nulla est potestas, quæ potestatis Dei non pareat imperio. Super I *Paralip.*, cap. 29.

S. GREGOR. MAGNUS. 49. Deus cum sit semper omnipotens, sic intendit omnibus ut adsit singulis : sic adest singulis, ut simul omnibus nunquam desit. Lib. 16 *Moral.*, cap. 3, super illud *Job* 22 : *An cogitatas, qui Deus excelsior*, etc.

50. Deus sic exteriora circumdat, ut interiora impleat : sic interiora implet, ut exteriora circumdet : sic summa regit, ut ima non deserat; sic imis præsens est, ut a superioribus non recedat. *Prosec.*

51. Sic latet in sua specie ut tamen cognoscatur in operatione : sic cognoscitur in suo opere, ut tamen comprehendi non valeat a cognoscentis æstimatione.

52. Sic adest, ut videri nequeat : sic videri non valet, ut tamen ejus præsentiam ipsa sua judicia testentur. *Ibid.*

S. GREGOR. NYS. 53. Constitutum est, in natura divina cum voluntate ita concurrere potestatem, ut Dei potestatis mensura sit ipsa voluntas. In *Hexamer.*

S. HIERON. 54. Dei potentiam servorum preces impediunt. Epist. 12 *ad Gaudentium.*

S. HILARIUS 55. Potestatis dignitas in Nativitate non amittitur, dum carnis humilitas adoratur. Lib. 2 *de Trin.*, verbo *Angelos.*

56. Deus nihil eget, nihil ignorat, cujus agnitioni nihil occultum est, cujus aditui nihil invium est, cujus virtuti nihil reliquum, extra quem locus nullus est. Super *Psalm.* CXXXV.

S. JOANNES CHRYSOST. 57. Christus potestate natus est, potestate passus est, potestate medicus phræneticos toleravit, potestate cæcos, claudos, mutos, aridos, a spiritu immundo captivatos potestate curavit. Homil. super illud *Isai.* IX : *Potestatis et pacis.*

58. Si dubitas an aliqua potentia præsit mundo, omnibus es insipientior : si vero istud persuasum habes, quid ambigis oportere Deo placere? Serm. 19, super *Epist. ad Ephes.*

S. ISIDORUS PELUSIOTA. 59. Nihil cassum et irritum in divina potentia usurpatur : potest enim omnia, vult autem optima. Lib. 2, epist. 117 *ad Theophil.*

S. JUSTIN. MART. 60. Divinæ auctoritati nihil est quod non pareat. In *Quæst. a Gentib. positis*, quæst. ult., respons. 33.

LACT. FIRM. 61. Deus unus est, in quo vis et potestas consummata est : nec minui potest, nec augeri. *De Ira Dei*, cap. 11.

PHILO JUD. 62. Quod celsius est omnibus potentiis, intelligitur eas excedere Deus, cum eas in potestate habeat. *De confus. linguar.*

63. Incircumscriptus Deus, et incircumscriptæ ejus potentiæ. *De sacrificio Abel.*

64. Bonitas Dei mensura bonorum est : potentia, mensura subditorum. *Ibid.*

65. Deus potentiis suis erga seipsum meris utitur, temperatis autem erga suas creaturas. Lib. *Quod Deus sit immutabilis.*

S. SYNESII, EPISCOP. 66. Deo omnia possibilia sunt, etiam quæ fieri non possunt. Epist. 11 *ad Presbyteros.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 67. Quodlibet possibile, est a Deo effectibile. Lib. 10 *Theolog.*, cap. 12.

CICERO. 68. Nihil est quod Deus efficere non possit. Lib. 2 *de Divinat.*, num. 86.

69. Mundus Deo paret, obediunt maria, terraque et hominum vita jussis supremæ legis obtemperat. Lib. 3 *de Legib.*

SENECA. 70. Deus quidquid vult, efficit. Lib. 1, *Quæst.* in Præfat.

71. Deus alia exaltat, alia submittit. *Ibid.*, lib. 3, in Præfat.

TRISMEGIS. 72. Deus est circa omnia, atque per omnia : actus enim est omnium atque potestas. Lib. *de Pat. et Sap. Dei*, cui titulus, *Pimander*, cap. 12.

Vide etiam tit. *Esse*, sent. 21; *Maria*, sent. 49; *Miraculum*, sent. 12; *Misericordia Dei*, sent. 99.

PRÆCEPTUM.

Vide MANDATUM.

PRÆDESTINATIO.

COLLECTOR. *Etymologia.* Prædestinatio dicitur, quasi præ aliis destinatio.

S. AUGUST. *Definitio.* Prædestinatio Sanctorum nihil aliud est, quam præscientia scilicet et præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicunque liberantur. *De Bono persever.*, cap. 14.

Prædestinatio est præordinatio, in qua tria concurrunt, homo, gratia, gloria. In lib. 1, *Sentent.*, dist. 40, dubio 5.

DIONYSIUS CARTHUS. Prædestinatio est præordinatio alicujus ad gloriam, seu præparatio gratiæ in præsenti, et gloriæ in futuro. Super *Epistolam ad Romanos*, cap. 1, art. 3.

Prædestinatio est æterna præordinatio horum quæ per gratiam fiunt in tempore. *Ibid.*

HUGO A S. VICTORE. Prædestinatio est gratiæ gratuitæ præparatio. *De Quæstionibus super Ep. ad Rom.*, quæst. 233.

JOANNES SARESB. Prædestinatio est ab æterno gratiæ præparatio, per quam unusquisque vocatur ad vitam. Lib. 2 *de Nugis curial.*, cap. 21.

S. THOMAS AQUINAS. Prædestinatio est quædam ratio ordinis aliquorum in salutem æternam in mente æterna existens. Part. 1, *Summæ*, quæst. 23, art. 2.

Prædestinatio proprie accepta, est quædam divina præordinatio ab æterno, de his quæ per gratiam Dei sunt in tempore fienda. Part. 3, *Summæ*, quæst. 24.

S. FULGENT. *Differentia.* Qui præscientiam Dei in nullo ab ipsius prædestinatione discernit, quod tribuendum est Deo de bonis, hoc ei etiam de malis conatur adscribere. Lib. 1 *ad Monimum*, cap. 30.

S. AUGUST. Inter gratiam et prædestinationem hoc interest, quod prædestinatio est gratiæ præparatio, gratia vero ipsa donatio. *De prædestinat. Sanctor.*, cap. 10.

HUGO A S. VICTORE. Hoc distat inter præscientiam et prædestinationem : quod præscientia de salvandis et damnandis, prædestinatio autem de salvandis tantum. In *Summa Sentent.*, tract. 1, cap. 12.

HUGO CARD. Nota de Prædestinatione differentiam. Quidam sunt prædestinatione et re, sicut simpliciter boni; quidam prædestinatione et non re, ut mali, et tamen futuri boni; quidam re et non prædestinatione, ut boni, qui sunt futuri finaliter mali; quidam nec re, nec prædestinatione, sed tantum numero, sicut simpliciter mali. Super *Psalm.* XVII.

JOAN. SARESB. Scientia, præscientia, dispositio, providentia et prædestinatio differunt. Scientia existentium; præscientia futurorum; dispositio faciendorum, providentia gubernandorum; prædestinatio salvandorum. Lib. 2 *de Nugis curial.*, cap. 21.

S. THOMAS AQUINAS. Prædestinatio differt a præscientia, secundum rationem : quia præscientia importat solam notitiam futurorum; sed prædestinatio importat causalitatem quamdam respectu eorum. Super *Epist. ad Romanos*, cap. 6, lect. 6.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Deus iis quos elegit sine meritis, dat unde ornentur et meritis *Prosec.*

2. Et frustra dicitur quod ratio operandi non sit in electis, cum etiam ad hoc operentur, ut electi sint. Lib. 2 *de Vocat. gent.*, cap. 10.

3. Omnia quæ secundum dispositionem Dei fienda sunt, in prædestinatione ejus jam quasi facta existunt : quia non potest fieri, ut immutetur aliquid ex omnibus quæ statuit Deus ut fiant. Super *Apocal.*, cap. 2.

S. AUGUST. 4. Gratia Dei suos electos sic prædestinavit, ut eorum qui jam in eis utuntur libero arbitrio, ipse etiam voluntates præparet. Lib. 1 *Retract.*, cap. 9.

5. Sola gratia redemptos discernit a perditis, quos in unam perditionis concreverat massam, ab origine ducta causa communis. In *Enchiridio*, cap. 99.

6. Prædestinatorum nemo cum diabolo peribit; nemo usque ad mortem sub diaboli potestate remanebit. Lib. 13 *de Trinitate*, cap. 16.

7. Nescientes quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non pertineat, sic affici debemus charitatis affectu, ut omnes velimus salvos fieri. *De Corrept. et grat.*, cap. 15.

8. Universa massa perditionis facta est possessio perditorum : nemo itaque, nemo prorsus inde liberatus est, aut liberatur, aut liberabitur, nisi gratia Redemptoris. Lib. 2 *de Gratia Christi*, cap. 29.

9. Bonus est Deus, justus est Deus, potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est : non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est. Lib. 3 *contra Julian.*, cap. 18.

10. Peccatum in homine, in Deo incitat zelum justitiæ, zelus vero justitiæ prædestinationem, prædestinatio autem attrahit mortem. *De Prædestin. Dei*, cap. 3.

11. Prædestinatorum ita certus est numerus, ut nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis. *De corrept. et gratia*, cap. 13.

12. Prædestinatio Dei multis est causa standi, nemini causa labendi. *Ad Artic. sibi falso impositos*, respons. 12.

13. Eliguntur qui non sunt, nec errat qui eligit, nec vane eligit : eligit tamen, et habet electos, quos creaturus est eligendos. *De Verbis Apostoli*, serm. 11.

14. Deus prædestinavit nos antequam essemus, vocavit nos cum aversi essemus, justificavit nos cum peccatores essemus, glorificavit nos cum mortales essemus. *Ibid.*, serm. 16.

15. Non in creatione homo prædestinatus est, hoc enim ante seculum in præscientia Creatoris. Lib. 6 *de Genesi ad lit.*, cap. 11.

16. In prædestinatione Deus vidit viam; qua se convertent tentati. *Annot. in Job*, cap. 28.

17. Quid Deus dabit eis, quos prædestinavit ad vitam, qui tot ac talia, et tanta bona temporalia dedit eis quos prædestinavit ad mortem? Lib. 22 *de Civitate Dei*, cap. 24.

18. Prædestinavit ad æternam vitam misericordissimus gratiæ largitor; prædestinavit ad æternam mortem justissimus supplicii retributor. Lib. 4 *de Anima et orig.*, cap. 11.

19. Quicunque prædestinati, etiam nondum nati, jam filii Dei sunt, et omnino perire non possunt. *De corrept. et grat.*, cap. 9.

S. BONAV. 20. Prædestinatus nunquam perire sinitur, licet ad tempus a via virtutis errare permittatur. Super *Psalm.* LXVIII.

21. Signum vel character prædestinationis, virtus est. Tit. 5, *Diætæ*, cap. 1.

22. Tot salvabuntur homines, quot Angeli ceciderunt : vel tot homines salvabuntur, quot Angeli perstiterunt. Lib. 2 *Compend. Theol. verit.* cap. 24.

CASSIODOR. 23. Prædestinata multitudo Sanctorum ; hæreditas Christi est. Super. *Psalm.* XV, vers. 19.

24. Totum in prædestinatione solidatum est, et nullus eventus mutare poterit, quod illa providentia superna decrevit. Super *Psalm.* LXVII, vers. 33.

CONCILIUM TRIDENT. 25. Nemo quandiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinæ prædestinationis mysterio usque adeo præsumere debet, ut certo statuat se omnino esse in numero prædestinatorum. Sess. 6, cap. 12.

S. FULXENT. 26. Prædestinationis nomine non aliqua voluntatis humanæ coactitia necessitas exprimitur : sed misericors et justa futuri operis divini sempiterna dispositio prædicatur. Lib. 1 *ad Monimum*, cap. 7.

27. Prædestinatio Dei semper in bono est, aut ad retributionem justitiæ, aut ad donationem pertinens gratiæ. *Ibid.*, cap. 30.

28. Voluntas causa est electionis, non electio causa est voluntatis. *Ibid.* lib. 1 *de Verit. prædest.*

29. Non mutat Deus prædestinata, qui sapientia ejus non fallitur aut reprehenditur in dispositione. *Prosec.*

30. Perficit Deus prædestinata, quia virtus ejus non impeditur, aut superatur in opere. *Ibid.*, lib. 3.

31. Omnes prædestinati sic vocantur, ut justificentur : sic justificantur, ut glorificentur. *Prosec.*

32. Ac per hoc prædestinavit Deus quos voluit, et ad opera bona, et ad præmia sempiterna.

33. Prædestinavit ad vitam bonam, prædestinavit ad vitam æternam.

34. Prædestinavit ad fidem, prædestinavit ad speciem.

35. Prædestinavit adoptandos in sæculo, prædestinavit glorificandos in regno.

36. Prædestinavit per gratiam faciendos Primogeniti fratres, prædestinavit per gratiam perficiendos ejusdem Unigeniti cohæredes.

37. Hæc omnia sicut in se continet prædestinationis æternitas, sic implet prædestinantis Dei misericordia et justa majestas.

GLOSS. INT. 38. Nullus prædestinatus perit. Super *Matth.*, cap. 14.

GLOSS. ORD. 39. Vocatione impletur prædestinatio. Super *Epist. ad Rom.*, cap. IX.

40. Constat quod nullus liberatur, nisi gratuita misericordia : nullus damnatur, nisi æquissima justitia. *Prosec.*

41. Sed cur potius hunc quam hunc liberet,

scrutetur qui potest tam profundum judicium, verum tamen caveat præcipitium. *Ibid.*, cap. 9.

GRATIANUS. 42. Prædestinati ad vitam sine correctione mutantur; præsciti vero ad mortem, inter flagella deteriores fiunt. In *Decretis*, part. 2, causa 23, quæst. 4, can. *Cum quisque*, § *Est*.

S. GREGOR MAGNUS. 43. Quidquid foris futurum est in opere, intus jam factum est in prædestinatione. Lib. 28 *Moral.*, cap. 6, num. 9.

44. Obtineri nequaquam possunt, quæ prædestinata non fuerunt; sed ea quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt, ut precibus obtineantur. Lib. 1 *Dialogi*, cap. 8, verbo *Obtineri*.

45. Ipsa perennis regni prædestinatio ita est ab Omnipotenti Deo disposita, ut ad hoc electi pro labore perveniant, quatenus postulando mereantur accipere, quod eis Omnipotens Deus ante sæcula disposuit donare. *Ibid.*

46. Prædestinatio precibus impletur, quando quidem Deus multiplicare semen Abrahæ prædestinaverat, is tamen oratione obtinuit, ut filios habere potuisset. *Ibid.*

47. Tanto necesse est, ut unusquisque in humilitate se deprimat, quanto si sit electus, ignorat. Homil. 38, super *Evang.*

48. Unum signum electionis, est soliditas charitatis. Homil. 12, super *Ezech.*, super illud *Joan.* XIII : *In hoc scietur, quia*, etc.

49. Electi Dei carnem domant, spiritum roborant, dæmonibus imperant, virtutibus coruscant, præsentia despiciunt, æterna moriendo diligunt, occidi possunt, et flecti nequeunt. Homil. 27, super *Evang.*

50. Elegit Deus, quos mundus despicit : quia plerumque ipsa despectio hominem revocat ad semetipsum. *Ibid.*, homil. 36.

S. HIERON. 51. Prædestinatio alicujus rei, multo ante in mente ejus, qui destinat quid futurum sit, præfigurat. Lib. 1, super *Epistolam ad Ephesios*, cap. I, in illud : *Secundum placitum suum*, etc.

HUGO A S. VICTORE. 52. Prædestinavit Deus impiorum gehennam, sed non prædestinavit impiorum culpam. *De Potest. et volunt. Dei.*

53. Quod Deus facturus fuit, prædestinavit : quod autem facturus non fuit, sed permissurus, non prædestinavit, sed præscivit. *Ibid.*

HUGO CARD. 54. Prædestinatio tria notat. Dei prævisionem, gratiæ infusionem, gloriæ adeptionem. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 8.

55. Gemina est prædestinatio, sive electorum ad requiem, sive reproborum ad mortem. *Prosec.*

JOANNES SARESB. 56. Diversitatem mansionum, quæ in domo Patris cœlestis præparatæ sunt, divinæ prædestinationi coaptat, quæ salvandis pro beneplacito disponentis parit diversa charismata gratiarum et munerum. Lib. 2 *de Nugis curial.*, cap. 22.

S. ISIDORUS HISPALENS. 57. Utraque agitur divino judicio, ut semper electos superna et interiora sequi faciat; semperque reprobos, ut circa infima et exteriora delectentur, deserendo permittat. Lib. 2, *de Summ. bono*, cap. 6, sent. 1.

58. Nullus se putet electum, ne forte jam apud Deum sit reprobus. *Ibid.*, cap. 7, sent. 13.

S. PROSPER. 59. Deus his, quos eligit sine meritis, dat unde ornentur et meritis. Lib. 2 *de Vocat. gent.*, cap. 35.

S. THOMAS AQUINAS. 60. Prædestinatio juvatur precibus Sanctorum 2, 2, quæst. 17, art. 4.

S. VINCENT. FERRARI. 61. Divina prædestinatio est fundamentum et principium primum salvationis hominum, in tantum quod nullus possit salvari, nisi æternaliter fuerit prædestinatus. Serm. 6, *Dom. Septuages.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SIXTUS PHILOSOPH. 62. Fidelis homo, electus homo est : electus homo, homo Dei est : homo Dei est, qui Deo dignus est : Deo dignus est, qui nihil indigne agit. Sent. 1, 2 et 4.

63. Dei proprium est salvare quos dignos judicat. *Ibid.*, sent 359.

Vide etiam tit. *Electio*, sent. 14, 16; *Præscientia Dei*, sent. 48, 49, 50, 51, 61; *Tractio*, sent. 3; *Vocatio Dei*, sent. 32.

PRÆDICATIO.

COLLECTOR. *Etymologia.* Prædicatio dicitur quasi prædiva actio.

HUGO CARD. *Divisio.* Tria sunt genera prædicatorum, primi male vivunt, et male docent; secundi bene docent, sed male vivunt; tertii bene vivunt, et bene docent. Super *Gen.*, cap. 37.

Comparatio. Sicut tibiæ vehiculum sunt corporis, ita verbum doctrinæ vehiculum est cordis. Super *Proverb.*, cap. 26.

HUGO A S. VICTORE. Sicut medicinæ diversis antidotis et medicamentis diversæ curantur ægritudines, et infirmitates corporum : sic multiplici modo prædicationis, ægritudines curantur animarum. Serm. 8.

ORIGENES. Sicut cibis et deliciis caro, ita spiritus verbis divinis convalescit. Homil. 9, in cap. 16, *Levitici.*

SENTENTIÆ PATRUM.

B. ALANUS DE RUPE. 1. Attende tibi, qui prædicas, et sollicite caveto, ne humanam potius laudem, gloriamque vanam aucuperis, quam salutem animarum secteris, ac zeles. Part. 3, serm. 2, cap. 19.

S. AMBROS. & S. GREGOR. MAGNUS. 2. Cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur. Super *Apocal.*, cap. 11, et S. Gregor. Magnus, homil. 12, super *Ezech.*

S. AMBROS. 3. Prædicatio Christiana non indiget pompa,

et cultu sermonis, ne hominum versutia et calliditate humanæ sapientiæ acceptabilis videretur, non veritate. Super I *Cor.* I, super illud : *Non in sapientia*, etc.

4. Libere et juxta fidem veram, sine adulatione Christum prædicantes, et gesta pravæ vitæ arguentes, gratiam apud homines non habent. Super I *Cor.* IV, in illud : *Usque in hanc horam esurimus.*

S. ANACLET. PAPA.

5. Sane percussor ille Doctor dicitur, qui sermone inutili conscientiam percutit infirmorum. In *Decretis Gratiani*, part. 1, distinct. 45, can. *Sane.*

S. ANTONIN.

6. Prædicatori vilescit Scriptura, cujus augetur curiositas magis quam devotio in auditoribus, et vanitas in loquendo. Part. 1, tit. 1, cap. 3, § 3.

7. Deum operibus provocat ad iram, qui populum vocibus delectat. Part. 2, tit. 4, cap. 5.

8. Cum magna attentione et affectu audienda est prædicatio, et cum silentio. Part. 2, tit. 2 *de Acedia*, cap. 11, § 1.

9. Bonus prædicator est, qui provocat populum ad luctum, non ad risum. Part. 3, tit. 18, *de Prædicatoribus*, cap. 1.

S. ANTONIUS DE PADUA.

10. Sicut lingua canis est medicinalis, sic lingua Prædicatoris, qui est medicus animarum. *Prosec.*

11. Itaque Prædicator debet cum aviditate lingua prædicationis ulcera peccatorum curare, et cum lenitate lingere. Serm. *Dom.* 1, *post Trinit.*

S. ATHANAS. MAGNUS.

12. Sacros sacrarum præcones rerum, non ad imbecillitatem lectionis, sed ad eam, quæ requiritur vim materiamque et causam spectare oportet. Serm. *de sanctissima Deipara.*

S. AUGUST.

13. Debet divinarum Scripturarum tractator et doctor, defensor rectæ fidei ac debellator erroris, et bona docere, et mala dedocere, atque in hoc opere sermonis conciliare aversos, remissos erigere, nescientibus quid agatur, quid expectare debeant, intimare. Lib. 4 *de Doctrina christ.*, cap. 4.

14. Oportet eloquentem Ecclesiasticum, quando suadet aliquid quod agendum est, non solum docere ut instruat, et delectare ut teneat, verum etiam flectere ut vincat. Lib. 4 *de Doctrina christ.*, cap. 13.

15. Agat eloquens cum et justa et sancta et bona dicit, ut intelligenter, ut libenter et obedienter audiatur : et hæc se posse si potuerit, et in quantum potuerit, pietate magis orationum quam oratorum facultate non dubitet, ut orando pro se ac pro illis quos est allocuturus, sit orator antequam dictor. *Prosec.*

16. Ipsa hora jam ut dicat accedens, priusquam exerat proferentem linguam, ad Deum levet animam sitientem, ut eructet quod biberit, vel quod impleverit fundat. *Ibid.*, cap. 15.

17. Si regina Esther oravit pro suæ gentis temporali salute locutura apud regem, ut in os ejus Deus congruum sermonem daret : quanto magis orare debet, ut tale munus accipiat, qui pro æterna hominum salute in verbo et doctrina laborat? *Ibid.*, cap. 30.

18. Eos dixit Deus furari verba sua, qui boni volunt videri, loquendo quæ Dei sunt, cum mali sint faciendo quæ sua sunt : nec sane ipsi dicunt bona quæ dicunt, si diligenter attendas : quomodo dicunt verbis, quod negant factis? *Ibid.*, cap. 29.

19. Sicut est, ut teneatur ad audiendum, delectandus auditor : ita flectendus, ut moveatur ad agendum. *Ibid.*, cap. 12.

20. Quod minus habet peritia, suppleat diligentia : et quod cruditas loquacitatis eructat, ætatis maturitas decoquat. Lib. 1, *de Anima, et ejus origine*, cap. 3.

21. Ut tu recte sapias, et alios non tantummodo delectare possis, verum etiam ædificare quod loqueris, curam te oportet gerere de sermonibus tuis, remotis plausibus alienis. *Ibid.*, lib. 4, cap. 25.

22. Multi prædicant veritatem non caste, quia vendunt illam pretio commoditatum hujus sæculi. Super *Psalm.* XI, vers. 7, *Eloquia casta*, etc.

23. In annuntiando verbo veritatis labor est. Super *Psalm.* XXXII, conc. 2.

24. Qui dictor et non auditor est, alteri prodest, sibi non prodest. Super *Psalm.* XLVIII, conc. 1, vers. 4.

25. Prædicare veritatem nihil est, si cor a lingua dissentiat. Super *Psalm.* LVII.

26. Prædicatio Dei præter Ecclesiam inanis est. Super *Psalm.* LXXII.

27. Nemo debet cum trepidatione prædicare, unde non potest dubitare. Super *Psalm.* LXXXVIII, vers. 5.

28. Tutius veritas auditur, quam prædicatur : quoniam cum auditur, humilitas custoditur : cum autem prædicatur, vix non surrepit cuivis hominum quantulacunque jactantia. Tract. 57, super *Evang. Joan.*, de cap. 13.

29. Unde vivatur necessitatis est accipere, charitatis est, præbere, non tanquam venale sit Evangelium, ut istud sit pretium ejus quod sumunt, qui annuntiant unde vivant. *Prosec.*

30. Qui vendunt Evangelium magnam rem vili pretio vendunt : accipiant sustentationem necessitatis a populo, mercedem dispensationis a Domino.

31. Non enim est idoneus populus reddere mercedem illis, qui sibi in charitate Evangelii serviunt : non expectent ergo illi mercedem, nisi unde et isti salutem. *De Pastoribus*, cap. 2.

32. Non sic quærunt homines charitate studiosa

quod prædicent ad imitationem, quomodo quærunt iniquitate suspiciosa quod murmurent ad deceptionem. Homil. 50, *Ex quinquag. Hom.*

33. Audacter prædicabo, quia et vos publice male operari non erubescitis. Emendate igitur vitam, et emendabo verba : quiescite agere perverse, et ego quiescam mala vestra vobis improperare. Serm. 47 *ad Fratres in eremo.*

34. Fidelis justitiæ prædicator, etiamsi ab hominibus respuatur, absit ut apud Deum sui officii mercede fraudetur : res enim certa fit ad incertum, incertum autem dico, non præmium facientis, sed animum audientis. Lib. 1 *contra Cresconium*, cap. 5.

35. Peccator si jùs sibi prædicandi usurpaverit, sibi nihil prodest, audientibus autem et facientibus non ipse, sed quod prædicat, prodest. *Ibid.*, lib. 2, cap. 29.

36. Nisi Deus interiore gratia mentem regat atque agat, nihil prodest homini omnis prædicatio veritatis. Lib. 15 *de Civitate Dei*, cap. 6.

37. Unusquisque Evangelii prædicator ita debet in Ecclesia laborare, ut defuncto fratri (hoc est Christo) suscitet semen. Lib. 32 *contra Faust.*, cap. 10.

38. Si quis tibi Christum prædicat, attende qualem prædicet, ubi prædicet : Christus enim per Scripturas sanctas prædicatur. *De Cantico novo*, cap. 5.

39. Quando te prædicamus, terram calcamus ut tibi aperiamus : et ideo si reprehendimur, perturbamur : si laudamur, inflamur. Tract. 57, super *Joan.*

40. Merces prædicatorum est adjuvari orationibus auditorum. *De Cantico novo*, cap. 10.

41. Noli imitari malum prædicatorem, sed imitare bonum quod tibi prædicatur. Tract. 5, super *Joan.*

42. Prædicatores Domini ascendunt imitatione, descendunt prædicatione. *Ibid.*, tract. 7.

43. Quod male facit prædicator, non prædicat de cathedra Christi : inde lædit, unde male facit, non unde bona dicit. *Ibid.*, tract. 46.

44. Vobis inimicus efficior verum prædicans. Homil. 24, *Ex quinquaginta homil.*, cap. 2.

45. Homo attentis auribus, quæ prædicantur, avido corde suscipiat. *Ibid.*, homil. 26.

V. BEDA. 46. Sermo datus multis, animi sapientia paucis. In suis *Proverbiis*, verbo *Sermo*.

S. BERNARD. 47. Quidam passionem Christi ore prædicant, quam corde non sentiunt : oportet ut sincere Christum annuntient, quod ore dicunt, corde sentiant. Serm. *de Nuptiis.*

48. Canales multos hodie habemus in Ecclesia, conchas vero perpaucas, tantæ charitatis sunt : per quos nobis fluenta cœlestia emanant, ut ante infundere quam effundi velint, loqui quam audire paratiores, et prompti docere quod non didicerunt. Serm. 18, super *Cant.*

49. Hoc vanum est, quod plerumque ignorantia et tacetur quod est, et prædicatur quod non est. Epist. 18, *ad Petrum cardin.*

50. Nec minus peccat is, qui verbum subtrahit in tempore opportuno, quam qui prava loquendo alios scandalizat. *Prosec.*

51. Nimis enim videtur avarus esse et invidus, qui verba gratis habita ad utilitatem proximorum negligit ministrare. Lib. *de Passione Dom.*, cap. 26.

52. Prædicatores nubes dicuntur, quia tonant minis, coruscant miraculis, pluunt doctrinis. Super *Psalm.* XVII. S. BONAV.

53. Ille Doctor est Ecclesiasticus, qui lacrymas, non risum movet. Super *Lament. Hierem.*, cap. 1.

54. Erudiuntur omnes peccatores, ut prius vacent perfectioni propriæ, et deinde ædificationi alienæ : quia (ut dicit S. Greg.) cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur. Super *Luc.*, cap. 1.

55. Doctor Scripturæ evangelicæ debet esse inunctus divina gratia, institutus mera obedientia, inflammatus benevolentia fraterna. In Procemio, super *Luc.*

56. Tria sunt signa evidentia, quibus probatur utrum pædicator a Domino sit missus. Primum, est auctoritas mittentis ; secundum, est zelus animarum, in persona quæ mittitur : tertium, est fructificatio, et conversio auditorum. *Ibid*, cap. 9.

57. Prædicator veritatis super omnia vitare debet vitium cupiditatis, alioquin non erit prædicator veritatis, sed adulator. *Ibid.*

58. Quatuor requiruntur in prædicando. Primum, est fidelitas consortii ; secundum, est opportunitas loci ; tertium, est docilitas populi ; quartum, est affabilitas magistri. *Ibid.*

59. Magna est auctoritas prædicatorum, in quorum receptione Deus recipitur, et contemptu contemnitur. *Ibid.*, cap. X, in illud : *Qui autem me spernit*, etc.

60. In malevola lingua prædicatoris, si intus non adsit gratia Salvatoris, quæ dirigat vērba mentis, frustra exterius expenditur omnis prædicatio veritatis. Serm. 2 *de Evang.*

61. Exaudi teipsum, durissime, immanissime, surdissime doctor : quid tibi lingua aurea, et cor ferreum ? Lib. 1 *Pharetræ*, cap. 15.

62. Officium prædicantis verbum Dei, est proprie errantes dirigere, et ad viam salutis revocare. *Diætæ salutis* in Procemio.

63. Sermo rudis usque ad cor penetrat, poli-

tus autem pascit aures. Lib. *Medit. vitæ Christi,* in procemio.

64. Veri prædicatores dicuntur, quorum prædicatio habet auctoritatem, veritatem, et utilitatem. *De paupertate Christi, contra Magistrum. Guillelm.*, quest. 1, art. 2 in resp., argum. 18.

S. CÆSARIUS AREL AT. 65. Prædicatio aspera, ægrotis medicamenta providet : sanis ornamenta componit. Homil. 15.

S. CYPRIAN. 66. Bene atque utiliter prædicatur, si id quod ore promitur, factis impleatur. *De zelo et livore,* cap. 4.

S. DIADOCH. 67. Non oportet nisi copioso lumine Spiritus sancti repletum, statim ad loquendum accedere : ubi enim est inopia, ea affert ignorantiam, ubi copia, non sinit loqui. *De Perfect. spirit.*, cap. 8.

DIONYSIUS CARTHUS. 68. Prædicator seu Doctor moderari debet sensum et stylum doctrinæ suæ, secundum audientium capacitatem. Super *Epist.* I *ad Cor*, cap. III. art. 3.

S. FRANCIS. ASSISIAS. 69. In prædicatione est distributio quædam donorum cœlitus acceptorum. In suis *Opusc.*, collat. 11.

70. Prius prædicator haurire debet secretis orationibus, quod postea sacris ostendat sermonibus : prius intus calescere, quam extra verba proferre. *Ibid.*, collat. 17.

71. Prædicatores vita sunt corporis, impugnatores dæmonum, mundi lucerna. *Ibid.*

72. Laudandi sunt prædicatores illi, qui pro tempore sibi sapiunt, sibique gustant : illi vero vituperandi qui prædicationi totum, devotioni vero nihil impendunt : alii etiam plangendi sunt, qui vendunt sæpe quod faciunt, oleo vanæ laudis. *Ibid.*

73. Officium prædicationis Patri misericordiarum omni sacrificio est acceptius, maxime si fuerit studio charitatis impensum. *Ibid.*

74. Prædicator magis exemplo laboret, quam verbo : magis lacrymosa prece, quam loquaci sermone. *Ibid.*

75. Plangendus est prædicator, tanquam pietate privatus, qui in prædicatione non animarum salutem, sed propriam laudem quærit ; sive qui pravitate destruit vitæ, quod ædificat veritate doctrinæ. *Ibid.*

GILLEBERT. ANGLUS. 76. Quid in Hierusalem vis loqui lingua Ægyptiaca ? quid vis ex media parte loqui Azotice, qui judaice debes ? Angelus enim Dei es, qui sacri profiteris verbi mysterium. *Prosec.*

77. Evangelice ex toto loquere, qui vir Evangelicus es. Serm. 16, super *Cant.* apud D. Bernard.

78. Student jam prædicatores magis alta quam apta dicere, facientes apud infirmas intelligentias miraculum sui, non ipsorum salutem operantes. Serm. 27, super *Cant.* D. Bernard.

79. Non tam debes attendere, quæ te dicere deceat, quam quæ debeant audire quos instruis. *Ibid.*

80. Quidam prædicatores dum auditores longo pertæsos silentio, et quasi quadam subtristes acedia exhilarare volunt petulantis lascivia linguæ, post utilia profluunt ad scurrilia, et modico frumento multum zizaniorum, aut præseminant, aut surseminant. *Ibid.*, serm. 31.

81. Prædicatores, qui loquntur placentia, doctrinæ panem in risum faciunt. *Ibid.*

82. Prædicare nemo potest, nisi mittatur. In *Decret. Gratiani.* GLOSS. DEC.

83. Prius debet orare prædicator, ut sermo Dei currat et fructificet in auditoribus. Super illud *Gen.* XXIV : *Domine Deus domini mei Abraham.* GLOSS. INT.

84. Prædicationem arrogantium nullus admitteret, si non aliquid humilitatis imagine permiscerent. Super *Job.*, cap. 34. GLOSS. ORD.

85. Stulti sunt, qui non quærunt proficere, sed laudem sibi acquirere. Super *Ecclesiasten,* cap. 9.

86. Multi prædicant magis ut alliciant, quam ut proficiant. *Ibid.*, cap. 10.

87. Qui tractat, debet audientium considerare personas, ne prius irrideatur, quam audiatur. Super *Luc.*, cap. 9.

88. Tanta Prædicatori debet esse fiducia in Deo, ut præsentis vitæ sumptus et si non prævideat, tamen non defecturos certissime sciat, ne dum occupatur mens ad temporalia, minus prædicet æterna. *Ibid.*, cap. XVIII, super illud : *Nolite portare sacculum.* etc.

89. Qui indoctus officium docendi usurpat, et Christum non sinceriter nuntiat, majorem damnationem meretur, quam si solus suo scelere periret. Super illud *Jacobi* 3 : *Majus judicium sumitis.*

90. Magnum est officium prædicationis, unde necesse est, ut qui illud exercere debent, et firmentur virtute sanctitatis, et utantur libra discretionis. Super *Apocal.*, cap. VIII.

91. Tanta debet esse discretio in prædicatione sacerdotis, qua si forte caruerit, tanquam torto naso sacerdotalis officii judicatur indignus. In *Decret.*, part 1. dist. 43, can. *Dispensatio*, § *Pariter.* GRATIAN.

92. Prædicator percussor dicitur, qui sermone inutili infirmorun conscientiam vulnerat.

93. Gravis mœror est, duris cordibus infructuose prædicare. Lib. 35 *Moral.*, cap. 9, num. 11. S. GREGOR. MAGNUS.

94. Sanctorum prædicatio solo charitatis ardore flammescit. *Ibid.*, lib. 2, cap. 27, num. 33.

95. Infima ætas, etiam cum recte sapit, ad prædicandum non debet incaute prosilire. *Ibid.*, lib. 11, cap. 4.

96. Necesse est, ut cum audientium utilitati quis non proficit, mentem ejus fama laudabilis, non elevet, sed fatiget. Lib. 22, cap. 5.

97. Cœlestia prædicantes, tanto robustius adversa tolerant, quanto et per tolerantiam suam animarum commoda locupletius reportant. *Ibid.*, lib. 35, cap. 10, num. 16.

98. Ille uberes fructus prædicationis colligit, qui semina bonæ operationis præmittit. *Ibid.* lib. 6, cap. 16.

99. Non est perfectus prædicator, qui vel propter contemplationis studium operanda negligit, vel propter operationis instantiam contemplanda postponit. *Ibid.*, cap. 17, num. 25.

100. Ad supernum desiderium inflammare auditores suos nequeunt verba, quæ frigido corde proferuntur. *Ibid.*, lib. 8, cap. 26, num. 30.

101. Qui ad veræ prædicationis verba se præparat, necesse est ut causarum origines a sacris paginis sumat : ut omne quod loquitur, ad divinæ auctoritatis fundamentum revocet, atque in eo ædificium locutionis suæ firmet. *Ibid.*, lib. 18, cap. 14, num. 14.

102. A bonis prædicatoribus non causa victus prædicatio impenditur, sed causa prædicationis accipitur victus. *Prosec.*

103. Datum, est res ipsa, quæ impenditur : fructus vero dati est, si benigna mente futuræ mercedis studio aliquid impendatur. *Ibid.*, lib. 19, cap. 10.

104. Prædicatores sancti facta sua referunt, ut venerationi sint ; appetunt, ut reverenter audiantur. *Ibid.*, cap. 24, num. 49.

105. Prædicatores honorem propter elationem fugiunt, et honorari propter imitationem volunt. *Ibid.*

106. Debet subtiliter is qui docet prospicere, ne plus studeat quam ab audiente capiatur, prædicare. *Prosec.*

107. Debet prædicator ad infirmitatem audientium semetipsum contrahendo descendere, ne dum parvis sublimia, et idcirco non profutura loquitur, se magis curet ostendere, quam auditoribus prodesse. *Ibid.*, lib. 20, cap. 2, super illud Job XXIX : *Super illos stillabat eloquium.*

108. Solent prædicatores justi auditores suos objurgando corripere, solent in eorum vitiis districta increpatione sævire. *Ibid.*, lib. 24, cap. 9, super illud *Prov.* XIV : *In ore stulti virga superbiæ.*

109. Magna prædicatorum consolatio est, subsequens profectus auditorum. *Ibid.*, lib. 35, cap. 9, num. 11.

110. Prædicationis officium tutius declinatur, nec tamen declinari pertinaciter debet, cum ad suscipiendum hoc superna voluntas agnoscitur. Part. 1 *Pastor.*, cap. 7.

111. Oportet ut prædicatores sint fortes in præceptis, compatientes in infirmitatibus, in minis terribiles, in exhortationibus blandi, in ostendendo magisterio humiles, in tolerandis adversitatibus rigidi. Lib. 30 *Moral.*, cap. 9, num. 19.

112. Omnes qui prædicationis officium in Ecclesia tenent, cœlum recte vocati sunt ; quia nimirum sapere cœlestia creduntur. *Ibid.*, lib. 2, cap. 20, num. 26.

113. Ad regnum æternæ beatitudinis pervenire non valet, qui non vult opere implere quod docet. *Prosec.*

114. Cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur. Homil. 2, super *Evang.*

115. Non facile prædicatio ejus accipitur, si levis in moribus esse videatur. Homil. 9, super *Ezech.*

116. Nulla erit maturitatis ostensio, si contra adversa omnia non affuerit operis fortitudo. *Ibid.*

117. Vita prædicantium sonat et ardet : ardet desiderio, sonat verbo. *Prosec.*

118. Æs candens est prædicatio accensa : sed de candente ære scintillæ prodeunt, quia de prædicatorum exhortationibus verba flammantia ad aures audientium procedunt. *Ibid.*

119. Recte prædicatorum verba scintillæ appellatæ sunt, quia eos quos in corde tetigerint, incendunt. *Ibid.*

120. Cum prædicatores sancti de cœlesti patria loquuntur, non tantum valent aperire verbo, quantum possunt ardere desiderio. *Ibid.*

121. Verbum prædicationis semen in corde audientis est : et auditor bonus inde profert postmodum magnam messen scientiæ, unde parum prius acceperat semen linguæ. *Ibid.*

122. Duæ sunt prædicatorum vitæ : activa scilicet et contemplativa ; sed activa prior est tempore, quam contemplativa, quia ex bono opere tenditur ad contemplationem. *Ibid.*

123. Omnis prædicator intenta semper debet mente pensare, ne qui missus est lapsos erigere, ipse in pravitate operis cum lapsis cadat. *Ibid.*

124. De prædicatorum ore predicatio audientibus dulcis est, quando eorum actio contraria suis prædicationibus non est : quia de propria vita sumunt, quod per linguam proximis conferunt. *Ibid.*, homil. 10, super illud : *Et comedi illud*, etc.

125. Prædicatoris vita semper in alto debet fixa permanere, ut more narium discernat fœtores vitiorum, odoresque virtutum. *Ibid.*, hom. 11, super illud *Joan.* V : *Ille erat lucerna ardens*, etc.

126. Necesse est ut semper sermo prædicantis,

cum auditorum debeat qualitate formari : ne aut verecundis aspera, aut impudentibus levia loquatur. *Ibid.*

127. Prædicatores sancti ut possint proximum perfecte diligere, student in hoc seculo nihil amare, nihil unquam appetere, nihil etiam cum appetitu possidere. Homil. 5, super *Evang.*

128. Qui locum prædicationis suscipit, mala inferre non debet, sed tolerare; ut ex ipsa mansuetudine iram sævientium mitiget, et peccatorum vulnera in aliis ipse afflictionibus vulneratus sanet. Homil. 17, super *Evang.*

129. Verus quisque prædicator, non ideo prædicare debet, ut in hoc tempore mercedem recipiat; sed ideo mercedem recipere, ut prædicare subsistat, alioquin æterna mercede se privat. *Ibid.*, super illud *Luc.* x : *Dignus est operarius mercede sua.*

130. Pensate quantæ damnationis sit, sine labore percipere mercedem laboris : et quanti criminis, peccatorum pretium manducare, et nihil contra peccata prædicando agere. *Ibid.*

131. Quisquis pro humanis favoribus, quisquis pro terreno commodo verbum Dei prædicat, in conspectu Domini verbum illud animæ non profertur. Lib. 1, in I *Regum, Exposit. allegor.*, cap. 1, super illud : *Vinum et omne quod inebriare potest non bibi.*

132. Bonum prædicationis tunc bene impletur, cum prædicator (qui sublimis est verbo) humilis esse satagit ministerio. *Ibid.*, lib. 2, *Exposit. Moral.*, cap. 1, super illud : *Infirmi accincti sunt robore.*

133. Prædicator carnalis dicitur lucerna per officium, cæcus per intentionem : quia dignitate fungitur præbendi luminis, sed mentem figit in tenebris vanitatis. *Ibid.*, cap. 3, super illud : *Jacebat in loco suo.*

134. Catholici viri prædicatio completur, quæ in veritate sacri eloquii recte cognoscitur. *Ibid.*, super illud : *Et venit sermo*, etc.

135. Si magnus est labor prædicationis, tanto devotius ferri debet, quanto majora lucra mercedis habet. *Ibid.*, lib. 4, cap. 4, super illud : *Cui erunt quæque optima Israel?*

136. Prædicatores cum gratiam divinæ prædicationis accipiunt, non accipiunt solam scientiam verbi, sed virtutem amoris : ut per verbum aliis prodesse valeant, et per verbis amorem ipsi meliores fiant. *Ibid.*, cap. 5, super illud : *Et mutaberis in virum alium.*

137. Sine Spiritus sancti gratia, prædicator carnalis est : et quod loquitur non ad dignitatem prædicationis referri potest, sed ad usum temeritatis. *Ibid.*, super illud : *Et venerunt ei omnia signa.*

138. Prædicator doctrinam veram signat, quando non solum docet, sed quod docet operando exercet. *Ibid.*, lib. 5, cap. 4, super illud : *Quæ erat in manu mea*, etc.

139. Necesse est ut hi qui verbo sanctæ prædicationis monent, prius studio bonæ actionis evigilent, ne in semetipsis torpentes opere, alios excitent voce. Part. 3, *in Pastoral.*, admonit. 6.

140. Tot habet loca prædicator sanctæ Ecclesiæ, quot profectus vitæ. Lib. 3, in I *Regum*, cap. I, super illud : *Abiit ergo Samuel, et dormivit*, etc.

141. Difficile est ut quælibet recta denuntians prædicator, qui non diligitur, libenter audiatur. Part. 2, *Pastoral.*, cap. 8.

142. Majus est miraculum, prædicationis verbo peccatorem convertere, quam carne mortuum resuscitare. *Prosec.*

143. In isto enim resuscitatur caro iterum moritura, in illo vero anima in æternum victura. Lib. 3 *Diologi*, cap. 17, verbo *Si visibilia.*

144. Turpe nimis est, ibi nos negligendo cadere, unde prædicando conati sumus alios levare. Homil. 18, super *Ezech.*, in illud *Prov.* XVI : *Anima laborantis laborat sibi.*

145. De prædicationis labore laudem transitoriam quærere, quid est aliud quam rem magnam vili pretio venumdare? *Ibid.*, homil. 21, super illud *Philip.* II : *Nec quærentes gloriam.*

146. Otiosus est sermo Doctoris, si præbere non valet incendium amoris. Homil. 30, super *Evang.*

147. Perfectus prædicator, ut exemplum det abstinentiæ, crucem portare debet in corpore : et quia in se trahit damna infirmitatis alienæ, crucem portare debet in corde. *Ibid.*, homil. 32.

148. Quot sunt dona prædicantium, tot sunt ornamenta cœlorum. Homil. 30, super *Evang.*

149. Manifestatur virtus prædicantium, ubi surgit seges animarum. Lib. 6, in *Registro*, ind. 15, cap. 172, epist. 8, *ad Stephan. episc.*

150. Nimis iniquum est, si hi qui prædicatores humilitatis facti sunt, de vani nominis elatione glorientur; cum verus prædicator dicat : *Mihi autem absit gloriari, nisi*, etc. *Ibid.*, cap. 169, epist. 5, *ad Cyriacum episc.*

151. Clamare prædicatoribus est, electorum salutem magna devotione postulare. Lib. 5, in I *Regum*, cap. 2.

152. Prædicatores, sancti et sublimes esse debent, non solum opere, sed etiam contemplatione : extrema pars est sublimitas operis, intima vero illa contemplationis. *Ibid.*, cap. 4.

153. Non potest in prædicatione venerabiliter recipi, qui prius in se honorem ministerii non præfert luce bonæ conversationis : apparet vere doctor, non tam cum verbis loquitur, quam cum

vita et moribus venerabiliter demonstratur. *Ibid.*

154. Qui laudes transitorias de verbi prædicatione requirunt, deficiunt, cum non laudantur : quia nullo vigore verba proferunt, quæ non laudari cernunt. *Ibid.*

155. Qui charitatem erga alterum non habet, prædicationis officium nequaquam suscipere debet. Et hab. apud D. Bonavent., super Luc.

DAYMO. 156. In vacuum laborat sermo doctoris exterius, si interius non sit Spiritus sanctus, qui illustret cor auditoris. Serm. in *Die Pent.*

157. Sub nomine Christiano quamplurimi sunt falsi doctores : nec doctores, sed seductores : non prædicatores, sed prædatores. Sermone *fer.* 3, *Pentec.*

S. HIERON. 158. Docente te in Ecclesia, non clamor populi, sed gemitus suscitetur : lacrymæ auditorum, laudes tuæ sint. Epist. 2, *ad Nepotian. D.*

159. Sermo presbyteri Scripturarum lectione conditus sit. *Ibid.*

160. Verba volvere, et celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem sui facere, indoctorum hominum est. *Prosec.*

161. Attrita frons interpretatur sæpe quod nescit, et cum aliis persuaserit, sibi quoque usurpat scientiam.

162. Nihil tam facile, quam vilem plebeculam, et indoctam concionem linguæ volubilitate decipere, quæ quidquid non intelligit, plus miratur. *Idid.*

163. Prædicator continentiæ nuptias ne conciliet. *Ibid.*

164. Frustra ejus lingua prædicat paupertatem, et docet eleemosynas, qui Crœsi divitiis tumet, vilique opertus pallio, pugnat contra tineas vestium sericarum. Epist. 16, *ad Principiam.*

165. Licet hydra sibilet, victorque Sinon incendia jactet, nunquam meum, juvante Christo, silebit eloquium, etiam præcisa lingua balbutiet. In *Præfat.*, super *Esdram.*

166. Difficile dignus Præco Christi inveniri potest, qui in annuntiando verbo Dei, non suam, sed ejus quærat gloriam, quem prædicat. Epist. 28, *ad Hedibiam*, quæst. 11.

167. Omnis Doctor, qui austeritatem Scripturarum, per quam potest audientes corripere, vertit ad gratiam : et ita loquitur ut non corrigat, sed delectet audientes, vinum sanctarum Scripturarum violat, atque corrumpit sensu suo. Lib. 1, super *Isaiam*, cap. 1, super illud : *Caupones tui miscent vino aquam.*

168. Ille est doctor ecclesiasticus, qui lacrymas non risum movet, qui corripit peccatores, qui nullum beatum, nullum dicit esse felicem ante mortem. *Ibid.*, lib. 2, cap. 3, super illud : *Qui beatum te dicunt.*

169. Qui speculator futurus est, et Dei verba populo narraturus, multo tempore debet quiescere, et dolere ad ea quæ videat, nihilque habere eorum in conscientia, quæ in aliis correpturus est. Lib. 1, super *Ezech.*, cap. 3, super illud : *Cum autem pertransissent*, etc.

170. Magnum discrimen est Dei tacere sermones, ob triplicem causam : vel propter timorem, vel propter pigritiam, vel propter adulationem. *Ibid.*, super illud : *Si dicente me ad impium*, etc.

171. Confusio et ignominia est, Jesum crucifixum, Magistrum pauperem atque esurientem farsis prædicare corporibus : jejuniorumque doctrinam rubentes buccas, tumentiaque ora proferre. Lib. 1, super *Michæam*, cap. 2, super illud : *Duces populi mei*, etc.

172. Dicuntur verba sapientium pungere, non palpare : sed errantibus pœnitentiæ dolores et vulnus infigere : si cujus sermo non pungit, sed oblectationem facit audientibus, iste non est sermo sapientis. Super *Ecclesiasten*, cap. 12 super illud : *Verba sapientum ut stimuli*, etc.

173. Omne quod loquimur, debemus affirmare de Scripturis sanctis : non habet tantam auctoritatem sermo dicentis, quantum Domini præceptum. Super *Ps.* CVIII, vers. 1 : *Dominus regnavit*, etc.

174. Bonus sermo est, qui docet virtutes sequendas, vitia fugienda : malus, qui ad peccata provocat, et pronos magis incitat ad ruinam. Lib. 2, super *Epist. ad Ephes.*, cap. 4.

175. Frustra laborat lingua Prædicatoris, nisi interius operetur gratia illustratoris. In *Annot.*, super I *ad Cor.*, in illud : *Neque qui plantat*, etc. HUGO A S. VICTORE.

176. Prædicator debet esse sanctus, doctus, discretus, maturus, facundus, honestæ conversationis, constans, integræ famæ, humilis, affabilis, missus. Lib. 4 *de Proprietate rerum*, cap. 14.

177. Prædicator debet accipere, ut prædicet : non autem prædicare, ut accipiat. *De quæst.* circa *Epist.* I *ad Tim.*, quæst. 28.

178. Tria solent in prædicatore requiri, sanctitas conversationis, perfectio scientiæ, eloquentia ad gratiam. Ut sermo sit sanctus, sit prudens, sit illustris. Lib. 4, *Miscell.*, codic. 2, tit. 64.

179. Bona Domini sunt, paupertas, angustia, fames, vilitas, humilitas, morum honestas, animarum zelus, doctrinæ pabulum ; quæ quasi divitias pauperibus erogandas debet portare secum prædicator : ut tanto citius ad sequendum Deum persuadeat, quanto auditoribus in seipso monstrat quod prædicat. Super *Gen.*, cap. 24. HUGO CARD.

180. Prius debet orare Prædicator, ut sermo Dei currat, et fructificet in auditoribus. *Ibid.*, cap. 24.

181. Quatuor necessaria sunt prædicatori : Operis exemplum, doctrinæ verbum, castitatis lilium, fidei perfectio. *Ibid.*, cap, 24.

182. Tria sunt genera prædicatorum ; Primi male vivunt, sed male docent ; secundi bene docent, et male vivunt ; tertii bene vivunt, et bene docent. *Ibid.*, cap. 37.

183. Quinque sunt prædicatori necessaria : latitudo dilectionis, strenuitas prædicationis, auctoritas missionis, puritas intentionis, honestas sermonis. *Ibid.*, cap. 49.

184. Prædicatio debet esse interpolata, non assidua, ne vilescat : si enim prædicatio rara est, non sufficit : si assidua, vilescit. Super *Josue*, cap. 6.

185. Prædicator sit sapiens, sit eloquens, sit humilis, sit patiens, aliter non prædicet. *Ibid.*

186. Nisi prædicator cœlum fuerit, stellatus virtutibus, altus vita, clarus scientia, concavus humilitate, increpatio sua plus nocet, quam juvat. *Ibid.*, cap. 10.

187. Prædicator eo ipso quod bona aliis prædicat, ad ea faciendum se obligat : et ne in aliqua parte ad malum defluat, hinnitu propriæ vocis undique obsidetur. Super *Job*, cap. 39.

188. Prædicator debet esse dies et nox. Dies, subtilia sapientibus : nox, simplicibus grossa prædicando. Super *Psalm.* XVIII.

189. Quatuor sunt necessaria prædicatori ; testimonium conscientiæ, exemplum operis, zelus animarum, scientia. Super *Psalm.* XXXIX.

190. Si prædicator sit minister in effectu, debet nihilominus esse humilis in affectu : ut non ambiat honorem, nec de exhibito gaudeat. Super *Psalm.* CIV.

191. Prædicatores boni habitant mente et desiderio in cœlo, non in terra : ideo descendunt, quando terrenis condescendunt. Super *Psalm.* CVI.

192. Sicut scholæ sine Doctore deficiunt a profectu, sic populus sine prædicatore cadit a statu proficiendi. Super *Prov.*, cap. 11.

193. Sicut tibiæ vehiculum sunt corporis, ita verbum doctrinæ vehiculum est cordis. *Ibid.*, cap. 26.

194. Boni prædicatores sententias meliores et veriores et utiliores auditoribus sibi studendo incorporant : ut postea docendo vel prædicando refundant. Super *Ecclesiasten*, cap. 11.

195. Non magis quæras ornatum verborum, quam fructum auditorum. Super *Ecclesiastic.*, cap. 4.

196. Verus prædicator verbum quod prædicat, rationibus et auctoritatibus et operibus ædificat. *Ibid.*, cap. 19.

197. Tota vita et opera prædicatoris debet sapientia, sive doctrina circumdari : ut quod docet faciat et quod facit doceat. *Ibid.*, cap. 21.

198. Prædicator, qui subtilitatibus vacat, et sibi, et aliis, qui eum audiunt, lumen veritatis aufert. *Prosec.*

199. Furatur, subtilitates fingendo : mactat seipsum, studendo, perdit auditores, decipiendo. *Ibid.*, cap. 21.

200. Non mimice, aut rhythmice prædicandum est, sed cum fletu et gemitu. *Ibid.*, cap. 22.

201. Tempus prædicandi est, cum quis bene didicerit, et bene vixerit, alioquin tempus est tacendi. *Ibid.*, cap. 20.

202. Nullus est idoneus, ut mittatur ad prædicationis officium, nisi prius defectus suos cognoverit et defleverit, ut humilitatem in se custodiat, et aliis melius compati sciat. Super *Isai.*, cap. 7.

203. Heu hodie multi more columbæ pascentis pullos suos, grana integra portant in gutture, et nihil in ventrem animæ trajiciunt. *Ibid.*, cap. 21.

204. Isti debent esse sermones prædicatoris, quæ scilicet Deus mandat, non otiosa, non turpia, non iniqua. *Ibid.*, cap. 34.

205. Prædicatio debet provocare amorem, incutere timorem, et inferre Pudorem. *Ibid.*, cap. 54.

206. Multi prædicatores tantum ignem et malleum habent in ore, sicut joculatores qui ignem habent in ore, flatum emittunt alios comburendo, et ipsi frigidi manent. Super *Hierem.*, cap. XXIII.

207. Tria requiruntur in prædicatore : ætatis maturitas, compassionis pietas, meditationis assiduitas. Super *Ezech.*, cap. 1.

208. Prædicator primo in se debet habere quæ post modum possit aliis prædicando ministrare. *Ibid.*, cap. 4.

209. Ipsa prædicatione prædicator ad majora proficit, cum sensus audientium ad Dei desiderium provehit. Super *Matth.*, cap. V.

210. Prædicator debet esse fulgens, urens, findens, fœtens, de doctrina fulgeat, exemplo urat, discretione findat, sibi fœteat memoria peccatorum. *Ibid.*, cap. 28.

211. Bona vita prolocutrix est prædicatoris. Super *Joan.*, cap. 12.

212. Sapiens est prædicator, qui plus attendit operi, quam sermoni : cujus verba sunt opera, quæ audiuntur a silentio : quia quando silet a prædicatione, prædicat tamen in operatione. Super I *Thess.* 1.

213. Clamor principis est sermo superbi prædicatoris, cujus lingua magniloqua, sed operatio nulla. *Ibid.*, super illud *Eccles.* IX : *Clamor Principis*, etc.

214. Prædicatio si nulla est, animo arescit : si nimia, vilescit, et ideo medium ponendum est. Super II *Thess.* III.

S. INNOC. III

215. Tantæ virtutis est prædicatio, quod animam revocet ab errore ad veritatem, et a vitiis ad virtutes. *Prosec.*

216. Prava mutat in recta, aspera convertit in plana, instruit fidem, erigit spem, et roborat charitatem : evellit nociva, plantat utilia, et fovet honesta.

217. Est via vitæ, scala salutis, et janua paradisi. In *Præfat.* ante serm. 1, Advent.

218. Prædicator debet habere aurum, argentum, et balsamum : videlicet sapientiam et eloquentiam, et honestatem : ut quod dicat, intelligat, et quod dixerit et intellexerit, agat. *Ibid.*

219. Ad eruditionem fidei, et ad informationem vitæ, atque ad fundamentum et ædificium debet intendere prædicator, confirmando quod dicit, auctoritatibus, rationibus, et exemplis, ut funiculus triplex difficile dissolvatur. *Ibid.*

JOAN. CASS.

220. Duplices congregat quæstus, rerum spiritalium dispensator, lucrum non solum in illius qui audit profectu, verum etiam in sua prædicatione consequitur, non minus semetipsum ad desiderium perfectionis accendens, dum instruit auditorem. Collat. 22, *Abb. Theonæ*, cap. 1.

S. JOANNES CHRYSOST.

221. In prædicatione suum auditores quique remedium capiant : innoxius vero cautior fiat, ut ne capiatur, et aliquando reus fiat. Homil. 6, super *Gen.*

222. Si quid dicitur absque Scriptura, auditorum cogitatio claudicat, nunc annuens nunc hæsitans : ubi vero e Scriptura divinæ vocis prodiit testimonium, et loquentis sermonem et audientis animum confirmat. Hom. super *Psalm.* XCV.

223. Clamor prædicatoris non asper sit, non injucundus : sed omni musicæ harmonia suavior, quo nil auditorum aures possit vehementius demulcere. In princ. *Prologi*, super *Joan.*

224. Miser et ærumnose, ac proditor, flosculos verborum et compositionem et harmoniam curiosius sectaris, ut canas, non ut prosis : ut sis in admiratione, non ut doceas : ut oblectes, non ut compungas : ut plausu et laudibus obtentis abeas, non ut mores componas. Homil. 30, super *Acta Apost.*

225. Qui prædicationis suscipit officium; non oportet mollem esse, sed fortem et robustum. *Prosec.*

226. Neque attingere quispiam debet præclari hujus muneris functionem, nisi paratus sit millies animam suam tradere in mortem atque discrimina. Homil 6, *de Laudibus divi Pauli.*

227. Prædicator primo auditorem sibi familiarem et benevolum reddere debet. Homil. 2, super *Epist. ad Coloss.*

228. Medicus est, animarum doctor, medicus minime percutit, verum etsi forte se æger percusserit, corrigit, emendat, et curat. Homil. 2, super *Epist. ad Tit.*

229. Si hodie nemini persuaseris, persuadebis postridie : et si nunquam persuaseris, mercedem tamen prædicationis tuæ integram habebis. Etsi non omnibus, paucis tamen ex multis persuadere poteris. *Prosec.*

230. Nam neque Apostoli universo orbi persuaserunt, licet cum omnibus disputaverint, et mercedem pro omnibus assecuti sunt.

231. Noli igitur, cum orbem terræ salvum facere non possis, etiam parva contemnere : neque majorum desiderio, a parvis te abstrahas.

232. Si centum nequis, decem curam suscipias: si decem non possis, noli quinque despicere : si quinque vires tuas excedant, unum ne contemnas. Quod si ne hoc quidem possis noli desperare, noli labori cedere. Homil. 3, super I *Cor.*

233. Veluti a prædicatione aliena atque superflua, profanas vocum novitates devita. Homil. 5, super II *Tim.*

234. Pascere oves pabulo prædicationis, sicut est officium magnæ dignitatis ac pietatis, sic grandis in eo difficultas invenitur. *Prosec.* JOAN. GERS.

235. Si magnum est pascere protinus morituram, ut interim vivat : animam in æternum victuram, quam pretiosum est pascere, ne pereat? Serm. in *Concilio Rhemensi*, consid. 2.

236. Exigitur ad officium prædicationis ingenium velox, solers atque versatile, velut in non prospecto tempore a dextris, a sinistris, ante, retro, sursum et deorsum. *Prosec.*

237. Exigitur eloquentia torrens et vehemens, suadibilis et suavis, copiosaque, ne adhæreat lingua palato et arescat. *Ibid.*, consid. 3.

238. Spectat ad pastoralem doctorem constantia, spectat prudentia, spectat pudicitia; ut sit in eo facultas, veritas, et bonitas. *Ibid.*, consid. 3.

239. Neque gladiator plus habere debet animam in manibus, hoc est, ultro morti dare, quam prædicator. *Ibid.*

240. Habet prædicator linguam et linguam : linguam pro subditis, et linguam pro Dominis et Prælatis. *Ibid.*, consid. 3, provis. 2.

241. Non est sermo prædicantis otiosus, quem inflammat ignis divini amoris. Lib. 1 *de Regim. claustr.* JOAN. TRITH.

242. Si verus prædicator fieri vis, fac primo quæ jubet Deus, deinde et alios doce : ne si prius docere præsumpseris quam facere, reprobus ef-

ficiaris. In cap. 2, *Regulæ S. Bened.*, verbo *Prohibet.*

243. Prius vita quam doctrina requirenda est : plus enim placet tacens virtuosus, quam iniquus verbosus. *Ibid.*

244. Oportet prædicatorem Dei prudentem esse atque sollicitum, ut sciat quem, ad quos, quando et qualiter debeat proferre sermonem, ne per imprudentiam aut tacenda proferat, aut per ignaviam silentio proferenda tegat. Epist. 21 *ad Fratr. Bernard. Minorit.*

S. ISIDORUS HISPALENS. 245. Doctrina sine adjuvante gratia, quamvis infundatur auribus, ad cor nunquam descendit : foris quidem perstrepit, sed intus nihil proficit. *Prosec.*

246. Tunc autem Dei sermo infusus auribus ad cordis ultima pervenit, quando Dei gratia mentem interius, ut intelligat, tangit. Lib. 3 *de Summo bono*, cap. 10, sent. 1.

247. In omni Doctore Ecclesiastico, quid sequatur, quid doceat, quomodo vivat, inquiritur. *Ibid.*, cap. 36, sent. 5.

248. Multi sunt, qui in verbo doctrinæ, non humiles, sed arrogantes existunt : qui et ipsa recta quæ prædicant, non studio correctionis, sed vitio elationis annuntiant. *Ibid.*, cap. 41, sent. 3.

249. Rudibus populis, seu carnalibus plana atque communia, non summa atque ardua prædicanda sunt; ne immensitate doctrinæ opprimantur potius, quam erudiantur. *Ibid.*, cap. 43, sent. 4.

250. Carnalibus animis, nec alta nimis de cœlestibus, nec terrena convenit prædicare, sed mediocriter, sicut initia eorum moresque desiderant. *Ibid.*

251. Ingenium boni prædicatoris est, incipere a laudibus eorum, quos salubriter objurgatos corrigere cupit. *Ibid.*, sent. 8.

252. Pro malo merito plebis, aufertur doctrina prædicatoris : pro bono autem merito audientis, tribuitur sermo Doctoris. *Ibid.*, cap. 44, sent. 1.

S. LEO I. 253. Quam sincerus sit catholici dogmatis prædicator, ipsius vita et professione clarescit. Epist. 69, *ad Martian. August.*

LUDOVICUS BLOSIUS. 254. Qui humiliter de se non sentit, qui Deum non diligit, elinguis est et infans, quantumlibet eruditus esse videatur atque elegans. In *Canon. vitæ spirit.*, cap. 16.

NICOLAUS PAPA. 255. Dispensatio est nobis cœlestis seminis injuncta : væ, si non sparserimus : væ, si tacuerimus. Et habet. in *Decret. Gratiani*, part. 1, dist. 43, can. *Dispensatio.*

PETR. BLES. 256. Se interimit, qui verbum prædicationis indigne præsumit. Epist. 13, *ad Monach. Novit.*

257. Si prædicare affectas, prius docearis, quod docere te oporteat. *Ibid.*

258. Litteratus evangelicæ eruditionis, quid, de quo dicat, quid, propter quid, et quid secundum quid, pie et diligenter attendat. *Ibid.*, serm. 31 *de S. August.*

259. Prædicator debet terrere per supplicia, mulcere per præmia : vinum prædicatio sapit, dum pœnarum incutit timorem : oleum effundit, dum inculcat supernorum amorem. *Ibid.*, serm. 38.

260. Virtutum prædicatio, Dei est glorificatio. PETR. CELL. Lib. 2, epist. 10, *ad Abbatiss. quamdam.*

261. Quisquis per injunctæ prædicationis officium, ad pugnandum alios incitat, sed ipse non pugnat, illi similis est, qui buccinæ clangoribus obstrepit, sed congredi cominus non præsumit. Lib. 4, epist. 15. S. PETR. DAM.

262. Qui captus est amore pecuniæ, nunquam idoneus est ad ministranda verba doctrinæ. *Prosec.*

263. Illis idonei sunt ad prædicationis officium, qui nullum terrenæ facultatis possident lucrum. *Opusc.* 24, cap. 6.

264. Debet Doctor Ecclesiæ prædicare, quod audiat crediturus : quia sine prædicatione nullus erit auditus. *Prosec.*

265. Si ergo quilibet sine prædicante non audit, S. PROSPER. sine auditu non credit, sine fide non intelligit, sine intellectu bene non agit :

266. Verbum Dei prædicandum est, ut audiens credat, credens intelligat, et intelligens bonum opus perseveranter exerceat. Lib. 1 *de Vita contemplat.*, cap. 19.

267. Ille cui dispensatio verbi commissa est, etiamsi sancte vivat, et tamen si perdite viventes arguere aut erubescat, aut metuat, cum omnibus, qui eo tacente perierunt, perit; et quid ei proderit non puniri suo, qui puniendus est alieno peccato? *Ibid.*, cap. 20.

268. Non debet Ecclesiæ Doctor de accurati sermonis ostentatione jactare, ne videatur Ecclesiam Dei non velle ædificare, sed magis se quantæ sit eruditionis ostendere. *Prosec.*

269. Non igitur in verborum splendore, sed in operum virtute totam prædicandi fiduciam ponat.

270. Non vocibus delectetur populi acclamantis sibi, sed fletibus : non plausum a populo studeat expectare, sed gemitum. *Ibid.*, cap. 23.

271. Hoc specialiter Doctor Ecclesiasticus elaboret, quo fiant qui audiunt eum, sanis disputationibus meliores, non vana assentatione fautores. *Prosec.*

272. Lacrymas quas vult a suis auditoribus fundi, ipse primitus fundat, et sic eos compunctione sui cordis accendat. *Ibid.*

273. Tunc Prædicator ministerium suum ho- S. REMIGIUS

norificat, quando secundum illud quod prædicat, vivere studet. Super *Epistolam ad Romanos*, cap. 11, can. 13.

S. THOMAS AQUINAS. 274. Nemo debet prædicationis officium assumere, nisi prius fuerit purgatus, et in virtute perfectus. Part. 3, quæst. 41, art. 3.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 275. In concione de virtute loqueris, in prælio præ ignavia tubæ sonitum perferre non potes. Lib. 4 *de Arte Rhet.*

276. Composite et apte sine sententiis dicere, insania est : sententiose autem sine verborum et ordine et modo, insania. *De perfecto Oratore*, num. 236.

277. Honoratorum virorum defunctorum laudes in concione memorantur. Lib. 2 *de Finibus.*

SENECA. 278. In concionibus non hoc agendum est, ut auditor velit discere, sed ut discat : ideo non ad clamorem, sed ad submissiora verba veniendum est : facilius intrant, sed hærent ; nec multis opus est verbis, sed efficacibus, quæ seminis modo spargenda sunt. Epist. 38.

279. Non delectent verba nostra, sed prosint. Epist. 75.

280. Cum profecisse te videris, et animos audientium affeceris : insta vehementius, urge, preme : dic in avaritiam, dic in luxuriam. Epist. 108.

281. Hæc aliis dic, ut dum dicis, audias ipse. Epist. 89.

SIXTUS PHILOSOPH. 282. Verbum de Deo loquens, depositum te putato accepisse animas. Sent. 185.

283. Opera charitatis Dei procedant abs te, et tunc sermonem facito de Deo. *Ibid.*, sent. 348.

284. Quæ gratis accipis a Deo, præsta gratis. *Ibid.*, sent. 233.

Vide etiam tit. *Arrogantia*, sent. 36 ; *Audire*, sent. 78, 85, 86, 113 ; *Austeritas*, sent. 19 ; *Disputatio*, sent. 20 ; *Doctrina*, sent. 11, 12, 13, 14, 48, 51, 52, 53, 54, 79, 80, 81, 83, 84, 87, 110, 111, 112, 113 ; *Egredi*, sent. 102 ; *Eloquentia*, sent. 5 ; *Fervor*, sent. 28, 43 ; *Imitatio*, sent. 41 ; *Locus*, sent. 24 ; *Locutio*, sent. 156 ; *Lux*, sent. 62 ; *Orator*, per totum ; *Prophetta*, sent. 38 ; *Pulchritudo*, sent. 84 ; *Salus animæ*, sent. 119 ; *Status pristini recup.*, sent. 3 ; *Suasio*, sent. 31 ; *Utilitas*, sent. 12, 13.

PRÆLATIO.

...LLECTOR. *Etymologia.* Prælatio dicitur, quasi præ aliis elatio ; et prælatus, quasi præ aliis elatus.

THEOPHIL. *Definitio.* Præesse, est verbis et opere auxiliari ei, qui auxilio eget. Super *Epist. ad Romanos*, cap. 12, in illud : *Qui præest in solitudine.*

S. BONAV. *Divisio.* Sunt quatuor genera prælatorum : scilicet pastor mercenarius, fur, lupus, primus imitandus, secundus tolerandus, tertius cavendus, quartus arcendus. Super *Psalm.* LXXIX.

HUGO A S. VICTORE. *Comparatio.* Prælatus est moraliter medicus : quia sicut medicus corporaliter infirmos, ita debet spiritualiter curare subjectos. *De Animæ medicina*, cap. 9.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Stulto et imperare servitus, et quod pejus est, cum paucioribus præsit, pluribus dominis et gravioribus servit. Lib. 2, epist. 7 *ad Simplicianum.*

2. Plus confertur dilecto prælato, cui fratrum amor quæritur : plus autem adimitur ei qui prælationis injustæ oneratur invidia. Lib. 2 *de Jacob*, cap. 2.

S. ANSELM. 3. Tria sunt necessaria ascendenti : innocentia, beneficium, prælatio, innocentia talis esse debet, ut nulli noceat, beneficium ut omnibus prosit, prælatio ut se inferiorem omnibus judicet. *De Similitud.*, cap. 16.

S. ANTONIN. 4. Judicium durissimum fiet his, qui præsunt, durum, si non bene rexerint seipsos ; durius, si non bene gubernaverint familiam propriam ; durissimum, si justitiam legalem omnibus non ministraverint. Part. 1, tit. 5, cap. 2, § 4.

5. Sic cum inferiore vivas, quemadmodum superiorem tecum vivere velis. Part. 4, tit. 2 *de Prudentia*, cap. 5, § 7.

6. Multum provocant subditos facta præsidentis. Part. 4, tit. 5 *de Justitia*, cap. 4, § 2.

S. AUGUST. 7. Prælati suos putent omnes, in quos sibi potestas data fuerit : ita serviant, ut his dominari pudeat : ita dominentur, ut eis servire delectet. Lib. 2, *de Ordine*, cap. 8.

8. Ipse qui præest, non se existimet potestate dominante, sed charitate serviente felicem. Regula 3, *ad Clericos.*

9. Si quam operam vestram mater Ecclesia desideraverit, nec elatione avida suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis, sed miti corde obtemperetis Deo. *Prosec.*

10. Nec vestrum otium necessitatibus Ecclesiæ præponatis, cui parturienti si nulli boni ministrare vellent, quomodo nasceremini, non inveniretis. Epist. 81 *ad Eudoxium Abbat.*

11. Magnum onus et arduum, etsi ad sustinendum difficile, vereor ne ad suscipiendum temerarium sit. Lib. 1 *de Doctr. christiana*, cap. 1.

12. Illum cognosce missum a Deo, quem non hominum laudatio, vel potius adulatio eligit : sed illum, quem et vita et mores optimi commendat, et qui non appetit præesse. In *Dialogo* 65 quæst., quæst. ultima.

13. Qui præest fratribus, sic agat humili cha-

ritate, ac benigna severitate, ut eorum servum se esse meminerit. Lib. 3, *contra Epist. Parmeniani*, cap. 2.

14. Quisquis ita præpositus est, ut in eo quod præpositus sit, gaudeat, et honorem suum quærat, et commoda sua sola respiciat, se pascit, non oves. *De Pastor.*, cap. 1.

15. Bonus si fuerit qui tibi præest, nutritor tuus est : malus si fuerit, tentator tuus est; et nutrimenta libenter accipe, et in tentatione approba te. Serm. 6 *de Verbis Domini.*

16. Tu qui præes, obsecro, memorare quid es, quid fuisti, et quid eris : vita enim pastoris omnibus prodesse debet. Serm. 14, *ad Fratr. in eremo.*

17. Prælatus in monasterio, Christi vices agit. *Ibid.*, serm. 61.

V. BEDA. 18. Si ames dici pater et princeps, nomen cum honore serva, moribus imple. In suis *Prov.*, verbo *Si.*

S BERNARD. 19. Quoties hominibus præesse desidero, toties Deum meum præire contendo. Homil. 1, super *Missus.*

20. Quatuor his qui præsunt, necessaria esse præ omnibus reor : ut per ostium intrent; ut in humilitate se contineant, ut avaritiam declinent; ut munditiam tam corde quam corpore servare studeant. Serm. *ad Clerum Rhemens.*

21. Quid prodest, si prælati canonice eligantur, et non canonice vivant. *Ibid.*

22. Prælati prodesse magis studeant, quam præesse. Serm. super *Psalm.* LXXXIV.

23. Puritatem cordis in eo prælatus habeat, ut prodesse desideret, non præesse. Serm. *de Tribus ordin.*

24. Tria prælatis necessaria sunt : viva fidei et doctrinæ sinceritas; studiosa bene operandi sedulitas; de salute subditorum diligens curiositas. In suis *Sent.*, cap. *Tria.*

25. Canales multos hodie habemus in Ecclesia, conchas vero perpaucas; tantæ charitatis sunt, ut ante effundere quam infundi velint, et aliis præesse gestientes, qui seipsos regere nesciunt. Serm. 18, super *Cant.*

26. Miror audaciam plurimorum, quos videmus de suis vineis non colligere nisi spinas et tribulos, vineis tamen dominicis etiam se ingerere non vereri : fures sunt, non custodes, neque cultores. *Ibid.*, serm. 30.

27. Discite subditorum matres vos esse debere, non dominos : studete magis amari, quam metui; et si interdum severitate opus est, paterna sit, non tyrannica, matres fovendo, patres corripiendo exhibeatis. *Prosec.*

28. Mansuescite, ponite feritatem; suspendite verbera, producite ubera, pectora lacte pinguescant, non typho turgeant, *Ibid.*, serm. 23.

29. Improbe satis præesse affectas, quibus prodesse non curas : et quorum non zelas salutem, subjectionem nimis ambitiose vendicas tibi. *Ibid.*

30. Nullus dicat esse unius meriti, uniusve virtutis, socialiter vivere et utiliter præesse : in moribus enim antecellunt et superiores existunt, qui superiores esse sciunt. *Ibid.*

31. Optimum in moribus dixerim, qui in nullo prorsus resistat prioribus, aut invideat paribus, aut subjectis vel desit in cura, vel in superbia præsit : prælatis obediens, sociis congruens, subditis utiliter condescendens. *Ibid.*

32. Is qui aliis præest in sollicitudine, vix unquam vel raro secure vacat sibi, dum semper timet sui penuriam facere subditis, et non placere Deo, quod communi utilitati, propriam præfert quietem, et contemplationis dulcedinem. *Ibid.*, serm. 53.

33. O utinam prælati tam vigiles reperirentur ad curam, quam alacres currunt ad cathedram! *Ibid.*, serm. 77.

34. Ad prælationem, opus est viro forti, spirituali, fideli, forti ad propulsandas injurias, spirituali, ad deprehendendas insidias, fideli, qui non quæ sua sunt quærat. *Ibid.*, serm. 76.

35. Esto patiens, si es cum malis : esto pacificus, si præes malis. Epist. 25 *ad Hugonem Rothomag. archiep.*

36. Væ tibi si præes, et non prodes : sed væ gravius, si quia præesse metuis, prodesse refugis. Epist. 56 *ad Willelm. Abbat.*

37. Non vos felices, quia præestis : sed si non prodestis, vos infelices putate. Epist. 42 *ad Henricum Senonensem archiepiscopum.*

38. Dedignatio subjectionis, prælationis reddit indignum. *Ibid.*

39. Tu præsis ut provideas, ut consulas, ut procures, ut serves : præsis ut prosis : præsis ut dispenses, non ut imperes. Lib. 3 *de Consid. ad Eugen. Pap.*

40. Oportet eum, qui præest, non fræna suæ laxare voluntati super subditos, sed præfixam ex regula sibi scire mensuram, et sic demum sua imperia moderari circa id solum quod rectum esse constiterit. *De Præcepto et dispens.*

41. In honore sine dolore, in prælatione sine tribulatione, in sublimitate sine vanitate esse quis potest? Serm. *de Quinque Negotiat.*

42. Oportet prorsus vino zeli in charitate ferventis æstuet, qui aliis præsidet. Lib. 3 *Florum*, cap. 4.

43. Prælatus talis esse debet, scilicet perfectus S. BONAV.

in actione et contemplatione, modestus et industriosus, non bestialis. Serm. 5, in *Hexam.*

44. Prælatus bene ordinatus est, qui subjectus est superiori : et ordinatus respectu sui, tunc bene præsidet inferioribus. *Ibid.*, serm. 21.

45. Plus nocet prælatus misericors, et abjiciens rigorem disciplinæ, quam prælatus rigidus sine misericordia. *Ibid.*, serm. 23.

46. Toties Prælatus in apostasiæ crimen labitur, quoties præesse hominibus delectatur. Super *Sap.*, cap. VI.

47. Gravius est peccatum prælati, quam subditi, ratione damni, ratione scandali, et ratione officii. *Ibid.*

48. Sinus matrum blanda adulatio prælatorum est, spiritum in eorum sinu exhalant, cum ignavi prælati non solum carnales ad meliora non excitant, verum etiam blande ferunt. Super *Lament. Hierem.*, cap. 2 in illud : *Exhalarent animas in sinu matrum suarum.*

49. Prælatis tria sunt necessaria : humilitas animi, æquanimitas zeli, perspicacitas judicii. Super *Lucam*, cap. IX.

50. Heu ! multo jam plures dæmones quam Angeli, scalam prælationis ascendunt. Serm. 2 *Dom.* 16, *post Pent*, super illud *Gen.* 28 : *Scalam vidit Jacob*, etc.

51. Prælatorum bonitas, subjectorum salubris est regula. Lib. 1 *Pharetræ*, cap. 11.

52. Prælati, qui sunt oculi Ecclesiæ, debent esse præ cæteris teneri compassione, lacrymabiles pietate. Tit. 7 *Diætæ*, cap. 5.

53. Bonus Prælatus agnoscit se fratrum suorum patrem, non dominum : et exhibet se eis medicum, non tyrannum : nec reputat eos ut jumenta sua, vel servos emptionis, sed ut filios hæreditatis supernæ consortes. *De sex alis Seraph.*, cap. 4.

54. Prælatus sit exemplaris in vita : ipse namque debet cæteris esse norma vivendi, ut quæ docet verbis, ostendat actionum figuris. *Ibid.*, cap. 6.

55. Prælatus sit humilis moribus, ut mores ejus ostendant eum non alta de se sentire, nec affectare prælationem. *Ibid.*

56. Prælatus sit humilis affabilitate, ut subditi facilem accessum ad eum habeant : et studeat magis amari quam timeri, quia libentius obeditur ei, qui diligitur, quam qui timetur. *Ibid.*

57. Requiritur ut prælatus quanto sublimius præest, tanto sanctius vivat, sollicitius invigilet, et fructuosius gregem pascat. In *Apolog. pauper.*, resp. 1, cap. 3.

58. Officium prælationis sine culmine virtutis et meritis, non est vera sublimatio, sed dejectio : non gloriosa excellentia, sed periculosa ruina. *Ibid.*

59. Prælatus gerit vicem capitis in corpore fraternitatis, ut cum alia membra debita sunt actionibus sibi competentibus, ita caput omnibus præsidendo provideat. *De sex alis Seraphim*, cap. 7.

60. Sicut subditorum tentatio est reprehendere in prælatis quod in multis non recte agant, ita prælatorum tentatio est, quod se cæteris sapientiores æstimant. *Ibid.*

61. Ad prælationis statum non congruit accedere, nisi perfectum. In *Apolog. pauper.*, resp. 1, cap. 3.

S. BRUNO.

62. Prælati vere terra dicuntur, eo quod subditos fruge doctrinæ suæ pascant : sicut terra frugibus suis homines pascit. Super *Psalm.* CIII, vers. 16.

S. CLEMENS PAPA.

63. Qui præest cæteris, oportet medici vicem agere, et non feræ bestiæ furore commoveri. Epist. 1.

S. DIONYS. CARTHUS.

64. Quo pluribus præes, tanto sollicitior et agibilior consistas. Super *Apocal.*, cap. 3, art. 4.

S. FRANC. ASSISIAS.

65. In omnibus plurimum tibi commendo charitatem et patientiam : multos enim te tolerare oportet, quia onus quod humeris portas, magnum est et grave, animas videlicet multorum. *Prosec.*

66. Prælatus ut subditos suos in humeris portet, necesse est ut in pectore gestet : nam tolerare non poterit, quos amare desierit. In suis *Opusc.*, epist. 7 *ad fratr. Eliam.*

67. In regimine vestro vos deprecor, quod non præcipiatis facile per sanctam obedientiam : quia hoc est statim gladium evaginare, quod non debet fieri nisi matura consideratione. *Prosec.*

68. Sed in mandatis estote moderati, in peccatores misericordes, in condonando faciles, in victu abstinentes, in vestitu pauperes, in verbis mansueti, Deo et officiis vestris fideles. *Ibid.*, epist. 6 *ad Provinciales Ord. Minor.*

69. Illi qui sunt super alios constituti, tantum de illa prælatione glorientur, quantum si essent in abluendis pedibus fratrum deputati. *Prosec.*

70. Et quanto magis turbantur de ablata sibi prælatione, quam de pedum officio, tanto magis sibi loculos ad periculum animæ componunt. *Ibid.*, in *Admonit. ad fratres*, cap. 4.

71. Væ illi, qui ab alio positus est in alto, et per suam voluntatem non vult descendere. *Prosec.*

72. Beatus ille, qui non per suam voluntatem ponitur in alto, et semper desiderat esse sub pedibus aliorum. *Ibid.*, cap. 19.

73. Officium prælationis quisque putet et sentiat sibi fore potius oneri, quam honori. *Ibid.*, collat. 26.

74. Prelati hoc potissimum curent, mores non mutare, nisi in melius, favores non quærere, po-

testatem non exercere, sed officium implere. *Ibid.*, oraculo 24.

75. Non desideremus aliis præesse, sed omnibus subesse creaturis, propter verum amorem Creatoris. *Ibid.*, serm. 5.

76. In prælatione casus, in laude præcipitium, in humilitate subditi, animæ lucrum est. *Ibid.*, collat. 21.

GLOSS. ORD. 77. Qui præest aliis potestate, etiam moribus præesse debet, et exercitatus esse in humilitate. Super I *Regum*, cap. IX.

GLOSS. INT. 78. Qui aliis præsunt, in terra Apostoli, in cœlo Archangeli sunt. Super illud I *Cor* VIII : *Qui dicantur dii.*

GRATIANUS. 79. Si præesse volueris, singulos prout poteris juva, et singulos releva, qui et singulorum onus ac sollicitudinem portas. In *Decret.*, part. 2, causa 8, quæst. 1, can. *Clemens.*

S. GREGOR. MAGNUS. 80. Cum locus superior imperatur, is qui ad percipienda hæc obedit, obedientiæ sibi virtutem evacuat, si ad hæc etiam ex proprio desiderio anhelat. Lib. 35 *Moral.*, cap. 10.

81. Tanto majoribus curis occupatus es, quanto et sublimiori dignitate omnibus prælatus. *Ibid.*, lib. 18, cap. 25.

82. Prælati vacare Deo appetant ex gratia dilectionis, et curas superimpositas ex conditione expleant servitutis. *Ibid.*

83. Is qui præest, ea se circa subditos mensura moderetur, ut eum nec nimia lætitia vilem reddat, nec immoderata severitas, odiosum. *Ibid.*, lib. 20, cap. 3.

84. Eo quisque extollitur, quo se esse super alios videt, illum oportet, qui super se est, aspiciat; ut ejus metu, qui supra omnia est, crescentem intrinsecus animi tumorem premat. *Ibid.*, lib. 21, cap. 10.

85. Prælatus intueatur qui sub ipso sint, sed consideret sub quo ipse sit; ut ex consideratione veri Domini decrescat tumor dominationis. *Ibid.*

86. Necesse est ut is qui præest, quæ exempla subditis præbeat, solerter attendat; et tantis se sciat vivere, quantis præest : ac vigilanter inspiciat, ne in eo quod prælatus est, intumescat. *Ibid.*, lib. 24, cap. 15, num. 29.

87. Summus locus bene regitur, cum is qui præest, vitiis potius quam fratribus dominatur. *Ibid.*, lib. 26, cap. 19, num. 22.

88. Deum imitari desiderat, qui prælatus cæteris, prodesse appetit, non præesse. *Ibid.*, cap. 19.

89. Reges sunt prælati, qui tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præesse noverunt. *Ibid.*, cap. 21, num. 26.

90. Cuncti qui præsunt, non in se potestatem debent ordinis, sed æqualitatem pensare conditionis : nec præesse se hominibus gaudeant, sed prodesse. *Prosec.*

91. Bene potentiam regit, qui scit per illam super culpas erigi, scit et cum illa cæteris æqualitate componi. Part. 2 *Pastor.*, cap. 6.

92. Curandum est, ut rectorem subditis, et matrem pietas, et patrem exhibeat disciplina. *Ibid.*

93. Prælati si perversa unquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. *Ibid.*, part. 3, cap. 1, admonit. 5.

94. Summus locus bene regitur, cum is qui præest, vitiis potius quam fratribus dominatur. Lib. 1 in *Registro*, indict. 9, cap. 24, epist. 24 *ad Joan. episc. Constantinop.*

95. Sic servanda est virtus humilitatis, ut non solvantur jura regiminis : ne dum prælatus quisque plus se quam decet, dejicit, subditorum vitam restringere sub disciplinæ vinculo non possit. *Ibid.*

96. Quisquis regendis fratribus præest, vacare funditus a curis exterioribus non potest, sed tamen curandum est magnopere, ne ab his immoderate deprimatur. *Ibid.*

97. Valde diversa est prælatio regum a prælatione judicum : isti ut pares præsunt, illi vero in potestate præeminendi arrogantiam exhibent dominationis. Lib. 5 in I *Reg.*, cap. II.

98. Sicut is qui invitatus renuit, quæsitus refugit, est admovendus : sic qui ultro ambit, vel qui importune se ingerit, est procul dubio repellendus. Lib. 7 in *Registro*, indict. 2, cap. 110, *ad Siagrium Episc.*

99. Carnales prælati spiritualis honoris culmina carnalibus propinquis ideo tribuunt, ut ecclesiasticis facultatibus ditentur, et in altitudine ordinis cumuletur abundantia ubertatis. *Prosec.*

100. Non enim curant quales sunt, qui ad spirituale ministerium veniunt : sed tantum ut temporali dignitate præferant, quos carnali affectione complectuntur. Lib. 2 in I *Regum*, cap. III, super illud : *Honorasti filios tuos*, etc.

101. Præesse aliis non habeatur in appetitu desiderii, sed in magnitudine timoris. *Ibid.*, lib. IV, cap. I.

102. Cum mali præsunt, difficile valde est, ut qui eis subjicitur, nulla religionis damna patiatur. *Ibid.*, cap. II, super illud : *Sed et segetes vestras*, etc.

103. Qui honorem prælationis et dignitatem ambiant, innumeri sunt : qui vero laborem ministerii appetant, pauci. *Ibid.*, cap. 5, super illud : *Et accipies de manu eorum.*

104. Quisquis ad culmen prælationis assumitur,

non se teneat quod est altitudine ordinis, sed quod est virtute perfectionis. *Ibid.*, super illud, *Psalm.* LXXVII : *Signa nostra non vidimus*, etc.

105. Plerumque prælati cum culpas puniunt, plus justo infervescunt : et dum vindictam metiuntur, nec vulnerum qualitatem, nec personarum delinquentium vigorem respiciunt. *Ibid.*, lib. 5, cap. 4, super illud : *Quia absque retractione morietur.*

106. Tales sese, qui præsunt, exhibeant, quibus eorum subjecti occulta quæque sua prodere non erubescant : ut cum tentationum fluctus parvi tolerant, ad pastoris sui mentem, quasi ad matris suæ sinum recurrant. Part. 2 *Pastoralis*, cap. 5.

107. Vitæ innocentiam pro nobis habemus, sed prælationis culmen pro aliis, non pro nobis ascendimus. *Prosec.*

108. Per innocentiæ bonum ad æternam patriam tendimus, per altitudinem prælationis in aliorum custodia vigilamus.

109. In illa virtute securi sumus, istam vero celsitudinem cum magno metu possidemus : quia qui nostrorum operum rationem reddere vehementer expavescimus, etiam de eo quod aliis præsumus Deo reddere rationem debemus. Lib. 5 in I *Regum*, cap. II.

110. Negligenter præeminet, qui commissorum sibi fidelium nescit et fortitudinem et infirmitatem. *Ibid.*, cap. 4.

111. Qui præsunt, non ex locorum dignitate, sed morum nobilitate, innotescere debent. Et hab. in *Decret. Gratiani*, dist. 40, can. *Nos.*

. GREGOR. NAS. 112. Homini (cui difficile est, ut subesse sciat) periculum, ne difficilius illi sit, ut hominibus præesse sciat. *Prosec.*

113. Quanto est sublimior, et majore dignitate præditus, tanto est et periculosior. In *Apologetico de sua fuga.*

114. Nihil utilius est et securius, quam cum volentes præsunt volentibus. *Prosec.*

115. Quoniam vi adigi, nequaquam legis est nostræ : nec aliquid quod violentum est, sed voluntarium : volentium enim, et non coactorum, salutis est mysterium. Orat. 4, *cum a Patre in consortium assumptus*, etc.

HIERON. 116. Tantum tibi sit divinæ lectionis studium, et tam crebræ orationum vices, ut ibi discas, ibique mediteris, qualem tuis præbere te debeas. Epist. 14 *ad Celantiam.*

117. Prælati patres se sciant esse, non dominos: maxime apud eos, qui spretis ambitionibus seculi, nihil quieti et otio præferunt. Epist. 16 *ad Theophil.*

118. Qui præsunt, plurimum debent carere vitiis, et maxime ira, quæ furori proxima est : ne quanto plus possint, tanto amplius subjectis noceant. Lib. 2 super *Isaiam*, cap. 5, super illud : *Væ qui potentes estis.*

119. Diligenter adhibe curam eis, quibus te præesse contigerit, agnosce animos actusque singulorum, et si quid in eis vitii sordidantis inveneris, citius castigare memento. Lib. 3, super *Prov.*, cap. XXVII, super illud : *Diligenter agnosce*, etc.

120. Quomodo potest præses Ecclesiæ auferre malum de medio ejus, qui in delicto simili corruerit : aut qua libertate corripere peccantem, cum tacitus sibi ipse respondeat, eadem se admisisse, quæ corripit? Super *Epist. ad Tit.*, cap. 1, in illud : *Si quis est sine crimine*, etc.

121. Vita prælatorum, exemplum et regula debet esse subditorum. In *Annot. super* I *ad Cor.* HUGO A S VICTORE.

122. Ambitiosus vult in dignitate potius præesse, quam prodesse. *De quæst. circa Epist.* I *ad Tim.*, quæst 18.

123. Prælatus quanto plus diligitur, tanto plus auditur. Super *Regulam D. Aug.*, cap. 11.

124. Sunt quidam, qui sciunt, et possunt, et volunt præesse ; quidam, qui sciunt, et possunt, sed nolunt ; quidam, qui nec sciunt, nec possunt, sed volunt ; quidam, qui nec sciunt, nec possunt, nec volunt. Scire, et posse, et velle, charitatis est vel superbiæ. Scire, et posse, et nolle, humilitatis est, vel inertiæ. Nec scire, nec posse, sed velle, cupiditatis est, et stultitiæ. Nec scire, nec posse, nec velle, discretionis est, et prudentiæ. Lib. 2, *de claustr. anim.*, cap. 12.

125. Cunctis se existimat prælatus amplius sapere, quibus se videt amplius posse. *Prosec.*

126. Timeat prælatus, quod meruit homo et angelus. Angelus enim, cum vellet esse potentior, corruit : homo, cum vellet esse sapientior, desipuit. *Ibid.*

127. Sunt tres species negligentium prælatorum. Quidam bene vivunt, et subjectos male vivere permittunt. Quidam male vivunt, et subjectos bene vivere cogunt. Quidam male vivunt, et subjectos male vivere volunt. *Ibid.*, etc., *Prosec.*

128. Prælati qui male vivunt, et subjectos bene vivere cogunt : errantes revocant, sed fortes occidunt : revocant verbis, occidunt exemplis. *Ibid.*

129. Plus amari a subjectis prælati appetant, quam timeri : ne severitatis nimiæ vultus eliminet, quos compassionis benignitas per consolationem fovere debet. *Ibid.*, lib. 3, cap. 5.

130. Prælatus est moraliter quilibet medicus, qui sicut medicus corporaliter infirmos, ita debet spiritualiter curare subjectos. *De animæ medicina*, cap. 9.

131. Licet sint cæteris potestate prælati, ministerio tamen sunt subjecti : sicut ipse Dominus, qui omnibus prælatis prælatus est. Serm. 3 *de spirituali Christi convivio.*

HUGO CARD. 132. Prælatus debet fieri ad imaginem Dei per sapientiam, ad similitudinem per virtutem. Super *Genes.*, cap. 1.

133. Ad hæc duo genera subditorum se debet conformare prælatus, ut fortibus exemplum fortitudinis præbeat, et infirmis compatiatur. *Ibid.*, cap. 2.

134. Prælati debent esse excelsi vita et scientia præeminentes. *Ibid.*, cap. 12.

135. Modo statim ut aliquis factus est prælatus, novam et innumeram invenit parentelam. *Ibid.*

136. Quicunque ascendit crucem prælationis, parentes debet habere a dextris, ut eos scilicet diligat ad bona æterna, et gratiæ Dei committat.

137. Tria requiruntur in prælato : scilicet justa vocatio, scientia divina, spiritus fortitudo *Ibid.*, cap. 29.

138. Prælati boni plus proficiunt Ecclesiæ Christi exemplis, quam verbis. *Ibid.*, cap. 30.

139. Justum est, ut qui præsunt in dignitate majores, priores sint in animadversione. *Ibid.*, cap. 49.

140. Qui intruduntur in prælationibus, in tanto pejores sunt simoniacis, quanto pejor est raptor latrone. Super *Num.*, cap. 16.

141. Bonus prælatus precibus suis tenet iram Domini contra populum, sed rarus est modo talis prælatus. Super *Deut.*, cap. 9.

142. Prælatus Ecclesiam pascere debet pane doctrinæ, et sustentare exemplo bonæ vitæ. Super *Josue.*, cap. XXI.

143. Tripliciter peccant Prælati, male intrando, et postquam intraverint male vivendo, gregem sibi commissum male custodiendo. *Prosec.*

144. Durum itaque fiet eis judicium propter primum, durius propter secundum, durissimum propter tertium.

145. Propterea fiet eis in futuro triplex quæstio : quomodo intrasti? quomodo vixisti? quomodo rexisti? Super lib., *Judic.*, cap. 2.

146. Sub peccatis prælatorum, quasi sub arbore, requiescunt peccata subditorum. *Ibid.*, cap. 6.

147. Dæmones principaliter contra prælatos insurgunt, quia prælato subverso, de facili subvertuntur subditi. Super I *Reg.*, XXXI.

148. Prælatus cupidus putat sibi auferri quod videt a subditis sibi negari. Super *Judith*, cap. 1.

149. Illos qui aliis præsunt, et inde gloriantur despicit Deus, et despectos facit. Super *Job*, cap. XIII.

150. Prælatus debet subditis, subsidium orationis, pabulum prædicationis, dispensationem sacramentorum, defensionem contra opprimentes, auxilium in temporalibus, exemplum bonum, vitæ patientiam. *Ibid.*, cap. XXXI.

151. Prælati advocati sunt et patroni, quorum proprie officio competit, impetrare delinquentibus indulgentiam, negligentibus gratiam, laborantibus opem, proficientibus perseverantiam, mortuis vitam. Super *Psalm.* 2.

152. Prælati vocantur lux, quia aliis debent supereminere in vita, scientia, et gratia. Super *Psalm.* 17.

153. Pœna magna est habere prælatum cupidum, vel avarum, sed major est, habere stultum prælatum : maxima autem est, habere perniciosum. Super *Psalm.* CVIII.

154. Stultus nuntius est, idiota prælatus, qui sine litteris venit : nam qui sacras litteras nescit, nuntius sine litteris venit. Super *Prov.*, cap XXVII, super illud : *Qui mittit verba per nuntium stultum.*

155. Post nativitatem prælationis, moriendum est parentibus. Super *Ecclesiasten*, cap. 3.

156. Prælati disciplina debet esse in filios delinquentes, alioquin frustra portat baculum pastoralem, in quo tria officia pastoris notantur. Attrahe per primum, medio rege, punge per imum. *Ibid.*, cap. 7.

157. pulchra est prælatio sine elatione, decora subjectio sine dejectione. Super *Cant.*, cap. 8.

158. Prælatus debet esse judex, malos coercendo : et rex, infirmos regendo : et doctor, imperitos docendo. Super *Sap.*, cap. 9.

159. Bonus debet esse, qui præest, quia moribus ejus conformantur minores. Super *Ecclesiastic.*, cap X.

160. Nullus debet eligi in prælatum, nisi qui mortuus sit peccato, et parentibus, et mundo, et sibi. *Ibid.*, cap. X.

161. Qui non didicit subesse, nunquam sciet præesse. *Ibid.*, cap. XVIII.

162. Prælatus se debet taliter habere ad subditos, ut ridens timeri, et iratus possit amari : ne nimia lætitia vilem, et immoderata severitas reddat odiosum. *Ibid.*, cap XXI.

163. Nullus est idoneus, ut mittatur ad prælationis officium, nisi prius defectus suos cognoverit et defleverit, ut humilitatem in se custodiat, et aliis melius compati sciat. Super *Isai.*, cap. 7.

164. Sicut pila projicitur de uno ad alium, sic

malus prælatus pila dæmonum est, de quo ludunt inter se, unus alii jaciendo. *Prosec.*

165. Dæmon superbiæ jacit eum dæmoni avaritiæ, et hic jacit eum dæmoni gulæ, et ille statim projicit eum dæmoni luxuriæ, et ita mittunt eum in terram latam et spaciosam, quæ ducit ad mortem. *Ibid.*, cap. 22.

166. Mali prælati et pomposi valde diu possident Ecclesias suas, etiam post mortem : quia tot et tantis debitis obligant eas quod vix possunt solvi. *Ibid.*, cap. 34.

167. Prælati mali non sunt imitatores Apostolorum, sed tyrannorum. *Ibid.*, cap. 54.

168. Prælatus debet sedere in throno, tanquam rex : in cathedra, tanquam Doctor ; in tribunali, tanquam judex ; rex, infirmos regendo :doctor, imperitos instruendo; judex malignos coercendo et puniendo. Super *Ezech.*, cap. 1.

169. Prælati miserrimi, qui quanto in loco superiore, tanto in periculo majore sunt. Super *Luc.*, cap. IX.

170. Prælatus pater est corripiendo, mater lactando : unde versus :

Verbera patris habes, ubera matris habe.

Super *Epist. ad Ephes.*, cap. IV.

171. Felix prælatus, qui habet subditos testimonium perhibentes suæ conversationis. Super I *Thessal.*, cap. I.

172. Introitus multorum prælatorum inanis est, et sine fructu : non enim quærunt animas, sed pecunias : intrant, non ad implendum subditos, sed evacuandum. *Ibid.*, cap. 2.

173. Præesse debent prælati dignitate, prodesse labore et admonitione : ut laborent operando, et moneant prædicando. *Ibid.*, cap. V.

174. Prælatus non est bonus faber, nec bonus fullo, nec bonus agricola, nisi habeat aquam divini sermonis. Super II *Thess.*, cap. III.

CASS. 175. Plerisque evenit, ut dum fratribus præesse festinant, nunquam senioribus ipsi subjiciantur : et a superbia inchoantes, dum alios instituere cupiunt, nec discere ipsi, nec agere ea quæ sunt Deo agenda mereantur. Collat. 4, *Abbat. Danielis*, cap. 20.

ANNES SOST. 176. Cujus rei gratia primatus et præfecturas desideras? ut cæteris præstes : ultimum igitur ordinem eligito, et tunc primum obtinebis locum. Hom. 66, super *Matth. Oper. perf.*

177. Prælatus debet esse misericors aliis, sibi autem austerus ; ut sibi quidem grave pondus justitiæ ponat, aliis autem leve. Hom. 10, *Oper. imper. super Matth.*

178. Velle esse super omnes, vituperabile est ; sustinere autem alterum supra se, nimis gloriosum est. *Ibid.*, hom. 35.

179. Opus bonum desiderare, bonum est : primatum autem honoris concupiscere, vanitatis est. *Prosec.*

180. Bonum opus implere, nostræ voluntatis est, et operis et laboris : primatum autem consequi, judicii Dei est.

181. Desiderium primatus ex jactantia nascitur cordis : qui autem humilis est corde, et indigniorem se aliis arbitratur, nunquam desiderat superior apparere.

182. Primatus fugientem se desiderat, desiderantem se odit.

183. Quicunque desiderat primatum cœlestem, sequatur humilitatem terrestrem : et quicunque desiderat primatum in terra, inveniet confusionem in cœlo. *Ibid.*

184. Sit prælati doctrina duplex, ut verbis facta conveniant, actus doctrinæ respondeant ; et in nullo sit minor, qui cunctis est potior. *Prosec.*

185. Charismatibus fulgeat, splendescat officiis, sit cum auctoritate humilis, et cum humilitate sublimis. Nec ideo sit melior, quia major : sed ideo major, quia melior. Serm. *de Eo qui incidit in latrones.*

186. Magnum quiddam, dilectissimi, magnum, inquam, est Ecclesiæ prælatio, quæ multa indiget sapientia, et formidine. Hom. 59, super *Joan.*

187. Primatus in Christo nec ab aliquo appetendus est, non habente ; nec alteri est invidendus habenti. Hom 35, super *Matth. Oper. imperf.*

188. Primatum ecclesiasticum concupiscere, neque justum est, neque utile. *Ibid.*

189. Prælatus dum se esse gloriatur plenum gratia Dei, repletus est insensibiliter astutia diaboli. Serm. *de Circumcis.*, consid. 4. JOAN. GERS.

190. Quem oportet præesse aliis, pectore debet et ore præeminere, ut quasi bonorum operum ulnis totius populi latitudinem amplexari valeat, protegere tanquam doctior, sanctior, circumspectior, et omni virtute præstantior. Lib. 5, *de Nugis curial.*, cap. 6. JOAN. SAR.

191. Grave scandalum est, vita mala prælatorum. In cap. 11 *Reg. S. Bened.*, verbo *Durus.* JOAN. TRITH.

192. Ille apud Deum præest potior, non quem nobilitas generis, nec dignitas sæculi, sed quem devotio fidei et sancta vita commendat. *Ibid.*, verbo *Caput.*

193. Sciat prælatus se bonorum esse socium, non dominum. *Ibid.*, verbo *Obsecrandi.*

194. Omne quod supereminet plus doloribus aut mœroribus afficitur, quam honoribus gaudet. *Ibid.*, verbo *Res.*

195. Nihil est in hac vita difficilius, laboriosius, aut periculosius officio Prælatorum. *Ibid.*

196. Maxima potestas sæviendi in gregem diabolo conceditur, dum is qui præest, a subditis oditur. *Part.* 1 *de Regione claustr.*, tract. 1, reg. 1, art. 2.

197. Simia in solio, præpositus imperitus in claustro. Orat. 4, in *Conventu Abbat. habita.*

S. ISIDORUS HISPAL.

198. Qui ad hoc conversionem sanctitatis prætendit, ut aliis quandoque præesse desideret, iste non discipulus Christi, sed pravitatis sectator existit : quia non pro Deo, sed pro sæculi honore portare studet crucis Christi laborem. Lib. 3 *de Sum. bono*, cap. 20, sent. 3.

199. Plerique suæ magis utilitatis causa, quam gregis præesse desiderant : nec ut prosint, præsules fieri cupiunt, sed magis ut divites fiant et honorentur. *Prosec.*

200. Suscipiunt enim sublimitatis culmen, non pro pastorali regimine, sed pro solius honoris ambitione. *Ibid.*, cap. 34, sent. 5.

201. Ignorantia præsulum, vitæ non congruit subjectorum : desinat præsul locum docendi suscipere, qui nescit docere. *Ibid.*, cap. 35, sentent. 1.

202. Ex carnalium præpositorum exemplo, plerumque fit vita deterior subditorum. *Ibid.*, cap. 38, sent. 3.

203. Tanto majori humilitate conspicuus esto, quanto magna es dignitate prælatus. Lib. 2 *de Synonym.*, cap. 16.

S. ISIDORUS PELUSIOTA.

204. Si Dei amicus esse studes, fac robuste præsis. Lib. 1, epist. 290, *ad Petrum.*

205. Turpissimum erit, si iis qui tibi subsunt, imperare cupiens, ita affectus esse deprehendaris, ut ne tibi quidem ipsi præesse queas. *Ibid.*, lib. 2, epist. 11, *ad Strategium.*

S. LAURENT. JUSTIN.

206. Quemadmodum negligentibus et vitiose degentibus prælatio efficitur occasio ruinæ : ita sollicitis et prudentibus, atque se in humilitate servantibus, fit causa coronæ. *De triumphali Christi agone*, cap. 26.

207. Nullus ex prælatione tumescat ; studeat vero quisquis primatus recte cupit honorem, absque honoris concupiscentia aliis sublimior esse virtutibus, et cæteris sanctitate præcellere. *De Eucharist.*

208. Si diligenter inspicias, raro invenies qui subesse desideret, præesse autem innumeros : sane præsidendi hæc pestis, in cœlo sumpsit originem. *De Regim. prælat.*, cap. 1.

209. Sane supra modum laboriosum est prælationis pondus, atque intolerabile, nisi desuper constantiæ et compassionis proximorum infundatur gratia, atque zelo salutis animarum præsidentis accendatur affectus. *Ibid.*

210. Saluberrimum consilium hoc est, ut summo cum studio omne prælationis desiderium resecetur a quocunque Deo placere cupienti, sive doctus, sive bonus, sive sit prudens, cum non liceat alicui hominibus velle imperare. *Ibid.*, cap. 2.

S. LEO

211. Qui scit quibusdam se esse præpositum, non moleste ferat aliquem sibi esse prælatum : sed obedientiam, quam exigit, etiam ipse dependat. *Prosec.*

212. Sicut non vult gravis oneris sarcinam ferre, ita non audeat alii importabile pondus imponere. Epist. 84, *ad Anastas. Thessalonic. episc.*, cap. 11.

213. Integritas præsidentium, salus est subditorum. Epist. 87, *Ad Episc. African.*, cap. 1.

S. NIL

214. Hominibus præesse, res est omnium maxime laboriosa. In *Libro Ascetico.*

PETR BLESE

215. Ardes desiderio appetendo prælaturam lucendi aliis, utinam arderes ardenti desiderio, non sic lucendi : bonum est ardere, sed igne charitatis, non vanitatis. Epist. 13, *ad Monach. Novit.*

216. Melius plerisque fuisset adhuc latere sub modio, et sub umbra honestæ opinionis, quam cum infamia candelabrum ascendisse. *Prosec.*

217. Nam juxta Satyricum illud :

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto qui peccat major habetur.

218. Privato peccanti sæpe parcitur ; sed si prælatus deliquerit, in ejus infamiam linguæ omnium acuuntur. *Ibid.*, epist. 15, *ad Episc. Carnotens.*

219. Sciat omnis prælatus ex aliquo semper se esse infamem, nisi veram operibus exhibeat sanctitatem. *Ibid.*

220. Prælatus rarissime invenitur, qui collaterales non habeat assentatores sibi, qui eum lactant et palpant. *Ibid.*

221. Detestanda præsumptio est, quæ insufficientiam suam non considerat, vires suas et dignitatum onera non compensat. *Prosec.*

222. Qua fronte præesse præsumit, qui prodesse non novit? *Ibid.*, epist. 129, *ad Decan. Turonens.*

223. Non sufficit si prælatus bonus est in se, nisi et alios, quantum est in se, bonos faciat. *Ibid.*, serm. 40.

224. Gloria prælati est, si seipsum miserum judicat et infirmum, insufficientem honori, et honore indignum. *Ibid.*, tract. *de Inst. episc.*

225. Sic præsis ut prosis : honoris enim assumptio multis tentatio facta est, et subversionis occasio. *Prosec.*

226. Væ his, qui præsident hominibus, si non præsideat eis Deus. *Ibid.*

227. Animabus prælatus es, non corporibus ; nihil prælato commune est cum Pilato. *Ibid.*

228. Prælatus tot coronas sibi multiplicat, quot Deo animas lucrifacit. Epist. 132.

PETRUS HRYSOL. 229. Homo deses et ignavus, si præsit populis, non sibi soli fit noxius, sed multis, dum sequentes se suo vitiat et perdit exemplo. Serm. 106.

PETRUS MIANUS. 230. In honore sine dolore, in prælatione sine tribulatione, in sublimitate sine vanitate nullus esse potest. Serm. 59, *de S. Nicol.*

231. Hæc est justissima lex, ut sic vivas cum inferiori, quemadmodum superiorem vis vivere tecum. *Ibid.*

ILO JUD. 232. Absit ut in mente tua prælatio blandiatur : villicus quanto in commissa largiori possessione beatior, tanto est in reddenda ratione miserior. Opusc. 13, cap. 15.

233. Debet semper præesse melior, subesse deterior. Lib. 2, *Legis allegor.*

234. Principatus omnis est lubricus, innumeris insidiatoribus obnoxius : quod si quando confirmatur, id fit non sine multis acceptis et illatis calamitatibus. *De Abrahamo.*

235. Qui subesse didicit, aliis quoque præesse confestim dicet. *Prosec.*

236. Neque enim si quis universæ terræ imperium susceperit, princeps propterea vere erit, nisi prius parere didicerit.

237. Cum arduum ac difficile sit scire parere, tum vero longe difficilius esse videtur, scire imperare. Hab. apud *D. Joan. Damasc.*, lib. 1 *Parall.*, cap. 21.

BERTUS LLARM. 238. Prælatus sustentat et portat auctoritate sua totum ædificium, et simul præest et portatur per obedientiam a toto ædificio. Super *Psalm.* LXXXVI, vers. 1.

IPERTUS ABBAS. 239. Omnes, qui in regimine animarum præsunt, qualiter præesse, immo qualiter prodesse debeant, discant, ut videlicet intus amantes, divinæ iræ supplicando obsistant : foris sævientes, culpam feriendo consumant. Lib. 4, super *Exod.*, cap. 28.

VIANUS. 240. Quid est aliud principatus sine meritorum sublimitate, nisi honoris titulus sine homine? Lib. 4, *ad Eccles. cathol.*

241. Quid aliud quorumdam, quos taceo, præfectura, quam præda? *Ibid.*

THOMAS QUINAS. 242. Perfectionem charitatis præexigit assumptio prælationis. *De Perfect. vitæ spirit.*, cap. 9.

243. Religionis statum assumere, laudabile est : ad prælationis autem fastigium anhelare, nimiæ præsumptionis est. *Ibid.*

244. Qui prælationis statum assumit, multis periculis se exponit. *Ibid.*

245. Quod aliquis pericula peccati evitans, religionis statum assumat, prudentiæ est : quod vero sponte ad prælationis statum aspiret, nimiæ præsumptionis est. *Ibid.*

246. Prælationis status, etsi perfectus est, tamen absque vitio concupiscentiæ appeti non potest. *Ibid.*

247. Multo tutius est stare in subjectione, quam in prælatura. Lib. 1 *de Imitatione Chr.*, cap. 9. THOMAS A KEMPIS.

248. Nemo secure præest, nisi qui libenter subest. *Ibid.*, cap. 20, sect. 2.

249. Magnus est prælatus, qui virtuose se gerit, et bonum dat exemplum subditis. *In Hortulo rosar.*, cap. 9, sect. 3.

250. Oportet te tantum cæteros præcedere virtute, quantum præcedis dignitate. Serm. *Dom.* 3, *Advent.* S. THOMAS A VILLANOVA.

251. Facito prius quod præcipis, ut non tantum subditis tuis præcepta : sed formulam præbeas, ut tua imitentur exempla. Lib. 7, cap. 43, num. 1. IN VITIS PATR.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

252. Vicarius prælationis honorem suscipit. Lib. 1 *Polit.*, cap. 4. ARISTOTEL.

253. Eum qui præest, didicisse prius parendo oportet. *Ibid.*, lib. 3, cap. 3.

254. Prudentia propria virtus est præsidentis : nam ceteræ virtutes videntur communes, tam eorum qui præsunt, quam eorum qui subsunt : at prudentia non est virtus ejus, qui subsit, sed ejus qui præsit : qui enim subest, ut is est qui fistulam facit; qui vero præest, ut is qui utitur fistula. *Ibid.*

255. Ejus est qui præsit, eorum quibus præsit, commodo utilitatique servire. Lib. 1, *epist. ad Quint. fratr.*, epist. 1. [illegible]

256. Quanto superiores sumus, tanto submissius nos geramus. Lib. 1 *de Offic.*

257. Inferior horret, quidquid peccat superior. In suis *Sent.*, sent. 177. MIMUS PUB.

258. Sic cum inferiore vivas, quemadmodum tecum superiorem velles vivere. Epist. 47. SENECA.

259. Cum præes hominibus, memento quod et tibi præest Deus. Sent. 172. SIXTUS PHILOSOPH.

Vide etiam tit. *Abbas*, per totum ; *Custodia*, sent. 13; *Correptio*, sent. 212, 213; *Discretio*, sent. 10; *Ecclesia*, sent. 73; *Electio*, sent. 34, 39, 41, 53, 54, 55, 56; *Episcopus*, per totum; *Exemplum*, sent. 28, 49, 50, 65; *Familia*, sent. 9; *Gloria vana*, sent. 59; *Justitia*, sent. 102; *Lux*, sent. 70; *Melior*, sent. 28; *Murmur*, sent. 34, 35; *Negligentia*, sent. 16, *Obedientia*, sent. 139; *Officium divinum*, sent. 26; *Ordo sacer*, sent. 51; *Pastor*, per totum; *Princeps*, sent. 41, 73; *Reddere rationem*, sent. 36, 52; *Regimen*, per totum ; *Subjectio*, sent. 24, 25, 29, 30, 37, 43; *Sublimitas*, sent. 20, 21, 22, 23, 24; *Turpiloquium*, sent. 51, 52; *Zelus*, sent. 28.

PRÆMIUM.

PLATO. *Definitio.* Præmium est virtutis munus, quod suiipsius causa elargitur. Sizygia 6 *de Definit.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Non potest quis præmium accipere, nisi legitime certaverit ; nec est gloriosa victoria, nisi ubi fuerint laboriosa certamina. Lib. 1 *Offic.*, cap. 15.

2. Injustus est, qui ante quærit præmium, quam certamen fuerit absolutum. *Ibid.*, cap. 16.

S. ANSELM. 3. Lacessit judicem, qui postposita satisfactione delicti, præmiis quærit gloriari. *Prosec.*

4. Regi insultat obnoxius supplicio, qui flagitat coronari indebito præmio. In *Meditationibus.*

S.ANTONIN. 5. Consideratio præmii minuit vim flagelli. Part. 4, tit. 3, cap. 7, § 18.

S. AUGUST. 6. Æterna lex incommutabili stabilitate firmavit, ut in voluntate meritum sit : in beatitate autem et miseria præmium, atque supplicium. Lib. 1 *de Lib. arbitr.*, cap. 14.

7. Tanta est erga omnes homines bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona, et pro his quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus. *De Ecclesiasticis dogmatibus*, cap. 32.

8. Paterna judicia laudentur et in flagello, si promissa diligantur in præmio. Super *Psalm.* CXVIII, conc. 31.

9. Noli ad præmium diligere Deum, ipse sit tibi præmium tuum. Tract. 3, super *Evang. Joan.*, cap. I.

10. Fides meritum est, intellectus præmium. *Ibid.*, tract. 48, cap. X.

11. Frequenter Deus aut invitat præmio, aut terret supplicio, ut benignitatis consilio a se formato homini consulat, redempto provideat, ut qui non terretur supplicio, invitetur præmio ; et quem metus a factis revocare non possit, præmiorum benignitas prosit. Serm. 3 *de Verbis Dom.*

12. Non quæras in via quod tibi servatur in patria : præmium non requiras in prælio, quod tibi servatur in regno. Serm. 2 *de Plurib. mart.*

13. Deus in nullo actu animam deserit, sine pœna, sine præmio. *De Quant. animæ*, cap. 36.

14. Deus bonus et justus, ut bonis præmia, ita supplicia malis tribuit. Lib. 1 *de Lib. arbit.*, cap. 1.

15. Vita æterna est totum præmium, cujus promissione gaudemus : nec præmium potest præcedere merita, et prius homini dari quam dignus est. Quid enim hoc injustius, et quid justius Deo ? Non ergo debemus poscere præmium, antequam mereamur accipere. *De Morib. Eccles.*, cap. 25.

16. Juste præmia bonis factis, et peccatis supplicia constituta sunt. Lib. 5 *De Civ. Dei*, cap. 10.

17. In cœlo præmium virtutis erit ipse, qui virtutem dedit. *Ibid.*, lib. 22, cap. 30.

18. Si pœnam meretur qui peccat invitus, debet et præmium mereri qui bene facit invitus. *Contra Fortunat.*, disput. 2.

19. Deus omnia sive per pœnas, sive per præmia, justitia moderante disponit. *Contra Adimant.*, cap. 17.

20. Tolera malum bonus, ut venias ad præmia bonorum, ne mittaris in pœnam malorum. Tract. 50 super *Joan.*

21. Lacessit judicem, qui postposita satisfactione delicti, quærit præmiis honorari. Lib. *Medit.*, cap. 3.

22. Credenti colligitur meritum, videnti redditur præmium. Tract. 68 super *Joan.*

23. Humilitas claritatis est meritum, claritas humilitatis est præmium. *Ibid.*, tract. 104.

24. Ipse Deus erit in pace præmium, qui fuit virtus in bello. Lib. 17 *de Civit. Dei*, cap. 12.

V. BEDA 25. Bonorum mens quo duriora pro veritate tolerat, eo certius æternitatis præmia sperat. In suis *Prov.*, verbo *Bonorum.*

S.BERNAR 26. Præmium amanti non proponitur, amanti debetur, perseveranti redditur. Tract. *de Diligendo Deo.*

BOETIUS 27. Perspicuum est nunquam bonis præmia, nunquam sua sceleribus deesse supplicia. *Prosec.*

28. Rerum quæ geruntur illud propter quod unaquæque res geritur, ejusdem rei præmium esse, non injuria videri potest. Lib. 4 *de Consolat. philos.*, prosa 3.

29. Probos mores sua præmia non relinquunt. *Ibid.*

30. Quoniam præmium sua cuique probitas confert, tum suo præmio carebit, cum probus esse desierit. *Ibid.*

31. Sicut probis probitas ipsa fit præmium, ita improbis nequitia ipsa supplicium est. *Ibid.*

S. BONAV. 32. Divina Scriptura differentias insinuat præmiorum, secundum diversitates meritorum. Super *Luc.*, cap. 6, in illud *Apoc.* XXII : *Et merces mea.*

33. Unde invenitur merces salva, merces magna, merces digna, merces plena, merces temporanea, merces festina, merces fidelis, merces perpetua: merces salva est angelis ministrantibus nobis ; magna datur prælatis ; digna, obedientibus ; plena, contemplantibus ; temporanea, operantibus ; festina, proficientibus ; fidelis, perficientibus ; copiosa, patientibus , perpetua perseverantibus. *Ibid.*

34. Qui vident supra se Deum, qui vident intra se carnis stimulum, juxta se proximum, infra se vanum mundum, sunt perventuri ad præmium. Serm. 6, *de SS. Apostolis.*

. CYPRIAN. 35. Sunt tot mercedes in cœlestibus præmiis, quot nunc dies numerantur in pœnis. Lib. 3, epist. 25.

35 *bis*. Operantibus præmium pollicetur, et sterilibus supplicium comminatur. Serm. 1 *de Eleemosyn.*

. CYRILLUS HIEROSOL. 36. Promptior fit omnis operarius ad perferendos labores, si præmium laborum præviderit : qui vero sine præmio laborant, et anima et corpus illis concidit. *Cateches.* 18.

. EUSEBIUS EMISSEN. 37. In spe cœlestium præmiorum tanto incitemur studio, tantoque inardescamus affectu, ut cum præmiorum dignitate, desideriorum magnitudo concordet. Homil. 3 *ad Monachos.*

LOSS. ORD. 38. Consideratio præmii futuri, ærumnas mitigat. Super illud *Psalm.* LXVII : *In conspectu ejus.*

LOSS. INT. 39. Duplex præmium meretur, qui et se tuetur et alios lucratur. Super *Cantica,* cap. VIII.

LOSS. ORD. 40. Inanis gloriæ est, velle vincere ubi præmium non est. Super illud *Galat.* V : *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi.*

. GREGOR. MAGNUS. 41. Bonorum mens quo duriora pro veritate tolerat, eo æternitatis præmia certius sperat. Lib. 10 *Moral.,* cap. 12, num. 22.

42. Cum opus crescit, præmii fiducia proficit : cum vero opus torpuerit, spes a remuneratione lacescit. *Prosec.*

43. Tanto fidentius quisque tendit ad præmium, quanto nunc robustius perdurat ad laboris incrementum. *Ibid.,* lib. 8, cap. 3, num. 7.

44. Reprobi cœlestis patriæ præmia nequaquam percipiunt, quia ea nunc dum promereri poterant, ex libero arbitrio contempserunt. *Ibid.,* lib. 33, cap. 20.

45. Ad magna præmia perveniri non potest, nisi per magnos labores : si delectat mentem magnitudo præmiorum, non deterreat certamen laborum. Homil. 37 super *Evang.*

. HIERON. 46. Ubi bonum et melius est, ibi boni et melioris non unum est præmium : et ubi non est unum præmium, ibi utique dona diversa. Epist. 2 *ad Pammach.*

47. Ad cœleste præmium, cœlestem vitam para. Epist. 1 *ad Demetriad.*

48. Diversitas operum, diversitatem facit præmiorum. *Ibid.*

49. Spes præmii solatium est laboris. *Ibid.*

50. Omne opus leve fieri solet, cum ejus pretium cogitatur. *Ibid.*

51. Nocivum non debet esse periculum, ubi nascitur præmium. Epist. 6, *ad Amicum.*

52. Eum militem non sequitur felicitas præmiorum, qui sarcinam gestare non vult armorum. *Ibid.*

53. In usu debet esse quod præmium generat, et optabile quod gloriam parit. *Ibid.*

54. In omni re, aut actu sive corporali, sive spirituali, agendi virtus spes est præmii futuri. Homil. 42 super *Matth. Oper. imperf.* S. JOANNES CHRYSOST.

55. Frequenter Deus aut invitat præmio, aut terret supplicio : ut qui non terretur supplicio, invitetur præmio. Homil. 7 *ex Divers. in Matth.* S. JOANNES CHRYSOST. & S. AUGUST.

56. Præmiis delectabitur in cœlo, qui Dominum actibus piis delectaverit in mundo. Homil. super illud *Joan.* IV : *Venit hora.*

57. Major erit merces, si bonum non spe præmii feceris : quid enim opus est de mercede verba facere, præmiumque operis curiose spectare? mercenarii magis hoc est, quam grati et ingenui famuli. Serm. 5 super *Epist. ad Rom.* S. JOANNES CHRYSOST.

58. Omne præmium laboris perditur, quando de propria sufficientia præsumitur. In cap. *Regul. S. Bened.,* verbo *Omne.* JOAN. TRITH.

59. Æqua virtus præmium æquale meretur. Orat. 8 *in Conventu abbat. habita.*

60. Non inchoantibus præmium, promittitur sed perseverantibus. Lib. 2 *de Sum. bono*, cap. 7, sent. 1. S. ISID. HISP.

61. Illi non habent præmium, qui laboris non habuerunt certamen. *Prosec.*

62. Eos expectant præmia, in quibus fuerint laboriosa certamina. *Ibid.,* cap. 39, sent. 25.

63. Laborum præmii spes magnum affert præclarumque solatium. Lib. 6 *de Divin. inst.,* cap. 9. LACT. FIRM.

64. Temporalia sunt præmia vitiorum, sempiterna virtutum. *Ibid.,* lib. 7, cap. 1.

65. Ad præmia æterna tendentibus, in eo maxime diaboli insidiatur astutia : ut quorum pervertere non potest probitatem, subruat fidem. Serm. 9 *Quadrag.* S. LEO I.

66. Temporale donum in præmium transit æternum. Serm. 2 *de Jejun. septimi mensis.*

67. Non dubitet de receptione præmii, cui Christus debitor est. *Ibid.*

68. Nemo præmium percipit ante experimentum. In suo *Octavio.* MINUTIUS FELIX.

69. Secundum altitudinem meritorum, surgit remuneratio præmiorum. Lib. 2 *de Mosaico tabernac.* PETR. CELL.

70. Præmia statuuntur his semper, quibus certamina dura proponuntur, ac pro magnitudine certaminis, præmii proponitur magnitudo : hinc est quod discipulis suis Christus regnum ponit in præmio, ut in certamine non cedant periculis, non timori. Serm. 22. S. PETRUS CHRYSOL.

71. Præmia maxima vincentibus sunt promissa. Serm. 11 *ad Novit.,* divis. 1. THOMAS A KEMPIS.

72. Ad promissa regni præmia proculdubio S. VALER.

EPISC. pervenit, qui ad superna Domino comitante festinat. Homil. 2 *de Arcta vita.*

73. Toties in die tolles præmium, quoties desideria vinces animorum. *Ibid.*, homil. 16, *de Bono martyrii.*

74. Quanta sunt certamina, tanta sunt præmia. *Ibid.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 75. Dari præmium ob res præclarissimas solet. Lib. 4 *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 3.

CICERO. 76. Fortes et sapientes viros non tam præmia sequi in morte solent recte factorum, quam ipsa recte facta. Orat. 38, *pro Milone.*

PLATO. 77. Magnum est præmium spes futuræ felicitatis. Sizygia 1, *in Dialogo Phædonis.*

SENECA. 78. Desinit præmium esse, cui necessitas jungitur. Lib. 1, controv. 7.

79. Præmium, non corona nec palma est, nec tubicen prædicationis nominis nostri, sed virtus et firmitas animi. Epist. 78.

80. Non est justæ rei præmium majus quam justum esse. Epist. 113.

81. Spes præmii, solatium fit laboris. *De Moribus.*

Vide etiam tit. *Beneficium Dei,* sent. 132; *Conscientia,* sent. 27; *Dilatio,* sent. 55; *Dilectio Dei,* sent. 25; *Gloria bona,* sent. 77; *Liberalitas,* sent. 32; *Melior,* sent. 27; *Meretricium,* sent. 28; *Meritum,* sent. 17, 26, 27, 78; *Militia,* sent. 30; *Passio,* sent. 64; *Patientia,* sent. 45; *Peccatum,* sent. 327; *Pœnitentia,* sent. 209; *Virtus,* sent. 58.

PRÆSCIENTIA DEI.

S. AMBROS. *Definitio.* Præscientia Dei est, quæ definitum habet qualis uniuscujusque futura voluntas erit, in qua mansurus est, per quam aut damnetur, aut coronetur. Super *Epist. ad Rom.*, cap. IX, in illud : *Esau autem odio habui.*

S. AUGUST. Quid est præscientia, nisi scientia futurorum? *De Diversis quæst. ad Simplician.*, lib. 2, quæst. 2.

DIDYMUS. Præscientia nihil aliud putanda, quam contemplatio futurorum. Super epist. I *B. Petri*, cap. I.

S. FULGENT. *Differentia.* Sine prædestinatione præscientia Dei esse potest, prædestinatio vero sine præscientia esse non potest. Lib. 1, *ad Monimum,* cap. 29.

Qui præscientiam Dei in nullo ab ipsius prædestinatione discernit, quod tribuendum est Deo de bonis, hoc ei etiam de malis conatur adscribere. *Ibid.*, cap. 30.

S. JOANNES SARESB. Scientia, præscientia, dispositio, providentia, et prædestinatio differunt : scientia existentium, præscientia futurorum, dispositio faciendorum, providentia gubernandorum, prædestinatio salvandorum. Lib. *de Nugis curial.*, cap. 21.

S. THOMAS AQUINAS. Prædestinatio differt a præscientia secundum rationem : quia præscientia importat solam notitiam futurorum; sed prædestinatio importat causalitatem quamdam respectu eorum. Super *Epist. ad Rom.*, cap. VIII, lect. 6, in illud : *Quos præscivit.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Nec incerta præscientia Dei est, nec mutabile consilium, nec inefficax voluntas, nec falsa promissio. Lib. 1 *de Vocat. gentium,* cap. 3.

S. AUGUST. 2. Deus vindicat justus, quæ fieri non cogit præscius. *Prosec.*

3. Sicut tu memoria tua non cogis facta esse, quæ præterierunt, sic Deus præscientia sua non cogit facienda, quæ futura sunt.

4. Et sicut tu quædam quæ fecisti, meministi : nec tamen quæ meministi, omnia fecisti; ita Deus omnia, quorum ipse auctor est, præscivit, nec tamen omnium quæ præscit, ipse auctor est : quorum autem non est malus auctor, justus est ultor. Lib. 3 *de Libero arbit.*, cap. 4.

5. Tam multos Deus creando nasci voluit, quos ad suam gratiam non pertinere præscivit. Epist. 157, *ad Optatum.*

6. Omnia priusquam fierent, erant in notitia facientis. Lib. 5 *de Genesi ad litt.*, cap. 15.

7. Deus universas creaturas suas, et spiritales et corporales, non quia sunt, ideo novit; sed ideo sunt, quia novit. *Prosec.*

8. Non enim nescivit quæ fuerat creaturus, quia ergo scivit, creavit; non quia creavit, scivit; nec aliter ea scivit creata, quam creanda. Lib. 15 *de Trinit.*, cap. 13.

9. Quamvis infinitorum numerorum nullus sit numerus, non est tamen incomprehensibilis ei. cujus intelligentiæ non est numerus. Lib. 12 *de Civitate Dei*, cap. 18.

10. Præscivit nos Divinitas, Sapientia condidit, Justitia damnavit, Gratia liberavit. *De Prædestinat. et Gratia*, cap. 5.

11. Quisquis dixerit aliter evenire posse aliquid, quam Deus ante præscivit, præscientiam Dei destruere insanissima impietate molitur. Lib. 3 *de Lib. arbit.*, cap. 2.

12. Necesse est fieri quod futurum præscivit Deus. *Ibid.*

13. Quamvis præsciat Deus nostras voluntates futuras, non ex eo tamen conficitur, ut non voluntate aliquid velimus. *Ibid.*, cap. 3.

14. Non per Dei præscientiam mihi potestas adimitur, quæ propterea mihi certior aderit, quia ille cujus præscientia non fallitur, ad futuram mihi esse præscivit. *Ibid.*

15. Etsi malos Deus non fecit, tamen malos futuros esse præscivit. Epist. 59.

16. Certus est Dei præscientiæ definitus numerus, et multitudo sanctorum. Epist. 106.

17. Deus omnia largitur et præscit, sed peccata prædicit, supplicia minatur, beneficia pollicetur. Epist. 120, cap. 19.

18. Ea vere futura sunt, quæ Deus præscivit. Lib. 6 *de Genesi ad litt.*, cap. 17.

19. Deus malos creavit, quos tales futuros esse præsciebat : quia sicut prævidit, quid mali essent facturi, sic etiam prævidit de malis factis eorum, quid boni esset ipse facturus. *Ibid.*, lib. 11, cap. 9.

20. Præscientia Dei novit quid immineat non credentibus. *De Agone christ.*, cap. 27.

21. Confiteri esse Deum, et negare præscium futurorum, apertissima insania est. Lib. 5 *de Civitate Dei*, cap. 9.

22. Qui non est præscius futurorum, non est utique Deus. *Ibid.*

23. Absit a nobis Dei negare præscientiam, ut liberi esse velimus, quo adjuvante sumus liberi, vel erimus. *Ibid.*

24. Non ideo peccat homo, quia Deus illum peccatorum præscivit; sed si peccare noluerit, etiam hoc ille præscivit. *Ibid.*

25. Deus nullum, non dico angelorum, sed vel hominum crearet, quem malum futurum esse præscisset, nisi pariter nosset, quibus eos bonorum usibus commendaret. *Ibid.*, lib. 11, cap. 18.

26. Quia Deus cuncta præscivit, et ideo hominem quoque peccaturum ignorare non potuit. *Ibid.*, lib. 14, cap. 11.

27. Dei est de omnibus omnino rebus tam fixa sententia, quam certa præscientia. *Ibid.*, lib. 15, cap. 25.

28. Deus cum hominem peccatorum esse præsciret, non illi ademit liberi arbitrii potestatem; simul prævidens quid boni de malo ejus esset ipse facturus. *Ibid.*, lib. 22, cap. 1.

29. Præscientia Deus eos, quos sanaturus est peccatores prænoscit, non facit. Lib. 1 *de Anima et ejus orig.*, cap. 7.

30. In illa ineffabili præscientia Dei, multi qui foris videntur, intus sunt : et multi qui intus videntur, foris sunt. Lib. 5 *de Baptismo contra Donat.*, cap. 17.

31. Mala ex bonis exoritura Deus esse præscivit. *De Correpl. et grat.*, cap. 10.

32. Quicunque boni in æternum futuri sunt, et si ad tempus mali sunt, non zizania, sed triticum sunt in præscientia Dei. *De Unitate Ecclesiæ*, cap. 19.

33. Non propterea quemquam Deus ad peccandum cogit, quia futura hominum peccata jam novit : ipsorum enim præscivit peccata, non sua, non cujusquam alterius, sed ipsorum. *Prosec.*

34. Quapropter si ea quæ ille præscivit ipsorum, non sunt ipsorum, non vere ille præscivit : sed quia illius præscientia falli non potest, sine dubio non alius, sed ipsi peccant, quos Deus peccaturos esse præscivit. Tract. 53 super *Joan.*

BOETIUS.

35. Si cuncta prospicit Deus, neque falli ullo modo potest, evenire necesse est, quod providentia futurum esse prævìderit. *Prosec.*

36. Neque enim vel factum aliud ullum, vel quælibet existere poterit voluntas, nisi quam nescia falli Providentia divina persenserit.

37. Nam si res aliorsum quam prævisæ sunt, detorqueri valent, non jam erit futuri firma præscientia : sed opinio potius incerta, quod de Deo nefas credere judico. Lib. 5 *de Consolat. philos.*, prosa 3.

38. Præscientia futuris rebus eveniendi necessitatem non videntur inferre. *Ibid.*

39. Etiamsi idcirco quoniam futura sunt, providentur : non vero ideo, quoniam providentur, eveniunt. *Ibid.*

40. Sicut scientia præsentium, nihil his quæ fiunt : ita præscientia futurorum, nihil his quæ ventura sunt, necessitatis importat. *Ibid.*, lib. 5, prosa 4.

41. Divina prænotio naturam rerum, proprietatemque non mutat : taliaque apud se præsentia spectat, qualia in tempore olim futura provenient. *Prosec.*

42. Nec rerum judicia confundit, unoque suæ mentis intuitu, tam necessario quam non necessario ventura dignoscit. *Ibid.*, lib. 5, prosa 6.

43. Fiunt proculdubio cuncta, quæ futura Deus esse prænoscit : sed eorum quædam de libero proficiscuntur arbitrio, quæ quamvis eveniant existendo, tamen propriam naturam non amittunt : quia priusquam fierent, etiam non evenire potuissent. *Ibid.*

44. Manet spectator desuper cunctorum præscius, Deus, visionisque ejus præsens semper æternitas cum nostrorum actuum futura qualitate concurrit; bonis præmia, malis supplicia dispensans. *Ibid.*

S. BRUNO.

45. Præscientia Dei nullo modo potest immutari. Super *Epist. ad Romanos*, cap. VIII.

FRANCISCUS TITELM.

46. Nihil Deum latere potest, sive eorum quæ fiunt in tempore præsenti, sive eorum quæ facta sunt in præterito, sive eorum quæ post futura sunt. In *Elucidat.*, super cap. XXIV.

S. FULGENT.

47. Deus omnia hominum opera, sive bona, sive mala præscivit; quia eum latere non possunt : sed sola bona prædestinavit, quæ se in filiis gratiæ facturum esse præscivit. Lib. 1 *ad Monimum*, cap. 24.

48. Non omnia prædestinavit Deus, quæ præscivit, quamvis omnia prædestinata præsciverit. *Prosec.*

49. Præscivit enim voluntates hominum bonas, et malas ; prædestinavit autem non malas, sed solas bonas. *Ibid.*

50. Peccata hominum cuncta quidem Deus in peccatoribus præscivit futura, et quia ipse non ea prædestinavit facienda, juste prædestinavit in judicio punienda. *Ibid.*, cap. 27.

51. Præscientia veritatis in se non recipit falsitatem : sicut faciendum præscit quod faciendum est, ita non faciendum, quod faciendum non est. Lib. 1 *de Verit., prædest.*

S. GAUDENT. 52. Præscientia Dei non fallitur, nec homini concessa semel voluntatis libertas aufertur, ne nihil de eo judicare possit, qui liber non fuerit in agendo. Tract. 3.

GLOSS. ORD. 53. Præscientia Dei diffinitum habet, qualis uniuscujusque futura sit voluntas, ex qua damnetur, vel coronetur. Super *Epist. ad Rom.*, cap. IX.

S. GREGOR. MAG. 54. Præscire Deus dicitur, quia unamquamque rem, antequam veniat, videt; et id quod futurum est, priusquam præsens fiat, prævidet. Lib. 20 *Moral.*, cap. 23.

55. Præfixi dies singulis ab interna Dei præscientia, nec augeri possunt, nec minui : nisi contingat, ut ita præsciantur, ut aut cum optimis operibus longiores sint, aut cum pessimis breviores. *Ibid.*, lib. 12, cap. 23, super illud *Job* XV : *Antequam dies ejus impleantur.*

56. Sæpe iniquus quamvis in occulta Dei præscientia longa vitæ ejus tempora non sint prædestinata, ipse tamen quia carnaliter vivere appetit, longos animæ dies proponit. *Ibid.*

S. HIERON. 57. Non ex eo quod Deus scit futurum aliquid, idcirco futurum est : sed quia futurum est, Deus novit, tanquam præscius futurorum. Lib. 5 super *Hierem.*, cap. XXVI, super illud : *In principio regis Joachim.*

58. Non quia ventura Deus cognoscit, necesse est nos facere quod ille præscivit, sed quod nos propria voluntate sumus facturi, ille novit quasi Deus. Lib. 1 super *Ezech.*, cap. II, super illud : *E dices ad eos.*

HUGO CARD. 59. Præscientia Dei causa est bonorum, quia ipsa est exemplar eorum : non est autem exemplar malorum, et ideo non est eorum causa. Super *Epist. ad Rom.*, cap. X.

60. Præscientia non est causa prædestinationis : quosdam enim Deus præscivit, quos non prædestinavit. Super II *Tim.*, cap. II.

S. JOANNES CHRYSOST. 61. Admiranda est Dei præscientia : omnia priusquam nascantur, cognoscit. Super *Epist. ad Galat.*, cap. II.

S. JOANNES DAMASC. 62. Deus omnia quidem præscit, sed non omnia præfinit. Lib. 2 *de Fide orthod.*, cap. 30.

63. Præscientiæ Dei, omnia ante etiam quam oriantur, nota sunt. *Ibid.*, lib. 4, cap. 25.

JOAN. SAR. 64. Præscientia rebus causa eveniendi non est, aut eventus rerum ei causa est præsciendi, ne aut temporalium motus æternæ providentiæ causa sit aut a purissimo fonte bonitatis malorum profluant rivuli. Lib. 2, *de Nugis curial.*, cap. 21.

ORIGEN. 65. Non propterea erit aliquid, quia id scit Deus futurum, sed quia futurum est, scitur a Deo antequam fiat. Lib. 7, in cap. VIII, *Epist. ad Romanos.*

S. PROSPER. 66. Nihil est velocius et scientia et opera Dei, qui quæ futura sunt, novit et fecit : et quæ nondum sunt orta, jam apud illum sunt præordinata. Super *Psalm.* CXXXXVII, vers. 4.

RICH. A S. VICT. 67. Nihil est quod ante præscientiæ Dei conspectum latere valeat. Part. 1, lib. 2, *de Contemplat.*, cap. 27.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

TRISMEG. 68. Placita Dei necessitas sequitur, voluntatem comitatur effectus : neque enim credibile est Deo displiciturum esse, quod placuit, cum et futurum id, et placiturum multo ante sciverit. *De Volunt. divina*, cui titulus, *Asclepius*, cap. 4.

PRÆSENTIA in genere.

S. ISIDORUS HISPALENS. *Etymologia.* Præsens dicitur, eo quod sit præ sensibus. Lib. 10 *Etymol.*, verbo *Præsens.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Nemo sibi de absentia blandiatur : nam præsentior est, qui se animis inserit, quam qui oculis protestatur. Lib. 5, epist. 31, *ad Valentinianum imperat.*

S. AUGUST. 2. Quæ remota non sunt a sensibus nostris, sive interioribus, sive etiam exterioribus, præsentia nuncupantur. Lib. 11 *de Civitate Dei*, cap. 3.

3. Non præterit quidquam in æterno, sed totum est præsens : nullum vero tempus totum est præsens. *Ibid.*, cap. 11.

S. BONAV. & S. BERNARD. 4. Non est præsentior noster spiritus ubi animat, quam ubi amat. *De Septem. itinerib. æternit.*, itin. 4, dist. 4, art. 4. S. Bernard., *de Præcepto et dispens.*

S. GREGOR. MAGNUS. 5. Plus in charitate animorum unitas, quam corporalis potest venerari præsentia. Lib. 2 in *Regist.*, ind. 11, cap. 86, epist. 47, *ad Columbum episc. Numidiæ*

S. HILAR. 6. Præsentia eorum quæ amantur, optabilis est. Epist. *ad Apram filiam suam.*

S. JOANNES CHRYSOST. 7. Amantibus quando non possunt versari cum iis quos amant, nulla præsentiæ utilitas est. Homil. 20 *ex Divers. in Matth.*

8. Quamvis præsens esse videatur, re tamen abest, qui conversatione disjunctus est. Serm. 8, *de Resur.*

JOAN. TRITH. 9. Sicut amicorum cordialis præsentia, ita et diligentibus discessio gravis. Epist. 25, *ad Fratr. Bernard. minorit.*

10. Debilis amor, qui de præsentia solum pendet amati. *Ibid.*

S. LAURENT. JUSTIN. 11. Maturæ mentis semper incedit gressu, qui secum habitans, frequenter sponsi potitur præsentia. Tract. *de Compunct. et compl.*

S. PETRUS CHRYSOL. 12. Nihil est præsentia corporalis, ubi fuerit mentis miseranda separatio : sicut contra nihil officit absentia corporalis, ubi corda fuerint sociata per fidem. Serm. 32.

S. PETRUS DAMIANUS. 13. Spiritualis quisque carnalibus absens quidem timori, præsens autem videtur despectui. Opusc. 12, cap. 26.

RICHARD. A S. VICTORE. 14. Proh pudor! magis vereris vultum hominum, quam conspectum angelorum. Part. 1, *de Benjamin minore*, cap. 47.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 15. Est ipsa amicorum præsentia, tum in secunda, tum in adversa fortuna, suavis et jucunda. Lib. 9 *Moral.*, cap. 11.

SENECA. 16. Sic fac omnia, tanquam spectet aliquis. *Prosecutio.*

17. Prodest sine dubio custodem præsentem sibi imposuisse, et habere quem respicias, quem interesse tuis actionibus judices.

18. Hoc quidem magnificentissimum est, sic vivere tanquam sub alicujus semper præsentis oculis. Epist. 25.

19. Amicorum præsentia nos delicatos facit. Epist. 55.

PRÆSENTIA DEI.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Deus extra, Deus intus, Deus ubique est. Lib. 3 *de Virginibus.*

2. Deus est complens omnia, nusquam ipse confusus; penetrans omnia, nusquam ipse penetrandus. *Prosecutio.*

3. Ubique totus est, eodemque tempore, vel in cœlo, vel in terra, vel in novissimo maris præsens. Lib. 1 *de Fide ad Gratianum*, cap. 7.

4. Ubi est Christus, ibi omnia, ibi doctrina ejus, ibi peccatorum remissio, ibi gratia, ibi separatio mortuorum ac viventium. Lib. 1, epist. 5, *ad Felicem Comensem episcopum.*

5. Cum Deus hic est, etiam alibi est, non mutato loco, sed repleto ubique sui præsentia. *Prosec.*

6. Ubique enim est, qui est, per omnia, et in omnibus, nullum locum immunem sui relinquens : et ubi adest, erat : et ubi erat, adest. Lib. 1 *de Cain et Abel*, cap. 8.

7. Nullus absens est Deo, nisi qui se absentem fecerit. Super *Psalm.* 36.

8. Hominem vereris præsentem. Dei Patris et Filii non vereris præsentiam? Super *Psalm.* CXVIII serm. 1, vers. 2.

9. Licet ubique sis semper, et stans in medio nostrum, non cernaris a nobis, erit tamen tempus, quo universa caro te aspiciet præsentem. Lib. 7 super *Luc.*, cap. X, in illud : *Revertens reddam tibi.*

10. Deus ubique semper præsens est : sed quia est præsentior diligentibus, negligentibus abest. *Ibid.*, lib. 9, cap. 20.

11. Quam remota es a conspectu meo, o beata deitas, qui sic præsens sum conspectui tuo! ubique es tota præsens, et non te video. *Prosec.* S. ANSELM.

12. In te moveor, et in te sum, et ad te non possum accedere : intra me, et circa me es, et non te sentio. In *Prosologio*, cap. 16.

13. Verbi divinitas universa implens, nullis locorum terminis separatur : sicut nihil est unde discedat, ita nihil est quo veniat. *Disputat. contra Arium.* S. ATHANAS. MAGNUS.

14. Deum tanto habebimus præsentiorem, quanto eumdem amorem, quo in eum tendimus, potuerimus habere puriorem. Epist. 52 *ad Macedon.* S. AUGUST.

15. Ad eum, qui ubique præsens est, et ubique totus, non pedibus ire licet, sed moribus : non ambulando, sed amando. Epist. 52 *ad Macedon.*

16. Sicut nullum potest esse momentum, quo homo non fruatur Dei bonitate et misericordia; ita nullum sit momentum, quo præsentem non habeat eum in memoria. *De Spiritu et anima*, cap. 35.

17. Homo Deo sibi præsente illuminatur, absente autem continuo tenebratur : a quo non locorum intervallis, sed voluntatis aversione disceditur. Lib. 8 *de Genesi ad litt.*, cap. 12.

18. Deus, qui nusquam deest, frustra pollutis animis præsens est, quem videre mentis cæcitas non potest. *De* LXXXIII *Quæst.*, quæst. 12.

19. Nihil Deo præsentius, et nihil eo secretius. *De Spiritu et anima*, cap. 57.

20. Deus ubique est, et longe est a malis : ubique est, inquam, et longe est a malis, qui ubique sunt. Quomodo longe est quod ubique est? longe est a malis, quia jacent in dissimilitudine sua, exterminantes in se similitudinem Dei. Super *Psalm.* CXLVI, vers. 7.

21. Ubique est, qui nullo clauditur loco : noli ab illo averti, et tecum est. Tract. 36 super *Evang. Joan.*, cap. VIII.

22. Ubique est Deus, et ubique totus, qui sentiri potest, videri non potest; qui nusquam deest, et tamen ab iniquorum cogitationibus longe est, qui nec ibi deest, ubi longe est : quia ubi non est per gratiam, adest per vindictam. In *Medit.*, cap. 29.

23. Non finis est laborare fugiendo, a Deo eligis fugere, non ad illum, si non potes ab illo fugere, quia ubique præsens est, de proximo fuge ad Deum : quia præsens est ubi stas, fuge. *Prosec.*

24. Si fugiendo excessisti cœlos, ibi est : descendisti ad inferos, quascunque terrarum solitudines elegeris, ibi est. Quo fugere possis ab illo, non est; noli laborare, fuge ad præsentem, ne sentias venientem. Serm. 10 *de Verbis Domini.*

25. Quis locus te excipiet fugientem, ubi Dei præsentia te non inveniat? Homil. 50, *ex* LIII *Homil.*

26. Deus est ubique per divinitatis præsentiam, sed non ubique per inhabitationis gratiam. Epist. 57.

27. Novit Deus ubique totus esse, et nullo contineri loco. Epist. 3.

28. Deus qui ubique præsens est, et ubique totus, non in omnibus habitat, sed in eis tantum quos efficit templum suum. Epist. 57.

29. Homo Dei præsentia justificatur, et illuminatur, et beatificatur, dum obedienti subjectoque dominatur. Lib. 8 *de Genesi ad litt.*, cap. 12.

30. Dei sapientia cum tota ubique præsto sit, nullo pacto migrare de loco in locum potest. *Contra Adimant.*, cap. 13.

31. Dominus Jesus Christus ubique præsens est, quia ubique est veritas, ubique est sapientia. Tract. 35 super *Joan.*

32. Præsto est ipse Dominus, qui ubique est, ut audiat interrogandi affectum, et intelligendi præstet effectum. *Ibid.*, tract. 38.

33. Idem Deus ubique totus implens cœlum et terram præsente potentia, non absente natura. Lib. 7 *de Civit. Dei*, cap. 30.

34. Ideo Deus ubique esse dicitur, quia nulli parti rerum absens est. Epist. 57.

35. Nusquam absens est, qui cœlum et terram implet. Epist. 112, cap. 12.

36. Deus non est absens etiam mentibus impiorum, quamvis eum non videant. Epist. 120, cap. 3.

37. Deus cum ubique sit præsens, multis modis per creaturam sibi Domino servientem, aversum vocat, docet credentem, consolatur sperantem, diligentem exhortatur, conantem adjuvat, exaudit deprecantem. Lib. 3 *de Lib. arb.*, cap. 19.

38. Deus meus ubique præsens est, ubique totus, nusquam inclusus; qui possit adesse secretus, abesse non motus. Lib. 1 *de Civit. Dei*, cap. 29.

39. Deus ubique totus, nullis inclusus locis, nullis vinculis alligatus, in nullas partes sectilis, ex nulla parte mutabilis, implens cœlum et terram. *Ibid.*, lib. 7, cap. 30.

40. Non loco movetur Deus, qui semper ubique est : sed descendere dicitur, cum aliquid facit in terra, quod præter usitatum naturæ cursum mirabiliter factum, præsentiam quodammodo ejus ostendat. *Ibid.*, lib. 16, cap. 5.

41. Deus totus in cœlo est, totus in terra; non alternis temporibus, sed utrumque simul, quod nulla natura corporalis potest. *Ibid.*, lib. 22, cap. 22.

42. Non ad eum, qui ubique præsens est, locis movemur; sed bono studio, bonisque moribus. Lib. 1 *de Doctr. christ.*, cap. 10.

43. Non sic Deus dicitur implere mundum, velut aqua, aer, lux; ut minore sui parte, minorem mundi impleat partem, et majore majorem. Novit ubique totus esse, et nullo contineri loco : novit venire non recedendo ubi erat, novit abire non deserendo quo venerat. Epist. 3.

44. Deus tuus ubique totus est : si non ab illo facias casum, nunquam a te ipse facit occasum. Tract. 34, super *Joan.*

45. In te manes quietus, ubique circumis totum, ubique prorsus totus : non enim scindi vel dividi poteris, quia vere unus es, nec in partes efficeris, quia totus totum tenes, totum imples et possides. Lib. *Medit.*, cap. 21.

46. Deus quidem omnibus adest in locis, neque tamen Deum locus ullus audet circumscribere. Orat. 20. S. BASILIUS SELEUC.

47. Totus ubique manens, tota est virtute colendus. In suis *Proverbiis*, verbo *Totus*. V. BEDA.

48. Qui totus est ubique, locus esse nequi, ubi desit, nisi quo tenebris malitiæ et insipientiæ fugatur. *De Substantiis.*

49. Ubique regna Deus, ubique imperat, ubique majestas ejus. Serm. 5 *de Verbis Isaiæ.* S. BERNARD.

50. Ubi est Deus? quid dixi miser? sed ubi non est? Altior est cœlo, inferno profundior, latior terra, mari diffusior. Nusquam est, et ubique est : quia nec abest ulli, nec ullo capitur loco. Serm. *de Triplici cohærentia vinculorum.*

51. Nullum omnino præsentiæ Dei certius testimonium est, quam desiderium gratiæ amplioris. Serm. 2 *de Andræa.*

52. Præsens Deo est, qui Deum amat, in quantum amat : in quo enim minus amat, absens profecto est. *De Præcepto et dispens.*

53. In omnibus quæ agis, Deum præsentem

cognosce, quia ubique præsens cernit quidquid facis. Lib. *Medit.*, cap. 6.

54. Magna custodia tibi necessaria est, quoniam ante oculos judicis vivis cuncta cernentis. *Ibid.*

55. Si Deus tecum non est per gratiam, adest per vindictam : sed væ tibi, si ita tecum est; immo væ tibi, si ita tecum non adest. *Ibid.*

56. Deus ubique totus est; ubicunque fueris sine ipso, male eris, et male tibi erit, et ubicunque fueris cum ipso, bene eris, et bene tibi erit. Serm. *de Miseria humana.*

BOETIUS. 57. Magna vobis est si dissimulare non vultis, necessitas indicta probitatis, cum ante oculos agitis judicis cuncta cernentis. Lib. 5 *de Consolat. philos.*, prosa 6.

58. Deus ubique est, non quod in omni sit loco; omnino enim in loco esse non potest; sed quod ei omnis locus adsit ad eum capiendum, cum ipse non suscipiatur in loco. Atque ideo nusquam esse in loco dicitur, quoniam ubique est, sed non in loco. *De Trinitate.*

S. BONAV. 59. Deus dicitur prope tribus de causis : per inspirationem, per infusionem, per auxilium. Expos. 1 super *Psalm.* CXVIII, in illud : *Prope es tu, Domine.*

60. Plus confundi et plus timere debet homo solum Deum videntem, quam totum mundum peccata sua videntem : ubi enim ille non videt quod agis, qui ubique est? Serm. 4 *Dom.* 11, *post Pent.*

61. Deus est sphæra, cujus centrum est ubique, et circumferentia nusquam. In *Itinerar. mentis in Deum*, cap. 5.

62. Deus ubique præsens est, sed latens : ubique totus, sed immensus. In Appendice *de Essentia Dei.*

63. Deus est in mundo non inclusus, extra mundum non exclusus, supra mundum non elatus, infra mundum non depressus. Lib. 1 *Compend. theol. verit.*, cap. 17.

64. Sicut Deus ubique est, et tamen nullo loco circumscribitur, sic æternus est. *Ibid.*, cap. 18.

65. Nihil Deo præsentius, et nihil incomprehensibilius; quid nempe cuilibet rei præsentius, quam esse suum? *Ibid.*, cap. 16.

CASSIODOR. 66. O quam profunda cæcitas, Deum ante oculos non habere! Super *Psalm.* IX, vers. 26 : *Non est Deus in conspectu ejus.*

67. Præsentiam Dei solus quærit humilis ac devotus. Super *Psalm.* CIV, vers. 4.

68. Qui præsentiam Dei cupit, a prava se actione suspendit. *Ibid.*

69. Diabolus vacantia desiderat, nudata perquirit : sed ubi Deum præsentem reperit, sub magna confusione discedit. Super *Psalm.* LXIII, in Procemio.

70. Manifestum est, a nulla creatura divinam falli posse præsentiam. *Prosec.*

71. Nam cum ubique totus plenissime sit, quis eum putat declinari, quo possit abscondi ?

72. Illic enim aliquis potest esse celatus, ubi præsens non fuerit ille qui fugitur. Super *Psalm.* CXXXVIII, vers. 6 : *Quo ibo a spiritu tuo ?*

73. Præsentia Dei semper et ubique est. Super *Psalm.* CXLIV, vers. 20.

74. Hac solum ratione fit, ut quis nunquam labatur, si Deum sibiipsi semper adesse existimat. Lib. 3 *Pædagogi*, cap. 5. CLEMENS ALEX.

75. Non est loco circumscriptus Deus, sed in omnibus locis existens, a nullo tamen comprehensus. *Cateches.* 6. S. CYRILLUS HIEROSOL.

76. Da operam ut crebrius Deum in mente habeas quam spiritum ducas. *De Octo vitios. cogit.* EVAGRIUS.

77. Si illud semper memineris, rerum scilicet omnium, quas vel animo, vel corpore geris, inspectorem Deum esse, in nulla omnino actione peccabis. *Ibid.*

78. Quod agere sub præpositorum præsentia veremur, sub Dei oculis committere non timemus. Homil. 5 *ad Monachos.* S. EUSEBIUS EMISS.

79. Ubique totus est Deus per existentiam, sed non æqualiter in singulis per efficientiam. Serm. 3, super *Cant.* apud D. Bern. GILLEBERT. ANGLUS.

80. Dei oculum nihil fugit, licet ad tempus sustineat impios, in quo elucet illius tolerantia, et judiciorum magnitudo. Super *Job*, cap. 35. GLOSS. ORD.

81. Qui ubique est, diligentibus præsentior est, negligentibus abest. Super *Luc.*, cap. 20.

82. Qui Deum quasi semper præsentem pertimescit, neminem fraudare intendit. Super *Ecclesiastic.*, cap. 29.

83. Cum ubique Deus sit, tamen in illis proprie habitare se dicit, qui ejus gratia perfruuntur. Super illud II *Cor.* 6 : *Vos estis templum Dei vivi.*

84. Deus manet ipse intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia : superior per potentiam, inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem : sursum regens, deorsum continens, extra circumdans, interius penetrans. Lib. 2 *Moral.*, cap. 8, num. 22. S. GREGOR. MAGNUS.

85. Creator omnium Deus ubique est, et ubique totus est : in parte non est, quia ubique est et tunc minus invenitur, quando is qui totus ubique est, in parte quæritur. *Ibid.*, lib. 16, cap. 15.

86. Deus nusquam deest, et tamen ab iniquorum cogitationibus longe est : nec tamen ibi adest, ubi longe est; quia ubi non est per gratiam, adest per vindictam. Homil. 8, super *Ezech.*

87. Deus ubique præsens est, et inveniri vix

potest, quod stantem sequimur, et apprehendere non valemus. *Ibid.*

88. Ubi Dei ingreditur memoria, ibi est lux veritatis immensa. Super septem *Psalm.* pœnit. Super *Psalm.* I, vers. 5.

89. Deus electos suos per spiritalem præsentiam nunquam deserit, et cum stantibus permanet, et cum abeuntibus recedit. Lib. 1 in I *Reg.*, cap. 1.

S. GREGOR. NAZ. 90. Crebrius Dei recordari, quam spiritum ducere oportet. Hab. apud *D. Joan. Damasc.* lib. 3, *Parall*, cap. 18.

S. HIERON. 91. Semper cogitationi tuæ, Dei præsentia occurrat. Epist. 14. *ad Celantiam.*

92. Ad omnia quæ tibi agenda sunt, regaliter age, quia Deus tecum est. In *Quæst. super lib. Reg.*

93. Certe quando peccamus, si cogitaremus Deum videre et esse præsentem, nunquam quod ei displicet faceremus. Lib. 3, super *Ezech.*, cap. 3, super illud : *Certe vides.*

94. Memoria Dei excludit cuncta flagitia. *Ibid.*, cap. 22, super illud : *Mei oblita es.*

95. Præsentia Salvatoris, tormenta sunt dæmonum. Lib. 1, super *Matth*, cap. 8, can. 5, num. 68, super illud : *Quid nobis.*

S. HILAR. 96. Nullus sine Deo, neque ullus non in Deo locus est : in cœlis est, in inferno est, ultra maria est, inest interior, excedit exterior : ita cum habet atque habetur, neque in aliquo ipse, neque non in omnibus est. Lib. 1 *de Trinit.*, verbo *Circumspicienti.*

97. Mirabile est, Deum ubique esse, et nusquam abesse, in omnibus esse, et totum esse, et extra locos ac tempora pro infinitate atque æternitate sua semper esse, hoc mirificum est. Super *Psalm.* CXXXVIII.

98. Deus immensæ virtutis vivens potestas, quæ nusquam non adsit, nec desit usquam, se omnem per sua edocet, et sua non aliud quam se esse significat : ut ubi sua insint, ipse esse intelligatur. Lib. 8 *de Trinit.*

S. INNOC. II. 99. Licet omnis qui male agit, odit lucem, et quærit tenebras : Dei tamen oculos cuncta conspicientes latere non potest. Habet. in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 18, quæst. 2, can. *Perniciosam.*

S. JOANNES CHRYSOST. 100. Ubi Christus est, ibi angeli sunt, ibi cœlum, ibi lux hac solari luce fulgentior. Homil. 49, super *Matth. Oper. perf.*

101. Nullus est locus ubi Deus non sit : et ubi vult aspicere, ibi fit præsens : ubi autem non vult, absens videtur. Homil. 41, super *Matth. Oper. imperf.*

102. Is præsentem Dominum non habet, qui Dominum abesse compellit. *Prosec.*

103. Nemo absentiam Christi sustinet, nisi qui præsentiam non requirit. Serm. 8, *de Resur.*

104. Nusquam est Deus, et tamen ubique est, neque in loco est, neque ullus est locus in quo non sit. Homil. 5, super *Epist. ad Coloss.*

105. Est Deus ubique non solum præsens, sed vere intimus ac præsentissimus, quem nullum latet secretum, cui nihil manet absconditum, sed totum ei patet manifestum. Lib. 2 *ad Monachos*, serm. 5. JOAN. TRITH.

106. Deus sphæra est, cujus centrum ubique est, et circumferentia nusquam. *Prosec.*

107. Intra omnia est, nec includitur : extra omnia est, et non excluditur : infra omnia est, nec opprimitur : supra omnia est, et non portatur.

108. Ipse omnia includit, qui ubique totus cum sit, nullo in loco concluditur; magnus et immensus, nulla quantitate terminatur. Part. 1 *de Regione claustral.*, tract. 2, reg. 2, art. 7, radice 1.

109. Frustra fugere a conspectu Judicis nititur cujus præsentia omnia implentur. *De Vanit. et miser. hum. vitæ*, cap. 1.

110. Deus est intra omnia, sed non inclusus : extra omnia, sed non exclusus. Lib. 1 *de Sum. bono*, cap. 2, sent. 3. S. ISID. HISP.

111. Deus ubique præsens est, Spiritus ejus totum implet, majestas ejus omnia penetrat. *Prosec.*

112. Cuncta suæ potentiæ attingit præsentia, extra eum locus nullus est.

113. Cognitioni ejus nihil occultum est, omnia secreta vis virtutis ejus irrumpit.

114. Nulla sibi latere patitur, nullis obicibus, ut non penetret, impeditur : ipse cogitationes novit, ipse cor inspicit. Lib. 2 *de Synonym.*, cap. 11.

115. Multum refrænat homines conscientia, si credamus nos in conspectu Dei vivere. *De Ira Dei*, cap. 8. LACT. FIRM.

116. Deus ubique te intuetur, atque etiam abditissima intentationum affectionumque tuarum perfecte cognoscit. *Prosec.* LUDOV. BL.

117. Adeo tibi præsens est, adeo intra te est, ut nec unum quidem sine eo moveas gressum.

118. Hoc prorsus persuasum habe, hoc crede, et præsentiam ejus ama ac reverere, erubescens aliquid admittere, quod oculis tam excelsi, tamque intimi spectatoris displiceat. In *Canon. vitæ spirit.*, cap. 23.

119. Felix illa anima, quæ Deum sincere diligens, in hoc exilio præsentiam ejus libero, claro, sereno, et simplicis mentis intuitu, gratia ejus adjuvante, contemplari novit. In *Speculo spirit.*, cap. 10.

120. Deus ubique non tantùm nobis proximus, sed infusus est. In suo *Octavio.* MINUT. FELIX.

121. Deum ipsum semper præsentem adesse existima in omnibus quæ agis. *Parænes.* 26. S. NILUS.

ORIGEN. 122. Deus ubique præsens est : quia non est locus, neque in cœlo, neque in terra, neque in excelsis, neque apud inferos, ubi non sit præsens. Lib. 1 in *Job*, super illud : *Ut starent ante Deum.*

PHILO JUD. 123. Deus implet omnia, penetrat omnia, relinquens seipso vacuum; et quem locum occupabis, in quo non sit Deus? Lib. 2 *Legis allegor.*

124. Audi sententiam verissimam ab eo, cui cuncta sunt cognita, Deum esse nusquam : nam ipse non continetur, sed universa continet; quidquid autem in loco est, id contineri, non continere necessario sequitur. *Ibid.*

125. Deus implet omnia, non contentus, sed continens, qui solus ubique simul, et nusquam est. *De Confus. linguar.*

126. Id invisibile incomprehensibileque nomen, cum sit ubique, nusquam tamen vere cernitur, aut percipitur. *Ibid.*

127. Quid mirum, si nulla creatura latere potest Deum, qui universa replet sua præsentia? Lib. *De eo quod deterius potiori.*

128. Impossibile est deesse commodum aliquod, ubi Deus præsidet. *De Agricultura.*

S. PROSPER. 129. Præsentia Dei semper quærenda est, et perseveranti studio agendum, ut qui præsentem se tribuit, non recedat. Super *Psalm.* CIV, vers. 4.

S. REMIG. 130. Deus ubique est, et omnia implet : quia cingendo implet omnia, implendo cingit, gubernando præsidet, præsidendo gubernat. Super *Epist. ad Hebr.*, cap. 1, can. 6.

RICHARD. A S. VICTORE. 131. Præsentia majestatis Dei præsto est omni creaturæ, semper ubique adest, ut nunquam omnino, sicut nusquam abesse possit. Part. 1, serm. *de Missione Spiritus sancti.*

SALVIANUS. 132. Absque dubio Deus illic est, ubi illa pars fuerit, a qua Dei Spiritus non recedit. Lib 4 *ad Eccles. cathol.*

S. THEODOR. 133. Ubique Deus adest, et omnibus præsto est. Super *Psalm.* CXXXVIII, vers. 7.

S. THEOPH. ANTIOCH. 134. Ubi est Deus, illic et vita atque amœnitas æterna. Lib. 1 in *Evang.*

S. THOMAS AQUINAS. 135. Deus est in omnibus per potentiam, quia ei omnia subjecta sunt; est in omnibus per essentiam, quia omnia immediate creavit; et in cunctis est per præsentiam, quia omnia cognoscit. Part. 1, quæst. 8, art. 3.

THOMAS A KEMPIS. 136. Attendite, dilecti fratres, præsentiam Christi in omni loco, ubicunque convenitis, sive ad orandum, sive ad laborandum. Serm. 4 *ad Novit.*

137. Tua, Jesu, præsentia, gaudium mihi facit : tua absentia luctum sæpe parit. Medit. 8 *de Nativit.*, cap. 3.

138. Quando Jesus adest, totum bonum est, nec quidquam difficile : quando vero Jesus non adest, totum durum est. Lib. 2 *de Imit. Chr.*, cap. 8.

139. Ubi mihi bene fuit, Domine Deus meus, sine te? aut quando male esse potuit præsente te? *Prosec.*

140. Malo pauper esse propter te, quam dives sine te : eligo potius tecum in terra peregrinari, quam sine te cœlum possidere.

141. Ubi tu, ibi cœlum : atque ibi mors et infernus, ubi tu non es. *Ibid.*, lib. 3, cap. 59.

S. VALER. EPISCOPUS. 142. Ibi Deus est, ubi integræ religionis est animus. Homil. 11.

IN VITIS PATR. 143. Ubique Deus est : piis autem et in spirituali exercitio sudantibus propinquat; non his qui professione sola honestantur, sed his qui illustrantur operibus. Lib. 10, cap. 114.

144. Ubi Deus est, quis insidiari valet, aut nocere poterit? *Ibid.*

145. Surgente, vel ambulante, vel sedente, vel aliud quodlibet faciente, si est Deus præ oculis tuis, in nullo poterit te inimicus exterrere. In *Sent. in fine positis*, sent. 24.

S. ZENO EPISCOPUS ET MART. 146. Deus ubique est, et ubique adest, audit et videt, et efficit. Serm. 1, super *Psalm.* CXXVIII.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

PLATO. 147. Singulis partibus unum adest et idem, quod a nulla parte abest, sive minor quidem illa sit, sive major, sive quomodocunque se habeat, et ubique simul est totum. Sizygia 5, in *Dialogo Parmenidis.*

SENECA. 148. Dei divinitati omne præsens est. Lib. 2, quæst. 36.

149. Semper ante oculos Deus est habendus, ut sic tanquam illo spectante vivamus, et omnia tanquam illo vidente faciamus. *Prosec.*

150. Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat. O felicem illum! qui non aspectus tantum, sed et cogitatus emendat. Epist. 11.

151. Sic certe vivendum est, tanquam in conspectu vivamus : sic cogitandum, tanquam aliquis in pectus intimum inspicere possit : quid enim potest ab homine esse secretum? nihil Deo clausum est, interest animis nostris, et cogitationibus mediis intervenit. Epist. 83.

SIXTUS PHILOSOPH. 152. Nequaquam latebis Deum agens injuste, sed nec cogitans quidem. Sent. 59.

153. Sapientis mentem Deus inhabitat. *Ibid.*, sent. 137.

154. In actibus tuis ante oculos pone Deum. *Ibid.*, sent. 215.

TRISMEG. 155. Ipse sic cogita Deum præsentem, semper agentem omnia, Deum unicum voluntate sua cuncta constituentem. Lib. *de Potest. et sap. Dei*, cui titulus, *Pimander.*, cap. 4.

156. Nihil est in omni natura, ubi Deus ipse non sit : hic Deus nomine melior, hic occultus,

hic rursus omnium potentissimus, hic menti conspicuus, hic præsens oculis : nihil in corporibus est quod ipse non sit. *Ibid.*, cap. 5.

157. Existentia ipse Deus amplectitur : extra hunc nihil est, extra nihil ipse. *Ibid.*, cap. 9.

158. Non fit aliquid usquam, nec est factum, ubi Deus ipse non adsit. *Ibid.*, cap. 12.

159. Deus supra verticem summi cœli consistens, ubique est, omniaque circumspicit, terræ et mari dominatur. *De voluntate divina,* cui titulus, *Asclepius.*, cap. 9.

Vide etiam tit. *Compunctio,* sent. 87; *Desertio Dei,* sent. 28; *Fuga,* sent. 21; *Judicium extremum,* sent. 51; *Justificatio,* sent. 14; *Peccatum,* sent. 390; *Providentia Dei,* sent. 107; *Quærere Deum,* sent. 13; *Trinitas,* sent. 83.

PRÆSUMPTIO.

COLLECTOR. *Etymologia.* Præsumptio dicitur, quasi præ aliis sumptio.

S. ANTON. *Definitio.* Præsumptio est vitium, quo quis aggreditur, vel exequitur ea, quæ supra facultatem suam sunt, et conditionem. Part. 2, tit. 3, cap. 6.

Præsumptio est vitium, quo quis in actibus exterioribus aliquid inconsuetum facit sine rationabili causa. Part. 2, tit. 4, cap. 5.

S. BONAV. Præsumptio in hoc consistit præcipue quod homo præsumit gratiam se habere, vel ex se, vel pro meritis suis, vel falso, vel plus aliis. Unde versus :

Ex se, pro meritis, falso, plus omnibus inflat.

In *speculo animæ,* cap. 1.

HUGO CARD. Præsumptio est, quæ bonum quod habet et se, vel ex meritis suis se credit habere. Super *Prov.*, cap. XXX.

JOAN. GERS. Præsumptio est vitium, quo quis expectat futurum bonum, aut evasionem mali plusquam oportet. Part. 4, in *Descrip. terminor.*, cap. *Temperantia.*

S. THOMAS AQUINAS. Præsumptio est quædam nimia et immoderata fiducia, seu spei excessus, non modo circa proprias vires, sed circa divinam potentiam, vel misericordiam. 2, 2, quæst. 21, art. 1.

Præsumptio peccatum est, quo aliquis ea agere assumit, quæ suas vires superant. *Ibid.*, quæst. 130.

S. ANTONIN. *Divisio.* Præsumptio triplex est : prima est præsumptio de propria justitia; secunda est præsumptio de sua scientia; tertia est præsumptio de injusta potentia. Part. 2, tit. 3, cap. 6, § 3.

S. DOROTH. *Productio.* Nihil præsumptione gravius, quæ vitiorum omnium et mater est, et genitrix. *Doctrina* 4.

S. DOROTH. *Comparatio.* Præsumptio summo incendio comparatur, quod cum exardescit, procul omnes abigit. *Doctrina* 4.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Aliud est mereri, aliud præsumere, præsumptio enim arroganti est proprior, quam roganti. Lib. 2 *de Pœnit.*, cap. 8.

S. ANTONIN. 2. Præsumptuosus est ambitiosus et arrogans, Part. 2, tit. 3, cap. 5, § 7.

3. Nulla præsumptio perniciosior, quam de propria justitia et scientia superbire. Part. 2, tit. 3, cap. 6, § 3.

4. Vere homo habet timere, et non præsumere, considerata hominum invalitudine, dæmonum fortitudine, et lapsorum multitudine. *Ibid.*

S. AUGUST. 5. Duo sunt, quæ in errore hominum difficillime tolerantur : præsumptio, priusquam veritas pateat; et cum jam patuerit, præsumptæ defensio falsitatis. Lib. 2 *de Trinitate.*

6. Nullus de se pertinaciter præsumat ne pereat. Lib. 1 *de Gratia Dei*, cap. 45.

7. Noli sperare de te, sed de Deo tuo : nam si speras de te, anima tua conturbatur ad te, quia nondum invenit unde sit secura de te. Super *Psalm.* XLI, vers. 8.

8. Quid est circa te, vel in te, unde possis præsumere? abjice abs te, et tota præsumptio tua Deus sit. Super *Psalm.* LXXXV, in *expositione*, vers. 1.

9. Nemo desperet, nemo de se præsumat : et desperare malum est, et de se præsumere. Sic noli desperare, ut eligas de quo debeas prœsumere. Tract. 49, super *Evang. Joan.*, cap. 11.

10. Noli effici justus multum, non est notata justitia sapientis, sed superbia præsumentis. *Ibid.*, tract. 95, cap. VI.

11. Nemo se falsa securitate decipiat, ut de suis viribus periculose præsumat. *De Honest. mulier.*, cap. 2.

12, O homo ideo non vicisti, quia de te præsumpsisti. *De verbis Apostoli,* serm. 4.

13. Qui præsumit de viribus suis, antequam pugnet, ipse prosternitur. *Ibid.*

14. Expertus sum quid mali habeat superba præsumptio. Lib. 11 *de Genesi ad lit.*, cap. 5.

15. Nulli hominum de sua justitia præsumendum est. Lib. 5 *contra Cresconium,* cap. 16.

16. Quandiu perfectionem angeli non habemus, præsumptionem diaboli non habeamus. Lib. 2, *de Baptismo contra Donatist.*, cap. 5.

17. Præsumptio in isto tentationum loco non expedit, ubi tanta est infirmatas, ut superbiam possit generare securitas. *De Corrept. et grat.*, cap. 13.

18. Multum valet præjudicium præsumptionis

ad affirmandam impudentissimam falsitatem. Lib. 4 *contra Crescon.*, cap. 28.

V. BEDA. 19. Nimis dolenda præsumptio, quod ea mala facere præsumunt Christiani, quæ execrantur pagani. In suis *Prov.*, verbo *Nimis.*

.BERNARD. 20. Absit typhus præsumptionis, ut non desit fructus devotionis. Homil. 4, super *Missus.*

21. Viæ dæmonum præsumptio et obstinatio : quam horrenda præsumptio ! mira quidem præsumptio dæmonum, sed non minus mira obstinatio est : quia converti noluerunt a via præsumptionis, inciderunt in viam obstinationis. Serm. 11, super *Qui habitat.*

22. Dissimulatio est propriæ infirmitatis, dum sibi parcens, sibi blandiens, sibi persuadens homo aliquid se esse, cum nihil sit, jam ipse se seducit. *Ibid.*

23. Falsa præsumptio a via veritatis homines extrudit. *Ibid.*

24. Volo te præsumere, et non præsumere : præsumere ne diffidas, non præsumere ne torpescas, non timere ut præsumas. Epis. 87, *ad Ogerium cavonic. regular.*

25. Præsumptuosus primus in conventibus residet, in consiliis primus respondet, non vocatus accedit, non missus se intromittit, reordinat ordinata, reficit facta, judicat judicantes, præjudicat judicaturis. *De Duodecim gradibus humilitatis*, gradu 7 *de Præsumptione.*

26. Præsumptuosus quidquid ipse non fecerit, aut ordinaverit, nec recte factum, nec pulchre existimat ordinatum. *Ibid.*

27. Si mediocris præsumptuoso aliquo obedientia injuncta fuerit, indignatur, aspernatur, arbitrans se non esse minoribus occcupandum, qui se ad majora sentit idoneum. *Ibid.*

28. Probet seipsum, qui de propria virtute præsumit. *In Declamat.*

S. BONAV. 29. Præsumptio arrogantiæ oculum cordis claudit, ut omnino non videat : vel distorquet ut perverse videat, et aliud pro alio probet. Serm. 1 *Dom. infra Oct. Epiph.*

30. Ille qui dum de se plusquam debet præsumit, etiam ubi errat, recte se plerumque sentire deceptus putat. *De Sex alis Seraph.*, cap. 7.

31. Cavendum est ne dum nimis vitatur præsumptio, inordinationis accedat confusio. *In speculo discipl.*, part. 1, cap. 5.

...IB. 32. Sane nihil deterius quam de se multum præsumere ; in hoc enim extremus est interitus. *Doctrina* 4.

33. Nihil adeo ab anima depellit timorem Dei, ut suiipsius præsumptio. *Ibid.*

. EUSEBIUS 34. Principium omnium malorum est sui præsumptio : qui non timet, de se præsumit. Epist. *ad Damasum papam, de morte D. Hieronymi.* CÆSARIENS.

35. Nemo se alicujus virtutis æstimet, etiam cum quid fortiter potest : quia si divina protectio deserat, ibi repente enerviter obruitur, ubi se valenter stare gloriabatur. Lib. 23, *Moral.*, cap. 19. S. GREGOR. MAGNUS.

36. Præsumptio virtutis propriæ tanto gravius in desperatione est, quanto longius ab humilitate. *Ibid.*, lib. 22, cap. 5, num. 10.

37. Infirmus animus non in sui præsumptione se elevet, ne unde foras in honore attollitur, inde per inanem gloriam intus cadat. Lib. 19, in *Registron, ibid.* 4, cap. 58, epist. 58, *ad Augustin. episc. Anglor.*

38. Præsumptio præceptor pessimus est. Epist. 8, *ad Demetriad.* S. HIERON.

39. Pius labor, sed periculosa præsumptio. Super *Evang.* in Præfat.

40. Docere magistros, arguere seniores, imperare majoribus, superbi spiritus est, et de seipso præsumenti. Lib. 3, *Miscellan*, codic. 2, tit. 2. HUGO A S. VICTORE.

41. Nulla præsumptio perniciosior, quam de propria justitia aut scientia superbire. Super *Ecclesiastic.*, cap. VII. HUGO CARD.

42. Semper præsumit sæva, perturbata conscientia. Super *Luc.*, cap. XIX.

43. O superba præsumptio, et præsumptuosa superbia ! quæ non tantum angelos Deo voluisti adæquare, sed etiam homines præsumpsisti deificare ! Lib. 2 *de Contemptu mundi*, cap. 32. S. INNOC. III

44. Ubi præsumptionis spiritus imperat; ibi sola peccati arbor fructibus suis exuberat. In serm. *de Pœnit.* S. JOANNES CHRYSOST.

45. Utilius est ut infirmum se homo cognoscat et stet, quam ut de se præsumens cadat. *De Signo vitæ*, tract. 8, *de Spe*, cap. 3. S. LAURENT. JUSTIN.

46. Inconsulta deliberatio, atque elata præsumptio, plurimos prosternit in foveam. Tract. *de Compunct. et complanctu.*

47. Superbum est de non peccandi facilitate præsumere, cum hoc ipsum præsumpsisse peccatum sit. Serm. 3 *Quadrag.* S. LEO I.

48. Temeritas non intervenit præsumptionis, ubi est diligentia pietatis. Epist. 92, *ad Rustic. Narbonensem episc.*, cap. 16.

49. Nihil temere agat quisquam, sed cum determinatione : nil præsumptive assumat absque consilio, ut vitium præsumptionis videatur improbatum, non officium charitatis. Hab. *in Decretis Gratiani*, part. 2, causa 9, quæst. 3, can. *Per.* S. MARTINUS MART.

50. Nihil in Ecclesia pejus præsumptione erronea, nihil stultius præsumptione temeraria, nihil odibilius præsumptione noxia. Lib. 8, epist. 23, *ad Nicolaum monach.* PETR. CELL.

51. Præsumptio est venenum corrumpens me- ROBERTUS.

ritum operum bonorum. Super *Psalm.* 4, vers. 6.

BELLARM. SALVIANUS. 52. Quosdam aut stulta præsumptio de longævitate vitæ, aut spes quandoque agendæ pœnitentiæ, consolatur. Lib. 7, *de Gubern. Dei.*

53. Stultæ præsumptiones, perditionis causæ sunt, non salutis. Lib. 2 *ad Eccles. cathol.*

54. Præsumptæ spes, sarcinæ sunt reatus. *Ibid.*, lib. 4.

TERTULL. 55. Qui præsumit, minus veretur, minus præcavet, plus periclitatur : quia præsumptio impedimentum est timoris. *De Cultu fœminar.*, cap. 2.

IN VITIS PATR. 56. Quæcunque super mensuram sunt, dæmonum sunt. In *Sent. in fine positis.*

Vide etiam tit. *Cadere,* sent. 6; *Juventus,* sent. 17, 18 ; *Meritum,* sent. 19, 56 ; *Perfectio,* sent. 23; *Præmium,* sent. 58.

PRÆVISIO.

RICHARD. A S. VICTORE. *Definitio.* Quid est prævidentia, nisi exploratio futurorum ? Part. 1, tract. 2 *de Exterminat. mali,* cap. 12.

CICERO. Prævidentia est, per quam futurum aliquid videtur antequam factum. Lib. *de Invent.* rhetor.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Fortis est viri non dissimulare cum aliquid immineat, sed prætendere, et tanquam explorare de specula quadam mentis, et obviare cogitatione provida rebus futuris. *Prosec.*

2. Nisi explorentur adversa, cito occupant et animum mala inexplorata plus frangunt. Lib. 1 *Offic.*, cap. 38.

3. Tolerabiliora sunt doloris præmeditata, quam inexplorata vulnera. *De obitu Satyri fratris sui.*

S. AUGUST. 4. Sapientis est non tam cujuslibet rei principium prospicere, quam finem exitumque prævidere. *Prosec.*

5. Felix comprobatur esse, qui sic cogitat de supplicio ante supplicium, ut postea supplicii effugiat periculum. *De Speculo peccatoris,* cap. 3.

6. Deus non tantum qualis quisque sit videt, verum etiam qualis futurus sit prævidet. Epist. 54.

7. Prævidet Deus bonos futuros, et creat : prævidet malos futuros, et creat ; seipsum ad fruendum præbens bonis multa munerum suorum largiens et malis. Lib. 11 *de Genesi ad litt.*, cap. 11.

8. Quia prævidet medicus quod non prævidet hujus artis ignarus, non ideo jam divinus habendus est. *De Divinatione dæmon.*, cap. 5.

9. Deus etiam futuras prævidet voluntates. *De Unit.*, cap. 9.

10. Causa quæ non prævidetur, non permittit quemquam ad meliora proficere. In suis *Prov.* verbo, *Causa.* V. BEDA.

11. Diligenter omne quod faciendum erit, tracta apud te, et cum his qui te diligunt : tracta autem ante factum, quia post factum sera retractatio est. Lib. 4 *de Consid. ad Eugen. Papam.* S. BERNARD

12. Noli præcipitanter agere ; diu considera, diligentius intuere : experire quod possis, amicos consule, ne post factum pœnitere contingat. In *Declamat.*

13. Nullus sit casus, quem non meditatio tua præveniat : nullus sit casus, qui te imparatum inveniat. *De Inter. domo,* cap. 45.

14. Prævidere jacturam periculi, sapientis hominis est. *Prosec.*

15. Omnia enim meditata leviori adventu accidunt, et expectata mala tolerabiliter feruntur.

16. Advenientes impetus præmeditatio frangit, præcogitatio attenuat, prævisio lenit. Serm. 55 *ad Sororem.*

17. Gravia sunt mala improvisa, acerba sunt, et graviter feriunt. *Prosec.*

18. Repentinum malum cito frangit ; quod prævisum non est. *Ibid.*

19. Qui vult opus altum incipere, debet prævidere, si velit perseverare. Super *Luc.*, cap. 14, in illud : *Sedens computat.* S. BONAV.

20. Debemus tanto sollicitius diem judicii formidare, quanto eam non possumus prævidere. Super *Luc.*, cap. IV.

21. Familiare est prudenti consideratione omnia prævenire : confert enim ad singula fuisse præmunitum. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 5.

22. Discretionis est, agenda quæque prævia deliberatione metiri, et non agenda cavere. *Prosec.*

23. Qui de futuro nihil præmeditatur, omnia incautus incidit. *Ibid.*, cap. 28.

24. Præoccupandus est aditus cunctis insidiis, ne hostilitas prior obrepens occurrat improvidis. *Prosec.* S. CYPRIAN.

25. Salutare remedium est in insidiis prævenire potius, quam præveniri. Anticipare potius, quam anticipari, viribus fortibus congruit. *De Singularitate clericorum,* cap. 23.

26. Strenuum se præbet miles in bello, si ante pugnæ labores belli studia prævisione meditetur. Homil. 16 *de Festis paschal.* S. CYRILLUS ALEX.

27. Sultus est omnis, qui terrenis actibus deditus futurum non prævidet. Super *Proverb.*, cap. 15. GLOSS. ORD.

28. Is qui cuncta priusquam veniant conspicit, nequaquam postquam aliquid fecerit, pœnitendo resipiscit. Lib. 9 *Moral.*, cap. 6. S. GREGOR. MAGNUS

29. Solerter animus inter actionis suæ primordia, cuncta debet adversa præmeditari. *Ibid.*, lib. 5, cap. 31, num. 30.

30. Qui nonnulla providens agere nititur, sæpe dum cautus futura subtiliter prævidet : incautus damna præsentia nequaquam videt : sæpe dum præsentibus invigilat, ad instantia prævidenda dormitat. *Ibid.*, lib. 2, cap. 25.

31. Fit plerumque, ut nulla eveniant, quæ prævidentur. *Ibid.*, num. 35.

32. Tanto longius mens a necessariis cessat, quanto inania latius cogitat. *Ibid.*

33. Qui veraciter intus dolet, quæ agenda foris, quæve non agenda sint, fortiter prævidet. *Ibid.*, lib. 3, cap. 19.

34. Prævidere dicitur, qui unamquamque rem, antequam veniat, videt : et id quod futurum est, priusquam præsens fiat, prævidet. *Ibid.*, lib. 20, cap. 23.

35. Dum menti nonnunquam ignavia surrepit, prudentia frigescit : nam cum fessa torpet, ventura non prævidet. *Ibid.*, lib. 2, cap. 27, num. 36.

36. Ille laudabiliter spicula emittit, qui prius hostem, quam feriat, conspicit. *Ibid.*, lib. 6, cap. 18.

37. Ipsa animarum vis subtilitate sua aliquid prævidet. Lib. 4, *Dialogi*, cap. 25.

38. Minus jacula feriunt, quæ prævidentur. Homil. 35, super *Evang.*

HUGO A S. VICTORE.

39. Stultus est, qui quæ sibi mala restant, prævidere nescit, atque hæc peritura et falsa quædam bona, quasi semper sint permansura diligit. Lib. 3, *de Arca Noe morali*, cap. 4.

HUGO CARD.

40. Insipiens est, qui mala prævidet, sed non præcavet. Super *Deuteron.*, cap. 32.

41. Justi animadvertunt præterita corrigendo, præsentia dirigendo, futura cavendo, bona eligendo, mala reprobando. Super *Proverb.*, cap. XXVIII.

42. Reprobus, qui propria sponte non videt quod in præsenti patitur, et quod in futuro sit passurus non prævidet. *Ibid.*, cap. 14.

43. Utrobique decipitur mens humana, et cum scilicet malum non videt quod patitur, et quod non prævidet malum quod patietur. Super *Ecclesiasten*, cap. II.

44. Non prævidere quid desideretur, sed statim ignota cupere, furiosa audacia est, et præceps temeritas. *Prosec.*

45. Melius est prævidere, quam ambulare ut libet. *Ibid.*, cap. 6.

46. Oculi sunt prælati, qui debent aliis prævidere, sicut oculus prævidet toti corpori. Super *Apocal.*, cap. XIX.

47. Omne malum quod accidit ex insperato, nimis est grave : quod autem expectatur antequam accidat, postquam acciderit, levius invenitur. Homil. 24, super *Matth. Oper imperf.*

JOANNES SARESB.

48. Quid mirum, si ille qui omnia potest, et quæ prævidit non prævidisse potest ; cum constet fidei, quod ea quæ prævisa sunt non evenire possunt, et quæ non prævisa sunt evenire, nec tamen citra conspectum providentiæ valeant evenire? Lib 2 *de Nugis curial.*, cap, 22.

49. Sicut Deus prævidit, eveniet ; et si non evenerit, non prævidit : unde probabiliter ad minus colligitur, quia si potest non evenire, potest etiam non fuisse prævisum. *Ibid.*

S. ISIDORUS HISPALENS.

50. Dei servus semper tentantis diaboli prævidere debet insidias, ne pereat. Lib. 3 *de Summ. bono*, cap. 22, sent. 9.

51. Sapientis est omnia adversa ante meditari, nec inveniri casus debet, quem non præviderit. *Ibid.*, cap. 58, sent. 9.

52. Sapientis est periculi prævidere jacturam, omnia meditata leviora accidunt, expectata mala tolerabiliter feruntur. *Prosec.*

53. Dedit adversus casus consilium, prævisa res non admiratur cum acciderit.

54. Advenientes impetus meditatio frangit, præcogitatio futuras molestias attenuat, prævisio malorum lenit adventum.

55. Inopinatum malum fortiter ferit, acerba sunt quæ cogitata non fuerunt, gravia sunt in quibus improvisi incurrimus.

56. Repentinum malum cito frangit, quod prævisum non est vehementer affligit. Lib. 2, *de Synonym.*, cap. 6.

57. Ancipitem diu delibera sententiam, ante factum cogita diu, ante opus præmeditare diu. *Prosec.*

58. Quod vis agere, diu exquire, diu considera et proba, et sic age : cum diu cogitaveris, tunc fac quod probaveris. *Ibid.*, cap. 12.

S. JUSTIN. MART

59. Præmeditari debemus id quod eventurum est, ne veniens novum aliquid, stuporem animis nostris afferat. Epist. *ad Zenam.*

LACT. FIRM.

60. Nec incipi, aut fieri, aut consummari quidquam potest, nisi fuerit ratione prævisum ; aut quemadmodum fiat antequam sit, aut quemadmodum constet postquam fuerit effectum. Lib. 2 *de Divin. Instit.*, cap. 9.

S. LAURENT. JUSTIN.

61. Facile a virtutis tramite deviat, qui nescit prævidere quod agat. *De Interiori conflictu*, cap. 2.

S. NILUS.

62. Absque scita contemplatione nihil eorum quæ fiunt, bonum est. Et hab. apud. D. Joan. Damasc., lib. 1 *Parall.*, cap. 63.

PETRUS BLESENS.

63. Jacula, quæ ab hostibus jaciuntur, si prævisa fuerint, minus inferunt læsionis. Epist. 169 *ad Quemdam.*

PETR. CELL. 64. Non imminentia lucrosius evitantur pericula, si affuerit oculus prævidentiæ, et manus vigilantis cautelæ. Lib. 2, epist. 15.

S. PETRUS DAMIANUS. 65. Nunc dum tibi mundus arridet, dum carnis sanitas fervet, dum prosperitas terrena demulcet, quæ post ista sequuntur, excogita atque considera. Lib. 4, epist. 5 *ad Quemdam episcopum.* in principio.

RICHARD. A S. VICT. 66. Felix ille, qui imminentem ruinam prævidere potest, dum adhuc rex est, et passionibus suis dominari potest. Part. 1, lib. 1 *de Erud. hom. inter.*, cap. 35.

S. THOMAS AQUINAS. 67. Animæ humanæ secundum quod a sensibus corporis abstrahitur, competit futura prævidere 2, 2, quæst. 172, argum. 1.

THOMAS A KEMPIS. 68. O hebetudo et duritia cordis humani, quod solum præsentia meditatur, et futura non magis prævidet! Lib. 1 *de Imit. Chr.*, cap. 23.

69. Quis omnia prævidere, quis præcavere futura mala sufficit? si prævisa sæpe etiam lædunt, quid imprævisa, nisi graviter feriunt? *Ibid.*, lib. 3, cap. 45, sect. 3.

IN VIT. PAT. 70. Causa quæ non prævidetur, non permittit nos in meliora proficere. In *Sententiis* in fine positis, sent. 65.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CATO POET. 71. Prospice qui veniunt, hos casus esse ferendos :
Nam levius lædit, quidquid prævidimus ante.
Lib. 2 *Distichor.*, metr. 55.

CICERO. 72. Est sapientis quidquid homini accidere possit, id præmeditari ferendum esse si advenerit: majoris autem est consilii prævidere ne quid tale accidat, sed animi non minoris, fortiter ferre, si evenerit. Orat. 53 *Philipp.*, num. 11.

73. Videntur omnia repentina graviora : præmeditatio futurorum malorum lenit adventum, quæ venientia longe ante videris. Lib. 3 *Tuscul. quæst.*

74. Multum potest prævisio animi, et præparatio ad minuendum dolorem : nihil enim est quod tam obtundat elevet que ægritudinem, quam perpetua in omni vita præcogitatio, nihil esse quod accidere non possit. *Prosec.*

75. Sed facilius fert cum accidit, quod posse accidere diu cogitaverit : quæ præcogitatio una maxime molestias omnes extenuat et diluit. *Ibid.*

76. Hostium repentinus adventus magis aliquando conturbat, quam expectatus : et maris subita tempestas quam ante prævisa, terret navigantes vehementius. *Ibid.*

MIMUS PUB. 77. Deliberandum est diu, quod statuendum est semel. In suis *Sent.*, sent. 96.

SENECA. 78. Præcogitati mali, mollis ictus venit : sed stultis et fortunæ credentibus, omnis videtur nova rerum, et inopinata facies. *Prosec.*

79. Sapiens autem assuescit futuris malis, et quæ alii diu patiendo levia faciunt, hic levia facit diu cogitando. Epist. 76.

80. Quæ multo ante prævisa sunt, languidius incurrunt. *De Consol. ad Marciam*, cap. 9.

81. Quidquid fieri potest, quasi futurum cogitemus. Epist. 24.

82. Quidquid expectatum est diu, levius accedit. Epist. 78.

83. Nihil nobis improvisum esse debet, in omnia præmittendus est animus, cogitandumque non quidquid solet, sed quidquid potest fieri. Epist. 91.

84. Tu metuenda declina, et quidquid consilio prospici potest, prospice. Quodcunque læsurum est, multo antequam accidat, speculare et averte. Epist. 98.

85. Fortis est animus, ad quæ præparatus venit. Lib. 3 *de Ira*, cap. 37.

86. Expecta quod nunquam pœniteas. *De Moribus.*

SIXTUS PHILOSOPH. 87. Delibera priusquam agas; et antequam agas, prævide quale sit quod facturus es. Sent. 85.

TRISMEGIS. 88. Præscire cuncta, prudentes decet. *De Volunt. divina*, cui titulus, *Asclepius*, cap. 9.

Vide etiam tit. *Adversitas*, sent. 89 ; *Mors*, sent. 154, 155.

PRAVITAS.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Graviores inimici sunt pravi mores, quam hostes infesti. *Prosec.*

2. Facilius enim pravitas hostium vinci potest, quam morum. Serm. 57 *de Elisæo propheta.*

S. ANTONIN. 3. Sicut pravum est cor, ita et prava ejus desideria, et inde sequuntur prava opera. Part. 2 *Summæ* 4, tit. 4, cap. 5.

4. Ignorantia sui, causa est pravitatis. Part. 4, tit. 2 *de Prudentia*, cap. 3.

S. AUGUST. 5. Tanto est efficacior emendatio pravitatis, quanto diligentior conservatio charitatis. Lib. 5 *contra Epist. Parmen.*, cap. 2.

6. Cujusque hominis pravitas, quanto periculosior et tortuosior est, tanto instantius et operosius corrigenda est. Lib. 4 *de Baptismo*, cap. 16.

7. Qui in Dei Ecclesia aliquid pravum sapiunt, et emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici fiunt. Lib. 18 *de Civitate Dei*, cap. 50.

8. Inter animam rationalem et Deum, non separat nisi voluntas prava. *De Fide contra Manich.*, cap. 44.

9. Prima pravitas, qua non obeditur, ab homine est : quia ex rectitudine, in qua eum Deus

primitus fecit, sua mala voluntate decidens, pravus effectus est. *De Corrept. et grat.*, cap. 6.

V. BEDA. 10. Duplici reatu constringitur, qui et in seipso prava committit, et alios pravitate sua corrumpit. In suis *Proverb.*, verbo *Duplici.*

BOETIUS. 11. Si miserum est voluisse prava, potuisse miserius est, sine quo voluntatis miseræ langueret effectus. Lib. 4 *de Consol. philos.*, prosa 4.

DIDYMUS. ALEX. 12. Omnis particeps rationis factus est homo, ut esset probus, et non pravus. Lib. *contra Manich.*

S. GREGOR. MAGNUS. 13. Injustorum pravitas sæviendo malitiam exercet. Lib. 14 *Moral.*, cap. 24.

14. Pravi cum recta reprehendunt, ne ipsi quæ justa sunt nescire videantur, nota omnibus bona quæ audiendo didicerunt, quasi incognita proferunt. *Ibid.*, lib. 8, cap. 22, num. 25.

15. Mens prava semper in laboribus est, quia aut molitur prava, quæ inferat, aut metuit ne sibi ab aliis inferantur. *Ibid.*, lib. 12, cap. 21.

16. Pravi homines cultum religionis assumunt, et bonorum vitam sub despectis vestimentis pravis moribus premunt. *Ibid.*, lib. 31, cap. 4.

17. Dum pravi crescunt, etiam infirmi ad sequenda studia pravitatis irritantur. Lib. 6 *Moral.*, cap. 4.

18. Utilitati innocentium militat vita pravorum. *Ibid.*, lib. 20, cap. 19.

19. Reproborum esse proprium solet, semper prava agere, et nunquam quæ egerint retractare : omne enim quod faciunt, cæca mente pertranseunt, factumque suum, nisi cum puniti fuerint, non agnoscunt. *Ibid.*, lib. 25.

20. Mens prava quidquid contra proximos excogitat, hoc contra se excogitari a proximis formidat. *Ibid.*, lib. 12, cap. 21.

21. Ille veraciter vim divini timoris intelligit, qui se a cunctis pravis operibus custodit. *Ibid.*, lib. 19, cap. 6.

22. Illi veraciter coram Domino stant, qui vitam suam in pravitate non dissipant. Homil. 6, super *Ezech.*

23. Sunt multi qui pravitatem suam ex alienis pravitatibus tuentur : quia alios talia fecisse considerant, eadem facere sibi licenter putant. Homil. 17, super *Evang.*

HUGO CARD. 24. Pravitas ad intellectum, perversitas ad affectum referenda est. Super *Prov.*, cap. VIII.

S. JOANNES CHRYSOST. 25. Cum pravitas hominis mali latet, securus degit. Homil. 88 super *Matth. Oper. perf.*

26. Uniuscujusque rei pravitas, vitiositas est circa naturam illam, cujus est pravitas. Serm. 19, super epist. *ad Ephes.*

JOAN. TRITH. 27. Nunquam bonorum opinio, malorum pravitate corrumpitur. Epist. 14, *ad Nicol. presbyt. Mernicens.*

28. Interdum prodest perversorum pravitas utilitati justorum, dum eos malitia sua erudiunt, et ad regna cœlorum requirenda, molestia temporali impellunt. Lib. 3 *de Sum. bono*, cap. 57, sent. 10.

29. Malorum pravitas non te occidat, sed erudiat : pravorum adversitas non te dejiciat, sed extollat. Lib. 1 *de Synonym. ante med.*, col. 308, tom. 1.

LUDOVICUS BLOSIUS. 30. Anima quæ deliberata voluntate se ad pravitatem non convertit gratiam Dei non amittit. In *Speculo spirit.*, cap. 6.

SALVIANUS. 31. Scientes bona, non bene agimus : et discretionem recti ac pravi intelligentes, prava sectamur. Lib. 5 *de Gubern. Dei.*

32. Sicut boni optant cunctos honestate mentium vincere, sic mali cupiunt pravitate superare. *Ibid.*, lib. 6.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 33. Natura prave omnia facit, et plura prava, quam proba. Sect. 10 *Problem.*, quæst. 44.

34. Omnis pravus ignorat quæ agere oportet, et a quibus est abstinendum. Lib. 3 *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 1.

35. Sponte nostra, pravitas comparatur. *Ibid.*, cap. 5.

36. Pessimus est, qui ad seipsum, et ad amicos utitur pravitate. Lib. 5 *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 1.

37. Ut homo pravus facile est mutabilis, sic et natura prava est ea, quæ indiget mutatione. *Ibid.*, lib. 7, cap. 14.

TRISMEGIS. 38. Qui pravitatis servus est, a dæmonibus semen accipit. *De Potest. et sap. Dei*, cui titulus, *Pimander*, cap. 9.

Vide etiam tit. *Differentiæ*, sent. 29 ; *Error*, sent. 67.

PRINCEPS.

CASSIODOR. *Etymologia.* Princeps dictus est quasi prima capiens. Super *Psalm.* II, vers. 2.

HUGO CARD. *Definitio.* Princeps est omnis, qui rebus et membris, cogitationibus et affectionibus, locutionibus et operationibus suis principatur. Super *Prov.*, cap. 17.

Principes sunt, qui præsunt partibus regni. Super *Epist. ad Rom.*, cap. XIII.

S. BONAV. *Comparatio.* Principes furiosi comparantur ursis esurientibus, leonibus rugientibus, et lupis rapientibus. Exposit. 2, super *Psalm.* CXVIII, cap. 2, art. 2, vers. 7.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIN. 1. Julius Cæsar dicere solitus erat : Dux vel princeps qui non laborat ut militibus charus sit, militem nescit amare, nescit humilitatem ducis. *Prosec.*

2. Inutilis est omnis constitutio principis, si non est Ecclesiasticæ disciplinæ conformis. Part. 3, tit. 3, cap. 1, § 9.

3. Nunquam humilitas satis videtur commendari principibus, quia difficillimum est ut gradus honoris non pariat tumorem in animo præsidentis. *Ibid.*

4. Prudentia in principe debet esse quædam cognitio universitatis, excedens cogitationes singulorum, et se extendens ad bonum commune omnium. Part. 4, tit. 2, cap. 6.

5. Debet princeps ecclesias fabricare, et eas frequentare : hospitalia erigere, et pauperes enutrire. *Ibid.*, § 1.

6. Princeps a populo magis diligitur, si viderit eum esse cultorem divinorum, et operantem virtuosa : unde philosophus dicit quod principem decet esse deicolam. *Ibid.*

7. Debet princeps non tam imperando quam operando, ad bona subditos excitare ; quia multum provocant subditos facta præsidentis. Part. 4, tit. 5 *de Justitia*, cap. 4, § 2.

8. Ad tria decet principem studere : ad sapientiam acquirendam ; ad avaritiam detestandam ; ad luxuriam fugiendam. Ad sapientiam, ut cognoscat quomodo, vel quid subditis præcipiat; ad avaritiam, ut a vero non divertat ; ad luxuriam fugiendam, ut judicium passio non corrumpat. Part. 4, tit. 5 *de Justitia*, cap. 4, § 2.

9. Voluptatis vitium in principe, totam politiam submittit ruinæ : quia cum rector voluptatibus intendit, cura reipublicæ excors remittitur, et exemplo ejus subditi licentius ad vitia inclinantur. *Ibid.*

S. ANTONIUS ABBAS. 10. Principatum nobis largitus est Deus, ut per eum possimus illos, qui violentiam patiuntur defendere : sed nos contra, non defensionem miseris, sed violentiam magis inferimus. Serm. *de Vanitate mundi.*

S. AUGUST. 11. Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Epist. 54, *ad Macedonium.*

12. Adulator talem esse debere ostendit principem, qualem illum fallaciter prædicat. Epist. 5.

13. Cum probrum jacitur in principem patriæ bonum atque ulilem, nonne tanto est indignius, quanto a veritate remotius, et a vita illius magis alienum ? Lib. 2 *de Civitate Dei*, cap. 9.

14. Principes civitatis Christi tempus, non fallacis beatitudinis patienter expectant. *Ibid.*, lib. 17, cap. 20.

15. Quamvis qui rex est possit dici princeps a principatu imperandi, non tamen continuo quicunque principes sunt, etiam reges dici possunt. *Ibid.*, lib. 18, cap. 45.

V. BEDA. 16. Si ames dici pater et princeps, nomen cum honore serva, moribus imple. In suis *Proverb.*, verbo *Si.*

17. Nulla in principatu bestia sævior, quam impunitas delinquendi. Serm. 20, art. 2, cap. 4. S. BERNARD. SENENS.

18. Principis error multos involvit ; et tantis obest, quantis præest ipse. Epist. 127. S. BERNARD.

19. Monarcha verus debet esse summa celsitudine pollens, summa fortitudine præsidens, summa dulcedine pascens. Serm. 21 in *Hexam.* S. BONAV.

20. Principes furiosi comparantur ursis esurientibus, leonibus rugientibus, et lupis rapientibus. Expos. 2, super *Psalm.* CXVIII, cap. 2, vers. 7, art. 2.

21. Princeps debet esse fidelis, pacificus, clemens, justus. Serm. 2 *Dom.* 3, *post Pascha.*

22. Quamvis principatui ejus omnia mundana famulari posse videantur, in vanum tamen prævaluit, qui sibi profutura nullatenus acquisivit. Super *Psalm.* LII, vers. 7. CASSIODOR.

23. Gloriosi ducis est, commissa sibi signa servare. Epist. 73, *ad Jubajanum*, cap. 3. S. CYPRIAN.

24. Principes mundi subsunt ecclesiasticis. Cateches. 17. S. CYRILLUS HIEROSOL.

25. Officium boni principis est, subditos juste disponere, bonos ad meliora provehere, impios vero restringere et punire. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 13, art. 17. DIONYSIUS CARTHUS.

26. Principes mali, justos opprimunt, et impios fovent. *Ibid.*

27. Ad principum spectat officium, illos quos paterna castigatio corrigere non potuit, vinculis et carceribus mancipare. Super *Josue*, cap. XIX. GLOSS. ORD.

28. Multum confert princeps pius et amans Dei. *Ibid.*, super illud XXIV : *Servivit Israel*, etc.

29. Multum juvat subditos pietas principum, multumque nocet carere principe, vel principum, improborum regi imperio. Super lib. *Judic.*, cap. II.

30. In bono principe debet esse rigor justitiæ, et dulcor misericordiæ. *Ibid.*, cap. 4.

31. Sæpe fit ut princeps potentissimus ab infirmiori superetur quia non est fortitudo hominum, ut paretur victoria ; sed quoniam justi Deo curæ sunt, ideo vincunt. Super illud I *Reg.* II : *Non in fortitudine sua*, etc.

32. Bonus princeps in his, quæ sunt contra honorem Dei, parcere non debet, cuicunque personæ, quantumcunque sibi propinquæ. Super II *Paralip.*, cap. 16.

33. Verus princeps non per hæc externa insignia dignoscitur, cujusmodi sunt purpura et torques : sed quia virtutem obtinet principe dignam. Super *Isaiam*, cap. III.

34. Magnum opprobrium est toti Christianitati, et potissime principibus Christianis, quod infide-

les possident loca nostræ salutis. Super *Thren.*, cap. 5.

35. Principes, ad quos spectat defendere populum, debent gerere vices patrum. *Ibid.*

36. Maximam subjectis populis pietas principis affert utilitatem. Super *Daniel.*, cap. 2.

37. Principes capiuntur hamo tyrannidis, et superbiæ. Super II *Habacuc*, cap. 1.

38. Si bonus est princeps, bene operantem non punit, sed diligit : si malus, non nocet bono, sed purgat eum. *Prosec.*

39. Malus autem princeps debet timere; quia constituti sunt principes ut mala puniant. Super illud *ad Rom.* XII, *Principes non sunt timori*, etc.

GREGOR. MAGNUS. 40. Dux impius est, qui a tramite veritatis exorbitat : et dum ipse in præceps ruit, ad abrupta sequentes invitat. Lib. 24 *Moral.*, cap. 15.

41. Dux impius est, qui per tumoris exemplum, viam ostendit erroris. *Ibid.*

42. Tantorum pondera unusquisque sustinere compellitur, quantis in hoc mundo principatur. *Ibid.*, lib. 9, cap. 10.

43. Sæpe principes hujus sæculi in occulto mali sunt, et bonum quod cernitur, alii devotius imitantur. *Prosec.*

44. Mala certe potentum sæculi, magna eis mala sunt ; sed bona quæ proferunt, ad exemplum fidelium magis, quam bona aliorum prosunt. Lib. 6 in I *Reg.*, cap. II.

HESYCHIUS. 45. Principum vitia, offendiculum sunt subjectis. Lib. 2 super *Levit.*, cap. X.

HUGO CARD. 46. Bonum est servire tali principi, cui servire, regnare est. Super *Gen.*, cap. XXI.

47. Ita principibus servire oportet, ut eorum reverentia, vel timore nunquam a via veritatis recedatur. Super *Prov.*, cap. XXIV.

48. Princeps avarus multiplicat calumnias falsas et inanes, ut aliquid extorqueat, et emungat a subditis. *Ibid.*, cap. 28.

49. Principes ecclesiastici et sæculares sunt duo crura, quibus tota ecclesia sustentatur. *Prosec.*

50. Hi debent esse tanquam columnæ marmoreæ, fortes scilicet in operatione, subtiles in intelligentia veritatis, recti in intentione, candidi in vita, politi in virtutum ornatu : sed heu! hodie loco columnarum ponuntur festucæ. Super *Cantica*, cap. V.

51. Princeps crudelis substantiam aufert, hæreticus fidem, carnalis perdit et substantiam et fidem et mores. Super *Ecclesiastic.*, cap. XXV.

52. Rapaciores et crudeliores sunt aliquando principes ecclesiastici, quam principes sæculi. Super *Ezech.*, cap. XXII.

53. Principi non obedire est deterius, quam non habere principem. Super *Epist. ad Hebr.*, cap. XIII.

54. Principes mali synagoga dicuntur sathanæ ; quia etsi nomine catholici et membra Ecclesiæ, ipsi tamen adversantur, ejus bona, et possessiones diripiunt. Super *Apocalypsin*, cap. III.

55. Talis debet esse princeps in populo, ut totus populus semper aliquid boni inveniat quod imitetur in eo. Homil. 3 super *Matth. Oper. imperf.* S. JOANNES CHRYSOST.

56. Ab hominibus factus es potens, intus ordina teipsum. Princeps est, non qui vocatus est, sed qui vere est. *Prosec.*

57. Sicut enim rex neque medicum, neque rhetorem faciet : ita neque principem : non enim litteræ vel nomen principem faciunt.

58. Igitur nomen habere principis, non est esse principem : vocantur et alii magnis nominibus, ut Paulus, Petrus, Jacobus, Joannes, sed non propter nomina sunt id quod vocantur : ita et illi non sunt principes, sed vocantur. Homil. 52 in *Acta Apost.*

59. Principe, qui subditis nihil prosit, nihil miserius. Homil. 26 *ad Popul. Antioch.*

60. Principatus potius sublatio ac seditio est multorum principatus, ubi omnes honore æquales sunt. Lib. 1 *Parall.*, cap. 22. S. JOAN. DAM.

61. Impossibile est, ut salubriter disponat principatum, qui non agit consilio sapientum. Lib. 5 *de Nugis curial.*, cap. 6. JOAN SARESB.

62. In eo maxime viget et proficit gloria principis christiani, si pium Domino, a quo omnis principatus est, impendit famulatum. *Ibid.*, epist. 64.

63. Inter omnia quæ solent obesse principibus, nihil perniciosius esse arbitror, quam quod eis fortunæ blandientis illecebra aspectum subtrahit veritatis. *Ibid.*, lib. 1.

64. Dedit Deus principibus præsulatum pro regimine populorum, et illis eos præesse voluit, cum quibus una est eis nascendi moriendique conditio. *Prosec.* S. ISIDORUS HISPALENS.

65. Prodesse ergo debet populis principatus, non obesse, nec dominando premere, sed condescendendo consulere. Lib. 3 *de Sum. bono*, cap. 49, sent. 3.

66. Plerumque princeps justus, etiam malorum errores dissimulare novit : non quod iniquitati eorum consentiat, sed quod aptum tempus correctionis expectet, quando eorum vitia vel emendare vel punire voluerit. *Ibid.*, cap. 50, sent. 1.

67. Multi adversus principes conjurationis crimine deteguntur : sed probare volens Deus clementiam principum, illos male machinari permittit, istos non deserit. *Prosec.*

68. De illorum malo bene istis facit, dum culpas quas illi faciunt, isti mira patientia indulgent *Ibid.*, sent. 2.

69. Difficile est principem ad melius regredi, si fuerit vitiis implicatus. *Ibid.*, sent. 2.

70. Principem non decet delinquere, ne formam peccandi faciat peccati ejus impunita licentia. *Prosec.*

71. Nam qui ruit in vitiis, cito viam ostendit erroris : illi tamen ascribitur quidquid exemplo ejus a subditis perpetratur.

72. Sicut nonnulli bonorum principum Deo placita facta sequuntur, ita facile multi prava eorum exempla sectantur.

73. Plerique autem apud iniquos principes necessitate magis, quam voto mali existunt, dum imperiis eorum obediunt. *Ibid.*, sent. 6 et 7.

74. Justum est principem legibus obtemperare suis : tunc enim jura sua ab omnibus custodienda existimet, quando et ipse illis reverentiam præbet. *Prosec.*

75. Principes legibus tenentur suis, nec in se convenit frustrare jura, quæ in subjectis constituunt : justa est enim vocis eorum auctoritas : si quod populis prohibent, sibi licere non patiantur. *Ibid.*, cap. 51, sent. 1.

76. Cognoscant principes sæculi Deo debere se rationem reddere, propter Ecclesiam, quam a Christo tuendam suscipiunt. *Prosec.*

77. Nam sive augeatur pax et disciplina Ecclesiæ per fideles principes, sive solvatur; ille ab eis rationem exigit, qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit. *Ibid.*, sent. 6.

78. Ad delictum pertinet principum, qui pravos judices contra voluntatem Dei populis fidelibus præferunt. *Prosec.*

79. Nam sicut populi delictum est, quando principes mali sunt : sic principis est peccatum, quando judices iniqui existunt. *Ibid.*, cap. 52, sent. 1.

S. LEO I. 80. Principatus, quem aut seditio extorsit, aut ambitus occupavit, etiamsi moribus atque actibus non offendat, ipsius tamen initii sui est perniciosus exemplo. Epist. 87 *ad Episc. African.*, cap. 1.

S. MARCELL. MART. 81. Boni principis est ac religiosi, ecclesias contritas atque conscissas restaurare, novasque ædificare, et Dei sacerdotes honorare ac tueri. Epist. *ad Maxentium episc.* Et hab. in *Decret. Gratiani*, part. 1, dist. 96, can. *Boni.*

ORIGENES. 82. Principatus principum in dilectione subditorum debet esse positus, non in timore corporali. Tract. 12 in *Matth.*, cap. XX, super illud : *Scitis quia principes*, etc.

PETRUS BLESENS. 83. Peremptorium est in principe, vel aurum adorare munerum, vel favorem quærere personarum. Epist. 10 *ad Capellan. reg. Siciliæ.*

84. Frequenter culpa populi redundat in principem : quasi de majorum negligentia obveniant errata minorum. *Ibid.*, epist. 95 *ad Henric. reg. Anglor.*

85. Princeps justissimus debet diligenter inquirere, et inquisita corrigere; ne minorum excessus de suis manibus a Domino requirantur. *Ibid.*

86. Nihil adeo gloriose lucet in principe, sicut amare et exhibere justitiam sine omni acceptione personæ. *Ibid.*

S. PETRUS DAMIANUS. 87. Principis officium est, ut reos puniat, et ex eorum manibus eripiat innocentes, ut vigorem rectitudinis et justitiæ teneat, et a zelo sanctionum legalium non tepescat, ut ab æquitatis linea non declinet, ut legitimi vigoris genium non enervet. *Opusc.* 57, cap. 1, dissertat. 1.

88. Inordinata pietas principis quid est aliud, quam confusio plebis? nam dum ille ad moderandas regiminis habenas reprimitur, subjecti quique (velut effrænes equi) per abrupta raptantur. *Ibid.*, cap. 3.

PHILO JUD. 89. Sunt principes publici parentes civitatum et gentium, quotquot boni sunt, nec cedunt pietati naturalium. *Prosec.*

90. Contra, qui in subditorum detrimentum abutuntur potentia, nequaquam principes, sed hostes appellandi sunt, cum agant hostilia. *De Creatione principis.*

91. Innumeris dominis serviens, principem te simulas, et libertatem polliceris aliis. *De Profugis.*

92. Principum res secundas potius, quam principes ipsos colere plerique solent. Et hab. apud D. Joan. Damasc. lib. 2 *Parall.*, cap. 70.

S. SYNESIUS EPISCOPUS. 93. Juniori principi necessaria philosophia est, quæ aut eum antevertat, aut a decursu in alterutrum altera ex parte cohibeat. *De Regno ad Arcadium Imperat.*

94. Princeps bonis bonus imperet. *De Regno ad Arcadium Imperat.*

S. THEODOR. 95. Non semper principes imperant, sed ad tempus habent imperium. Super *Psalm.* CXLV, vers. 2 : *Nolite confidere in principibus*, etc.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 96. In quibus princeps est imbecillis, unicuique inest potestas. Lib. 8 *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 10.

CICERO. 97. Quales in republica principes sunt, tales reliquos solere esse necesse est. Lib. 1, epist. 9 *ad Lentulum.*

98. Nihil perniciosius in republica vitiosis principibus : quod non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in subditos : neque solum ob-

sunt, quod illi ipsi corrumpuntur, sed etiam quod corrumpunt, plusque exemplo, quam peccato nocent. Lib. 3 *de Legib.*, num. 32.

LATO. 99. Nullum vitium tetrius est, quam avaritia, præsertim in principibus. Lib. 2 *de Offic.*

100. Beata est respublica, cui princeps sapiens dominatur. Lib. 6 *de Republ.*

NIUS II. 101. Quid præstabiliusest, aut pulchrius, quam castus princeps? In *Panegyrico de Trajano Augusto.*

102. O novum atque inauditum ad principatum iter? non te propria cupiditas, proprius motus; sed aliena utilitas, alienus timor principem fecit. *Ibid.*

103. Non est princeps super leges, sed leges supra principem. In *Panegyr. de Trajano Augusto.*

104. Cum plurimis amicitiis fortuna principum indigeat, præcipuum est principis opus, amicos parare. *Ibid.*

ENECA. 105. Principum sævitia, bellum est. Lib. 1 *de Clement.*, cap. 5.

106. Nullum ornamentum principis fastigio dignius pulchriusque est, quam illa coronari clementia. *Ibid.*, cap. 26.

Vide etiam tit. *Deceptio*, sent. 37; *Eleemosyna*, sent. 306; *Episcopus*, sent. 128; *Exactio*, sent. 19; *Laus*, sent. 158.

PRIVILEGIUM.

ATIANUS *Etymologia.* Privilegia dicuntur, quasi privata legia; eoquod privatam legem singulis generent. In *Decret.*, part. 2, causa 25, quæst. 1, can. *Ideo*, § *Privilegia.*

ISIDORUS SPALENS. Privilegia sunt leges privatorum, quasi privatæ leges: nam privilegium dictum est, eoquod in privato feratur. Lib. 5 *Etymol.*, cap. 18.

LLECTOR. *Definitio.* Privilegium est jus indultum a potestate superiori, contra jus commune.

SENTENTIÆ PATRUM.

ANACLET. PAPA. 1. Privilegia ecclesiarum et sacerdotum, intemerata et inviolata cunctis decernimus manere temporibus. In *Decretis Gratiani*, part. 2, quæst. 2, can. *Privilegia.*

ANTONIN. PADUA. 2. Privilegio meretur privari, qui privilegio sibi concesso abutitur. Serm. *Dom.* 3 *Quadrag.*

NCILIUM RIDENT. 3. Privilegia quæ plerisque conceduntur, perturbationem excitare, et occasionem laxioris vitæ præbere dignoscuntur. Sessione 24, in decreto *de Reformat.*, cap. 11.

FRANCIS. SSISIAS. 4. Hoc meum et fratrum meorum est privilegium, nullum habere privilegium super terram. In suis *Opusc.*, apophthegm. 34.

5. Plura præstat humilitas, quam possit elargiri privilegium. In suis *Opusc.*, colloquio 14.

ATIANUS 6. Qui Romanæ Ecclesiæ privilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum auferre conatur, proculdubio in hæresim labitur. In *Decret.*, part. 1, dist. 22, can. *Omnes.*

7. Privilegia semper Episcopis cum usu pallii, debent concedi. In *Decret.*, part. 1, dist. 100, can. *Contra morem*, § *Privilegia.*

8. Cum aliqua privilegia ab Apostolico aliquibus conceduntur, et si contra generalem legem aliquid sonare videantur, non tamen contra ipsam aliquid concedere intelliguntur. In *Decret.*, part. 2, causa 25, quæst. 1, can. *Ideo.* § *Cum ergo.*

9. Ipsius legis auctoritate privilegia singulorum penes matrem omnium Ecclesiarum reservantur. *Ibid.*

10. Nulla privilegia concederentur, si præter generalem legem aliquid speciale non indulgeretur. *Ibid.*, can. *Ideo*, § *Neque.*

11. Valet sancta Romana Ecclesia suis privilegiis quoslibet munire, et extra generalia decreta quædam speciali beneficio indulgere. *Ibid.*

12. Grave nimis est, velle cujusquam Monasterii privilegia olim indulta confundere; et ad irritum quæ sunt pro quiete disposita niti deducere. Lib. 7, in *Registro*, indict. 1, cap. 33, epist. 33, *ad Joan. Schillitanum.* S. GREGOR. MAGNUS.

13. Privilegium omnino meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate. Et habet. in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 11, quæst. 3, can. *Privilegium.* S. HIERON.

14. Privilegia singulorum non possunt legem facere communem. Et hab. in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 25, quæst. 1, can. *Ideo.*, § *Item.*

15. Beata Virgo octo habuit privilegia: Primum est, nova professio virginitatis; secundum, excellentia humilitatis; tertium, conceptio sine libidine; quartum, partus sine dolore; quintum, fœcunditas sine corruptione; sextum, virginitas singularis; septimum, ministratio specialis; octavum, suscitatio corporalis. Super *Psalm.* XVIII. HUGO CARD.

16. Innovatio privilegii novum jus non tribuit, nec antiquum confirmat: sed si quod competebat, conservat. Lib. 2, *Decret. const.* 129, in titulo. S. INNOC. III.

17. Manet Petri privilegium, ubicunque ex ipsius fertur æquitate judicium. Serm. 3 *de Anniversar. die*, etc. Et serm. 2 *de SS. Petro et Paulo.* S. LEO I.

18. Divinarum reverentia sanctionum inter quælibet spontaneæ observantiæ studia habet semper privilegium suum: ut sacratius sit, quod publica lege celebratur, quam quod privata institutione dependitur. Serm. 3 *de Jejun. septimi mensis.*

19. Privilegia Ecclesiarum sanctorum Patrum canonibus instituta, nulla possunt improbitate convelli, nulla novitate mutari. Epist. 54. *ad Martian. August.*

20. Semel in concilio definita, non sunt in dubium revocanda. Epist. 43 *ad Martian. August.*

PETRUS BLESENS. 21. Non blandiatur sibi aliquis, quod per privilegium ab inobedientia excusetur : Deus, apud quem melior est obedientia, quam victimæ, quidquid emancipet aut privilegiet homo, inobedientiam detestatur. Epist. 90 *ad Guillelm. Abbat.*

22. Non emollias ordinis rigorem, ut tanquam privilegiatus velis edere lautius, bibere sapidius, cubare mollius, loqui licentius, vigilare parcius, orare tenuius. *Ibid.*, serm. 31 *de S. Aug.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 23. Non in quacunque re privilegium irrogari licet. Orat. 32, *pro Sextio*, num. 65.

PROBATIO.

COLLECTOR. *Definitio.* Probatio est rei dubiæ per argumenta ostensio.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Fortitudo non solum secundis rebus, sed etiam adversis probatur. Lib. 1 *Offic.*, cap. 41.

2. Vir justus et dictis et rebus probatur. Lib. 2 *Offic.*, cap. 2.

3. Amor verus constantia probatur. Lib. 6, epist. 40, *ad Sabinum.*

4. Vita nostra examinatur igne, sicut splendor argenti, ut virtus certaminibus approbetur. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 10, vers. 3.

5. Justus optat probari, tentari non timet. *Ibid.*, serm. 14, vers, 2.

S. ANSELM. 6. Multi ante experimentum putant se fortes esse, qui in ipso experimento deficiunt, Super *Ep. ad Rom.*, cap. 5.

S. ANTONIN. 7. Causa spei, experientia est. Part. 1, tit. 6, cap. 7.

S. AUGUST. 8. Sicut ardet palea ut aurum purgetur, sic sævit impius ut justus probetur : sed cum transierit tempus probationis nostræ, quando non erunt qui probentur, non erunt per quos probentur. Super *Psalm.* XXXVI, vers. 10.

9. Nonne melius est tentari et probari, quam non tentatum reprobari? Super *Psalm.* CXLIV, vers. 2.

10. Proba et teipsum tu ipse. *De verb. Apost.*, serm. 15.

11. Falsum probare non potest qui probat nihil. Lib. 1 *contra Adimant.*, cap. 4.

12. Terror temporalium potestatum, quando veritatem oppugnat, justis fortibus gloriosa probatio est. Epist. 48.

S. BASILIUS SELEUC. 13. Aurum probat ignis, viri vero virtutem conflant vitæ adversa. Orat. 16.

S.BERNARD. 14. Virtus exercitata clarior est, eoque probatior, quo officiosor. Serm. 85.

15. Amicus in necessitate probatur. Epist. 125, *ad Gaudfrid.*

S. BONAV. 16. Probatio electionis, est propulsatio tentationis. Expos. 2, super *Psalm.* CXVIII, cap.5, vers. 17 art. 1.

17. Nisi in spiritualibus rebus præcesserit tentatio, non potest esse probatio. *Prosec.*

18. Qui murmurat de periculo tentationis, múrmurat de præmio probationis. Lib. 2 *Pharetræ*, cap. 1.

CASSIODOR. 19. Probat Deus, ut præstet. Super *Psalm.* CII, vers. 11.

GLOSS. ORD. 20. Dolens animus debet se custodire, ne de igne probatorio murmuret. Super *Job*, cap. 1.

GLOSS. ORD. & S. GREGOR. MAGN. 21. Minus justum tentat probatio, quam remuneratio consolatur. *Ibid.*, cap. 42. Et Gregor. Magn., lib. 25. *Moral.*, cap. 8.

22. Nemo vires suas in pace cognoscit: si enim bella desunt, virtutum experimenta non prodeunt. Lib. 23 *Moral.*, cap. 18.

S. HIERON. 23. Ille est superbus ac invidus, ut sui fastidiosus boni, quem ejus probatio reddit tristiorem. Epist. 5, *ad Virginem in exilium missam.*

24. Militiæ convenit Christianæ excuti calamitatibus, et probari. Epist. *ad Amicum.*

HUGO CARD. 25. Probat Deus prælatos, in quibus probat fidem, probat patientiam, probat officium, probat timorem; contemplativos, in quibus probat innocentiam, probat dilectionem, probat intentionem; activos, quos probat in adversitate, probat in tentatione, probat in prosperitate, probat in conversatione. Super *Psalm.* CXXXVIII.

26. Sicut igne probatur argentum, et aurum in camino, ita corda probat Deus. Super *Ezech.*, cap. I.

27. Tria sunt probatoria viri justi : primum probatorium est ignis tribulationis; secundum, est laus humana; tertium, est prosperitas temporalis. Super *Prov.*, cap. XVII.

S. JOANNES CHRYSOST. 28. Experientia homines facit castigatiores. Homil. 29, super *Gen.*

29. Cuique sit experientia cautelæ magistra. Homil. 15 *ad Populum Antioch.*

S. JOAN. CLIM. 30. Probat quidem aurum fornax, sed charitatem in Deum probat orationis intentissima qualitas. Gradu 18.

S. ISIDORUS HISPALENS. 31. Probari te in adversitate cognosce, ne frangaris : probari te in prosperitate cognosce, ne exalteris. Lib. 2 *de Synon.*, cap. 6.

MINUTIUS FELIX. 32. Nemo Præmium percipit, ante experimentum. In suo *Octavio.*

S. THOMAS AQUINAS. 33. Deus probat aliquando hominem, non quod lateat eum virtus hominis, sed ut eam omnes cognoscant, et detur omnibus in exemplum. Opusc. 7, super *Pater noster*, petit. 6.

THOMAS A KEMPIS. 34. Ut probetur virtus, magisque clarificetur, per contrarios solet experiri successus. In *Soliloq. animæ*, cap. 16, sect. 9.

VITIS .TR. 35. Bonum est experimentum; experimento enim homines probatiores sunt. Lib. 5, libell. 10 *de Diocret.*, num. 49.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ECA. 36. Magis urgent sæva inexpertos. Lib. *de Divina Provid.*, cap. 4.

37. Ignis aurum probat, miseria fortes viros. *Ibid.*, cap. 5.

TUS OSOPH. 38. Anima sapientis ac mens, a Deo probatur. *In Sent.*, sent. 407.

Vide etiam tit. *Adversitas*, sent. 116; *Differentiæ*, sent. 21; *Fides*, sent. 51; *Murmur*, sent. 17; *Persecutio*, sent. 10; *Tentatio*, sent. 170, 171; *Tribulatio*, sent. 14, 15. 106; *Virtus*, sent. 159, 160, 161.

PRODESSE.

SENTENTIÆ PATRUM.

MBROS. 1. Sacerdotis sit prodesse (si fieri potest) omnibus, obesse nemini. *Prosec.*

2. Sacerdotis enim est nulli nocere, prodesse velle omnibus, posse autem solius Dei est. Lib. 3 *de Offic.*, cap. 9.

3. Profecto error horrendus est, ut cum sibi omnes prodesse velint, multi non faciant, nisi quod eis perniciosissimum est. Lib. 14 *de Trin.*, cap. 14.

4. Cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum, vel temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi quasi quadam sorte junguntur. Lib. 1. *De Doctr. christ.*, cap. 28.

5. Non dormiat in thesauris suis, qui pauperi prodesse potest. *De duodecim abusion.*, cap. 4.

AUGUST. 6. Vita pastoris omnibus prodesse debet. Serm. 14 *ad Fratres in eremo.*

7. Non prodest bona res, non bene uti. Lib. 4 *Conf.*, cap. 16.

8. Bona et mala æqualiter prosunt bonis. Epist. 3.

9. Sicut mali obsunt assentando malis, ita boni adversando prosunt. Epist. 159 *ad Cæcilianum.*

10. Nemo potest ex eo quod non habet prodesse alteri. *De Doctrina christ.*, cap. 10.

11. Quod agit charitas quo sibi prosit, utilitas est : quod autem agit ut prosit proximo, beneficentia nominatur. *Ibid.*

12. Quomodo justitia tua nihil Deo prodest, sic injustitia nihil nocet. Annot. in *Job*, cap. XXXV.

13. In malo prior est qui nocet, quam ille qui non prodest. Lib. 22 *contra Faust.*, cap. 84.

14. Da quod nosti tibi placere, et mihi prodesse. Lib. *Medit.*, cap. 36.

ERNARD. 15. Bona oblivio, si teipsum nescias, ut proximo prosis. Epist. 42 *ad Henricum Senonens. archiepisc.*

16. Parum proficit, qui proximo non prodest cum potest. Lib. *Medit.*, cap. 11.

17. Neminem spernas, nemini noceas, nulli detrahas, sed pro Christi amore omnibus prodesse coneris. In *Formula honestæ vitæ.*

18. Si recte sapis et consideras, prosunt tibi in bono, qui obsunt in malo. In *Alphabet. religios.*, lect. 7. S. BONAV.

19. Qui omnibus studet prodesse, vivum calorem veri spirat amoris *De Sex alis Cherubim*, ala 5, penna 2.

20. Non debemus inimicos æstimare, qui prosunt. Super *Psalm.* CXXXVII. CASSIODOR.

21. Qui vere aliquid amat, ei vult prodesse : quod autem prodest, præstantius est. Lib. 1 *Pædag.*, cap. 8. CLEMENS ALEX.

22. Attende tibi ipsi, ut tibi et aliis prosis. In illud : *Attende tibi*, cap. 7. S. EPHRÆM.

23. Impii in judicio, quæ sibi sperabant prodesse, invenient nocuisse. Super *Sap.*, cap. IV. GLOSS. INT.

24. Tunc possidet homo quod docet, quando se innotescere non gaudet, sed prodesse. Homil. 12, super *Ezech.* S. GREGOR. MAGNUS.

25. Objurgando, hortando, suadendo, blandiendo consolando, prodesse quibus possumus, festinemus Lib. 70 in *Registro*, indict. 2, cap. 111, epist. 111 : *ad Aregium episcopum.*

26. Quid inde provenit utilitatis, quod magnus sis, si nulli prosis? Homil. 27, super II *Cor.*, in illud XII, etc. S. JOANNES CHRYSOST.

27. Non quæ voluptuosa sunt, sed quæ prosunt, eligamus. Homil. 15, super *Ep. ad Hebr.*

28. Utilis est, qui omnibus prodesse, et nulli desiderat obesse. In cap. 7, *Regul. S. Bened.*, gradu 1, verbo *Utilis.* JOAN. TRITH.

29. Eum virum bonum esse censeo, qui prosit quibus possit noceat nemini. Lib. *de Divin. Inst.*, cap. 18. LACT. FIRM.

30. Primus justitiæ gradus est, non nocere proximo, sed prodesse. In *Epitome*, cap. *Duas.*

31. Non valet prodesse aliis, qui sibi nequam est. *De Casto Connub.*, cap. 12. S. LAURENT. JUSTIN.

32. Age quod non solum tibi expedit, sed quod multis. Epist. 134 *ad Willelm. electum.* PETR. BLES.

33. Qui indiscrete aliis prodesse cupit, et ante tempus effundit, semper inops et a gratia vacuus manet, et profectum suum impedit, et aliis minus prodest. Part. 2 super *Cant.*, cap. VIII. RICHARD A S. VICTORE.

34. Christiani est, prodesse proximo. Super *Luc.*, cap. XV, in illud : *Proferte stolam primam.* THEOPHILACTUS.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

35. Si potes, ignotis etiam prodesse memento. Lib. 2 *Distichor.*, metr. 11. CATO POET.

CICERO. 36. Non tam ut prosim, causis elaborare soleo, quam ut ne quid obsim. Lib. 2 *de Oratore*, num. 295.

37. Non omnibus dormio, nec omnibus servio. Lib. 7, epist. 24 *ad Gallum*.

38. Contemnuntur hi, qui nec sibi, nec alteri prosunt. Lib. 2 *Offic.*

SENECA. 39. Hominibus prodesse natura jubet : sive sint servi, sive liberi, ingenui an libertini, quid refert? *De beata vita*, cap. 24.

40. Hoc ab homine exigitur, ut prosit hominibus : si fieri potest, multis : si minus, paucis : si minus, proximis : si minus, sibi. *Ibid.*, cap. 30.

41. Si quis de se bene meretur, hoc ipso aliis prodest, quod illis profuturum parat. *Ibid.*

42. Quid magnifici erat multis prodesse, si nemo deciperet? Lib. 1 *de Benef.*, cap. 1.

43. Quædam prosunt, nec obligant. Lib. 2 *de Benef.*, cap. 18.

44. Generosi animi et magnifici est, juvare et prodesse. *Ibid.*, lib. 3, cap. 15.

45. Satius est prodesse etiam malis propter bonos, quam bonis deesse propter malos. *Ibid.*, lib. 4, cap. 28.

46. Solet plus prodesse, si pauca præcepta sapientiæ teneas, sed illa in promptu tibi et in usu sint, quam si multa quidem didiceris, sed illa ad manum non habeas. *Ibid.*, lib. 7, cap. 1.

47. Alteri vivas oportet, si vis tibi vivere. Epist. 48.

48. Nemo non cum alteri prodest, sibi profuit : virtutum omnium in ipsis est, recte facti, fecisse merces est. Epist. 81.

49. Quam tutum est ei non nocere cui debeas prodesse! Epist. 95.

50. Prosunt inter se boni : exercent enim virtutes, et sapientiam in suo statu continent. Epist. 109.

51. Non prodest tantum sapiens sapienti, sed et sibi ipsi. *Ibid.*

52. Prodesse est, animum secundum naturam movere virtute sua, aut ejus qui movebitur. *Ibid.*

53. Nihil tam utile est, quod in transitu prosit. Epist. 2.

54. Amabilis eris Deo, si in hoc illum imitaberis, ut velis omnibus prodesse, et nulli nocere. *De Quatuor virt.*

Vide etiam tit. *Charitas*, sent. 77; *Gratia Dei*, sent. 161; *Prælatus*, sent. 22, 23, 29, 36, 37; *Princeps*, sent. 58.

PRODIGALITAS.

ARISTOTEL. *Etymologia.* Prodigalitas ἀσωτία a Græcis appellatur, quæ latino nomine vix satis exprimi potest, nisi profusionem appellemus. *Prosec.*

Sic Græci ἀσώτους, vocant, quos vel prodigos, vel profusos appellamus. Lib. 4 *de Moribus*, cap. 1.

COLLECTOR. *Definitio.* Prodigalitas est incontinentia, et ob intemperantiam pecuniarum profligatio.

CICERO. Prodigi sunt, qui epulis, et viscerationibus, et muneribus ludorum, venationumque apparatu pecunias profundunt, ut memoriam brevem aut nullam sint relicturi. Lib. 2 *de Offic.*, num. 55.

ARISTOTEL. *Differentia.* Inter liberalem et prodigum hoc interest, quod liberalis sit is, qui et pro facultatibus, et quas in res oportet, sumptus facit : qui autem modum transit, prodigus est. Lib. 4 *de Moribus*, cap. 1.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Qui nescit regere suum censum, onere suo mergitur. Lib. 10, epist. 82 *ad Vercellensem Ecclesiam.*

S. BERNARD. 2. Non sis prodigus dator, nec tenax ad largiendum. Epist. 42, *ad Henric. Senonens. archiepisc.*

3. Clamant nudi, clamant famelici, conqueruntur et dicunt : Nostrum est quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis. *Ibid.*

HUGO CARD. 4. Magna stultitia est, quod alius per sapientiam bona multiplicat, et alius per stultitiam dissipat. Super *Ecclesiasten*, cap. II.

S. JOANNES CHRYSOST. 5. Pecunia temere profusa, facultatum sæpe detrimentum attulit. Homil. 20 *ex Divers. in Matth.*

S. JOAN. DAM. 6. Abusus est, ultra necessitatem facta impensa. Lib. 1 *Parall.*, cap. 26.

JOAN. SAR. 7. Prodigalitas, eroganda et non eroganda profundit in eas res, quæ nullam sunt omnino aut brevem habituræ memoriam. Lib, 8 *de Nugis curial.*, cap. 2.

8. Cum benevolentiæ comparandæ causa sis prodigus, non tanta studia assequeris eorum quibus dederis, quanta eorum odia quibus ademeris. *Ibid.*

S. LAURENT. JUSTIN. 9. Paris periculi est, facultates recondere, et erogare prodige. Tract. *de Compunct. et complanctu.*

S. SIDONIUS EPISC. 10. Per fas nefasque crescere affectans, pecuniæ per avaritiam parcus est, per ambitum prodigus. Lib. 1, epist. 11 *ad Montium.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 11. Prodigus in erogando exuperat, in capiendo deficit. Lib. 2 *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 7.

12. Prodigalitas in dando quidem, et non in capiendo exuperat, in capiendo autem deficit. *Prosec.*

13. Prodigalitatis igitur illa duo non nimium

simul persistunt : non est enim facile nulla ex parte capientem cunctis donare.

14. Cito namque deficiunt patrimonia privatorum hominum erogantium, qui quidem et prodigi sunt. *Ibid.*, lib. 4, cap. 1.

15. Prodigus est, qui ubi non decet, impendit et plura quam deceat, et cum minime decet. Lib. 1 *Magnorum moralium*, cap. 24.

16. Non possunt non prodige vivere, qui aliena bona sperant, dum effundunt sua. Orat. 53, *Philipp.* 11, num. 13.

ERO. 17. Multi patrimonia effuderunt, inconsulte largiendo : quid stultius, quam quod libenter facias, curare ut id diutius facere non possis? Lib. 2 *de Offic.*, num. 54.

18. Habenda est ratio rei familiaris, quam quidem dilabi sinere, flagitiosum est. *Ibid.*, num. 64.

ECA. 19. Mentitur prodigus liberalem : multi enim sunt, qui non donant, sed projiciunt : non voco liberalem, pecuniæ suæ iratum. Epist. 120.

PRODIGIUM.

IGUST. *Etymologia.* Prodigia, quod porro dicant, id est, futura prædicant, dicta sunt. Lib. 25 *de Civit. Dei*, cap. 8.

Prodigium appellatum est, quasi porrodicium, quod porro dicat, porro significet, et aliquid futurum portendat. Tract. 16 super *Joan.*

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Deus tentatur, cum signa et prodigia flagitantur, non ad aliquam salutem, sed ad solam experientiam desiderata. Lib. 10 *Confessionum*, cap. 35.

2. Quisquis adhuc prodigia, ut credat, inquirit, magnum est ipse prodigium ; qui mundo credente non credit. Lib. 22 *de Civitate Dei*, cap. 8.

3. Opera Dei inusitata qui non credunt, nulla facta prodigia debent credere : neque enim ipsa si usitato naturæ curriculo gignerentur, prodigia dicerentur. *Ibid.*, lib. 12, cap. 26.

PRODITIO.

Definitio. Proditio est quædam deceptio facta contra dominum vel familiares suos, in damnum rerum vel personæ, aut manifestationem secretorum eorum. Part. 2, tit. 1, cap. 22.

NAV. Proditio est, cum aliquis amicitiam ad alium simulat, ut ipsum decipiat. In *Speculo animæ*, cap. 1.

ONIN. *Divisio.* Proditio fit tribus modis : primo in rebus et dominiis; secundo, in capiendis vel occidendis personis; tertio, in revelandis secretis. Part. 2, tit. 1, cap. 22.

Productio. Hinc oriuntur maxima odia, scandala, homicidia, latrocinia, civitatum et regnorum exterminia. Part. 2, tit. 1, cap. 22. S. ANTONIN.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Voluit Christus prodi, voluit ab apostolo suo tradi, ut tu si a socio proditus fueris, moderate feras. Lib. 5, super *Luc.*, cap. 6, in illud : *Vocavit discipulos suos.* S. AMBROS.

2. Proditio magnum scelus est, summe odiosum et Deo et hominibus. *Prosec.* S. ANTONIN.

3. Nil ita nocet humanæ quieti, et bono communi, sicut proditio. Part. 2, tit. 1, cap. 22, § 5.

4. O! quod hodie Judæ, qui osculo adulationis proximum tradunt, et sic ultimo laqueo se suspendunt æternæ damnationis. Serm. *in die Parasceves.* S. ANTONIUS DE PADUA.

5. Per severitatem et misericordiam Dei, tribulationum flagellis solet perfidia castigari. Lib. 2 *contra litt. Petiliani*, cap. 83. S. AUGUST.

6. Facta est traditio a Patre, facta est traditio a Filio, facta est traditio a Juda. Una res facta est, sed quæ res discernit Patrem tradentem Filium, seipsum Filium tradentem, et Judam discipulum, tradentem Magistrum suum? Quia hoc fecit Pater et Filius in charitate, fecit autem hoc Judas in proditione. Tract. 7, super epist. *Joan.*, cap. 4.

7. O iniqua lingua et dolosa ! o iniqua proditio ! o pessima diaboli astutia, quæ homines illaqueare procurat. Serm. 29 *ad Fratres in eremo.*

8. Detestabilium hominum consuetudo est, mala vota tegere, ut latenter ad effectum possint eorum consilia pervenire. Super *Psalm.* XVI, vers. 13. CASSIODRUS

9. Nihil interest quis tradat, cum Deus tradi permittat, quos disponit coronari : nec illi gloria est facere, quod fecerit Judas. Epist. 55 *ad Cornelium Pap.*, cap. 1. S. CYPRIAN.

10. Judas tradidit Christum ex avaritia, quem Judæi tradiderunt ex invidia. Super *Hymn. Passionis, ad Vesperas.* DIONYSIUS CARTHUS.

11. Proditor multipliciter dicitur : qui propter timorem non defendit veritatem, et qui eam tacet; qui crimen alterius sibi soli notum, manifestare non erubescit; qui malitiose circumvenit alium, et callide seducit, ut in periculum salutis trahat; qui rem sibi commissam exponit hostibus; qui jussa veritatis contemnit; qui secretum sibi commissum, impudenter revelat. In *Decret. Gratiani.* GLOSS. DEC.

12. Turpe tibi est, hostem dolis ferire, non viribus. Epist. 2 *ad Pammach.* S. HIERON.

13. Proditor pacem pollicetur, ut graviora bella exerceat : ridet ut mordeat : manum offert, ut ex improviso interficiat. Lib. 3, super *Hierem.*, in Prooemio.

14. Adulator et proditor videntur amicitiæ verba

habere, sed plena sunt veneno mortifero. Super *Psalm.* CXXXIX, vers. 3.

15. Pacem labiis promittis, et corde venenum tenes. Super *Psalm.* CXLIX, vers. ultimo.

16. Proditor dat signum osculi cum veneno doli. Super *Marc.*, cap. 14, super illud : *Vigilate et orate.*

HUGO A S. VICTORE. 17. Proditor osculo pacem promittit, sed decipit. Lib. 2 *de Claustro animæ*, cap. 16.

HUGO CARD. 18. Proditor habet mel in ore sicut apis, et aculeum in cauda. Super *Isai*, cap. 7.

19. In curia potentium regnat proditio simul et adulatio. *Ibid.*

S. JOANNES CHRYSOST. 20. O puniendæ vocis temeritas! o supplicium voluntatis! proditionis verba funduntur, de quæstu pacta tractantur. Homil. *de Prodit. Judæ.*

21. Lupi, vigilante pastore, ovibus nocere non possunt : traditores vero nec ovibus, nec pastoribus parcunt. *Prosec.*

22. Nunquam servus cum inimico domini sui impune poterit habere consortium : nec miles cum imperatoris sui hoste, sine pœna potest inire consilium. Homil. 11, *ex Variis locis super Matth.*

23. Proditores absque benignitate sunt, nihil habentes fixum ac solidum, sed arrogantia pleni. Homil. 8, super 2 *Tim.*

PETRUS BLESENS. 24. Nihil detestabilius est nota proditoris in milite. Epist. 69 *ad Radulph. Andegavens. episc.*

25. O detestanda proditio! Judas osculo tradidit, et tu verbo. *Ibid.*, epist. 85 *ad Hugon. episc.*

S. VALER. EPISCOPUS. 26. Christus proditus quidem ductus est ad supplicium, sed proditor currit ad laqueum. Homil. 20 *de Avaritia.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 27. Omnium est communis inimicus, qui proditor est : nemo enim unquam sapiens proditori credendum putavit. Orat. 6 *in Verrem*, lib. 1, art. 2.

Vide etiam tit. *Christianus*, sent. 107; *Civitas*, sent. 45; *Clericus*, sent. 68; *Judas*, per totum; *Osculum*, sent. 40; *Societas*, sent. 3, 4.

PROFECTUS.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Quantumlibet quisque profecerit, nemo est qui doceri non egeat dum vivit. Lib. 1 *Offic.*, cap. 1.

2. Quanto excellentius quique proficiunt, tanto majores habent causas formidinis et tremoris, ne de ipsis probitatis augmentis mens sibi bene conscia, et laudis avida, fiat immunda vanitate, dum sibi videtur clara virtute. Lib. 7, epist. 84 *ad Demetriadem.*

3. Tunc profectus adest, si quod agendum est, cum Dei voluntate agatur. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 1, in illud : *Obsecrans si quomodo.*

S. AUGUST. 4. Ad majora mentem, nisi pietas puritasque non perducit. *De Morib. Manich.*, cap. 7.

5. Multum in hac vita ille profecit, qui quam longe sit a perfectione justitiæ, proficiendo cognoscit. *De Spirit. et litt.*, cap. 36.

6. Quanto amplius proficimus, tanto amplius ascendimus : qui enim non ascendit, descendit : et qui non proficit, deficit. *De Spiritu et anima*, cap. 52.

7. Tormenta animi non sentit in Ecclesia, qui non proficit, putat enim quia pax est : sed incipiat proficere, et tunc videt in qua pressura sit; quia cum crevisset herba et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania. Super *Psalm.* XXIX, enarrat. 2, in Præfatione.

8. Quantumcunque hic profecerimus, nemo dicat, Sufficit mihi, justus sum : qui hoc dixerit remansit in via, non novit pervenire : ubi dixerit, Sufficit, ibi hæsit. Super *Psalm.* LXIX, versu ultimo.

9. Cum cœperit homo Christianus cogitare proficere, incipit pati linguas adversantium : quicunque illas nondum passus est, nondum profecit; quicunque illas non patitur, nec conatur proficere. Super *Psalm.* CXIX, in enarrat.

10. Sicut omnis qui deficit non descendit, sed cadit : sic omnis qui proficit, ascendit. Sed si sic proficiat ut non superbiat, si sic ascendat ut non cadat ; si autem proficiendo superbiat, ascendendo iterum cadit. Super *Psalm.* CXXII, vers. 1.

11. Proficite, fratres mei, discutite vos semper sine dolo, sine adulatione, sine palpatione. *Prosec.*

12. Proba et te ipsum tu ipse ; semper tibi displiceat quod es, si vis pervenire ad quod nondum es, nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti : si autem dixeris, Sufficit, peristi.

13. Semper adde, semper ambula, semper profice, semper ascende : noli in via remanere, noli retrocedere, noli deviare.

14. Remanet qui non proficit, retrocedit qui ad ea revolvitur unde jam abscesserat, deviat qui apostatat.

15. Melius est claudus in via, quam cursor præter viam. *De Verbis Apost.* serm. 15.

16. Non tibi debet videri animus sicut corpus crescendo, cum ætate proficere; proficiendo enim ad virtutem pervenit. *De Quant. animæ*, cap. 16.

17. Cum puer proficit laudabiliter, ad virtutem proficere dicitur. *Ibid.*

18. Quidquid anima cum ætate proficit, composque rationis, fit, non mihi videtur fieri major, sed melior. *Ibid.*

19. In hac vita quantuscunque profectus fit longe abest ab illa perfectione similitudinis, quæ idonea erit ad videndum Deum. Epist. 6.

20. Tanto efficimur similiores Deo, quanto ma-

gis in ejus cognitione et charitate proficimus. *Ibid.*

21. Deum timete ne deficiatis, amate ut proficiatis. Epist. 30.

22. Non proficiatis in malis, ne pereatis a bonis. Lib. 3, cap. 40.

23. Currimus cum proficimus, dum sanitas nostra in proficientibus currit. *De Perfect. just.*, cap. 20.

24. Proficientium est via, quamvis bene proficientes dicantur perfecti viatores. *De Nat. et grat.*, cap. 12.

25. Qui bene audit, deficit et proficit : deficit iniquitati, proficit veritati. *De Discipl. christ.*, cap. 13.

26. Homo tanto magis vel minus proficit, quanto in Scripturis sanctis magis minusve profecit. Lib. 4 *de Doct. christ.*, cap. 5.

27. Minuitur in vita proficientium, quod in vita consumitur perfectorum. Tract. 41, super *Joan.*

28. Non ideo tibi videatur ex alto deficere, quia te vult Deus ab imo proficere. *Ibid.*, tract. 52.

29. Non proficit quod perfectum est. Tract. 4, super *Epist. Joan.*

30. Dicitur proficere in te charitas, quia tu in ea proficis. *Ibid.*, tract. 9.

ASILIUS GNUS. 31. Profectus animæ, profectus humilitatis est. Serm. 2 *Exercitamentor.*

32. Uniuscujusque diei opus considerans, adjice aliquid priori, et festina, ut fias melior. *Ibid.*

33. Profice in virtutibus, ut propinquus fias angelorum. *Ibid.*

34. Melius est paulatim proficere, extirpans a teipso paulatim omnem consuetudinem voluptatum, ne forte ubi acervatim omnes simul voluptates irritaveris, turbam tentationum tibi ipsi inducas. *Prosec.*

35. Quando vero unius vitii victor evaseris, ad alterum te accinge, et sic omnes voluptates tempestive superabis. Epist. 181 *ad Chilonem.*

BEDA. 36. Errat facillime, qui non curat quo rectius pergat. In suis *Proverb.*, verbo *Errat.*

37. Unde bonus proficit, inde invidus tabescit. *Ibid.*, verbo *Unde.*

38. Vix quisquam in bonum transit, nisi ex malo. *Ibid.*, verbo *Vix.*

ENEDIC. 39. Sicut patris est gaudere in suorum profectibus filiorum, ita et filiorum est augmentum patris sua lucra reputare. Serm. *de S. Placido.*

ERNARD 40. Tu homo cum proficis, non quando, nec quantum vis proficis, sed te nesciente tuus moderatur profectus, tua vita disponitur. Homil. 2, super *Missus.*

41. Proficere proficisci est. Serm. 2 *Vigil. Nativit.*

42. Quomodo ais, proficere possum, qui fratri proficienti invideo? si doles quod invides, sentis, sed non consentis : passio est quandoque sananda, non actio condemnanda. Serm. 49 super *Cant.*

43. Quanto quis ad altiora profecerit, tanto gravius, si corruerit, colliditur. Serm. *de Cantico Ezech. regis.*

44. In via vitæ non progredi, retrogredi est. Serm. 2 *Purif. B. M.*

45. Quanto quis plus proficit, eo minus se reputet profecisse. Serm. *de Quatuor modis orandi.*

46. Si quis usque ad supremum exercitii spiritualis gradum pervenerit, aliquid ei de primi gradus imperfectione relinquitur, ut vix sibi primum videatur adeptus. *Ibid.*

47. Minime oportet sistere gressum, et retrospicere; sed tota humilitate currendum et properandum est, ne forte egressus se Christus elonget. Serm. *de Tribus ordin.*

48. Nunquam justus arbitratur se comprehendisse, nunquam dicit, Satis est : sed semper esurit, sititque justitiam. Ita ut si semper viveret, semper quantum in se est justior esse contenderet, semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. Epist. 253 *ad Abbat. Garinum.*

49. Nolle proficere, deficere est. *Ibid.*

50. Proficere, currere est : ubi proficere, ibi et currere desinis ; ubi vero non currere, ibi et deficere incipis. *Ibid.*

51. Quomodo proficis, si jam sufficis tibi? Lib. 2 *de Consid. ad Eugen. Pap.*

52. Si in profectu es, hoc ipsum jam perfecte age. *De Vita solit.*

53. Qui proficere studet, semper invenit quo crescat, et per dies singulos seipso melior fiat. *De Ordine vitæ.*

54. Satis delicate se palpat, qui vult sine labore magno, studioque continuo, vel vitia superare, vel virtutes acquirere. *Ibid.*

55. Si tu vis proficere, non respicias quid mali faciant alii, sed quid boni ipse facere debeas. *Ibid.*

56. Hæc est utique magna virtus, et summa securitas, quando et pie vivis, et tamen plus attendis quæ desunt tibi, quam quæ obtinuisse videris. Serm. 4 super *Qui habitat.*

57. Quanto sapiens plus proficit, tanto plus se S. BONAV. despicit. Serm. 19 in *Hexam.*

58. Religiosus debet semper proficere, et introcedere, ut proficiendo ad altiora valeat pervenire. Tit. 4 *Diætæ*, cap. 1.

59. Frustra profectus virtutum sine oratione speratur. *In Speculo discipl.*, part. 2, cap. 1.

60. Præclarum est æmulari meliora, et quo S. CYRILLUS quidque ad virtutem utilius fuerit, eo plus in eo ALEX. delectationis reponere. Homil. 2 *de Festis Paschal.*

S. DIADOCH. 61. Oportet eos, qui volunt cum multis profectibus vitam degere, neque gloriam appetere, neque cum multis congredi, neque crebro prodire, neque ullis conviciari, neque multum loqui. *De Perfect. spirit.*, cap. 96.

DIONYSIUS CARTHUS. 62. Quanto quis in virtutibus amplius proficit, tanto probabilius potest cognoscere se esse in charitate. Super *Epist. S. Petri*, cap. I, art. 1.

63. Cum hæc vita sit via ad aliam, in ea non proficere est deficere. Super *Apocal.*, cap. XXII, art. 23.

64. Quo religiosa persona plus proficit, tanto robustius Deo virtutibusque inhæret, et in perseverandi proposito radicatur. *De Profess. monast.*, art. 5.

65. Ars artium est vivere Deo, et compendiose proficere. *Ibid.*, art. 20.

66. Ibi quisque incidit deficiendi periculum, ubi proficiendi postposuit appetitum. *De Mortificat. vivifica*, art. 6.

67. In schola virtutum, in claustro, in congregatione devota non proficere, est deficere atque corruere. *De Profect. spirit.*, art. 3.

68. Fac quod in te est, ut proficias, sicque cito senties per gratiam facile, quod per naturam fuit difficile. *De Perfect. charit.*, art. 4.

S. DOROTH. 69. Impossibile est hominem in eodem statu semper permanere; sed aut pejor fit, aut melior. *Doctrina* 12.

S. EPHRÆM. 70. Ne decipiaris, o homo, impossibile enim est sine timore Dei proficere. *Ad Monachos*, parænes. 39.

S. EUSEBIUS EMISS. 71. In tenebris residemus, si promoveri cessamus. Homil. 1 *ad Monachos*.

72. Quanto plus proficimus, quanto plus humiliemur: quia tanto plus humiliati fuerimus, tanto plus proficiemus. *Ibid.*, homil. 3.

73. Ille bene proficit, qui quotidie sic agit, quasi semper incipiat: augmenta meritorum, incitamenta debent esse profectuum. *Ibid.*

74. Profectus profectibus serviunt, et lucra lucris. *Ibid.*

75. Si periculosum est quotidie non addidisse, quanto periculosius etiam ab initiis recessisse? *Ibid.*, homil. 9.

S. FRANCIS. ASSISIAS. 76. Fratres incipiamus et proficiamus, quia nunc usque parum profecimus. Apud D. Bonavent. in cap. IX. *Luc.*, super illud *Psalm.* LXXVI. *Dixi: Nunc cœpi.*

GLOSS. ORD. 77. Certum est, quod cum eo qui fructificat et crescit, semper habitat Deus. Super *Josue*, cap. 16.

78. Nemo quantum profecerit, nisi inter adversa cognoscit. Super *Job*, cap. 33.

79. Ad proficiendum non movet pedem, nisi charitas: ad cadendum superbia. Super *Psalm.* CXX.

S. GREG. MAGNUS. 80. Omnipotens Deus interiora discernens, ipsis spiritualibus profectibus modum ponit, ut ex hoc homo quod apprehendere conatur, et non valet, id illis se non elevet, quæ jam valet. Lib. 12 *Moral.*, cap. 2, num. 2.

81. Sancti viri quo altius apud Deum virtutum dignitate proficiunt, eo subtilius indignos se esse deprehendunt: quia dum proximi luci fiunt, quidquid eos in seipsis latebat, inveniunt. *Ibid.*, lib. 32, cap. 1.

82. Virtutes proficientium in notitia ceterorum hominum, quasi suavitate fragrant odorum. *Ibid.*, lib. 35, cap. 13.

83. More viatorum nequaquam debemus aspicere quantum jam iter egimus, sed quantum superest, ut peragamus. *Ibid.*, lib. 22, cap. 5.

84. Boni inde perfectius in bono proficiunt, unde de malo tentantur: mali autem inde ad majus malum deficiunt, unde de bono gloriantur. *Ibid.*, lib. 34, cap. 17.

85. Non recte gradiuntur, qui quotidie de bonis ad meliora non proficiunt: ascendere enim meritis virtutum quotidie, ad meliora proficere est. Lib. 3, in I *Reg.*, cap. IV.

S. GREG. NAZ. 86. Hoc præcipue homo divinum habet, ut sibi proficiendo benefaciat: ne igitur tempus, in quo divinus evadere possis, negligas. Orat. 16 *ad Subditos*.

87. Ne propterea glorieris, quod malis præstantior esse videaris: sed eo potius nomine discrucieris, quod a bonis supereris. Et hab. apud D. Joan. Damasc., lib. 13 *Parall.*, cap. 19.

S. HIERON. 88. Non cito ad majora progreditur, qui etiam parva formidat. Epist. 14 *ad Celantiam*.

89. Nihil in sancto proposito, otio deterius est, quod non solummodo non acquirit nova, sed etiam parata consumit. *Prosec.*

90. Sanctæ vitæ ratio processu gaudet et crescit, cessatione torpescit et deficit.

91. Quotidianis ac recentibus virtutum incrementis mens instauranda est, et vivendi hoc iter, non de transacto, sed de reliquo metiendum.

92. Tamdiu non relabimur retro, quamdiu ad priora contendimus: at ubi cœperimus stare, descendimus: nostrumque non progredi, jam reverti est; si volumus non redire, currendum est. Epist. 1 *ad Demetriad.*

93. Nunquam tuta est humana fragilitas; et quanto magis virtutibus crescimus, tanto magis timere debemus, ne de sublimibus corruamus. In *Regul.*, cap. 27 *de Fide*.

94. Age, curre, festina. Age, ut in hac spiritualitate proficias: cave, ne quod accepisti, incautus et negligens custos amittas: curre, ut non

negligas : festina, ut celerius comprehendas. *Ibid.*, cap. 30 *de Pœnitentia.*

95. Quantumvis proficiamus, semper nobis major profectus aperitur. Lib. 12, super *Ezech.*, cap. XLI, super illud : *Et ingressus intrinsecus.*

96. Felix est, qui quotidie proficit, qui non considerat quid heri fecerit, sed quid hodie faciat, ut proficiat. Super *Psalm.* LXXXIII, vers. 6 *Ascensiones in corde suo.*

97. Sicut qui sanctus est, quotidie proficit, ita qui peccator est, quotidie deficit. *Ibid.*

98. Felix ille, qui crescit quotidie ; qui senescit ætate, et senescit virtute. Super *Psalm.* XCI, vers. ultim.

HUGO A S. VICTORE.

99. Quatuor modis proficitur : in se, juxta se, supra se, sub se. In te est animus; juxta te proximus; super te Prælatus; sub te subditus. In te proficis, per bonam vitam ; in proximo, per doctrinam ; in Prælato, per admonitionem; in subditis, per correctionem. Lib. 3 *de Claustro animæ*, cap. 9.

100. Non quid sis, sed quid esse velis, attendit : si tamen tu quantum potes satagis, ut quod adhuc esse non cœpisti, esse merearis. In *Soliloq. de Arrha animæ.*

HUGO CARD.

101. Boni semper de bono in melius proficiunt : charitas enim aut proficit, aut deficit. Super *Gen.*, cap. XXVI.

102. Recedentes a castris diaboli, quanto magis proficiunt, tanto amplius insidiantur eis dæmones et per se, et per suos. *Ibid.*

103. Felix est anima, quæ aromatibus virtutum condita, in loculo corporis degens, quotidie proficiendo, perenni vitæ reservatur. *Ibid.*, cap. 50.

IGNATIUS MART.

104. Plus adjice huic studio, quod in te est, ardentius curre. Epist. 11 *ad Polycarp.*

JOAN. CASS.

105. Debemus ad virtutum studia irremissa cura, ac sollicitudine nosmetipsos semper extendere, ipsisque nos jugiter exercitiis occupare; ne cessante profectu, confestim diminutio subsequatur : quia in uno eodemque statu mens manere non pævalet ; id est, ut vel augmenta virtutum capiat, vel detrimenta sustineat. *Prosec.*

106. Non acquisisse enim minuisse est. Collat. 6 *Abbat. Theodori*, cap. 14.

107. Quantum quis lenitate ac patientia cordis proficit, tantum in corporis puritate proficiet. Collat. 12 *Abb. Chæremonis*, cap. 6.

108. Quanto magis profecerit mens humana, tanto se immundiorem inspiciet. Collat. 23 *Abb. Theonæ*, cap. 20.

JOANNES CHRYSOST.

109. Qui se proficere scit, non superbiat : qui vero cognoscit se non proficere, sed a bonis deficere, tantum corrigat se, et non desperet. Homil. super illud Isaiæ 62, *Gaude, Sion*, etc.

110. Festina quo tendis, quo properas perveni : currentis gressus non retrahat inimicus. Veloces sequere, tardiores attrahe, pigros desere, fortiores fortiter imitare. Serm. *de Fide, spe et charitate.*

S. JOAN. CLIM.

111. Cum procedis, congregata custodi. Gradu 27.

112. Noli cum in oratione perduras, dicere : Nihil profeci : jam enim satis profecisti. *Ibid.*, gradu 28.

JOAN. TRITH.

113. Nihil turpius, quam in spirituali nolle proficere. Lib. 1, homil. 4 *ad Monachos.*

114. Si non proficis in spirituali, necessario deficis : si non ad sanctiora progrederis, certe retrocedis. *Ibid.*, homil. 5.

115. Nulla prætereat dies, in qua unusquisque se melior non evaserit. *Ibid.*, homil. 9.

116. Quanto quisque amplius profecerit, tanto sibi noverit cautius esse vivendum. *Ibid.*, homil. 10.

117. Ibi deficiendi periculum incidimus, ubi appetitum proficiendi revocamus. Lib. 2 *ad Monachos*, serm. 6.

118. Quanto quisque a conatu proficiendi defecerit, tanto longius a proposito recedit. Part. 1 *de Regione claustr.*, tract. 1, reg. 1, art. 1.

119. Quisquis non semper ad meliora proficit, mox in negligentias prioris vitæ cadit. *Prosec.*

120. Ibique incidit deficiendi periculum, ubi amisit proficiendi appetitum. *Ibid.*, tract. 2, reg. 2.

121. Sicut condemnatus est qui in voluntate vitiosa permanet ; ita reprehensibilis est qui proficere non studet. *Prosec.*

122. Ubi enim proficiendi conatus deponitur, deficiendi periculum subitur. *Ibid.*, tract. 2, reg. 2, art. 6.

123. Impossibile est quempiam intantum proficere, ut perfectior esse non possit. Lib. 2 *de Tent. relig.*, cap. 3.

124. Nemo proficere unquam potuit, qui non prius ordine debito incœpit. *De Vanit. et miser. hum. vitæ*, cap. 4.

S. ISIDORUS HISPALENS.

125. Profectus hominis, donum Dei est : nec a se potest quidquam, sed a Domino. Lib. 2 *de Sum. bono*, cap. 5, sent. 3.

126. Quæcunque velociter ad profectum tendunt, sine dubio celeriter finiuntur : sicut herbæ, quæ tanto festinius pereunt, quanto celerius crescunt. *Prosec.*

127. At vero contra, arbores alta radice fundatæ ideo perdurant diutius, quia gradatim ad profectum perveniunt. *Ibid.*, cap. 36, sent. 4.

S. LEO I.

128. Natura nostra (manente adhuc mortalitate) mutabilis, etiamsi ad summa quæque studio provehatur, semper tamen sicut potest habere quo

recidat, ita potest habere quo crescat. Serm. 1 *Quadr.*

129. Inter profectum gradus nullus est, qui non semper melior esse debeat. Serm. 6 *Quadrag.*

130. In rebus divinis etiamsi quis multum proficiat, semper sibi superesse intelligat quod quærat. *Prosec.*

131. Qui se ad id, in quod tendit, pervenisse præsumit; non quæsita reperit, sed in inquisitione deficit. Serm. 9 *de Nativit.*

132. Qui non proficit, deficit : et qui nihil acquirit, nonnihil perdit. Serm. 8 *de Passione Domini.*

S. NILUS. 133. Quanto magis proficis, tanto magis te abesse a perfectione intelliges. *Parænes.* 29.

PETR. BLES. 134. Dum adhuc in profectu es, nunquam te perfectum existimes. Epist. 137 *ad Alexandr. de S. Albano.*

S. PROSPER. 135. In hac vita, ubi per fidem bene vivendo proficimus, bonorum operum quodammodo passibus ambulamus : in futura autem pervenientes ad speciem, jam non erit quo velut proficiendo ulterius ambulemus, sed ipsam speciem ad quam per fidem spiritualiter ambulando pervenimus, insatiabili delectatione videbimus. Lib. 1 *de Vita contemplat.*, cap. 6.

136. Qui cum Deo suo unus est spiritus factus, nihil aliud agit semper, aut cogitat, nisi unde clarior ac nobilior fiat. *Ibid.*, lib. 3, cap. 17.

137. Quis non eo ipso proficit, quo proficere alium cupit? *Ibid.*, lib. 3, cap. 28.

RICHARD. A S. VICTORE. 138. Amanti devoto nunquam sufficit quod habet, nec magnum reputat quod egerit, quia inopem se reputat. Part. 2 super *Cant.*, cap. 14.

S. THOMAS AQUINAS. 139. Nemo repente fit summus, quia unusquisque recte vivens toto tempore vitæ suæ proficit, ut ad summum perveniat. *Contra retrahentes ab ingressu Relig.*, cap. 7.

THOMAS A KEMPIS. 140. Tanto quisque in virtutibus proficit quanto acrius sua vitia odit ac vincit. Medit. 21 *de Humilit.*, cap. 3.

141. Tantum proficies, quantum tibiipsi vim intuleris. Lib. 1 *de Imitatione Christi*, cap. 25.

142. Non reputes te aliquid profecisse, nisi omnibus inferiorem te esse sentias. *Ibid.*, lib. 2, cap. 2.

143. Tanto plus proficiet in virtutibus, et sapientior erit, quanto humilis superioribus se submittit. In *Dialog. Novit.*

144. Qui proficere vult, omni die incipere debet. *Ibid.*, cap. 3, sect. 2.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 145. Volasse, non iter fecisse diceres. Orat. 52 *Philipp.* 10, num. 11.

EPICTETUS. 146. Si quid proficere vis, ne recusa quo minus ob res externas amens et fatuus habearis. In suo *Enchirid.*, cap. 18.

147. Signa proficientis sunt, neminem reprehendere, neminem laudare, neminem culpare, nihil de seipso prædicare, quasi aliquid sit, aut aliquid sciat. *Ibid.*, cap. 72.

148. Nunc viri proficientis vitam tibi sumet ac quidquid tibi visum fuerit optimum, ea lex sit inviolabilis : at si quid laboriosum, aut suave, aut gloriosum, aut ignominiosum ingruerit, memento tum adesse discrimen. *Ibid.*, cap. 75.

HYPPOCRAT. 149. Qui non potest in melius proficere, superest ut recidat in deterius. *Commentar.* 1, aphorism. 3.

SENECA. 150. Persevera ut cœpisti, et quantum potes propera. Epist. 4.

151. Experimentum tui profectus capias, non oratione, nec scripto, sed animi firmitate. Epist. 20.

152. Vigilandum est, nisi properamus, relinquimur. Epist. 108.

153. Magna pars est profectus, velle proficere, Epist. 108.

154. Tantum ad virtutem adjicies, quantum ex voluptate abstraxeris. *De Moribus.*

Vide etiam tit., *Arrogare sibi*, sent. 56; *Crescere*, per totum; *Gloria vana*, sent. 208; *Incipere*, sent. 1, 49; *Infirmitas*, sent. 116; *Iniquitas*, sent. 19; *Insidiæ*, sent. 14; *Melior*, sent. 36, 48; *Meritum*, sent. 42; *Perfectio*, sent. 28, 29, 34, 35, 36; *Perseverantia*, sent. 60, 61; *Prædicatio*, sent. 84, 85; *Religiosus*, sent. 40, 86, 87; *Scriptura sacra*, sent. 86; *Tractio*, sent. 34; *Via*, sent. 34; *Virtus*, sent. 73.

PROMISSIO.

COLLECTOR. *Definitio.* Promissio est deliberata et spontanea fidei obligatio, de re possibili grataque promissario.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Nihil promittas inhonestum, aut si promiseris, tolerabilius est promissum non facere, quam facere quod turpe sit. Lib. 3 *Offic.*, cap. 12.

2. Cum impetraveris quod petisti, ingrati est tardare promissum. Lib. 1 *de Caïn et Abel*, cap. 7.

3. Qui promittit aliquid, spem debet afferre promissi, ut promissis fides deferatur. Lib. 1, super *Luc.*, cap. XI in illud : *Quis vestrum habens amicum*, etc.

4. Mendacium valde gravissimum est, cum mentimur ea quæ promisimus. Super *Apocal.*, cap. 14.

5. Nunquam tibi excidat tuæ series cautionis. Lib. 1 *de Sacramentis*, cap. 2.

THANAS. AGNUS. 6. Standùm est promissis; aut oportet abstinere te a promissis, aut promissa non frustrari. *Ad Imperat. Constantium.*

AUGUST. 7. Fidelis homo credens promittenti Deo, fidelis Deus est exhibens quod promisit homini. Super *Psalm.* XXXII, conc., 1 vers. 4.

8. Promissio, cum redditur res, jam fit superflua : nam antequam reddatur quod promittitur, necessaria est ipsa promissio, ne promissum sibi obliviscatur, cui promittitur. Super *Psalm.* LXXIII, vers. 3.

9. Promissio Dei est rata, certa, fixa, inconcussa, fidelis, et omni dubitatione carens, quæ consolatur afflictos. Super *Psalm.* LXXIV in Præfat.

10. Quidquid promisit Deus, indignis promisit, ut non quasi operibus merces promitteretur, sed gratia a nomine suo gratis daretur. Super *Psalm.* CIX in præfat.

11. Multo melius est non promittere, quam fidem promissam non adimplere. Serm. 62 *ad Fratr. in eremo.*

12. Non omnia Deus quæ prædicit, promittit : promittit autem quæ ipse facturus est. Epist. 120, cap. 19.

13. Fides quando promittitur, etiam hosti servanda est, contra quem bellum geritur. Epist. 205.

14. Observa quod præcepi, ut invenias quod promisi. Tract. 33, super *Joan.*

15. Nondum tenemus jam quod promissum est, sed venturum speramus : fidelis est autem qui promisit, non te fallet; tantum tu noli deficere, sed expecta promissionem. Tract. 4 super epist. *Joan.*

16. Quod nobis promittit Deus, ineffabilis dulcedo est. *Ibid.*, tract. 7.

17. Non promittit Deus, et facis tu : potest autem recte dici, quia quæ promittis tu, facit Deus. Quando enim promittis, nisi faciat Deus, inanis est promissio tua : Dei autem promissio non pendet ex te, sed ex illo. Homil. 17 *ex Quinquaginta homiliis*, cap. 1.

18. Se promittit, qui promittit. *Ibid.*, homil. 29., cap. 2.

RNARD. 19. Ideo multa quæ Deus dare disposuit, prius pollicetur, ut ex promissione devotio excitetur : sicque quod gratis daturus erit, devota oratio promereatur. Homil. 4 super *Missus.*

20. Non sis citus ad promittendum, non ad reddendum tardus. Serm. 42 *ad Henric. Senon. archiepisc.*

21. Magna quidem divina promissio, sed longa valde dilatio, et molesta expectatio est. *In Declamat.*

22. In promissione velox, in exhibitione mendax. *De interiori domo*, cap. 32.

23. Magna promittere, et exigua persolvere, est potius supplicio dignum, quam præmio. Lib. 2 *de Profectu Relig.*, cap. 22. S. BONAV.

24. Ille revera non decipitur, cui promissa complentur. Super. *Psalm.* LXXVI vers. 2 : *Et non sum deceptus.* CASSIODOR.

25. Quodcunque commodum in remunerationem quis promiserit, promissi solutionem solvere oportebit. Et hab. in *Decretis Gratiani*, part. 2, causa 12, quæst. 2, can. *Quodcunque.* CONCI. TOLET. 4.

26. Stuntis vanisque promissionibus, nullus a corde Christiano dari debet accessus, sed primis titillationibus obviari debet. *Prosec.* S. CYPRIAN.

27. Mendax enim est diabolus, et his qui sibi obtemperant, multa se daturum promittit. *De jejunio et tent. Christi*, cap. 6.

28. Tardius promitte, et cito promissa perage. *De perfectione monachi.* S. EPHRÆM.

29. Magna promisimus, majora promissa sunt nobis : servemus hæc, suspiremus ad illa. In suis *Opuscul.* S. FRANCIS. ASSISIAS.

30. Magna promisit, qui magna præcipiendo docuit; ut magnitudo muneris ad fortitudinem incitaret laboris. Lib. 3 I in *Reg.*, cap. 5, super illud : *Liberabit vos de manu Philistiim.* S. GREGOR. MAGNUS.

31. Cum infirmi fortia promittunt, non est expertum robur animi, sed confusio discretionis. *Ibid.*, lib. 4 super illud : *Quia petistis vobis regem.*

32. Si consideremus quæ et quanta sunt, quæ nobis promittuntur in cœlis, vilescunt animo omnia quæ habentur in terris. Homil. 37 super *Evang.*

33. Sæpe se acturos mala repromittunt, et revocare promissa, quasi perjurium incursuri non satagunt. Lib. 5 in I *Reg.*, cap. 4.

34. Periculose promittitur, quod adhuc in alterius potestate est. Epist. 14 *ad Celantiam.* S. HIERON.

35. Facile ex amico inimicum facies, cui promissa non reddas. *Ibid.*

36. Centuplicato fœnore Christi promissa redduntur. Epist. 26 *ad Pammach.*

37. Non sponsor in crimine est, si ille cui repromittitur, indignum se fecerit sponsione, præsertim cum proponatur optio promittentis. Lib. 6 super *Ezech.*, cap. 20 super illud : *Hæc dixit Dominus Deus*, etc.

38. Deus misericors est in promittendo, et verax in exhibendo. *De Alleg. in Luc.*, super *Magnificat*, vers. ultimo. HUGO A S. VICTORE.

39. Tanta Dei promissionum est magnitudo, tantaque excellentia, ut ea quæ nobis promissa sunt humanam transcendant rationem. Homil. 36 super *Gen.* S. JOANNES CHRYSOST.

40. Mos est Dei, ut polliceatur quidem, non au-

tem continuo promissiones impleat, sea exerceat justorum patientiam, atque sic adimpleat promissa. *Prosec.*

41. Hæc vera fides est, non attendere ea quæ videntur, etiamsi omnino sint adversa promissioni, sed solam promittentis potentiam. *Ibid.*, homil. 54.

42. Diabolus multa pollicetur, non ut det, sed ut potius accipiat. Homil. 13 super *Matth. Oper. perf.*

43. Melius est non promittere et facere, quam promittere et mentiri. Homil. 40, super *Matth. Oper. imperf.*

44. Da quod exigo, et accipe quod promitto : imple quod jubeo, et posside quod dispono. *Prosec.*

45. Quid observanti promittitur, si contemnenti præmium dispensatur ? Homil. 1 in *Dictum Joan.* xv : *Vos amici mei estis.*

46. Promittitur familiaritatis sublimitas officiorum fenore comparanda, cum Domino certa negotiatio copulatur : promittit enim et exigit, sublimat et subjicit. *Ibid.*, homil. 2.

JOAN. GERS. 47. Magni sponsoris rara ut plurimum fides est. In *Collat.*, serm. *de Reliquis duabus domib.*, part. 2.

JOAN. SARESB. 48. Ethica regula est, quia non omnia sunt semper promissa solvenda, si forte aut accepturo damnosa, aut perniciosa sint promittenti. *Prosec.*

49. Ipso jure cautum est, ut nulla promissio, quæ turpem aut tristem habeat exitum, impleatur. Lib. 3 *de Nugis curial.*, cap. 11.

50. Quisquis promittit, debitor est, et veritatis urgente sententia, sponsionis fidem compellitur adimplere. *Ibid.*

S. ISIDORUS HISPALENS. 51. Inter promittere et polliceri hoc interest : quod promittimus rogati, pollicemur ultro. Lib. 1 *de Different.*, different. 1.

52. Firma sit sacramenti tui fides, fac bonum quod spopondisti ; non sis in verbis facilis, et in opere difficilis. *Prosec.*

53. Non facile aliquid promittas, sine consideratione virium nihil voveas, quod non potes facere non pollicearis. Lib. 2 *de Synonym.*, cap. 10.

S. LAURENT. JUSTIN. 54. Tolerabilius est a virtute sine sponsione deficere, quam post promissionem a virtutis deliberatione languescere. Serm. *de SS. Innocent.*

S. LEO I. 55. Comprehendi non potest quod promittitur, nisi custoditum fuerit quod jubetur. Serm. 9 *De jejun. septimi mensis.*

PETR. BLES. 56. Magna debet esse in promissione discretio : inanis enim promissio multoties de familiaribus amicis sibi comparat inimicos. Epist. 51 *ad Joan. Episc. Sarisber.*

PETR. CELL. 57. Semper in amicitia minus pollicendum, amplius præstandum. Lib. 2, epist. 7 *ad Abbat. Molismens.*

S. PETRUS MAURITIUS ABBAS CL. 58. Vis, immo exigis tibi reddi, quod tibi promittitur a proximo : et putas a Deo non exigi quod promittitur Deo ? Lib. 6, epist. 15 *ad Priores.*

S. PROSPER 59. Multi in promissione honesta sunt veloces, in exhibitione mendaces. Lib. 3 *de Vita contempl.*, cap. 10.

60. Nemo veraciter spondet alteri, quod præstare non potest sibi. Super *Psalm.* CXXXXV, vers. 3.

SALVIANUS 61. Non se probat promissionibus Dei credere, qui non sic agit, ut possit ad promissa a Deo præmia pervenire. Lib. 3 *ad Eccles. cathol.*

62. Magis es debitor, quia proposito sanctitatis majora promittis : et ideo plus tolerabis supplicii, quia minus solveris sponsionis. *Prosec.*

63. Et tu specie professionis grandia specie polliceris, et rebus nulla restituis : falsarii criminis reus es, Deo cuncta mentiris. *Ibid.*, lib. 4.

THOMAS A KEMPIS 64. Promittit mundus temporalia et parva, et servitur ei aviditate magna : ego promitto summa et æterna, et torpescunt mortalium corda. Lib. 3 *de Imit. Chr.*, cap. 3, sect. 2.

S. VALER. EPISC. 65. Melius est profecto non promittere, quam promissa fœdare. Homil. 3 *de Promissis.*

66. Obligatus legitima debiti est sine dubio pactione, qui convincitur Domino aliquid promisisse. *Ibid.*

67. Debitum Deo et promissum munus, non est in tempore prolongandum. *Ibid.*, homil. 4.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CATO POE 68. Rem tibi promissam, certo promittere noli. Lib. 1 *Distichor.*, metr. 25.

69. Quod præstare potes, ne bis promiseris ulli. Lib. 1 *Distichor.*, metr. 48.

CICERO. 70. Non promissa servanda sunt ea, quæ sint iis quibus promiseris inutilia : nec si plus tibi noceant, quam illi prosint cui promiseris. Lib. 1 *de Offic.*

71. Illis promissis non standum esse, quis non videt quæ coactus quis metu, aut deceptus dolo promiserit ? *Ibid.*

72. Etiamsi quid singuli temporibus adducti hosti promiserint, est in eo ipso fides conservanda. *Ibid.*

73. Est jus etiam bellicum, fidesque jurisjurandi sæpe cum hoste servanda. *Ibid.*, lib. 3.

74. Non debet ratum esse, quod actum est per vim. *Ibid.*

75. Promissa semper servanda sunt, quæ nec vi, nec dolo facta sunt. *Ibid.*

PERIAND. CORINTH. 76. Quidquid promiseris facito. In *Dictis Sapient. ex Græcis*, dict. 6.

SENECA. 77. Magna promisisti, exigua video. Epist. 109.

78. Cum consideratione promitte, plenius quæ promiseris, præsta. *De quatuor virtut.*

79. Priusquam promittas, deliberes : et cum promiseris, facias. *De Moribus.*

Vide etiam tit. *Hæresis,* sent. 54 ; *Mandatum Dei,* sent. 12; *Mendacium,* sent. 74; *Mundus,* sent. 40 : *Propositum,* sent. 23 ; *Prudentia,* sent. 5 ; *Virtutes Theolog.*, sent. 56 ; *Votum,* sent. 30, 52, 53, 56, 92.

PROPHETIA.

S. THOMAS AQUINAS. *Etymologia.* Propheta dicitur, quasi procul videns, et dicitur a Phanos, quod est videre. Super I *Cor.* XIV, lect. 1.

S. AUGUST. *Definitio.* Propheta est homo ultra humanas conjecturas futura prænuntians. Lib. 16 *contra Faustum,* cap. 18.

CASSIODOR. Prophetia est inspiratio divina, quæ eventus rerum aut per facta, aut per dicta quorumdam immobili veritate prænuntiat. In *Prologo super Psalm.*, cap. 1.

Prophetia est suavis dictio, cœlestis doctrinæ favos et dulcia divini eloquii mella componens. *Ibid.*

HUGO CARD. Prophetia est rerum futurarum certa prædicatio, vel absconditarum proditio. Super *Levitic.*, cap. XIX.

S. IRENÆUS. Prophetia est prædicatio futurorum, id est, eorum quæ post erunt, præsignificatio. Lib. 4 *advers. Hæreses,* cap. 37.

S. THOMAS AQUINAS. Prophetia est quædam apparitio ex revelatione divina eorum quæ sunt procul. Super *Epist. ad Rom.*, cap. XII, lect. 2.

Prophetia est visio, seu manifestatio futurorum contingentium, seu intellectum humanum excedentium. Super I *Cor.*, cap. XIV. lect., 1.

Prophetia est quoddam clarum lumen intellectus certo divinitus immissum, et menti prophetæ per modum transeuntis impressionis inhærens. 2, 2, quæst. 171.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Hæc est consuetudo prophetiæ, ut quæ futura sunt, vel quasi præsentia, vel quasi facta dicantur. Lib. 1 *de Fide ad Gratianum*, cap. 7.

2. Quanto excellentior propheta munere prophetiæ, tanto magis sequatur humilitatem. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 10, vers. 8.

S. ATHANAS. MAGNUS. 3. Quæ a prophetis prospecta sunt, necessarium est ea esse : neque fieri potest, ut aliter sint, quam ipsi præviderint : nam si ea quæ fient, non prospicerent, jam prophetæ non essent. *Prosec.*

4. Id pro certo haberi debet, prophetas non solum legum esse magistros, ut quæ præcipiunt fieri debeant, sed rerum quoque futurarum indices esse.

5. Siquidem non eo quod dicunt, ideo quid fit : sed quia id futurum est, ideo ab illis prædicitur : nec fieri potest quod prophetæ mentiantur, cum vere videant. *De Passione et cruce Domini.*

6. Multa prædicuntur instinctu quodam, et impulso spiritu nescientium : sicut Caiphas nescivit quid dixit, sed cum esset pontifex, prophetavit. Lib. 4 *de Trin.*, cap. 17. S. AUGUST.

7. Si quis propheta est, sine dubitatione cognoscit, nec admonitione opus habet, quia omnia judicat, et a nemine judicatur. Epist. 102.

8. Minus est propheta, qui rerum quæ significantur sola ipsa signa in spiritu per rerum corporalium imagines videt. *Prosec.*

9. Et magis propheta, qui solo earum intellectu præditus est.

10. Sed et maxime propheta, qui utroque præcellit, ut videat in spiritu corporalium rerum significativas similitudines, et eas vivacitate mentis intelligat. Lib. 12 *de Genesi ad litt.*, cap. 9.

11. Magis ad mentem pertinet prophetia, quam ad istum spiritum, qui modo quodam proprio vocatur spiritus, vis animæ quædam mente inferior, ubi corporalium rerum similitudines exprimuntur. *Ibid.*

12. Deus prius per prophetas, deinde per seipsum, postea per apostolos locutus est. Lib. 11 *de Civit. Dei,* cap. 3.

13. Tanquam præterita narrantur, quæ futura prophetabantur, quoniam quæ ventura erant, jam in præsentia Dei velut facta erant, quia certa erant. *Ibid.*, lib. 17, cap. 18.

14. De Christo prophetiæ divinæ fide dignissimæ præcesserunt, quæ in illo non sicut a patribus adhuc creduntur implendæ, sed jam demonstrantur impletæ. *Ibid.*, lib. 22, cap. 6.

15. Non est propheta veri Dei, qui oblata divinitus visa, vel solo corpore, vel etiam illa parte spiritus videt, qua corporum capiuntur imagines, et mente non videt. *Contra Adimant.*, cap. 28.

16. Fides venturi Christi habitabat in prophetis venturum pronuntiantibus Christum. Lib. 1 *contra Advers. legis,* cap. 17.

17. Christus erat Dominus prophetarum, impletor prophetarum, sanctificator prophetarum, sed et propheta. Tract. 24 super *Joan.*

18. Cum prophetis erat Verbum Dei, et propheta Verbum Dei : meruerunt priora tempora prophetas afflatos et impletos verbo Dei, meruimus nos prophetam ipsum Verbum Dei. *Ibid.*

19. Prævidens Christus impios quosdam futuros, qui miraculis ejus calumniarentur, magicis

artibus ea attribuendo, prophetas ante præmisit. *Ibid.*, tract. 35.

20. Nullus propheta sine verbo Dei prophetat. *Ibid.*, tract. 24.

21. Si Christus nihil prophetaret, propheta non disceretur. *Ibid.*

S. BERNARD. 22. Sermo a propheta, consilium a sapiente quærendum est. Epist. 8, *ad Brunonem Coloniensem.*

S. BONAV. 23. Prophetæ sub figura vel velamine loquebantur triplici de causa : propter rei immensitatem, propter audientium indignitatem, propter exercitationem. Super *Psalm.* XCVIII.

24. Prophetia est occultorum. Super *Joan.*, cap. I in illud : *Propheta es tu ?*

S. CLEMENS PAPA. 25. Quid in præsenti sæculo propheta gloriosius? Lib. 1 *Recognit.*

26. Sæpe fama vulgi, prophetiæ speciem tenet. *Ibid.*, lib. 3.

S. EPIPHAN. 27. Verus propheta cum constanti ratione ac intelligentia loquitur : omnia sana mente, et ex Spiritu sancto dicens. Hæres. 48, *contra Phrygastas.*

GLOSS. ORD. 28. Prophetia non necessitatem eorum facit, quæ prædicit, sed signum est præscientiæ Dei. Super illud *Matth.* I : *Ut adimpleretur.*

S. GREGOR. MAGNUS. 29. Cum aliquid ostenditur, vel auditur, si intellectus non tribuitur, prophetia minime est. Lib. 11 *Moral.*, cap. 12.

30. Prophetia dicta est, quia futura prædicit : quando de præterito, vel præsenti loquitur, rationem suis nominis amittit. Homil. 1 super *Ezech.*

31. Usus propheticæ locutionis est, ut prius personam, tempus, locumque describat, et postmodum dicere mysteria prophetiæ incipiat. *Ibid.*, homil. 2.

32. Sicut nos corporalia, sic prophetæ sensu spiritualia aspiciunt : eisque illa sunt præsentia, quæ nostræ ignorantiæ absentia videntur. *Ibid.*

33. Hi qui prophetiæ spiritu replentur, per hoc quod aperte nununquam de se, et nonnunquam sic de se verba tanquam de aliis proferunt, indicant quia non propheta, sed Spiritus sanctus loquitur per prophetam. *Prosec.*

34. Pro eo quod per prophetas sermo fit, ipsi loquuntur de se, et pro eo quod inspirante Spiritu sancto loquuntur, idem Spiritus sanctus per ipsos loquitur de ipsis. *Ibid.*

35. Consuetudo prophetiæ est, nunc ista, nunc illa conspicere, et ab aliis in aliud subito verba derivare. Homil. 7 super *Ezech.*

36. Qui prophetiæ spiritu plenus est, a vita proximi mala imminentia, bona suadendo, declinat. *Ibid.*

37. Officium prophetæ est, ventura prænuntiare, nec non etiam ostendere. Homil. 3 super *Evang.*, super illud *Joan.* I : *Non sum Propheta.*

38. Prophetia tribus modis fit videlicet, verbis, factis, et somniis. Super *Septem Psalm. Pœnit. Psalm.* VII.

39. Ad excelsum prophetiæ ministerium venit, qui ad cœlestia gaudia, quæ prædicat, mentem erigit, et ad ea amando se sublevat, quæ loquendo monstrat. Lib. 4 in I *Reg.*, cap. 5, super illud : *Cessavit autem prophetare.*

40. Prophetæ mystica dicere, non solum verbis, sed etiam rebus consueverunt : plana proferre, sed alta signare. *Ibid.*, lib. 5, cap. 1.

41. Prophetiæ spiritus prophetarum mentes non semper irradiat. Lib. 2 *Dialogi.*, cap. 21, verbo *Prophetiæ. Prosec.*

42. Quia dum Omnipotens Deus prophetiæ spiritum aliquando dat, prophetarum mentes elevat in celsitudine, dum aliquando subtrahit, eas custodit in humilitate.

43. Ut accipientes prophetiæ spiritum inveniant quid de Deo sint, et prophetiæ spiritum non habentes cognoscant quid sint de semetipsis. *Ibid.*

44. Recte prophetia dicitur, non quia prædicit ventura, sed quia prodit occulta. Homil. 1 super *Ezech.*

45. Spiritus prophetiæ nec semper, nec eodem modo prophetæ animum tangit. *Ibid.*

46. Aliquando prophetiæ spiritus prophetis deest, nec semper eorum mentibus præsto est ; quatenus cum hunc non habent, se hunc agnoscunt ex dono habere cum habent. *Ibid.*

47. Omnis prophetia ænigmatibus involvitur, et præcisis sententiis, cum de alio loquitur, transit ad aliud. Lib. 5 super *Isaiam*, cap. XVI super illud : *Emitte agnum.* S. HIERON.

48. Summa prophetia est assidua mortis cogitatio. Super *Gen.*, cap. XXVI. HUGO CARD.

49. Mos est prophetarum omnium, de non factis ut de factis loqui : quia mentis oculis vident quæ post multorum annorum curricula sunt futura. Homil. 10, super *Gen.* S. JOANNES CHRYSOST.

50. Propheta velut quidam pictores sunt virtutis ac malitiæ : describunt enim peccatorem, justum, pœnitentem, stantem, cadentem, surgentem, et titubantem. Exposit. in *Superscript. Psalm.* L.

51. Prophetarum ora, Dei sunt os et tale os nihil dicit obiter, et extra rem. Homil. 2 *de Verbis Isaiæ.*

52. Prophetia alia est ex præscientia, quæ impletur solummodo Dei operatione, et immutabilis est : alia ex judicio operum, quæ impletur

hominum administratione, et mutabilis est. Homil. 1 super *Matth. Oper imperf.*

53. Sicut nubes bajulant pluviam, et effundunt eam super terram ; sic prophetæ, qui nubes dicuntur, accipiunt verba a Deo, et effundunt super rationabilem terram. *Ibid.*, homil. 20.

54. Propheta sobria mente, et modesta et firma, quæ loquitur omnia, ut decet, novit. Homil. 20, super I *Cor.*

55. Propheta interpres est, sed Dei. *Ibid.*, homil. 36.

56. Prophetia etiam apud incredulos ignominia vacat, æstimationem vero et commodum maximum habet. *Ibid.*

[L]ACT. FIRM. 57. Prophetæ universi divino Spiritu repleti, nihil aliud quam de gratia Dei erga justos, et de ira ejus adversus impios, loquuntur. *De Ira Dei*, cap. 22.

[S.] MACHAR. [Æ]GYP. SEN. 58. Prophetæ non passim loquebantur, sed quando placebat ei, qui in ipsis erat Spiritus, facultas nihilominus semper aderat. Homil. 50.

[O]RIGENES. 59. Prophetæ medici quodammodo sunt animarum, et illuc semper ire jubentur, ubi languentes sunt. Homil. 11 in cap. xv *Hierem.*

[S]. PETRUS [C]HRYSOL. 60. Quoties nobis intonat propheticus clangor, toties nos in pace cautos, et in acie fortes, et in prælio reddit invictos. Serm. 14.

[P]HILO JUD. 61. Propheta interpres est Dei, dictantis intus oracula. *De Præmiis.*

62. Malum virum non est fas esse interpretem Numinis. Lib. de eo, *Quis rerum divinarum hæres sit.*

THOMAS [A] KEMPIS. 63. Omnis prophetia ad Christum tendit, et in Christo consummationem accipit. Medit. 1 *de Incarnat.*, cap. 21.

S. ZENO [E]PISCOPUS [E]T MART. 64. Prophetia semper figuris variantibus loquitur, sed res una in omnibus invenitur. Serm. *de Somnio Jacob.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

PLATO. 65. Divinis vatibus utitur Deus, tanquam ministris et oraculorum nuntiis : ut nos qui audimus, intelligamus eos ipsos minime esse, qui hujusmodi res tanti momenti dicant, sed Deum esse qui illa dicat, et illorum hominum ministerio nos alloquatur. Sizygia in *Iliade.*

SIXTUS [PH]ILOSOPH. 66. Fidelis anima, et casta, et sapiens, propheta veritatis Dei est. *Sent.* 421.

Vide etiam tit. *Maria*, sent. 203; *Miraculum*, sent. 38 ; *Psalmus*, sent. 92.

PROPOSITUM.

[CO]LLECTOR. *Etymologia.* Propositum dicitur quasi prope situm, quod scilicet debeat quam citius adimpleri.

[S]. BONAV. *Definitio.* Propositum est quid proponentis, præcedens res quæ proponuntur. Super lib. 1 *Sent.*, dist. 40, art. 1, quæst. 1.

COLLECTOR. Propositum est mentis statutum absque fidelitatis obligatione, *Vel*, propositum est deliberata voluntas exequendi id, quod electum est ad aliud assequendum.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIUS DE PADUA. 1. Qui declinat a bono proposito, linguæ malleo contundit Christum. Serm. *in die Parasceves.*

S. AUGUST. 2. Vos fratres exhortamur in Domino, ut propositum vestrum custodiatis, et usque in finem perseveretis. Epist. 81, *ad Eudox. abbatem.*

3. Nisi in proposito tuo perseveraveris, morieris. Serm. 8 *ad Fratres in eremo.*

4. Qui rumpit propositum suum, Christum negat. *Ibid.*, serm. 60.

5. Malum est cadere a proposito, sed pejus est simulare propositum. Serm. 1 *de Comm. vita cleric.*

6. Certi estote, quia non erit inanis labor vester, si in bono proposito proficientes perseveretis usque in finem. *De Gratia et libero arbitrio*, cap. 23.

V. BEDA. 7. Fraudem Deo facere videtur, qui proposito spiritalis vitæ relicto, ad sæculum revertitur. In suis *Proverb.*, verbo *Fraudem.*

S. BERNARD. 8. Quæ nos revocant a proposito nostro, duo sunt : robur incœpti operis, et desperatio exequendæ virtutis. In suis *Sentent.*, verbo *Quæ.*

9. Boni propositi truncum corrumpentes vermes, sunt tentationes intrinsecæ, quæ tanto viciniores sunt, quanto familiariores, qui sæpe sub boni specie bonum propositum corrumpunt. Lib. *De Passione Dom.*, cap. 23.

S. BONAV. 10. Propositum sanctum non potest latere, quin se manifestet, et amor interior prorumpat in opus. Super *Luc.*, cap. I.

S. CYRILLUS HIEROSOL. 11. Non dat Deus sancta canibus : sed ubi bonum videt propositum, illic salutare sigillum et admirandum imprimit. *Cateches.* 1.

S. DIADOCH. 12. Nisi propositum voluntatis nostræ vi teneamus, facile a dæmonibus diripitur. *De Perfect. spirit.*, cap. 34.

FRANCISCUS TITELM. 13. Propositum implendi legem Dei, præcedere debet illius meditationem. *In Annot. super Psalm.* I, vers. 2.

14. Salutaria proposita, quæ Deo inspirante concepimus, relinquere, magnæ est imperfectionis, infirmitatisque, et remissæ charitatis indicium. *Ibid.*, super *Psalm.* XLIX, vers. 15.

15. Illa proposita, quibus nos ipsos plena resignatione voluntatis astrinximus, maxime et diligentissime adimplere debemus. *Ibid.*

16. Justum est ut sancta proposita quæcunque Deo inspirante concipimus, ad effectum perducere, et Deo persolvere laboremus. *Ibid.*

17. Probatur infirmum et horarium fuisse propositum, nisi illud homo reddere, et ad effectum operis adimpletione perducere studiose laboret. *Ibid.*

18. Quasi secundum aliquem modum Deo quis consecrat et addicit quod firmo proposito se facturum decernit, etiamsi non omnino sibi necessitatem imponat. *Prosec.*

19. Ac proinde quasi mentitur Deo, qui sic firmo proposito Deo addictum non præstat. *Ibid.*

20. Minus est nudum desiderium, quam firmum aut forte propositum. *Ibid.*

21. Ingratus proculdubio homo ille judicabitur, si liberatus a quacunque tribulatione, bonum cordis propositum, quod Deus aspiciebat, non studeat adimplere. *Prosec.*

22. Quemadmodum si quis in infirmitate gravi positus, propositum bonum faciat, si Dei clementia sanitatem recuperet: Deus autem propositum bonum aspiciens, desiderium impleat ægrotantis; quis non hujusmodi hominem ut ingratum judicabit, si postea negligat, quæ in tribulatione proposuit? *Ibid.*, super *Psalm.* LXV, vers. 12.

S. GREGOR. MAGNUS.

23. Cras quod semper promittitur, vix nunquam reperitur, ut bonum quod proponitur, differendo non inveniatur. Lib. 5 in I *Regum*, cap. 1, super illud : *Et dixerunt ad eum habitatores.*

24. Quisquis bonum majus subire proposuit, bonum minus quod licuit illicitum fecit. Part. 3, *Pastor.*, cap. 1, admonit. 28.

25. Dura sunt quæ contra usum spiritualiter animo proponimus; et tamen onus Dei leve est, postquam hoc ferre cœperimus. Homil. 17, super *Ezech.* super illud *Matth.* VII : *Intrate per angustam portam.*

26. Tanto audacius nunc mala proponuntur, quanto jam cum robusta juventute sæculi, robur exaruit humanæ conditionis. *Prosec.*

27. Tanto difficilius quod male est propositum revocatur, quanto ex laxato vigore spiritus mens carnalis efficitur.

28. In malo proposito reprehensi resistimus, et salubriora majorum consilia insuperabili malo pervicaciæ vincere conamur. Lib. 4 in I *Reg.*, cap. 1.

29. Mali malum cito proponunt, et a malo proposito non celerius resipiscunt. *Ibid.*, cap. 2.

30. Prætermittenda sunt proposita mala, non implenda : sic quippe a proposito desistere, non est vitium levitatis, sed virtus discretionis. *Ibid.*, lib. 5, cap. 4.

S. HIERON.

31. Ubi honor non est, ibi contemptus est : ubi contemptus, ibi frequens injuria : ubi autem injuria, ibi et indignatio : ubi indignatio, ibi quies nulla : ubi quies non est, ibi mens a proposito sæpe deducitur. Epist. 1 *ad Heliodor.*

32. Nihil in sancto proposito otio deterius est, quod non solummodo non acquirit nova, sed etiam parata consumit. Epist. 1 *ad Demetriad.*

33. Cœptum propositum ad finem conserva : quia non inchoasse tantum, sed perfecisse virtus est. Epist. 14 *ad Mauricii filiam.*

34. In monasteriis sicut unum propositum, unus et animus est. Super *Psalm.* CXXXII, vers. 1.

HUGO A S. VICTORE.

35. Non tam statum, quam propositum respicit Deus. In *Soliloq., de Arrha animæ. Prosec.*

36. Nec quid sis, sed quid esse velis, attendit : si tamen tu quantum potes satagis, ut quod adhuc esse non cœpisti, esse merearis. *Ibid.*

HUGO CARD.

37. Quatuor sunt quæ revocant a bono proposito : amor voluptatum, ambitio dignitatum, timor asperitatis, diffidentia persistendi. Super *Prov.*, cap. XV.

38. Quatuor sunt quæ retardant bonum propositum : amor parentum, fiducia longioris vitæ, multitudo consiliariorum, timor propriæ debilitatis. *Ibid.*

39. Mirabile est de multis, qui multis annis conceptum boni propositi in utero portant, et parere non possunt, quia nolunt. Super *Matth.*, cap. VIII.

40. Cogitatio de domo sua, et de parentibus, quam revera diabolus immittit sub quadam discretionis specie, multos avertit a bono proposito, et multis fuit occasio perditionis. Super *Luc.*, cap. IX.

S. JOANNES CHRYSOST.

41. Quid utilitatis habet conditionis dignitas, animi deficiente proposito? Serm. 8, super *Epist. ad Ephes.*

42. Tota merces est propositi, numerus ille innumerabilis manet incoronatus : virginitatem quidem habens, sed virginitatis propositum non habens : neque enim Deus acceptum fert, quod fit ex necessitate, sed quod ex proposito recte fit. Homil. super *Psalm.* XCV.

43. Propositum bonum, malum opus excusat : malum autem opus, bonum propositum condemnat. *Prosec.*

44. Bonum opus malum propositum non excusat, malum autem propositum, bonum opus condemnat. Homil. 19, super *Matth. Oper. imperf.*

45. Deus non secundum bonorum operum eventum, sed juxta factoris propositum coronas elargiri solet. Homil. 3 super I *Cor.*

S. JOAN. CLIM.

46. Ex bono proposito gignitur laborum toleratio. *Gradu* 26.

JOAN. TRITH.

47. Quantumcunque propositum firmum fuerit alicujus boni, si non quotidie innovatur, cito extinguitur. Super prolog. *Regulæ S. Bened.*, cap. 2, text. 9.

48. Ubi propositum bonum derelinquitur, religio minime servatur. *Ibid.*, cap 2, text. 12.

49. Non diu stabiles in sancto proposito consistimus, nisi quotidianis exercitiis fervorem spiritus continue renovemus. Lib. 1, homil. 2 *ad Monachos.*

50. Nemo in sancto proposito stabilis et firmus potest persistere, qui fervorem mentis non quotidie per aliquod exercitium studet innovare. Part. 2 *de Spiritual. exercit. Monachor.*

51. Ad quid sanctum differs propositum de die in diem? Cur hodie non incipis, quod in crastinum proponis? *De Vanit. et miser. humanæ vitæ*, cap. 3.

52. Nunquam fuit firmum propositum, quod tam facile potuit amitti. *Ibid.*, cap. 4.

53. Ad boni sanctique propositi habitum non potest homo pertingere, nisi affectum studeat quotidie renovare. *Ibid.*

54. Propositum qui differendo negligit, turpiter amittit. *Ibid.*, cap. 8.

55. Mora mutat propositum, et bonæ voluntatis dilatio frustrat effectum. Orat. 1 *in conventu Abbat. habita.*

56. Fervor sancti propositi cito nimis amittitur, nisi quotidiano exercitio renovetur. *Ibid.*, orat. 5.

57. Non est verum propositum, quod moræ subit periculum. Epist. 10 *ad Nicol. presbyt. Mernicens.*

CT. FIRM. 58. Animus quæritur, et propositum ponderatur. Lib. 6 *de Divin. inst.*, cap. 12.

.AURENT. USTIN. 59. Nihil in sancto proposito otio deterius, quod non solummodo non acquirit nova, sed etiam acquisita consumit. *De Ligno vitæ. De Timore*, cap. 2.

. LEO I. 60. Propositum Monachi proprio arbitrio, aut voluntate susceptum, deseri non potest absque peccato. Epist. 92 *ad Rustic. Narbon. episc.*, cap. 13.

61. Ambigi non potest crimen magnum admitti, ubi et propositum deseritur, et consecratio violatur. *Ibid.*, cap. 15.

'DOVICUS L' SIUS. 62. Persiste in sancto proposito, etiamsi millies in die labaris. *In Speculo spirit.*, cap. 6.

'ETRUS .ESENS. 63. Sancti et honesti propositi dilatio, magna ruina est. Epist. 9, *ad Quemdam*

'ROSPER. 64. Auget merita virtutis, qui propositum non violat religionis. Apud *D. August.*, sent. 34.

THOMAS 'UINAS. 65. Propositi instabilitas pertinet ad evagationem mentis. 2, 2, quæst. 35, art. 4.

66. Propositum aliquam præ exigit deliberationem, cum sit actus voluntatis. *Ibid.*, quæst. 88, art. 1.

HOMAS KEMPIS. 67. Omni die renovare debemus propositum, et ad fervorem nos excitare. Lib. 1, *de Imit. Chr.*, cap. 19.

68. Si fortiter proponens sæpe deficit, quid ille qui raro aut minus fixe aliquid proponit? *Ibid.*, cap. 19, sect. 2.

69. Variis modis contingit desertio propositi nostri ; justorum propositum in gratia Dei potius quam in propria sapientia pendet, in quo et semper confidunt quidquid arripiunt : nam homo proponit, sed Deus disponit. *Ibid.*

70. Si pietatis causa propositum omittitur, facile postea poterit recuperari : si autem tædio animi, aut negligentia faciliter relinquatur, satis culpabile est, et nocivum sentietur. *Ibid.*, cap. 19, sect. 3.

71. Semper aliquid certi proponendum est, et contra illa præcipue, quæ amplius nos impediunt. *Ibid.*

72. O quanta fragilitas humana! nunc proponis cavere, et post horam agis quasi nihil proposuisses. *Ibid.*, cap. 22, sect. 6.

73. In veritate non est virgo, neque maritata, neque monachus, neque sæcularis, sed Deus tantum propositum quærit. Lib. 3, num. 97. IN VITIS PATR.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

74. Necesse est, qui recte sapit, ad melius propositum se disponere. Lib. 7, *Polit.*, cap. 2. ARISTOTEL.

75. Actionis tam bonæ, quam malæ principium est propositum, et voluntas. Lib. 1, *Magnor. moralium*, cap. 12.

76. Propositum finis non est, sed ad finem tendit. *Ibid.*, cap. 18.

77. Propositum est in eis, quæ sub actionem cadunt, et eis ipsis, in quibus nostrum sit agere et non agere. *Ibid.*

78. Memor esto propositi tui. Lib. 10, epist. 43, *ad Trajanum.* PLINIUS II.

79. Inconstans non perseverat in eo quod proposuit, sed transilit : et in ea quæ deseruit ac damnavit, redit et revolvitur. Epist. 20. SENECA.

80. Vita sine proposito vaga est. Epist. 95.

Vide etiam tit. *Dilatio*, sent. 71; *Mendacium*, sent. 74; *Monachus*, sent. 6; *Novitius*, sent. 43, 44, 59; *Parentes*, sent. 122; *Profectus*, sent. 118.

PROPRIETAS.

Definitio. Proprietas est dominium rei justis modis quæsitum. Part. 4, tit. 12, cap. 4, § 6. S. ANTONIN.

Proprium illud est, de quo dispensare licet, juxta propriam voluntatem, omni assensu alio circumscripto. In *Speculo disciplinæ*, part. 1, cap. 4. S. BONAV.

Comparatio. Sicut vespertilio bibit oleum in ecclesia, ubi laudant alii Deum : sic religiosus proprietarius instar vespertilionis bibit et furatur bona monasterii, ubi alii vacant laudibus, et Dei servitio. Tit. 4 *Diætæ*, cap. 1. S. BONAV.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Quibus nihil est proprium, nihil deest. *De Viduis.*

2. Nemo proprium dicat, quod e communi plusquam sufficiat, sumptum, et obtentum est. Serm. 81.

S. ANTONIN. 3. Religiosi qui proprium tenent, vel extra conventum sine licentia et rationabili causa bona distribuunt, furtum committunt. Part. 1, tit. 15, cap. 4, § 11.

4. Habere aliquid proprium repugnat perfectioni religionis. Part. 3, tit. 16, cap. 1, § 3.

S. ASTERIUS. 5. Vitium proprietatis nulli dubium est, quod sit mortale in religioso. Part. 4, tit. 14, cap. 10, § 6.

6. Nihil omnino tuum est, tu servus es, et omnia tua Domini : quia servus liberum peculium non habet. Homil. *de Œconomo iniquitatis.*

7. Nihil est omnino nostrum, sed quodcunque bonorum existit, illius mancipio proprium est. *Ibid.*

S. AUGUST. 8. Res vestras falso appellatis, quas nec juste possidetis. Epist. 48, *ad Vincentium.*

9. Si privatim quæ nobis sufficiant possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus. Epist. 50, *ad Bonifacium.*

10. Nemo sibi aliquid vendicet proprium, sive in vestimento, sive in quacunque re : apostolica enim vita optamus vivere. Regula 2 *ad Clericos.*

11. Nulli licet in societate nostra habere aliquid proprium, sed forte aliqui habent, nulli licet : si qui habent, faciunt quod non licet. Serm. 1 *de Communi vita clericorum.*

12. Qui habere voluerit proprium, et de proprio vivere, nec clericus erit. *Ibid.*, serm. 2.

13. Quisquis inventus fuerit habens proprium, non illi permitto, sed delebo eum de tabula clericorum. *Ibid.*

S. BASILIUS MAGNUS. 14. Societatem vitæ perfectissimam appello illam, in qua possessionis proprietas exterminata est. In *Constit.*, cap. 18.

V. BEDA. 15. Caput est discordiæ, qui ex communibus propria sibi studet facere. In suis *Prov.*, verbo *Caput.*

S. BENEDIC. 16. Ne quis præsumat aliquid habere proprium, nullam omnino rem, sed nihil omnino; quippe quibus nec corpora sua, nec voluntates licet habere in propria potestate. In *Regula*, cap. 33.

S. BERNARD. 17. Propria possidere, sæculari quidem homini medium est, quoniam et non possidere licet : monacho vero, quia possidere non licet, purum malum est. Epist. 7, *ad Adam monach.*

18. Miserabiliores sumus nos monachi omnibus hominibus, si pro tam exiguis tanta patimur detrimenta : quid insipientiæ, imo quid insaniæ est, ut qui majora reliquimus, minora cum tanto discrimine teneamus? Epist. 341.

19. Cui de proprio nihil est, totum profecto quod habet, Dei est : quod autem Dei est, immundum esse non potest. Tract. *de Diligendo Deo*, cap. *Sed.*

20. Si quis aliquid habet absconsum et proprium, quod a cæteris ignoratur, furtum est, peccatum furti est. Serm. 48 *ad Sororem.*

21. Qui de hoc quod commune est, proprium sibi facit, Judas est, et pœnam Judæ sustinebit in in inferno. *Ibid.*

S. BONAV. 22. Duritia et difficultas non est, cum proprietas rerum contemnitur, nisi penuria comitetur. In *Apolog. pauper.*, respons. 3, cap. 1.

23. Præter communia quicunque rem aliquam occulte, sine superiorum assensu recipit, habet, vel utitur, a religionis delirat licentia, et quidquid habet, male habet. *Prosec.*

24. Proprium illud est, de quo dispensare licet juxta propriam voluntatem, omni assensu alio circumscripto.

25. Non enim pauper, sed dominus reputandus videtur, qui rem quamcunque aliis distribuendo, ut libet, sine superiorum auctoritate dispensat.

26. Nulla res quam superior non dederit, aut permiserit, est licita proprium abdicanti. In *Speculo disciplin.*, part. 1, cap. 4.

DIONYSIUS CARTHUS. 27. Valde detestabile ac horrendum est vitium proprietatis in religiosis, qui utique evangelicam paupertatem professi sunt. Super *Acta Apost.*, cap. v, art. 5.

28. Quotiescunque persona religiosa aliquid proprium cupit habere, aut habet, aut aliquo proprio utitur, toties professionem suam transgreditur, et valde mortaliter peccat. *De Profess. monast.*, art. 10.

29. Attendat religiosus cur terrena reliquerit, nec proprium habeat : quatenus cor suum a variis distractionibus liberatum et ereptum in Deo suo totaliter occupetur, accendatur, stabiliatur, et quietetur. *Ibid.*

30. Quædam religiosæ personæ valde insipienter ac culpabiliter habent se, quæ licet nil proprium habeant, verumtamen in his quæ earum usui conceduntur, non sola necessaria provisione contentæ sunt; sed aliqua curiosa atque superflua petunt, procurant et amant : et circa ea tam immoderate afficiuntur, ut confratribus, aut consororibus suis ea vix velint ad modicum tempus concedere : nec sine turbatione, murmuratione, et indignatione patiantur ea sibi a superioribus suis auferri, quod periculosum est, et vitio proprietatis valde propinquum. *Ibid.*, art. 11.

DOROTH. 31. Qui proprium nihil habet, aut suum, quidquid factum fuerit, id proprium putat. *Doctrina prima.*

32. Quidquid tuum est, omne malum est a dæmone, ab habitu vitioso. *Ibid.*, doctr. 5.

EPHRÆM. 33. Turpe est eos, qui maxima sibi subjecerunt, a vilioribus vinci. Super illud : *Attende tibi*, cap. 2.

FRANCIS. ASSISIAS. 34. A te peto hoc privilegio consignari, exopto hoc thesauro ditari, postulo ut mihi et meis in æternum sit proprium, pauperrime Jesu, propter nomen tuum, nihil posse sub cœlo proprium possidere. In suis *Opusc.*, in *Grat. pro oblinenda paupertate.*

FULGENT. 35. Si quis de hoc quod Deo voverit, aut retinere, aut repetere aliquid mortifera prævaricatione pertentet, exemplo sunt sibi Ananias et Saphyra. Epist. 1, cap. 8.

GILLEBERT. ANGLUS. 36. Absit amor proprietatis, absit amor privatæ potestatis. Super *Cant.*, serm. 35.

GLOSS. DEC. 37. Meum et tuum turbant humanum otium. In *Decretis Gratiani.*

GLOSS. INT. 38. Nullus sibi quidquam accipiat. Super *Josue*, cap. VI.

39. Res privata superbos facit. Super *Psalm.* CXXXI.

40. Indicium fraterni amoris est, omnia possidere, et nihil proprium habere. Super *Acta Apost.*, cap. II.

GLOSS. ORD. 41. Religiosi proprietarii, nisi pœniteant, punientur morte gehennali. Super *Acta Apost.*, cap. V.

GREGOR. MAGNUS. 42. Charitas nihil sibi esse proprium, nisi quod secum permaneat, agnoscit. Lib. 10, *Moral.*, cap. 4.

43. Incassum se innocentes putant, qui commune Dei munus privatim vendicant. Part. 3 *Pastor.*, cap. 1, admonit. 22.

44. Si peculiaritas a monachis habetur, neque concordia, neque charitas in eadem congregatione poterit permanere. Lib. 10 in *Registro*, indict. 5, cap. 22, epist. *ad Joannem subdiacon.*

HIERON. 45. Animadverte, frater, non tibi licet de tuis quidquam habere rebus. Epist. 1, *ad Heliodor.*

46. Ubi proprietas singulorum est, ibi altrinsecus diversitas. Epist. 2 *ad Pammach.*

47. Nihil proprium in monasteriis licet habere : certe non tunicam, quæ ex necessitate portatur, nec aliud minimum quodque. In *Regula monachar.*, cap. 2.

HUGO A S. VICTORE. 48. Non debemus aliquid habere proprium, aut quidquam dicere meum, sed nostrum. Super *Regul. D. August.*, cap. 1, in illud : *Non dicatis aliquid proprium.*

49. Major est fructus charitatis, quam proprietatis. *Ibid.*, cap. 8.

50. Qui amant munuscula, delectantur in propriis. *Ibid.*

51. Frater, qui rem sibi collatam celaverit, Judæ traditoris locum tenet in Ecclesia. *Ibid.*

HUGO CARD. 52. Novitii non debent aliquid habere suum, neque monachi : unde B. Bernardus, monachus, inquit, qui habet obolum, non valet obolum. Super IV *Reg.* VI.

53. Proprietarii reædificant Babylon et Hiericho. Super *Isaiam.*, cap. XIII.

54. Confundantur monachi, qui inveniuntur proprietarii, quia eorum proprietates in veritate furta sunt. Super *Hier.*, cap. II.

55. Fœtor monachi est proprietas. Super *Thren.*, cap. I.

56. Nihil habemus proprium in mundo, nisi peccata. Super I *Machab.*, cap. III.

S. INNOC. III. 57. Prohibemus districte in virtute obedientiæ, sub obtestatione divini judicii, ne quis monachorum proprium aliquo modo possideat. Lib. 3 *Decret. Const.*, const. 105.

JOAN. CASS. 57 *bis*. Illam sane virtutem inter cæteras commemorare non superfluum puto : quod scilicet nulli liceat possidere aliquid, quod velut proprium retinens, suo debeat communire signaculo. Lib. 4 *de Cœnob. instit.*, cap. 13.

58. Ne verbo quidem audeat quis dicere aliquid suum, magnumque sit crimen ex ore monachi processisse, codicem meum, tabulas meas, graphium meum, tunicam meam. *Ibid.*

59. Monachus habens pecunias, in cœnobio diu permanere non potest. *Ibid.*, lib. 7, cap. 9.

60. Non solum pecuniarum est cavenda possessio, verum etiam voluntas ipsa ab animo penitus extrudenda. *Ibid.*, cap. 22.

61. Nihil proderit pecunias non habere, si voluntas fuerit possidendi. *Ibid.*

S. JOANNES CHRYSOST. 62. Ubi meum et tuum, illic omne litium genus et contentionis occasio. Homil. 33 super *Gen.*

63. Ubi meum et tuum non est, ibi secura versatur pax et concordia. *Ibid.*

64. Absit a te meum ac tuum, abjectum omnino illud verbum est, quod multorum causa est bellorum. Homil. 73 super *Matth. Oper. perf.*

65. Meum et tuum, quæ tot mundo invehunt bella, funditus sunt exterminanda. Homil. in dictum Apost. *Oportet et hæreses esse.*

66. Nihil habes tuum; meum enim et tuum verba tantum inania sunt, re autem non existunt Homil. 10 super I *ad Cor.*

67. Tu quæcunque habes noli in tuum usum solum recondere, quoniam totum corrumpis, et te primum. *Ibid.*

68. Quæ sibi propria non sunt, pertinere ad se multi arbitrantur, propriorum autem nullam ha-

bent rationem : proprium vero esse debet sibi virtus et philosophia. *Ibid.*, hom. 29.

69. Hoc tuum, hoc meum est, ex hoc contentio omnis, atque omnis occasio mœroris oritur : ubi autem hoc non est, nulla lis, nulla contentio gignitur. Hom. 12 super I *Timoth.*

70. Magis communis rerum, et æqua possessio, quam proprietas proficit. *Ibid.*

71. Ne quæras tuum, ut invenias tuum : qui enim sua quærit, non inveniet sua. Homil. 33 super I *ad Cor.* in illud XIII : *Non quærit quæ sua sunt.*

72. Nihil Christi discipulo proprium est, sed omnia communia : quippe qui majora quam dat, accipit ; atque hoc majora, quo præstabiliora sunt cœlestia terrenis. Super *Epist. ad Galat.*, cap. 6.

JOAN. CLIM. 73. Quid jam habeant proprium, qui ipsum quoque corpus suum alieno imperio exposuerunt? *Grad.* 16.

JOAN. GERS. 74. Proprietas schismata facit, unanimitati adversatur et paci. Tract. *contra Proprietarios*, § 5.

75. Apostasia quædam est proprietas monachorum, major quam relinquere habitum, aut exire metas ecclesiæ præter prælati licentiam. *Ibid.*

76. Fera sævior est leone proprietas, maxime si hypocrisi commisceatur. *Ibid.*

JOAN. TRITH. 77. Monachis, qui sua reliquerunt, non licet aliquid habere proprium. Lib. 1 *de Regim. Claustr.*

78. Non licet monacho quidquam habere proprii. Super Prolog. *Regulæ S. Bened.*, cap. 1.

79. O monache, si peculium aut proprium in monasterio possederis, non monachum computabo, sed profugum, apostatam, perfidum, mendacem, irrisorem et perjurum te judicabo. Lib. 1, hom. 2 *ad Monachos.*

80. Monachus habens peculium, iter sibi parat ad infernum. Lib. 2 *ad Monachos*, serm. 2.

81. Proprietate pactum cum Deo initum frangitur, votum solemne violatur, charitas fraternæ unitatis spernitur, furtum committitur, sacrilegium perpetratur. *De Propriet. monachor.*, cap. 5.

82. Non est dicenda proprietas, ubi ad resignandum est prompta voluntas. *Ibid.*, cap. 7.

83. Proprium monacho lex divina prohibet, jus canonicum peculium religioso penitus interdicit, omnes SS. Patrum regulæ clamant monacho proprietatem prorsus illicitam. *Ibid.*

84. O maledicta proprietas, quæ non minus possidet, quam possidetur! *Ibid.*, cap. 8.

85. Sane ubi nihil haberi permittitur, omnis rei proprietas aufertur. *Ibid.*

S. LAURENT. JUSTIN. 86. Disce, o religiose, nihil proprium habere in sæculo, ut cœlestem hæreditatem consequi merearis in cœlo. Serm. *de Ramis palmar.*, part. 2.

87. Tu, Christiane, non recte dividis, qui de tanto auro tuo majorem partem mammonæ reservas, quam Domino largiaris. *Prosec.* S. MAXIMUS EP. TAURIN.

88. Sic namque Ananias, dum putat se recte offerre, et non recte dividit pecuniam quam obtulit, perdidit, et salutem. Dum enim ex eo quod promiserat, partem subtraxit, sacrilegii simul et proprietatis condemnatur. Hom. 1, *de Avarit.*, tom. 5, part. 1.

89. Monachus, qui multa possidet, est veluti navis onerata, quæ in fluctuum tempestate facile submergitur. Oratione 3, *de Avaritia*, part. 2. S. NILUS

90. Negat Christus suum esse discipulum, quem viderit aliquid possidentem. Homil. 16, cap. 47, *Genes.* ORIGENES.

91. Si perexigua mala, largissima sæpius bona corrumpunt, quo pacto (quod minimum putas) contra professionis tuæ propositum privata proprietate possideas? Opusc. 12, cap. 7. S. PETRUS DAMIANUS.

92. Qui pecuniam possidet, ipse Christi possessio, vel hæreditas esse, vel Deum possidere non potest. Opusc. 24, cap. 1.

93. Quisquis proprietatis conatur habere peculium, non valet apostolorum tenere vestigium. Opusc. 24, cap. 4.

94. Qui cum Juda loculos atque pecuniam habere convincitur, unanimitatem puramque concordiam cum apostolis habere non potest. *Ibid.*

95. Qui pro amore pecuniæ suum mutat ordinem, indignus est procul dubio, ut ecclesiasticam obtineat dignitatem. *Ibid.*, cap. 5.

96. Turpe est, quem a Laicorum turba professionis conditio separat, si abominanda proprietas laicum esse convincat. Opusc. 27.

97. Religiosus et si usu videtur aliquid habere, conscientia tamen non habet. *Prosec.* SALVIANUS

98. Ille enim potest se vel brevi divitem credere, qui scit se proprium nil habere. Lib. 3, *ad Eccles. Cathol.*

99. Ad hoc conare, hoc ora, hoc desidera, ut ab omni proprietate possis expoliari, et nudus nudum Jesum sequi, Lib. 3 *de Imit. Chr.*, cap. 37. THOMAS A KEMPIS.

100. Quicunque vestrum communem vitam susceptam habet, et vovit se nihil proprium habere, videat ne pollicitationem suam irritam faciat : sed hoc quod Domino pollicitus est, fideliter custodiat, ne damnationem pro præmio sibi acquirat. In *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 12, quæst. 1, can. *Scimus.* S. URB. I. PAP. & MART.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

101. Non minus nostra sunt, quæ animo complectimur, quam quæ oculis intuemur. Lib. 5, epist. 17, *ad Sextium.* CICERO.

102. Proprium est id, quo quisque fruitur, atque utitur. Lib. 7, epist. 30, *ad Curium*.

PLATO. 103. Proprietas unicuique peculiaris rempublicam dissolvit atque dirimit. Sizygia 4, lib. 5, *de Republ.*

104. Ubi hæc verba increbrescunt, meum et non meum, tuncne optime regitur respublica? *Ibid.*

105. Ne cui privato aurum argentumve possidere fas esto. Sizygia 4, lib. 5, *de Legibus*.

SENECA. 106. Nostri essemus, si ista nostra non essent. Epist. 42.

107. Non facias tui juris, quod alieni est. Epist. 77.

108. Hi quos paupertas locupletissimos fecit, desierunt omnia possidere, dum volunt propria. Epist. 90.

109. Quidquid est, cui dominus inscriberis, apud te est, tuum non est. Epist. 98.

110. Quietissimam vitam agerent homines in terris, si hæc duo verba a natura rerum omnium tollerent, meum et tuum. *De Moribus*.

111. Non est tuum, fortuna quod fecit tuum. In suis *Proverb.*

112. Principium discordiæ est, aliquid ex communi proprium facere. *Ibid.*

SIXTUS PHIL. 113. Hoc solum tuum ducito, quod bonum est. *Sent.* 71.

114. Nulla propria possessio putetur sapientis. *Ibid.*, sent. 218.

Vide etiam tit. *Dilectio sui*, sent. 11; *Perfectio*, sent. 68, 69; *Singularitas*, sent. 24, 50; *Votum*, sent. 21.

PROSPERITAS.

S. ANTONIN. *Definitio.* Vera prosperitas est dominium rei justis modis acquisitum. Part. 3, tit. 3, cap. 3, § 3.

UGO CARD. *Divisio.* Est triplex prosperitas : prosperitas pugnæ, prosperitas viæ, prosperitas patriæ : prosperitas pugnæ consistit in plenitudine victoriæ; prosperitas viæ in collatione gratiæ; prosperitas patriæ in collatione gloriæ. Super *Psalm.* CXVII.

Septem sunt partes mundanæ prosperitatis : scientia sæcularis, fama popularis, sanitas corporalis, voluptas carnalis, abundantia temporalis, securitas mundialis, gloria singularis. Super *Ecclesiastic.*, cap. XXII.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIN. 1. In cunctis humana prosperitas hominem decipit, et se falsam ostendit : quia quæ exterius se habere prætendit, veraciter suis amatoribus non tribuit. Part. 4, tit. 3, cap. 7, § 11.

S. ANTONIUS DE PADUA. 2. Mensa Domini est paupertas, mensa diaboli est prosperitas. Serm. *Dom.* 1, *post Trinit.*

S. AUGUST. 3. Prospera in adversis desidero, adversa in prosperis timeo : quis inter hæc medius locus, ubi non sit humanæ vitæ tentatio? *Prosec.*

4. Væ prosperitatibus hujus sæculi, semel et iterum a timore adversitatis, et a corruptione lætitiæ : væ adversitatibus sæculi semel et iterum, et tertio a desiderio prosperitatis. Lib. 10 *Conf.*, cap. 28.

5. Homo, qui prosperis rebus proficit, asperis quid profecerit, discit. *De Vera relig.*, cap. 47.

6. Res prospera donum est consolantis, res autem adversa donum est admonentis Dei. Epist. 87, *ad Felicitatem*.

7. Nemo frangitur adversarum rerum molestia, qui prosperarum dilectione non capitur. *De serm. Dom. in monte*, lib. 2.

8. Nemo gratuletur homini, qui prosperatur in via sua; cujus peccatis deest ultor, et adest laudator. Super *Psalm.* IX.

9. Si aliqua hujus sæculi prosperitas arriserit, deceptoria est, fluxa, caduca, mortalis, temporalis, volatica, transitoria; plus habet deceptionis, quam delectationis. Super *Psalm.* XLI., vers. 3.

10. Utraque vita cavenda est, et prospera et adversa : illa ne corrumpat, ista ne frangat. Super *Psalm.* LXXIV.

11. Totus splendor generis humani, honores, potestates, divitiæ, typhi, minæ, tumores, flos fœni est. Super *Psalm.* CII, vers. 14 : *Sicut flos agri.*

12. Periculosior est res prospera, animo, quam adversa corpori : prius corrumpit prospera ut inveniat quod frangat adversa. Super *Psalm.* L.

13. Prosperitas malorum, ulcera sunt animarum; et adversitas justorum, æternorum sunt præmia gaudiorum. Hom. 12 super *Apocal.*

14. Adversorum manifesta est pernicies, prosperorum falsa blandities. *De Verbis Dom.*, serm. 29.

15. Sæculi hujus quem non decipit prosperitas, non frangit adversitas. *Ibid.*, serm. 42.

16. In eo quod quis mitis est, nulla adversitate frangitur : in eo autem quod humilis est, nulla prosperitate elevatur. Serm. 61 *ad Fratres in Eremo*.

17. Si fallacis prosperitatis semper hic tranquillitas arrideret, anima humana portum veræ securitatis non appeteret. Epist. 156.

18. Per dexteram prosperitas, per sinistram adversitas significatur. Lib. 7 *Locution.*, locut. 1.

19. Non cessat diabolus veros christianos, non solum adversitatis infestatione, verum etiam prosperitatis seductione tentare : ut animus humanus aut afflictione succumbat, aut elatione vanescat. Lib. 1 *contra Gaudent.*, cap. 21.

20. Iter hujus sæculi molestum est, plenum est tentationibus : in rebus prosperis ne extollat, in rebus adversis ne frangat. Tractatu 12 super *Joan.*

21. Non de prosperitate aliqua hujus sæculi inflemur, sed noverimus felicitatem nostram non esse, nisi cum ista transierint. *Ibid.*, tract. 10.

S. BASILIUS MAGNUS.

22. In modico tempore gaudium ac hilaritas prosperitatis imago est, hodie florulentum, habens colorem, cras miserabilem, et marcidum. Homil. 5 in *Hexam.*

23. Rerum prosperitas ita inconstans est; ut quam citissime mutetur ac transeat, ut ventis potius sit fidendum, aut si quid undis inscribatur, quam humanarum rerum prosperitati. Epist. 112.

V. BEDA.

24. Frequenter superantur prosperitate, qui superari non poterant adversitate. In suis *Prov.*, verbo *Frequenter.*

S. BERNARD.

25. Sicut sæcularium rerum prosperitas occidit stultum sæcularem, sic potest et abundantia spiritualis prosperitatis occidere indoctum spiritualem. Serm. 2 *in die Palmar.*

26. Licet multos frangat adversitas, tamen multo plures extollit prosperitas. *Ibid.*

27. Time dum omnia prospera sunt et tranquilla, ne ille fortis armatus satanas sine resistentia possideat te. Lib. *de Passione Domini*, cap. 22.

S. BONAV.

28. Est tentatio violenta, scilicet adversitas: est tentatio deceptoria., scilicet prosperitas. Super *Psalm.* LXXV.

29. Prospera blandiuntur, ut decipiant : adversa terrent, ut frangant. Super *Psalm.* CXIII.

30. In inferno est adversitas sine prosperitate, in patria est prosperitas sine adversitate, in mundo est prosperitas cum adversitate. Super *Psalm.* CXXIX.

DIONYSIUS CARTHUS.

31. Quam incerta et brevis est sæculi prosperitas ! imo quam fallacissima ac nocentissima ! quoniam quanto quis copiosius prosperatur, tanto gravius periclitatur. *De Fructuosa temp. deduct.*, art. 3.

GLOSS. INT.

32. Misero non prodest prosperitas, imo nocet. Super *Job*, cap. III.

GLOSS. ORD.

33. Ne indignemini, si mali in mundo floreant, si vos patimini : quia non est christianæ veritatis in temporalibus exaltari, sed potius deprimi. Super *Epist. Jacobi*, cap. I.

S. GREGOR. MAGNUS.

34. Quos plerumque dum juxta votum præsens prosperitas sequitur, multo quam prius fuerant, de sanctitatis habitu pejores fiunt. Lib. 8 *Moral.*, cap. 28.

35. Dum cor in adversis sperat prospera, in prosperis formidat adversa. *Ibid.*, lib. 22, cap. 10.

36. Quasi per amœna prata in carcerem pervenit, qui per præsentis vitæ prospera ad interitum tendit. *Ibid.*, lib. 6, cap. 4.

37. Lux impii, prosperitas est vitæ præsentis : sed lux impii extinguetur, quia fugitivæ vitæ prosperitas, cum ipsa citius vita terminatur. *Ibid.*, lib. 14, cap, 4, num. 5, super illud *Job.* XVIII : *Nonne lux impii extinguetur* ?

38. Nimis timendum est, ne sequantur prospera, cum desiderantur injusta : quia difficilius malum corrigitur, quod profectionis etiam prosperitate fulcitur. *Ibid.*, lib. 34, cap 2.

39. Magis prosperitatis sublimitas, quam necessitatis adversitas gravat. *Ibid.*, lib. 5, cap. 1.

40. Cum quis positus in prosperitate diligitur, incertum valde est utrum prosperitas an persona diligatur : amissio felicitatis interrogat vim dilectionis. *Ibid.*, lib. 7, cap. 10.

41. Nec prosperitas amicum indicat, nec adversitas inimicum celat : ille sæpe prosperitatis reverentia tegitur, et iste ex confidentia adversitatis aperitur. *Ibid.*

42. Statutum homini est, ut quantum hunc mundi prosperitas sequatur, tantum adversitas feriat : ne electos aut immoderata prosperitas elevet, aut nimia adversitas gravet. *Ibid.*, lib. 12, cap. 2.

43. Toties hic iniqui via arguitur, quoties ejus prosperitas, interveniente adversitate turbatur. *Ibid.*, lib. 15, cap. 36.

44. Qui in hoc mundo appetit prosperari, cæteros excedere, rebus et honoribus tumere, huic cura sæcularis in delectatione est, et quies in labore, et fatigatio in quiete. *Ibid.*, lib. 16, cap. 29.

45. Velut elevatus super ventum ponitur, qui prosperitate transitoria lætatur : quando ad hoc solum hunc fugitivæ felicitatis aura sublevat, ut repente deterius in infimis sternat. *Prosec.*

46. Nulla adversitas dejicit, quem prosperitas nulla corrumpit. *Ibid.*, lib. 20, cap. 24, num. 25.

47. Quasi quodam jugo servitutis premunt prospera dum appetuntur, premunt adversa dum formidantur. *Ibid.*, lib. 30, cap. 12.

48. Nulla prosperitas blandiens seducat ; quia stultus viator est, qui in itinere amœna prata conspiciens, obliviscitur ire quo tendit. Homil. 14 super *Evang.*

49. Quantalibet sit temporalis prosperitas, habet finem suum terminum mortis. Lib. 7 in *Registro*, indict. 2, cap. 95, epist. *ad Gulfarem Magistrum.*

50. Qui amore cœlestium fixus, sæculum perfecte despexerit, nulla prosperitate corrumpitur.

In *Septem Psalm. Pœnit.* super *Psalm.* II, vers. 13 : *Sperantem autem in Domino.*

51. Seipsam mens cognoscere non valet, quam prosperitatis mundanæ oblectatio captivat. *Ibid.*, super *Psalm.*, vers. 4.

52. Prospera sunt metuenda, et contra omnem sæculi felicitatem acrius est vigilandum. *Ibid.*, super *Psalm.* IV.

S. GREGOR. NAZ. 53. Ventis potius est fidendum. aut si quid undis ascribatur, quam humanarum rerum prosperitati. Epist. 52, *ad Sophron.*

HAYMO. 54. Quoties prosperitas præsentis vitæ nobis blanditur, timendum est ne de bono quod agimus, mercedem in præsenti sæculo recipiamus. Serm. 2 *Dom.* 2, *post Pent.*

S. HIERON. 55. Quid prodest per discrimina prospere cucurrisse, si post cursum contigerit perire? *Prosec.*

56. Frustra navis per superbum pelagus et insanum, amicis fluctibus commoda prosperitate cucurrit in portum, si cum naufragio pervenit, et perituram portus acceperit. Epist. 6, *ad Amicum.*

57. Semper prosperis miscentur tristia, ut cum repente venerint, non terreant, sed a præmeditatis ferantur animis. Lib. 3 super *Matth.*, cap. XVII, can. 2, num. 176, super illud : *Conversantibus autem illis.*

HUGO A S. VICTORE. 58. Majus periculum habent prospera, quam adversa. *De Alleg., super Matth.*, lib, 2, cap. 1.

59. Dissolvit blandientis mundi prosperitas. *De Animæ medicina*, cap. 6.

HUGO CARD. 60. Prosperitas temporalis in veritate non est prosperitas, sed somnium vel umbra veræ prosperitatis. Super *Gen.*, cap. XL.

61. Velut somnium cito finietur præsens prosperitas, et manebit calamitas in æternum. *Ibid.*

62. Prosperitas malorum temporalis est, et finem habet, sicut et afflictio bonorum. Super *Job*, cap. IV.

63. Stultus est, qui in adversis dejicitur, et in prosperis elevatur. *Ibid.*, cap. V.

64. Suavitas præsentis prosperitatis, quæ prius dulciter sapiebat, per vim tentationis amarescit. *Ibid.*, cap. XXXIII.

65. Cum alicui præsens prosperitas arridet, hilarescit : sed tentatione pulsante, hoc gaudium ab eo respuitur, quod fit divina dispensatione, ut nostræ infirmitatis tempore tentationis recordemur, cujus tempore prosperitatis obliti eramus. *Ibid.*, cap. XXXIII.

66. Multi sunt strenui in prosperitate, qui tamen deficiunt in adversitate. Super *Psalm.* LVIII.

67. Saluti contraria est prosperitas mundi, sed adversitas ei proxima est. Super *Psalm.* CXVII.

68. Lucerna illorum extinguitur, qui in prosperitate sunt devoti, sed in tentatione statim sunt victi. Super *Proverb.*, cap. XXXI.

69. Prosperitas præsentis vitæ cito oritur, et cito occidit : id est, statim ad occasum tendit, et hoc ut nemo de ejus ortu gaudeat, cui tam inevitabilis, tamque velox succedit occasus. Super *Ecclesiasten*, cap. I

70. Prosperitas non multos ad Deum convertit, sed avertit. Super *Isaiam*, cap. XLIII.

71. Abundantia prosperitatis facit oblivionem præteritæ calamitatis. *Ibid.*, cap. LIV.

72. Mali nihil prosperum habent in veritate, licet opinentur se esse in prosperitate : amisso enim Deo, nihil in veritate prosperum est. Super *Hierem.*, cap. II

73. Qui sunt hic in adversitate propter Deum, erunt in futuro in prosperitate : et e converso, qui sunt hic in prosperitate, erunt in futuro in adversitate. Super *Luc.*, cap. XVI.

74. Quam perniciosi rerum secundarum solent esse successus ! ita ut qui non potuerunt adversis frangi, prosperis, si incauti fuerint, acrius elidantur. Lib. 11 *Cœnob. inst.*, cap. 11. JOAN. CASS.

75. Frequenter quos superare non potuerunt adversa, securitas et prosperitas dejecerunt. Collat. 4, *Abbat. Danielis*, cap. 6.

76. Facilius quis elidi potest prosperis, quam adversis. *Prosec.*

77. Hæc enim interdum etiam invitos retinent atque humiliant, et compunctione saluberrima, vel minus peccare faciunt, vel emendant : illa vero mollibus mentem ac perniciosis extollentia blandimentis, securos felicitatis suæ proventu ruina majore prosternunt. Collat. 6, *Abbat. Theodori*, cap. 9.

78. Humana natura quando multum prospere ei succedit, suæ obliviscitur generositatis, neque intra suos limites subsistit. Homil. 40 super *Gen.* S. JOANNES CHRYSOST.

79. Prosperitate corrumpitur anima, dum delectatur humanis laudibus : adversitate frangitur, obtusa vituperationibus. Homil. super *Psalm.* IX.

80. Prosperitas malorum non est remuneratio Dei, sed contemptio : adversitas autem bonorum non est ira Dei, sed admonitio. Homil. 31 super *Matth. Oper. imperf.*

81. Permagnum quidem est, in secundo prosperoque rerum statu et misericordiam exercere et virtuti esse deditum. Homil. 43 super I. *Cor.*

82. Prosperitas inique quæsita, majores sibi præparat pœnas. Homil. 79 super *Matth. Oper. perf.*

83. Crebra meditatione revolveris, quam suspecta fuerit omnibus recte sapientibus continuata JOAN. SARESB.

mundi prosperitas, et quam certum sit argumentum dilectionis, filiorum delinquentium culpas per flagella purgari Epist. 197.

S. ISIDORUS HISPALENS. 84. Alienos esse a Deo oportet, quibus hoc sæculum ad omne commodum prosperatur. Lib. 3 *de Sum. bono*, cap. 16, sent. 2.

85. Viri sancti plus formidant prospera, quam adversa, quia Dei servos prospera dejiciunt, adversa vero erudiunt. *Ibid.*, cap. 58, sent. 2.

86. Plus prosunt saluti adversitates sæculi, quam prosperitates : nam ex prosperitate in deterius itur, ex adversitatis dolore in melius proficitur. *Ibid.*, sent. 7.

87. Si prosperitas arriserit, non attollaris : si adversitas acciderit, non dejiciaris. *Prosec.*

88. Si felicitas eluceat, non sis jactans : si calamitas contigerit, pusillanimis non existas.

89. Habeto temperamentum in prosperis, habeto patientiam in adversis.

90. Probari te in adversitate cognosce, ne frangaris : probari te in prosperitate cognosce, ne exalteris. Lib. 2 *de Synonym.*, cap. 6.

S. ISIDORUS PELUSIOTA. 91. Solent homines, quibus præter omnem expectationem prosperitas quædam accidit, in insolentiam ac petulantiam labi. Lib. 2, epist. 296.

S. LAURENT. JUSTIN. 92. Præsens prosperitas futuræ opponitur, vixque invenitur, qui et sæculi prosperitatem, et mentis possideat innocentiam. *De casto connub.*, cap. 21.

93. Nullum tam evidens perpetuæ damnationis indicium est, quam continuis transitoriæ prosperitatis pollere successibus. Lib. 2 *de Spirituali resurr.*, cap. 8.

S. NILUS. 94. Ne læteris floridis vitæ ; flos enim gramineus, cum attrectaveris, flaccescit. *Parænes.* 34.

95. Læta vitæ hujus fluxa ne te oblectent : hami enim sunt, animam ut pisces irretientes. *Ibid.*, parænes. 158.

PETRUS BLESENS. 96. Inter amicum et hostem prosperitas non distinguit. Epist. 87, *ad Guillelm. Eliens. episc.*

S. PETRUS DAMIANUS. 97. O quam miserum est in hujus sæculi prosperitate modico tempore vivere, et ad æterni ignis incendium quotidie clausis oculis, quasi in lectica positum, prosperare. Lib. 4, epist. 15, *ad quemdam Episc.*

S. PETRUS MAURITIUS ABB. CLUN. 98. Prosperitatis laqueus fortes atque constantes in salutis proposito mentes frequenter irretire solet. Lib. 6, epist. 14, *ad Eustach.*

S. PROSPER. 99. Prosperitas communis est et malis et bonis : sed a malis in dextera habetur, a bonis autem in sinistra. Super *Psalm.* CXLIII, vers. 15.

ROBERTUS BELLARM. 100. Multi sunt, qui occupati sunt prosperitatibus sæculi, et quo magis sunt circumdati ejusmodi periculis, eo minus ea considerant, et ideo neque timent, neque dolent. Super *Psalm.* CXIV, vers. 4.

SALVIANUS. 101. Prosperitas aliena, supplicium est invido. Lib. 5, *de Gubern. Dei.*

102. Quis sapientium est, quem secunda non mutent, cui non crescat cum prosperitate vitiositas? *Ibid.*, lib. 7.

103. Sæpe prosperitas quæstuum venit cum magno fœnore detrimentorum. *Ibid.*, lib. 1, *ad Eccles. cathol.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 104. Non est facile sine virtute res moderate ferre secundas. Lib. 4, *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 3.

105. Est prosperitas rationis expers. Lib. 2, *Magnor. moral.*, cap. 8.

106. Rerum prosperitas quanto major est, tanto pluribus casibus et periculis proposita est. Lib. 8 *Moral.*, cap. 1.

CICERO. 107. Errant, qui in prosperis rebus, omnes impetus fortunæ se putant effugisse. Lib. 4, *de Arte rhet. ad Herenn.*

108. In rebus prosperis, et ad votum nostrum fluentibus, superbiam magnopere, et fastigium, arrogantiamque fugiamus. Lib. 1 *de Offic.*

109. Secundæ res : scilicet honores, imperia, victoriæ, quanquam fortuita sint, tamen sine hominum operibus et studiis neutram in partem effici possunt. Lib. 2 *de Offic.*

CLEOD. LIND. 110. Rebus secundis ne efferaris, adversis ne dejiciaris. In *Sentent.*, sent. 6.

MIM. PUBL. 111. Cito improborum læta, in perniciem cadunt. In suis *Sentent.*, sent. 84.

PLATO. 112. Mortali homini haud facile est, omnia de animi sententia succedere, dum in hac vita versatur. Sizygia 4, in *Dialogo Menexeni.*

PLINIUS J. 113. Temerarium est secundis non esse contentum. Lib. 4, epist. 9, *ad Ursum.*

114. Habet has vices conditio mortalium, ut adversa ex secundis, ex adversis secunda nascantur. In *Panegyrico de Trajano augusto.*

115. Secunda felices, adversa magnos probant. *Ibid.*

116. Utile est, ad usum secundorum per adversa venisse. *Ibid.*

SENECA. 117. Ubi tranquilla tibi omnia videntur, ibi nocitura non desunt, sed quiescunt. Lib. 2 *de Ira*, cap. 31.

118. Non est magni animi se rebus prosperis fortem gerere : ubi secundo cursu vita procedit, adversi aliquid incurrat oportet, quod animum probet. *De Consolatione ad Marcianum*, cap. 6.

Vide etiam tit. *Adversitas*, fere per totum ; *Desertio Dei*, sent. 75 ; *Dilectio Dei*, sent. 60 ; *Felicitas*, per totum ; *Firmitas*, sent. 5 ; *Finis*, sent. 24 ; *Gaudium*, sent. 91 ; *Gratiarum actio*, sent. 12 ;

Habere, sent. 35; *Iniquitas*, sent. 90; *Instabilis*, sent. 47; *Ira Dei*, sent. 43; *Justitia*, sent. 94; *Mens*, sent. 75; *Obedientia*, sent. 25; *Oculus*, sent. 38; *Osculum*, sent. 41; *Sæculum*, sent. 5; *Tribulatio*, sent. 90, 100, 177.

PROVIDENTIA in genere.

OLLECTOR. *Etymologia*. Providens dicitur, quasi procul videns.

. AUGUST. *Definitio*. Providentia est, per quam futurum aliquid videtur, antequam factum est. *De* LXXXIII, *Quæst.*, quæst. 31.

IUGO A S. VICTORE. Providentia est, per quam subtilitate sagaci futurorum eventus colligitur. *De Fruct. carnis et spiritus*, cap. 12.

Providentia est cura eorum, quæ exhibenda sunt subjectis, et quæ commissis convenit impertiri. Lib. 1, *de Sacram.* part. 2, cap. 19.

IGO CARD. Providentia est prævisio rerum gerendarum in futuro. Super *Psalm.* XV.

AN. GERS. Providentia est prudentia adminiculans ad judicium ex conjecturatione futurorum. Part. 4, *de Descript. termin.*, cap. *Virtus*.

CHARDUS S. VICT. Quid est providentia, nisi exploratio faciendorum? Part. 1, tract. 2, *de Exterm. mali*, cap. 12.

THOMAS QUINAS. Providentia est respectus quidam alicujus distantis, ad quod ea quæ in præsenti occurrunt, ordinanda sunt. 2, 2, quæst. 49, art. 6.

SENTENTIÆ PATRUM.

AUGUST. 1. Habuit loculos Christus, quia Ecclesia ipsius loculos suos habitura erat. Tract. 50 super *Joan.*

2. Habebat Dominus loculos, et a fidelibus oblata conservans, et suorum necessitatibus, et aliis indigentibus tribuebat. *Prosec.*

3. Ubi intelligeremus quod præcepit non cogitandum esse de crastino, non ad hoc fuisse præceptum, ut nihil pecuniæ servetur a sanctis, sed ne Deo pro ista serviatur, et propter inopiæ timorem justitia deseratur. *Ibid.*, tract. 62.

. BEDA. 4. Nullus vir tam sanctus, nec superno studio adeo illigatus, quin aliquando cura necessariorum ad victum et ad vestitum moveatur. Super *Psalm.* LXXXVII, in illud : *Eorum labor et dolor.*

ERNARD. 5. Pone providentiæ tuæ modum, ne tibi sapiens videaris. In *Formula honestæ vitæ.*

6. Sæpius revidere quæ tua sunt, et quomodo sint, magna providentia est. Epist. *de Cura et regimine rei familiaris.*

SSIOLOR. 7. Fragilitas humana dum sibi nimia festinatione providere putat, incaute dispositionem divinitatis anticipat. Super *Psalm.* CV, vers. 14.

YPRIAN. 8. Ubicunque fuerit providentia, frustrantur universa contraria : ubi autem providentia negligitur, omnia contraria dominantur. *De Singularit. cleric.*, cap. 23.

GLOSS. OR. 9. Sic intendit Dominus singulis, ac si vacet a cunctis : et sic simul intendit omnibus, ac si vacet a singulis. Super *Job*, cap. 34.

10. Non labor et providentia damnatur, sed sollicitudo mentem suffocans. Super *Matth.*, cap. 6.

11. Indecorum est homini curare de cibo, vel veste, qui militat in regno Dei; novit Rex quemadmodum familiam suam pascat, alat, vestiat. Super illud *Luc.* XII : *Nolite solliciti esse.*

S. GREGOR. MAGNUS. 12. Rectori necesse est, ut interiora possit infundere, cogitatione innoxia, etiam exteriora providere. *Prosec.*

13. Sollicitudo, quæ subditis exterius impenditur, sub certa necesse est mensura teneatur. Part. 2, *Pastor.*, cap. 7.

14. Hostis callidus tanto liberius pectus percutit, quanto nudum a providentiæ lorica deprehendit. *Ibid.*, part. 3, cap. 1, admonit. 33.

S. HILARIUS 15. Pax retinenda est, et non quid unicuique, sed quid universitati congruat, expendendum est. Super *Psalm.* CXVIII, vers. 161 : *Principes persecuti sunt me gratis.*

HUGO CARD. 16. Ille sibi sapienter providet, qui hujus vitæ miserias attendit. Super *Luc.*, cap. 6.

S. JOANNES CHRYSOST. 17. Fiduciam in providendis virtus tribuit et Dei timor, non pecuniæ. Homil. 18, super *Epist. ad Hebr.*

JOAN. TRITH. 18. Ubi providentia non est, nihil stabile invenitur, pax nulla est, nec conservantur possessa. In cap. 3, *Regulæ S. Benedicti*, verbo *Discipulos.*

19. Non sufficit omnia agere provide, si non agatur et juste. *Prosec.*

20. Providentia sine justitia, stultitia est : nam sine justitia providentia nihil prodest : justitia autem sine providentia conservari potest. *Ibid.*

RICHARDUS A S. VICT. 21. Tarda quidem et nimis sera providentia est, cum jam imminens periculum vitari non potest. Part. 1, lib. 1, *de Erud. hom. inter.*, cap. 35.

THOMAS A KEMPIS. 22. Providentia regitur status sapientis, et actio ejus universa erit probatissima et stabilis, si plena sit oculis. *De fideli dispensat.*, cap. 1, § 28.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 23. Qui cautioribus utitur consiliis, et in posterum providet, est omni ratione protectior. Orat. 55, *Philipp.* 13.

SENECA. 24. Simplici cura constant necessaria, in delicias laboratur. Epist. 90.

SIXTUS PHILOSOPH. 25. Insuesce teipsum corpori præbere quæ sua sunt caste, et animæ quæ sua sunt pie. *Sent.* 398.

PROVIDENTIA DEI.

BOETIUS. *Etymologia*. Providentia Dei dicitur, quod porro a rebus infimis constituta, quasi ab excelso rerum cacumine cuncta prospicit. Lib. 5, *de Consolat. philos.*, prosa 6.

HUGO A S. VICTORE. *Definitio.* Providentia Dei, est qua Deus curat de omnibus quæ fecit, et nihil derelinquit ex omnibus quæ pertinent ad ipsum, et quæ subjecta sunt ipsi, sed providet singulis. Lib. 1 *de Sacram.*, part. 2, cap. 19.

S. JOANNES DAMASC. Providentia Dei, est rerum procuratio, qua Deus fungitur. Lib. 2 *de Fide orthod.*, cap. 29.

Providentia Dei est voluntas Dei, per quam res omnes apte congrueque gubernantur. *Ibid.*

S. THOMAS AQUINAS. Providentia Dei, est ipsa ratio ordinis rerum in finem. Part. 1 *Summæ*, quæst. 22, art. 1.

JOANNES SARESB. *Differentia.* Scientia, præscientia, dispositio, providentia et prædestinatio differunt: scientia existentium, præscientia futurorum, dispositio faciendorum, providentia gubernandorum, prædestinatio salvandorum. Lib. 2, *de Nugis curial.*, cap. 21.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Manifestum est justam Dei misericordiam, misericordemque justitiam nec alendis unquam corporibus hominum, nec docendis, juvandisque eorum mentibus defuisse. Lib. 2, *de Vocat. gent.*, cap. 2.

2. Ita multiplex atque ineffabilis bonitas providentiæ Dei consuluit, ut neque ulli pereuntium excusatio suppetat de abnegato sibi lumine veritatis; neque cuiquam sit liberum de sua justitia gloriari, cum et illos propria nequitia demergat ad pœnam, et istos Dei gratia perducat ad gloriam. *Ibid.*, cap. 9.

3. Servum Dei non custodia corporalis, sed Domini providentia sepire consuevit. Lib. 5, *Epist. orat. in Auxentium.*

4. Vita divino gubernaculo destituta præcipitatur, et in graviora prolabitur. Lib. 2 *de Cain et Abel*, cap. 9.

5. Permittit Deus impiis male agere, ut ex eorum malis bona operetur. Super *Apocal.*, S. ANTONIN. cap. 9.

6. Divina providentia nunquam cessat, sed semper est firma : ita ut licet aliquod bonum posset homini contingere præter ejus intentionem, non tamen præter Dei providentiam, sub qua omnia S. ANTONIN. ABBAS. continentur. Part. 2, tit. 12, *de Infidelitate*, cap. 9.

7. Non in uno tempore visitationem facit creaturarum suarum, sed a constitutione mundi moderatur Deus proprias creaturas. Epist. 5 *ad* S. AUGUST. *Fratres.*

8. Maxima pars hominum, quanquam negare non audeant, præsidere humanæ vitæ providentiam Dei; malunt tamen eam vel infirmam, vel injustam, vel malam nefario errore credere, quam sua peccata pietate supplici confiteri. Lib. 3 *de Lib. arbit.*, cap. 2.

9. Quid beneficentius, quid liberalius divina providentia dici potest? quæ a legibus suis hominem lapsum, et propter cupiditatem rerum temporalium jure ac merito mortalem non omnino deseruit. *De Moribus Ecclesiæ*, cap. 7.

10. Nihil fit, nisi Omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo. *Prosec.*

11. Non dubitandum Deum facere bene, etiam sinendo fieri quæcunque male : non enim hoc nisi justo judicio sinit; et profecto bonum est omne quod justum est.

12. Quamvis ea quæ mala sunt, in quantum mala sunt, non sint bona : tamen ut non solum bona, sed etiam sint et mala, bonum est.

13. Nam nisi esset, hoc bonum, ut essent et mala, nullo modo esse sinerentur ab omnipotente bono : cui procul dubio quam facile est quod vult facere, tam facile est quod non vult esse, non sinere. *Enchirid.*, cap. 95 et 96.

14. Agit Spiritus Domini et per bonos et per malos, et per scientes, et per nescientes, quod agendum novit, et statuit. Lib. 7 Super *Judic.*, quæst. 49.

15. Aliud est quod divina providentia quasi privatim cum singulis agit, aliud quod generi universo tamquam publice consulit. De LXXXIII *Quæst.* quæst. 44.

16. Omnes divinæ providentiæ serviunt : sed alii obediunt tamquam filii, et faciunt cum ea quod bonum est : alii vero ligantur tanquam servi, et fit de illis quod justum est. *Prosec.*

17. Quod juste fit, bene fit : juste autem sunt beati boni, et juste mali pœnas patiuntur.

18. Ergo et de bonis, et de malis benefacit Deus, quoniam juste omnia facit. *De Agone christiano*, cap. 7.

19. Novit Deus ordinare deserentes se animas, et ex earum justa miseria inferiores partes creaturæ suæ convenientissimis et congruentissimis legibus admirandæ dispensationis ornare. *De Catechiz. rudib.*, cap. 18.

20. Deus qui non solum cœlum et terram, nec solum angelum et hominem, sed nec exigui et contemptibilis animantis viscera, nec avis pennulam, nec herbæ flosculum, nec arboris folium sine suarum partium convenientia, et quadam veluti pace dereliquit. *Prosec.*

21. Nullo modo est credendum regna hominum, eorumque dominationes, et servitutes a suæ providentiæ legibus alienas esse voluisse. Lib 5 *de Civit. Dei*, cap. 11.

22. Deus unus et verus, regit et gubernat ut placet, etsi occultis causis, nunquam tamen injustis. *Ibid.*, cap. 21.

23. Gemina est providentiæ operatio : naturalis et voluntaria : naturalis per occultam Dei ad-

ministrationem : voluntaria per angelorum vel hominum operationem. Hab. in *Gloss. ord.*, super illud *Genes.* II : *Tulit ergo Dominus hominem.*

24. Providentia divina congruis sedibus ordinat omnia, et pro meritis sua cuique distribuit. Lib. 2 *de Libero arbitrio*, cap. 19.

25. Nihil absurdius sentiri potest, quam mundi gubernationem totam esse vacuam nutu et regimine providentiæ : cujus extrema et exigua videas tanta dispositione formari, ut aliquanto attentius cogitata, ineffabilem incutiant admirationis horrorem. Lib. 5 *de Genesi ad litt.*, cap. 22.

26. Deus bipartito providentiæ suæ opere, præest universæ creaturæ : naturis ut fiant, voluntatibus autem ut sine suo jussu vel permissu nihil faciant. *Ibid.*, lib. 8, cap. 24.

27. Nulla creatura est, quæ non, velit nolit, divinæ providentiæ serviat. Facit enim cum ea, quæ ex animo servit, quod bonum est : de illa vero quæ hoc non vult, fit quod justum est. In *Exposit. Epist. ad Galat.*, cap. IV.

28. Dei providentia cuncta gubernante, ita homo male facit quod vult, ut male patiatur quod non vult. *Contra Adimant.*, cap. 6.

29. Qui de morte carnis accusat Dei providentiam, morte cordis mittitur in gehennam. Lib. 1 *contra Advers. legis*, cap. 16.

30. Dei providentia hoc universum regi credimus. Lib. 1 *de Lib. arb.*, cap. 1.

31. Nihil rerum est, quod non administret Dei providentia. *Ibid.*, cap. 5.

32. Omnia mutantur, nec mutatur divinæ providentiæ ratio, qua fit ut ista mutentur. Epist. 5.

33. Si Dei providentia non præsidet rebus humanis, nihil est de religione satagendum. *De Utilit. cred.*, cap. 16.

34. Servat ubique divina providentia virtutem bonitatis suæ. Lib. 22 *contra Faust.*, cap. 83.

35. Quiquid vilisssimum homines putant, omnipotentia Dei gubernatur. *De Agone christ.*, cap. 8.

36. Nonnisi perpurgatæ animæ licet credere Dei providentia gubernari omnia. *De Quant. animæ*, cap. 3.

37. Certus sum quod vita nostra non temerariis motibus agitur, sed a Deo disponitur et gubernatur. Lib. *Medit.*, cap. 38.

38. Mundus vel ictu oculi stare non poterit, si ei Deus regimen sui subtraxerit. Lib. 4. *de Genesi ad lit.*, cap. 12.

BERNARD. 39. Crede te Deo, committe te ei, et ipse te enutriet. Serm. 5, *Vigil. Nativit.*

BOETIUS. 40. O qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum cœlique Sator, qui tempus ab ævo
Ire Jubes, stabilisque manens, das cuncta moveri.
Lib. 3 *de Consolat. philos.*, metr. 9.

41. Recte fieri cuncta ne dubites, quoniam bonus mundum rector temperat. *Ibid.*, lib. 4, prosa 5.

42. Deus cum ex alta providentiæ specula respicit, quid et unicuique conveniat, agnoscit; et quod convenire novit, accommodat. *Ibid.*, pros. 6.

43. Quæ ille ab æterno cuncta prospiciens, providentiæ cernit intuitus, et suis quæque meritis prædestinata disponit. *Ibid.*, lib. 5, prosa 2.

44. Deus tribus modis creaturæ providet : gubernatione, glorificatione, malitiæ damnatione. Super *Psalm.* III. S. BONAV.

45. Deus solus scit, quid nobis necessarium est, et quid nobis expedit. *De septem donis Spiritus sancti in specie, de Dono fortitudinis*, cap. 3.

46. Deus providet omni carni; quia quidquid natat, quidquid volat, quidquid repit, quidquid graditur, ejus largitate satiantur. Super *Psalm.* CXXXV, vers. 25 : *Qui dat escam omni carni.* CASSIODOR.

47. In omni creatura est dependentia, qua indesinenter dependet a Creatore, ejusque conservatione incessabiliter eget, quod sistere aut durare, nec ad momentum sine illius manutenentia queat; sed protinus redigeretur in nihilum, si relinqueretur a Deo per momentum. Super *Epist.* I *Joan.*, cap. I, art. 1. DIONYSIUS CARTHUS.

48. Deus ipse nobis infinite est potentior ut valeat, et sapientior ut sciat, et melior ut velit perficere quæcunque nobis sunt ad salutem necessaria. In *Elucid. super Psalm.* XXXVI, vers. 5 : *Et ipse faciet.*

49. Sic intendit Dominus singulis, ac si vacet a cunctis : et sic simul intendit omnibus ac si vacet a singulis. Super *Job*, cap. XXXIV. GLOSS. ORD.

50. Providentia Dei omnia attingit. *Ibid.*, cap. 37.

51. Magna providentia Dei est, quod nec parva, otiosaque dicta eum lateant. Super *Matth.*, cap. X.

52. Omnipotens Deus per se mundum regit, quem per se condidit : nec eget alienis adjutoriis ad regendum, qui non eguit ad faciendum. Lib. 24 *Moral.*, cap. 2, num. 26. S. GREGOR. MAGNUS.

53. Justus et misericors Deus mortalium acta disponens, alia concedit propitius, alia permittit iratus : et ea quæ permittit, sic tolerat, ut hæc in sui consilii usum vertat. *Prosec.*

54. Unde miro modo fit, ut et quod sine voluntate Dei agitur, voluntati Dei contrarium non sit : quia dum in bonum usum mala facta vertuntur, ejus consilio militant etiam quæ ejus consilio repugnant. *Ibid.*, lib. 6, cap. 12.

55. Conditoris protectio et custodia est, quod in statu permanemus. *Ibid.*, lib. 23, cap. 19.

56. Qui quod non erat fecit, factum sine gubernatione non deserit : et qui benigne hominem condidit, nequaquam injuste cruciari permittit, nec sinit, neglecte perire quod est, qui hoc etiam quod non fuit creavit ut esset. *Ibid.*, lib. 26, cap. 11, num. 10.

S. GREGOR. T[illegible].

57. Nihil eorum quæ nobis ad salutem data sunt, citra Dei providentiam existit. Super *Eccles.*, cap. II.

S. HIERON.

58. Quidquid in mundo, vel bonorum accidit, vel malorum, non absque providentia accidit, et judicio Dei. Lib. 3 super *Hierem.*, cap. XII, super illud : *Usque lugebit terra.*

59. Providentia Dei omnia gubernantur : et quæ putatur pœna, medicina est. Lib. 1 super *Ezech.*, cap. I super illud : *In medio ejus.*

60. Apostoli doctores veræ religionis, quid instituebant omnia providentia Dei gubernari, seipsos ostenderunt nihil cogitare de crastino. Lib, 1 super *Matth.*, cap. X, can. 2, num. 82, super illud : *Nolite possidere aurum.*

HUGO A S. VICTORE.

61. Divina essentia sicut spirituali creaturæ per cognitionem præsidet : ita corpoream creaturam regendo atque disponendo implet. Lib. 1 *de Arca Noe*, cap. 2.

HUGO CARD.

62. Nullus est præpositus mundo, nisi solus Deus : non enim eget adjutorio ad regendum mundum, qui non eguit ad faciendum, sed per se regit, qui per se creavit, et quod pie condidit pie disponit. Super *Job*, cap. XXXIV.

63. Magna est consolatio bonis, inter tot mala præsentia tenere sententiam. Super *Ecclesiasten*, cap. V.

64. Providentiæ Dei cura est specialis omnium, specialior fidelium, specialissima sanctorum. Super I *Cor.* IX.

JOAN. CASS.

65. Credere inconcussa fide nos convenit, nihil sine Deo prorsus in hoc mundo geri : aut enim voluntate ejus, aut permissu agi universa, fatendum est. Collat. 3, *Abbat. Paphnutii*, cap. 29.

S. JOANNES CHRYSOST.

66. Quando superna providentia cuipiam assistit, non solum hominum insidias effugere potest, sed etsi in bestias ipsas incidat, nihil patitur grave. Homil. 57 super *Gen.*

67. Quem Deus regit, nec cadere potest, nec errare. Homil. super *Psalm.* XXII.

68. Cura tua, cura hominis est : Deo autem de omnibus tuis committe providentiam, noli tu majoribus prætermissis de tuis curare, ne Deus minus de illis provideat. Homil. 69 super *Matth. Oper. perf.*

S. JOANNES DAMASC.

69. Providentiæ Dei opera, partim propensa Dei voluntate fiunt, partim permissione. *Prosec.*

70. Propensa Dei voluntate fiunt ea omnia, quæ citra controversiam bona sunt : permissione quæ nonnullam absurditatis speciem præ se ferunt. Lib. *de Fide orthod.*, cap. 9.

S. ISIDORUS HISPALENS.

71. Mira dispositio est supernæ distributionis; malus ad bonum aliquando convertitur, et bonus ad bonum aliquando reflectitur. *Prosec.*

72. Vult quis esse bonus, et non valet, vult alter esse malus et non permittitur interire.

73. Datur ei quod sit malus qui vult esse bonus : alius vult esse malus, nec datur ei ut sit bonus.

74. Tandiu in bono iste stat, quousque cadat : ille male diu vivendo, in fine salvatur.

75. Vult prodesse in bono justus, nec prævalet : vult nocere malus, et prævalet.

76. Iste vult Deo vacare, sed sæculo impeditur : ille negotiis implicari cupit, nec perficit. Lib. 2 *de Sum. bono*, cap. 6, sent. 4.

77. Providentia divina temporaliter justorum desiderio minime consulit, quia meliora illis in æternum promittit. *Ibid.*, lib. 3, cap. 7, sent. 26.

LACT. FIRM.

78. Quid tam dignum, tam proprium Deo, quam providentia? *De Ira Dei*, cap. 4.

79. Si est Deus, utique providens est Deus : nec aliter ei potest divinitas attribui, nisi et præterita teneat, et præsentia sciat, et futura prospiciat. *Prosec.*

80. Cum igitur quis providentiam sustulit, etiam Deum negavit : cum autem Deum esse professus est, et providentiam simul esse concessit : alterum enim sine altero nec esse prorsus, nec intelligi potest. *Ibid.*, cap. 9.

81. Constat divina providentia mundum regi, sicut et factus est. *Ibid.*, cap. 10.

82. Divina providentia est, cujus vi ac potestate omnia quæ videmus et facta sunt, et reguntur. *Ibid.*

83. Providens Deus, ut oportet Deum, consulit generi humano, quo sit vita nostra et copiosior et melior et tutior. *Ibid.*, cap. 19.

84. Nemo tam rudis, tam feris moribus, qui non oculos suos in cœlum tollens, tametsi nesciat cujus providentia regatur omne quod cernitur, aliquam tamen ipse providentiam intelligat ex ipsa rerum magnitudine, motu, dispositione, constantia, utilitate, pulchritudine, temperatione. Lib. 1 *de Divin. instit.*, cap. 2.

85. Certius est mundum providentia instructum, quam materiæ providentia conglobatum *Ibid.*, lib. 2, cap. 9.

S. LAURENT. JUSTIN.

86. Comitatur Deus justos in negotiis, ne delinquant; in periculis, ne cadant; in prosperitatibus, ne se extollant; in laboribus, ne deficiant; in dubiis, ne errent. *De Triumphali Christi agone*, cap. 25.

LUDOVICUS

87. Nisi te Deus continuerit, non stabis : si

BLOSIUS. manum subtraxerit, protinus corrues. In *Canon. vitæ spirit.*, cap. 6.

88. Providentiam Dei ubique attende, in omni rerum eventu stabiliter ei innitere, nihil prorsus credens accidere, quod non ex illa proficiscatur providentia. *Ibid.*, cap. 12.

89. In omnibus providentiam Dei sapienter attendas, sine qua nec unum quidem folium de arbore decidit. In *Brevi regula tyronis*, verbo *Non perturbetur.*

MINUT. FEL. 90. Quid potest esse tam apertum, tam confessum, tamque perspicuum, cum oculos in cœlum sustuleris, et quæ sunt infra, citraque lustraveris, quam esse aliquod numen præstantissimæ mentis, quo omnis natura inspiretur, moveatur, alatur, gubernetur? *Prosec.*

91. Cœlum ipsum vide, quam late tenditur, quam rapide volvitur, vel quod in noctem astris distinguitur, vel quod in diem sole lustratur, jam scies quam sit in eo summi moderatoris mira ac divina libratio. In suo *Octavio.*

92. Deus universa quæcunque sunt, verbo jubet, ratione dispensat, virtute consummat. *Ibid.*

93. Cum providentia mundus regitur, et unius Dei nutu gubernatur, non nos debet antiquitas imperitorum tabellis suis delectata, vel capta, ad errorem mutui rapere consensus. *Ibid.*

ORIGENES. 94. Providentia Dei ita omnia in hoc mundo sunt disposita, ut nihil prorsus otiosum sit apud Deum; etiamsi malum illud sit, etiamsi bonum. Homil. 14 in cap. XXIII *Numer.*

95. Nihil fit sine Deo, vel agente, vel permittente. Lib. 3 *Peri-Archon.*, cap. 2.

96. Nihil sine Dei providentia aut boni nobis suppetit, aut mali nobis evenit, cum ipse omnia vel decreto suo, vel permissu, nostræ in se charitatis comprobandæ causa faciat. In *Comment. super Job*, in illud : *Tanquam una de stultis mulieribus.*

S. PETRUS CHRYSOL. 97. Agit nobiscum Deus, agit in hoc sæculo, ne quid nobis pereat in futuro. Serm. 9.

PHILO JUD. 98. Nos discere oportet, præesse mundo Dei providentiam : semper enim auctor curam gerit operis sui, communi necessariaque lege naturæ. Lib. *de Mundi opific.*

99. Memor perfectissimæ suæ bonitatis Deus, etiamsi omnes homines, aut maxima eorum multitudo suapte culpa ruat in perniciem, tamen salutarem dextram porrigens sustentat et erigit, non sinens universum genus deleri. Lib. *Quod Deus sit immutabilis.*

S. PROSPER. 100. Omnibus quidem animantibus providentia Dei constituit et præstat alimoniam : sed hominibus non terrenum tantum, sed et spiritalem cibum præbet. Super *Psalm.* CXLV, vers. 5.

101. Tu cura Dei facies quoque Christi : PRUDENT. POETA.
An dubitas, ne te tuus unquam deserat Auctor?
Ne trepidate, homines, vitæ dator est dator escæ.
In *Psycomach. de Avarit. et largit. pugna*, vers. 169.

102. Quomodo mundum negligere dicetur, quem hoc ipso scilicet satis diligit, quod ipsum se per totum mundi corpus intendit? Lib. 1 *de Gubern. Dei.* SALVIANUS.

103. Sicut navigans gubernator nunquam manum suam a gubernaculo : sic nunquam penitus curam suam Deus tollit a mundo. *Ibid.*

104. Certum est Deum nostrum ab universitate omnium rerum, nec munus dignantissimæ visionis avertere, nec regimen providentiæ suæ tollere, nec indulgentiam benignissimæ pietatis auferre. *Ibid.*

105. Dum semper gubernat Deus, semper judicat, quia gubernatio ipsa est judicium. *Ibid.*

106. Deus cuncta, qua potestate ac majestate condidit, eadem etiam providentia ac ratione moderatur. *Ibid.*

107. Ecce Deum habes præsentem, ecce intuentem, ecce in omni loco, cura ac provisione vigilantem. *Ibid.*, lib. 2.

108. Licet gubernator omnium Deus sit; illis tamen peculiariter regimen præstari a Deo dicitur, qui regi peculiariter a divinitate mereantur. *Prosec.*

109. Unde et tu quicunque ille es, si christianus es, necesse est, ut regi te a Deo credas : si autem gubernari te a Deo cum cæteris christianis omnino non putas, necesse est extra omnes christianos te esse cognoscas. *Ibid.*

110. Sicut Deus omnibus quæ sunt dedit esse, ita et omnia providentia sua simul collocavit. *Hecatontad.* 1, sent. 94. THALASSIUS

111. Postquam divina providentia quis est privatus, facile patet inimicorum insultibus. Super III *Reg.*, quæst. 35. S. THEODOR.

112. Multo majus est ea quæ non sunt, ut sint, efficere : quam iis quæ sunt, providere. Serm. 2 *de Provident.*

113. Laudibus celebrate providentiæ gubernacula, ut ab his gubernati præsentis vitæ fluctus effugiatis. Serm. 9 *de Provident.*

114. Non ambigimus omnia divina administrari providentia. Lib. 3 *ad Autolycum.* S. THEOPH. ANTIOCH.

115. Sicut nihil potest esse quod non sit a Deo creatum, ita nihil potest esse quod ejus providentiæ non subdatur. Part. 1, quæst. 103, art. 5. S. THOMAS AQUINAS.

116. Ille credit Deum esse, qui credit omnes res mundi hujus, gubernari et provideri ab illo. Opusc. 6, super *Symbol. Apost.*, art. 1.

117. Justi divina providentia excellentius gubernantur, quam peccatores. Super I *Sent.*, dist. 39, quæst. 2, art. 2.

118. Divinæ providentiæ subjiciuntur et bona et mala, sed diversimode : nam bona providentur, sicut per se intenta : mala autem permittuntur, inquantum ad aliquod bonum ordinari possunt. *Ibid.*, sent. 40, art. 3.

THOMAS A KEMPIS. 119. Nulla est sanctitas, si manum tuam, Domine, subtrahas : nulla prodest sapientia, si gubernare desistas : nulla juvat fortitudo, si conservare desinas : nulla secura castitas, si eam non protegas : nulla propria prodest custodia, si non adsit tua sacra vigilantia. Lib. 3 *de Imitatione Christi*, cap. 14, sect. 2.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 120. Deus est auctor in omnibus causis, et quod existant, et quod causent. Lib. 3 *Theolog.*, cap. 2.

121. Nihil existit, quod non processerit a Deo : producit omnia, et dirigit producta, servatque permanentia. *Ibid.*, cap. 4.

122. Impossibile est quod aliquid producatur ab aliquo sine Deo. *Ibid.*, lib. 10, cap. 4.

123. Vetus fama est, et quidem hæreditaria mortalium omnium, universa a Deo, et per Deum nobis esse constituta : nec vero ulla natura per se sufficit orbata salute, quam ille ferat. *De Mundo.*

124. Deus sine dubio servator omnium est; et parens eorum quæ in mundo conficiuntur. *Ibid.*

CICERO. 125. Divina mente atque natura mundum universum, atque ejus singulas partes administrari, perspicuum est. Lib. 4 *de Finib.*, num. 12.

126. A Deo necesse est mundum regi. Lib. 2 *de Natura deor.*

PLATO. 127. Consentaneum est Deum nostri curam gerere, et nos ad illum, ut certam possessionem pertinere. Sizyg. 1, in *Dial. Phædon.*

SENECA. 128. Scias omnia ex decreto Dei fieri. Lib. 3 *Quæst.*

129. Ille beatissimus est, et securus sui possessor, qui crastinum sine sollicitudine expectat. Epist. 12.

130. Manent cuncta, non quia æterna sunt, sed quia defenduntur cura Dei regentis. Epist. 58.

131. Deus omnia temperat, quæ circumfusa rectorem sequuntur et ducem. Epist. 65.

132. Deus ille maximus potentissimusque ipse vehit omnia. Epist. 31.

SIXTUS PHILOSOPH. 133. Malus vir non putat esse providentiam Dei. *Sent.* 300.

134. Deum qui putat esse, et nihil ab eo curari, nihil differt ab eo, qui non credit esse Deum. *Ibid.*, sent. 367.

TRISMEG. 135. Non ignorat Deus hominem, sed curam ejus habet, ab eoque cognosci se vult. *De Potentia et sapientia Dei*, cui titulus, *Pimander*, cap. 10.

136. Si a quodam influxum suum Deus subtraxerit, deficiente vita, in mortem corruent universa. *Ibid.*, cap. 11.

137. Cœli et omnium quæ in mundo sunt, ipse gubernator est, qui est omnium effector Deus. *De Voluntate divina*, cui titulus, *Asclepius*, cap. 2.

138. Deus omnium gubernator, dispensans omnibus rebus, quantum unicuique necessarium est : spiritu implet omnia, ut cujusque naturæ qualitas est. *Ibid.*, cap. 7.

139. Deus viventium sempiternus gubernator est, ipsiusque vitæ dispensator æternus. *Ibid.*, cap. 9.

140. Omnia sine Deo vegetari non possunt : omnia enim Deus, et ab eo omnia, et ejus voluntate omnia : quod totum est bonum, decens, et prudens : sine quo nec fuit aliquid, nec est, nec erit; omnia enim ab eo, et in ipso, et per ipsum. *Ibid,*, cap. 12.

141. Res omnis non fortuito motu, sed divina providentia constare creditur. Lib. 1 *Dictor. memorabil.*, cap. 5. VALER. MAX.

Vide etiam tit. *Corpus*, sent. 34; *Deus*, sent. 162; *Fatum*, sent. 22; *Malum*, sent. 52, 71, 99; *Præscientia Dei*, sent. 36, 38, 41; *Subjectio*, sent. 11.

PROXIMUS.

Definitio. Proximus est omnis homo, quia ex uno parente sumus omnes geniti : omnesque proximi simus conditione terrenæ nativitatis. Super *Epist ad Ephesios*, cap. 4, in illud : *Unusquisque in proximo suo.* S. ANSELM.

Proximus est omni homini omnis homo. *De Discipl. christ.*, cap. 3. S. AUGUST.

Proximum dicimus et carnis nobis societate conjunctum, et aliqua legis vicinitate sociatum. Super *Psalm.* c, vers. 6. CASSIODOR.

Proximus dicitur naturæ conditione, consanguinitate, beneficiorum exhibitione. Super *Psalm* XXVII. HUGO CARD.

Proximus hominis nihil aliud est, nisi similis conditionis atque rationis particeps animans, id est, homo. In *Dialogo adversus Judæos.* S. JUSTIN. MART.

Non illi tantum proximi nostri credendi sunt, quos nobis gradus sanguinis jungit; sed proximi nostri credendi sunt etiam omnes homines naturæ nostræ participes. Lib. 3 *de Vita contempl.*, cap. 15. S. PROSPER.

Proximus tuus est omnis homo, qui eadem tibi est christianitatis lege conjunctus. *Prosec.* S. VALER.

Proximus tibi est, qui ab Ecclesiæ consortio non videtur alienus.

Proximus tibi est, quicunque est proximus Christi. Homil. 12.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Quicunque in proximum peccaverit, in se-

ABBAS. metipsum delinquit : et qui male fecerit proximo, semetipsum efficit malum. Epist. 2 *ad Fratres.*

S. AUGUST. 2. Manifestum est omnem hominem proximum esse deputandum. Lib. 1 *de Doctr. christiana*, cap. 30.

3. Proximi nomen ad aliquid est, nec quisquam esse proximus nisi proximo potest. *Ibid.*

4. Omnis homo est omni homini proximus; nec ulla cogitanda est longinquitas generis, ubi est natura communis. Super *Psalm.* CXVIII, conc. 8.

5. Homo proximus est tuus, vitium inimicum est proximo tuo : tunc amas proximum, si oderis quod nocet proximo. Serm. 2 *post Dom.* 19 *Trinit.*

6. In cœlo nihil latebit proximum in proximo. Epist. 6.

7. Proximus non sanguinis tantum propinquitate, sed et rationis societate pensandus est, in qua socii sunt omnes homines. Epist. 52.

S. BERNARD. 8. Parum proficit, qui proximo non prodest cum potest. Lib. *Medit.*, cap. 11.

GLOSS. INT. 9. Peccantes in proximum, in Deum peccamus. Super illud *Genes.* XX : *Ne peccares in me.*

S. GREGOR. MAGNUS. 10. Qui ex adversitate proximum despicit, aperte convincitur quod hunc in prosperis non amavit. Lib. 7 *Moral.*, cap. 10.

S. HIERON. 11. Proximus noster, omnis homo christianus est. Super *Psalm.* XIV, vers. 4.

12. Etiam bonum non facere, malum est : nam si quis viderit proximum fame periclitari, nonne ipse illum occidit, si illi cum affluat, non dederit victum? *Prosec.*

13. Quisquis in quacunque necessitate succurrere proximo morituro potest, si non fecerit, occidit. Super *Epist. ad Rom.*, cap. XIII in illud : *Dilectio proximi malum non operatur.*

14. Gravius est sustinere quem nolis, quam desiderare quem diligis. Hab. apud *Bedam*, in *suis Scintillis*, cap. 2.

HUGO CARD. 15. Fallitur proximus adulatione, simulatione, deceptione. Super *Ecclesiastic.*, cap. I.

S. IGNATIUS MART. 16. Nemo secundum carnem spectet proximum, sed in Christo Jesu. Epist. 6 *ad Magnes.*

S. JOANNES CHRYSOST. 17. Ille vere male affligitur, qui proximo suo negotium facit. Homil. 19 super *Gen.*

18. Hoc omne bonum est, quod proximum respicit. Homil. 79 super *Matth. Oper. perf.*

19. Nihil adeo potest nos Christi imitatores efficere, sicut erga proximum cura. *Prosec.*

20. Licet jejunando, humi dormiendo corpus maceraveris, nullam autem proximi curam habueris, nihil egregium feceris, sed adhuc longe a Christi abfueris imitatione. Homil. 25 super I *Cor.*

21. Nullum valde magnum potest esse officium, quando nullum in proximos lucrum confertur. *Ibid.*

22. Communis toto corpori turpitudo unius membri, et ornamentum commune unius membri salus cum sit, ne tam arcte nobis conjunctum, proximum abjiciamus. *Ibid.*, homil. 30.

23. Proximi gratia anxium esse, excellentis est dilectionis. Serm. 9 super *Epist. ad Philipp.*

24. Sicuti, qui ea quæ proximi sunt quærit, sua quoque rite disponit : ita si quæ illius sunt, negligit, sua quoque despicit. Homil. 7 super II *Tim.*

25. Sicut maledictiones, quæ diriguntur in proximos, maledicentes primitus vexant : sic et bona, quæ circa proximos geruntur, eis primum, qui operantur, jucunditatis uberes proferunt fructus. Homil. 1 super *Epist. ad Hebr.*

26. Bonum proximo non fecisse, hoc est fecisse malum. Super *Epist. ad Ephes.*

S. JOANNES DAMASC. 27. Scis quonam pacto de proximo bene merearis? id ei facito, quod ab eo tibi fieri cupis. Lib. 1 *Parall.*, cap. 11.

LACT. FIRM. 28. Notum nobis fecit Deus, quod sit verum et justum opus, ita nos oportere cum proximis vivere, dummodo sciamus illud ad hominem, hoc ad Deum pertinere. Lib. 6 *de Divin. inst.*, cap. 12.

S. LEO I. 29. Nihil uniuscujusque tam proprium, quam quod impendit in proximum. Serm. 5 *de Jejunio.*

S. PETRUS DAMIANUS. 30. Noli despicere proximum, si non vis Deo despicabilis apparere. Opusc. 9, cap. 2.

SALVIANUS. 31. Quis se proximis suis proximum reddit? quis solvit charitati, quod se agnoscit debere vel nemini? Lib. 5 *de Gubern. Dei.*

S. VALER. EPISC. 32. Occurrendum est semper Dei amicis, ac serviendum est proximis. Homil. 15 *de Bono martyr.*

SIXTUS PHILOSOPH. 33. Qualem vis esse proximum tuum tibi, talis esto et tu tuis proximis. *Sent.* 81.

PRUDENTIA.

COLLECTOR. *Etymologia.* Prudens dicitur quasi procul videns.

S. ISIDORUS HISPALENS. Prudens quasi porro videns : perspicax enim est, et incertorum prævidet casus. Lib. 10 *Etymol.*, verbo *Prudens.*

HUGO CARD. Prudentia dicitur quasi providentia : ille enim sibi sapienter providet, qui hujus vitæ miserias attendit. Super *Luc.*, cap. VI.

S. ANTONIN. *Definitio.* Prudentia est recta ratio rerum a nobis agibilium. Part. 4, tit. 10, cap. 7, § 6.

S. ANTONIUS DE PADUA. Prudentia est rerum bonarum virtus, et malarum scientia. Serm. *Dom.* 3, *post Trinit.*

Prudentia est appetendarum et vitandarum rerum scientia. Lib. 1 *de Libero arbitrio*, cap. 13.

S. BONAV. Prudentia est bonarum rerum et malarum discretio, utraque cum fuga mali et electione boni. *De quatuor Virtutibus.*

HUGO A S. Prudentia est in sui custodia boni malique pro

VICTORE. vida sagaxque dignoscentia. *De Fruct. carnis et spir.*, cap. 12.

JOAN. GERS. Prudentia est habitus intellectualis, acquisitus, laudabilis, elevans et dirigens liberum arbitrium in agendis vel vitandis. Part. 4 *de Descript. terminor.*, cap. *Virtus.*

S. LAURENT. JUSTIN. Nihil aliud est prudentia, quam scientia rerum bonarum, et malarum, cum illarum dilectione, et harum detestatione. Part. 1 *de Ligno vitæ*, tract. 2 *de Prudentia*, cap. 1.

Prudentia est amor eorum, quibus adjuvatur, ab iis quibus impeditur, sagaciter discernens. *Ibid.*

Prudentia est præsens notio, futurorum pertractans eventum. *Ibid.*

PHILO JUD. Prudentia est scientia faciendorum, et non faciendorum. Lib. 1 *Legis allegor.*

S. THEODOR. Prudentia est rationis, qua præditi sumus, vigilantia. Serm. 6 *de Providentia.*

S. THOMAS AQUINAS. Sicut ars est recta ratio factibilium, sic prudentia est recta ratio agibilium. 1, 2, quæst. 58, art. 2.

S. BONAV. *Divisio.* Prudentia in sex dividitur : primo, in cognitionem præsentium; secundo, in memoriam præteritorum; tertio, in providentiam futurorum; quarto, in circumspectionem contrariorum; quinto, in cohibitionem peccatorum; sexto, in exercitationem virtutum. *De quatuor Virtutibus.*

S. BONAV. *Productio.* De prudentia procedit circumspectio, docilitas, et cautio. *De quatuor virtut.*

HUGO A S. VICTORE. Prudentiæ comites sunt, timor Domini, alacritas, consilium, memoria, intelligentia, providentia, deliberatio. *De Fruct. carnis et spiritus*, cap. 12.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ALBERT. MAGNUS. 1. Prudentia vera atque perfecta est, semper niti ad cognitionem divinæ naturæ, et profunditatem humanæ miseriæ. *De Paradiso animæ*, part. 1 *de Virtut.*

S. AMBROS. 2. Prudentia veri investigatione versatur, et scientiæ plenioris infundit cupiditatem. Lib. 1 *Offic.*, cap. 24.

3. Nihil ea prudentia sapientius, quæ divina et humana secernit. *De obitu Satyri fratris sui.*

S. AUGUST. 4. Prudentia testimonium veritati, non amicitiæ reddit. *Prosec.*

5. Prudentia cum discretione promittit, et promissa accelerat, et amplius quam promiserat, præstat. Serm. 4 *ad Fratres in eremo.*

6. Prudentia docet quomodo præsentia ordines, quomodo præteritorum recorderis, et quomodo futura provideas. *Ibid.*

S. BASILIUS MAGNUS. 7. In omnibus quæ aguntur, prudentiam præire convenit : nam citra prudentiam, omnia etiam quæ bona esse videntur, ad vitium per importunitatem ac immodestiam dilabuntur. In *Constit.*, cap. 14.

S. BERNARD. 8. Est quædam prudentia, scire quid ex te, quid ex Dei adjutorio possis, et ipsi servare te infensum, qui te tibi servat illæsum. Tract. *de Diligendo Deo*, cap. *Amat.*

9. Temperate facere cuncta, prudentia est. Serm. 63.

10. Quid, o homo, in omnibus es prudens, et circa teipsum es insipiens? Serm. *de Miseria humana.*

BOETIUS. 11. Rerum exitus prudentia metitur. Lib. 2 *de Consolat. philos.*, prosa 1.

S. BONAV. 12. Prudentia auriga est virtutum. Serm. 6 *in Hexamer.*

13. Turpe est ut major prudentia sit in brutis, quam in prudentissimo animali, quod ultra bruta rationem accepit. Serm. *de uno Doctore.*

14. Prudentia est, ad rationis normam, quæ cogitat, quæque agit, universa dirigere, et nihil præter rectum velle facere, humanisque actibus tanquam rationis arbitrio providere. In *Centiloq.*, part. 3, sect. 41, part. 3, sect. 41.

15. Officium prudentiæ est, ex præteritis et præsentibus futura perpendere. *Ibid.*

DIDYMUS. ALEX. 16. Prudentiam ætate ponderare, minime convenit. Habet. apud *D. Joan. Damasc.*, lib. 3 *Parall.*, cap. 73.

DIONYSIUS CARTHUS. 17. Prudentia carnis non est vera prudentia; sed appellatur prudentia propter apparentem similitudinem, quam habet cum vera prudentia. Super *Epist. ad Rom.*, cap. VIII, art. 11.

S. HIERON. 18. Via recta et regia, prudentia est. Lib. 16 super *Isaiam*, cap. LVII, super illud : *In multitudine viæ.*

S. JOANNES CHRYSOST. 19. Prudentia connexam malitiam habens, prudentia non est. Homil. 36 super I *Cor.*

20. Nihil ad veram administrationem ita necessarium est et commodum, sicut prudentia. Serm. 15 super *Epist. ad Ephes.*

S. ISIDORUS HISPALENS. 21. Nihil prudentia melius, nihil dulcius, nihil suavius. Lib. 2 *de Synonym.*, cap. 13.

22. Prudens cito deprehendit noxia, et celerius errores agnoscit. *Ibid.*

S. JUSTIN MART. 23. Nemini sine philosophia rectaque ratione, prudentia adesse ullo modo potest. In *Dialogo adversus Judæos.*

24. Prudentes alios esse existimare debemus, nec prudentiam nobis solis tribuere, et quasi vendicare. *Epist. ad Zenam.*

25. Qui suo judicio prudens est, is et monita aspernatur, et in contrariam sententiam trahitur, et ei cui dat consilium fit adversarius. *Ibid.*

S. LAURENT. JUSTIN. 26. Eo certius et citius ad culmen prudentiæ proficies, quo statum interioris hominis conside-

rando plenius agnosces. *De Ligno vitæ*, tract. 2 *de Prudent.*, cap. 6.

PHILO JUD. 27. Animas prudentia servat, cum ipsa sit mentis sanitas : imprudentia vero interimit, cum sit morbus earum insanabilis. Lib. *de Temulentia.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 28. Prudentiam habitum esse agendi circa humana bona, vera cum ratione necesse est. Lib. 6 *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 5.

29. Patet prudentem neminem esse posse, nisi sit bonus. *Ibid.*, cap. 12.

30. Fieri non potest, ut sine prudentia sit homo proprie bonus, et absque morum virtute prudens. *Ibid.*, cap. 13.

CICERO. 31. Prudentiam artem vitæ esse dicimus. Lib. 5 *de Finib.*, num. 18.

32. Quomodo jucunda vita esse potest, a qua absit prudentia? Lib. 5 *Tuscul. quæst.*

SENECA. 33. Quisquis prudentiam sequi desideras, tunc per rationem recte vives, si omnia prius existimes et perpenses, et dignitatem rebus non ex opinione multorum, sed ex eorum natura constituas. *De quatuor virt.*

34. Si prudentiam amplecteris, ubique idem eris. *Ibid.*

35. Prudentis proprium est, examinare consilia, et non cito credulitate ad falsa prolabi. *Ibid.*

36. Si prudens esse cupis, in futurum prospectum intende, et quæ possunt contingere, animo tuo cuncta propone. *Ibid.*

37. Qui prudens est, non dicit, Non putavi hoc fieri : quia non dubitat, sed expectat : nec suspicatur, sed cavet. *Ibid.*

38. Si prudens est animus tuus, tribus temporibus dispensetur : præsentia ordina, futura provide, præterita recordare. *Prosec.*

39. Nam qui nil de præterito cogitat, perdit vitam : qui nil de futuro præmeditatur, in omnia incautus incidit. *Ibid.*

Vide etiam tit. *Invenire*, sent. 25; *Princeps*, sent. 4 ; *Senectus*, sent. 9; *Virtutes cardinales*, per totum ; *Virtutum connexio in genere*, sent. 3, 4, 39; *Virtutum connexio in specie*, verbo *Prudentia.*

PSALMUS.

CASSIODOR. *Definitio.* Psalmus est hymnus alicujus metri lege compositus, qui similitudinem prædicti organi supernam nobis cognoscitur indicare virtutem. Super *Psalm.* II, in Prooemio.

CLEMENS ALEX. Psalmus est numerosa, et modesta laudatio. Lib. 2 *Pædagogi*, cap. 4.

DIONYSIUS CARTHUS. Psallere est Deum laudare. *De fructuosa temporis deductione*, art. 3.

S. LAURENT. JUSTIN. Psalmodia est quædam Dei ad hominem, atque hominis ad Deum, dulcis, læta et familiaris allocutio. Part. 1 *de Discipl. monasticæ conversat.*, cap. 17.

DIONYSIUS CARTHUS. *Differentia.* Psalmus et hymnus inter se differunt : psalmus laus Dei proprie appellatur, ad bene operandum inducens; hymnus vero laus Dei, ad devotionem accendens. Super *Hymnos*, in Prooemio.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. In libro Psalmorum profectus est omnium, et medicina quædam salutis humanæ. *Prosec.*

2. Quicunque legerit, habet quo propriæ vulnera passionis speciali possit curare remedio.

3. Quicunque certare voluerit, tanquam in communi animarum gymnasio, et quodam stadio virtutum, diversa genera certaminum reperiens præparata, id sibi eligat, cui se intelligit aptiorem, quo facilius perveniat ad coronam.

4. Si quis gesta recensere majorum studeat, atque imitari velit, intra unum psalmum totam paternæ historiæ seriem accipit comprehensam, ut thesaurum memoriæ compendio lectionis acquirat. Super *Psalm.* in Præfatione.

5. Psalmus est benedictio populi, Dei laus, plebis laudatio, plausus omnium, sermo catholicorum, vox Ecclesiæ, fidei canora confessio, auctoritatis plena devotio, libertatis lætitia, clamor jucunditatis, lætiæ resultatio, nocturna arma, diurna magisteria, scutum in timore, festum in sanctitate, imago tranquillitatis, pignus pacis, arrha concordiæ. *Ibid.*

6. Psalmus iracundiam mitigat, sollicitudinem abdit, mœrorem allevat, dissidentes copulat, discordes sociat, offensos reconciliat : quis enim non remittat ei, cum unam ad Deum vocem emiserit? *Ibid.*

7. Psalmus est nocturni operis commercium, diurnæ requiei stipendium, institutio incipientium, perfectorum confirmatio, angelorum ministerium, militiæ cœlestis hostia spiritalis. *Ibid.*

8. Psalmus medicamentum conscientiæ peccatricis est. Super *Psalm.* XXXVII, in Præfat.

S. ATHAN. MAGNUS. 9. Psalmorum volumen veluti paradisus, in quo sunt omnia genera lignorum plantata, modulando sua quædam propria inter cantandum ostendit. *De Interpret. Psalm.*

10. In psalmis canuntur, quæ in singulis voluminibus Scripturarum annuntiantur. *Ibid.*

11. Quemadmodum aliarum scripturarum argumenta in psalmis licet reperire, ita quoque quæ sunt Psalmorum, in aliis reperies. *Ibid.*

12. Codex Psalmorum peculiarem dotem, et eximium quiddam observatuque dignum in se continet. *Ibid.*

13. Omnis quidem divina Scriptura magistra est virtutis, et veræ fidei : sed tamen liber Psalmorum certam quamdam formam tractatumque animorum continet. *De Interpr. Psalm.*

S. AUGUST. 14. Psalmus est tranquillitas animarum, signifer pacis, perturbationes vel fluctus cogitationum cohibens, iracundiam reprimens, luxum repellens, sobrietatem suggerens, amicitiam congregans, inimicos reconcilians. In *Prologo Psalm.*

15. Quod omnium bonorum maximum est, charitatem psalmus instaurat, conjunctionem quamdam per consonantiam vocis efficiens. *Ibid.*

16. Psalmus diversum populum unius chori per concordiam consona modulatione consociat. *Ibid.*

17. Psalmus dæmones fugat, angelos ad adjutorium invitat.

18. Psalmus scutum in nocturnis terroribus, diurnorumque requies est laborum. *Ibid.*

19. Psalmus est tutela pueris, juvenibus ornamentum, solamen senibus, mulieribus optissimus decor. *Ibid.*

20. Psalmus desertas habitare facit urbes, sobrietatem docet, incipientibus primum efficitur elementum, proficientibus incrementum, perfectis stabile firmamentum, totius Ecclesiæ vox una, solemnitates decorat, tristitiam mollit, etiam ex corde lapideo lacrymas movet ; angelorum opus est, exercitium cœlestium, Spiritale thymiama. *Ibid.*

21. Quid est quod non discatur in Psalmis ? Nonne omnis magnitudo virtutis, nonne norma justitiæ, nonne pudicitiæ decor, nonne prudentiæ consummatio, nonne patientiæ regula, nonne omne quidquid potest dici bonum, procedit ex ipsis ? *Prosec.*

22. Dei scientia perfecta, prænuntiatio Christi in carne venturi, et communis resurrectionis spes, suppliciorum metus, gloriæ pollicitatio, mysteriorum revelatio.

23. Omnia prorsus in Psalmis, velut magno quodam et communi thesauro recondita atque conferta sunt bona. *Ibid.*

24. Cum tristitia non est psallendum : in psallendo enim hilaritas est. Super *Psalm.* exposit. XCI, vers. 3.

25. Alternent pro tempore linguæ sonos vocum, perpetua sit vox interiorum. Super *Psalm.* CII, vers. 1.

26. Vis psallere ? non solum vox tua sonet laudes Dei, sed opera tua concordent cum voce tua. *Prosec.*

27. Cum ergo voce cantaveris, silebis aliquando : vita sic canta, ut nunquam sileas. Super *Psalm.* CXLVI, vers. 1.

28. Noli bonæ cantilenæ tuæ obstrepere moribus. *Ibid.*

29. Sicut angeli pure laudant Deum in regione vivorum, ita et nos qui die et nocte psallimus Domino, debemus cum sanctis angelis puritatem habere : quia et quod angeli peragunt in cœlis, ita et nos facere debemus in terris. Serm. 4 *ad Fratres in eremo.*

30. Psalmus tranquillitas est animarum, gubernator pacis, tumultus et undas cogitationum sedans ac compescens est : nam animæ partem irascibilem mollit, protervam vero castam facit. Super *Psalm.* I, conc. 1. S. BASILIUS MAGNUS.

31. Psalmus est amicitiæ conciliator, dissidentium unio, hostium reconciliatio, dæmonum fugator, angelici auxilii inductor, scutum in timoribus nocturnis, requies laborum diurnorum, infantibus securitas, vigentibus ornamentum, senibus solatium, mulieribus mundus convenientissimus, proficientium incrementum, perfectorum fulcrum, ecclesiæ vox, angelorum opus, cœlestis respublica, spiritualis suffitus. *Ibid.*

32. Psalmus etiam ex lapideo corde lacrymas elicit, hic festivitates exhilarat, hic tristitiam, quæ secundum Deum est, creat. *Ibid.*

33. In Psalmis disces fortitudinis magnificentiam, justitiæ sinceritatem, temperantiæ gravitatem, prudentiæ perfectionem, pœnitentiæ modum, patientiæ mensuram. *Prosec.*

34. Hic inest theologia perfecta, prædictio adventus Christi per carnem, minæ judicii, resurrectionis spes, suppliciorum timor, promissiones gloriæ, mysteriorum revelationes. *Ibid.*

35. Omnia velut in magno quodam ac communi promptuario, in Psalmorum libro reposita sunt. *Ibid.*

36. Lingua psallat, mens dictorum sententiam perscrutetur, quo et spiritu et mente psallas. Super *Psalm.* XXVIII, conc. 5, vers. 8.

37. Psalmus sermo est musicus, quando concinne et juxta harmoniæ rationem ad instrumentum pulsatur. Super *Psalm.* XXIX.

38. Non si quis ore profert Psalmi verba, hic Domino psallit : sed qui a puro corde emittunt psalmodias. *Ibid.*

39. Quid beatius, quam angelorum tripudium imitari ? statim quidem ubi dies exordium sumit ad preces procedendo, et hymnis et cantilenis Conditorem honorando. Epist. 1 *ad S. Gregor. Theolog.*

40. Vocis tonus in psallendo medius præferendus est, ut neque præ parvitate auditum diffugiamus, neque distentionis magnitudine onerosi simus. *Ibid.*

41. In tempore psalmodiæ sapienter psalle,

fili, et spirituales cantus vigilanter cane coram Domino ; ut virtutem psalmorum facilius possis acquirere. In *Admonit. ad filium spirit.*

S. BASILIUS SELEUC. 42. Psalmus et gratia, arma sunt in dæmones. Orat. 15.

V. BEDA. 43. Vigilare jubemur, ne aliud habeamus in corde, et aliud proferamus in voce : cum enim intentione sincera debet non sonus vocis, sed animæ sensus orare. Super I *Petr.* IV, in illud : *Vigilate in orationibus.*

S. BERNARD. 44. Cibus in ore, psalmus in corde sapit : psallas spiritu, psallas et mente. Serm. 7 super *Cant.*

45. Nihil aliud dum psallitis, quam quod psallitis cogitetis. *Ibid.*, serm. 47.

46. Spiritus sanctus illa hora qua psallis, gratum non recipit quidquid aliud quam debes, neglecto eo quod debes, obtuleris. *Ibid.*

47. Continentiæ labor et rigor disciplinæ, psalmorum hymnorumque dulcedine relevantur. Epist. 78, *ad Suggerium abbat.*

48. Non est levis jactura gratiæ spiritualis, levitate cantus abduci a sensuum utilitate, et plus sinuandis intendere vocibus, quam insinuandis rebus. *Prosec.*

49. Cantus plenus sit gravitate, nec lasciviam resonet, nec rusticitatem : sic suavis ut non sit levis, sic mulceat aures ut moveat corda, tristitiam levet, iram mitiget, sensum litteræ non evacuet, sed fœcundet. Epist. 312, *ad Guidonem abbat.*

50. Nunquam intelliges David, donec ipsa experientia, ipsos psalmorum affectus indueris. *De Vita solit.*

51. Cum ad psallendum ecclesiam intraveris, fluctuantium cogitationum tumultus exterius relinque, curamque exteriorum penitus obliviscere ut soli Deo possis vacare. Lib. *Medit.*, cap. 6.

52. Loquitur mihi Deus in psalmo, et ego illi: nec tamen cum psalmum dico, attendo cujus psalmus sit : magnam injuriam Deo facio, cum illum precor ut meam precem exaudiat, quam ego, qui fundo, non audio. *Ibid.*, cap. 8.

53. Dum cantor mulcet populum vocibus, Deum irritat pravis moribus. *Ibid.*. cap. 11.

54. Parum prodest sola voce cantare, sine cordis intentione. *Ibid.*, cap. 8.

55. Ruminantem psalmos somnus te occupet, ut in somno somnies te dicere psalmos. In *Formula honestæ vitæ.*

56. Mens tua cum voce concordet, concordet cum lingua : non aliud cogites et aliud cantes. Si aliud cantes in mente, et aliud cantes in voce, perdis fructum laboris tui. Serm. 52.

57. Sicut orationibus juvamur, ita psalmorum modulationibus delectamur. *Ibid.*

58. Usus psalmos cantandi consolatur tristia corda. *Ibid.*

59. Cantus psalmorum in ecclesia mentes hominum lætificat, fastidiosos oblectat, pigros sollicitat, peccatores ad lamenta invitat. *Ibid.*

60. Dura quamvis sint corda sæcularium hominum, statim ut dulcedinem psalmorum audierint, ad amorem pietatis convertuntur. *Ibid.*

61. Sunt multi qui suavitate psalmorum compuncti, peccata sua lugent. *Ibid.*

62. Psalmorum decantatio significat perpetuam laudem Dei in æterna gaudia. *Ibid.*

63. Quicunque fideliter et intenta mente psalmos decantat, quodammodo angelis Dei sociatur. *Ibid.*

64. Psalmorum decantatio aliquando commovet ad lacrymas, aliquando invitat ad orationem. *Ibid.*

65. Psalmi faciunt gratas esse vigilias noctis. *Ibid.*

66. In psalmis est iter laudis, quod ad æternam laudem pervenire possis. *Ibid.*

67. Deus, cui non absconditur quidquid illicitum perpetratur, non quærit vocis lenitatem, sed cordis puritatem. Lib. 5 *Florum*, cap. 44.

68. Psallentibus dignanter admisceri sancti angeli solent. *Ibid.*

69. Hymnos et psalmos canere, monachorum est et clericorum. In *Alphab. religiosor.*, lect. 22. S. BONAV.

70. Cum timore et humilitate psallendum est. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 15.

71. Sic stemus ad psallendum, ut mens voci concordet. *Ibid.*

72. Verba psalmodiæ distincte et integre pronuntia. *De Inst. novit.*, part. 1, cap. 5.

73. Vere coruscus liber psalmorum, sermo lampabilis, cura sauciati cordis, favus interioris hominis, pinax spiritualium personarum, occultarum lingua virtutum, quæ inclinat superbos humilitati, reges pauperibus subdit, affabilitate parvulos nutrit. Super *Psalm.* Prolog. CASSIODOR.

74. Non potest animus fidelis expleri, qui cœperit inde satiari. *Ibid.*

75. Merito se a vera vita credat alienum, quisquis jucunditate psalmorum non fruitur. *Ibid.*

76. Liber Psalmorum est thesaurus in pectore mundo excrescens, consolatio magna lugentium, spes beata justorum, periclitantium utile suffugium. In *Prologo super Psalm.*, cap. 16.

77. Non solum cantantes, sed et intelligentes psallere debemus : nemo enim sapienter quidquam facit, quod non intelligit. Super *Psalm.* XLIV, vers. 7 : *Psallite sapienter.*

78. Psalmi vasa sunt veritatis, quasi spiritualia

dolia vinum Domini incorrupto sapore servantia. Super *Psalm.* LXX, vers. 24.

79. Tunc Deo accepta est oratio canentium, si pura mens idem gerat quod explicat vox cantici. Super *Psalm.* CI, vers. 1.

80. Psalmodia est consolatio flentium, cura dolentium, sanitas ægrotorum. Super *Psalm.* CXXXVI, vers. 8.

S. CYPRIAN. 81. In psalmis loquitur Spiritus sanctus. *De Discipl. et habitu virgin.*, cap. 1.

DIONYSIUS CARTHUS. 82. Admirabilis est virtus psalmorum, et ex sua natura solet mentem psallentis dulcedine quadam perfundere. Super *Epist. Jacobi*, cap. V, art. 7.

83. Dum vox psalmodiæ per intentionem cordis agitur, tunc aut prophetica mysteria revelantur, aut compunctionis gratia inspiratur. *Ibid.*

S. DOROTH. 84. Ita psalmodiæ studium et curam adhibeamus, ut et os et cor pariter psallant. *Doctr.* 23.

S. EPHRÆM. 85. Psalmus in ore tuo sit assidue, quoniam Deus cum nominatur, dæmones fugat, et psaltem sanctificat. In *Encomio super Psalmos.*

86. Psalmus est tranquillitas animæ, designator pacis, amicitiæ conciliator, dissidentium unio, inimicantium inter se pacificatio, angelorum ad subveniendum inductio, præsidium timoris nocturni, requies a laboribus diurnis, infantium tutela, seniorum decus, majorum consolatio, mulierum aptissimum ornamentum, angelorum opus, cœleste munus, incensum spiritale, mentium illuminatio, corporum sanctificatio, piorum gaudium. *Ibid.*

87. Psalmus ex lapideo etiam corde lacrymas excutit. *Ibid.*

88. Psalmus solitudines inhabitat, conciones temperat, otiosiloquium exterminat, risum reprimit, judicium suggerit, animam in Dei laudem excitat, cum angelis choros agit. *Ibid.*

89. Ubi psalmus adest cum compunctione, ibi et Deus una cum angelis. *Ibid.*

S. EUSEBIUS EMISSEN. 90. Studeamus ut cum obsequiis labiorum vita concordet et consonet : sic enim pietas Dei ad nos flectit auditum. Hom. 4 *Epiph.*

GLOSS. ORD. 91. Non est satis psallere ad hoc ut laus Deo placeat, sed opus est ut per vitæ quoque munditiem illi placeamus. Super *Psalm.* CXLVI.

92. Utilis est hymnorum cantilena, et bonorum est causa : at hymnus minime Deo gratus est, sed laudantium propositum. *Ibid.*

93. Clavis libri psalmorum, omnisque prophetiæ, est Spiritus sanctus. Super illud *Apocal.* III : *Qui habet clavem David.*

S. GREGOR. MAGNUS. 94. Per psalmum meditationes, et laudes, et gaudia de Deo concepta accipiuntur. *In septem Psalmos pœnit. Psalm.* I, in Prologo.

95. Psalmi meditatio, fidelis animæ est virtutibus exercitatæ. *Ibid.*

96. Vox psalmodiæ cùm per intentionem cordis agitur; per hanc omnipotenti Deo ad cor iter paratur, ut intentæ menti vel prophetiæ mysterium, aut compunctionis gratia infundatur. Hom. 1 super *Ezech.*

97. Fit plerumque ut cum blanda vox quæritur, congrua vita negligatur : et cantor minister Deum moribus stimulet, cum populum vocibus delectat. Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 1, dist. 92, can. *In sancta.*

98. Psalmodia laudis venturæ est ante ambulatrix, et gloriæ præludium. Orat. 3 *de Sancto Lavacro.* S. GREGOR. NAZ.

99. In psalmo non dulcedo vocis, sed mentis affectus quæritur. Epist. 4. S. HIERON.

100. Quando psalmum dicis, cujus verba loqueris, agnosce : et in compunctione magis cordis, quam in tinnulæ vocis dulcedine delectare. Epist. 14 *ad Mauritii filiam.*

101. Lacrymas psallentis Deus magis quam vocis gratiam approbat. *Prosec.*

102. Ubi timor et tremor est, ibi non vocis elatio, sed animus flebilis est, et lacrymosa dejectio. *Ibid.*

103. Melior est unius psalmi decantatio cum puritate et serenitate, et spiritali hilaritate, quam totius psalterii modulatio cum anxietate cordis et tristitia. In *Regula monachor.*, cap. 14 *de Contemplat.*

104. Psallentium chorus ibi consistere non potest, ubi dolor et gemitus præsens est. *Prosec.*

105. Musica in luctu, importuna narratio : ubi non est lætitia mentis, frustra sonat melodia carminis. In *Orat. Hierem.*, super illud : *Senes defecerunt de portis.*

106. Ille bene psallit, qui implet in opere quod cantat. Super *Psalm.* XXXII, vers. 3.

107. O monache, qui stas corpore, quare jacet anima tua, et non psallis Domino? si psalterium es, si cithara es, quare surdus es, et non glorificas Dominum? Super *Psalm.* CVII, vers. 2 : *Exurge, psalterium et cithara.*

108. Sicut martyres laudant Deum pure in regione vivorum, ita et monachi qui die et nocte psallunt Domino, debent eamdem puritatem habere martyrum, siquidem ipsi martyres sunt : quod enim faciunt angeli in cœlis, hoc monachi faciunt in terris. Super *Psalm.* CXV, vers. 7 : *Tibi sacrificabo hostiam laudis*

109. Bona res est psallere, psallere autem non tantum voce, sed et corde : quanti enim bonam vocem habent, et, quoniam peccatores sunt, male psallunt. Bene psallit, qui cantat in corde, qui

cantat Christo in conscientia. Super *Psalm.* CXLVI, vers. 1.

110. Audiant hi quibus psallendi in ecclesia officium est, Deo non voce, sed et corde cantandum : nec in tragœdorum modum guttur et fauces dulci modulamine colliniendas. Lib. 3 super *Epist. ad Ephes.*, cap. V, super illud : *Loquentes in psalmis.*

S. HILARIUS 111. Suscepta semel in aures psalmorum cantica, in corde sunt retinenda, et semper ea officio oris iteranda. Super *Psalm.* CXVIII, vers. : *Memor esto verbi tui.*

112. Non est periculoso nocturnarum vigiliarum otio animus relaxandus, sed in orationibus et in psalmis occupandus est. *Ibid.*

HUGO A S. VICTORE. 113. Psallentium in ecclesia mens concordare debet cum voce. Super *Regul. D. August.*, cap. 3, in illud : *Psalmis et hymnis.*

114. Melius forsitan esset, si nihil dicerent, qui subtractis syllabis, aut dictionibus, oscitando psalmos decantant. Lib. 2 *de Claustro animæ*, cap. 14.

115. Per psalmodiam compunctio effunditur, via in corde fit, per quam ad Jesum in fine pervenitur. *Ibid.*, cap. 22.

116. Si cantas, ut ab aliis laudem quæras, vocem tuam vendis, et facis eam non tuam, sed ementi suam. *Ibid.*

117. Quid prodest dulcedo vocis sine dulcedine cordis? *Ibid.*

118. Noli cantare cum Lucifero in cœlo, seu cum primo homine in paradiso : sed cantes in templo cum Christo, ejiciens vendentes et ementes ex eo : ejiciens vendentes datam gratiam, et ementes vanam gloriam. *Ibid.*

119. Religiosi sint intenti psalmis, non causis. *Ibid.*, cap. 23.

120. Cantus, seu psalmus pigros excitat, devotos incitat, concordiam retinet. Lib. 4 *de Propriet. rerum*, cap. 3.

121. Omnibus est horis eadem vox cordis et oris :
Vox est grata chori, quando cor concinit ori.
Serm. 13 *de Diversis*, tom. 2.

122. In psalmodia devotæ menti semper gratia infunditur cœlitus. Lib. 1 *Miscellan.*, codic. 2, tit. 130.

HUGO CARD. 123. Immolantes hostiam laudis curemus omni vigilantia jungere intellectum versui, id est, vocali psalmodiæ, affectum sensui, exultationem affectui, gravitatem exultationi, humilitatem gravitati, libertatem humilitati. *Prosec.*

124. Quæ psalmodia debet esse recta, ut intentio ad cœlestia dirigatur, et non ad terrena incurvetur. Super *Psalm.* XXXII.

125. Psalmus fugat dæmones, vocat angelos, excitat devotionem, placat Deum, imperat veniam, hilarat animam, illuminat conscientiam. Super *Psalm.* XCI.

126. Vox est apta chori, quando cor congruit ori. Super *Psalm.* XCVII.

127. Non vox, sed votum : non musica cordula, sed cor :
Non clamor, sed amor clamat in aure Dei.
Super *Isai.*, cap. XXXIII.

128. Non humana adinventione statutus a senioribus psalmodiæ modus affirmatur, sed cœlitus angeli magisterio patribus fuisse delatus. *De Cœnob. inst.*, lib. 2, *de Noct. orat.*, cap. 4. JOAN. CASS.

129. *Deus, in adjutorium meum intende*, etc. Hujus versiculi oratio, in adversis ut eruamur, in prosperis ut servemur, ne extollamur incessabili jugitate fundenda est. *Prosec.*

130. Hujus versiculi meditatio in tuo pectore indirupta volvatur.

131. Hunc in opere quolibet, seu ministerio, vel in itinere constitutus decantare non desinas.

132. Hunc et dormiens, et reficiens, et in ultimis naturæ necessitatibus meditare, etc. *Vide ibi plura.*, collat. 10, *abb. Isaac*, cap. 10.

133. Magnus comes est psalmus. Hom. 22 *ad Popul. Antioch.* S. JOANNES CHRYSOST.

134. Artifex manualis es, sedens psalle ; sed si non vis ore psallere, hoc facias mente. *Ibid.*

135. Psalmus imago est ; in psalmo enim diversæ videntur personæ, peccator, pœnitens, misericordia, lacrymæ, confessio. *Prosec.*

136. Si in molestiam, ut aliquam animi perturbationem incideris, plurimum psalmi ad te consolandum valebunt.

137. Si fueris in peccata prolapsus, multa in psalmis invenies ad medelam.

138. Si paupertate sis, vel pressuris gravatus, multos tibi ex psalmis ad tranquillitatem portus videbis offerri.

139. Si justus es, non mediocrem securitatem ex psalmis nancisceris : si crimini obnoxius, fiduciæ plurimum. Homil. 1 super *Psalm.* L.

140. Psalmus peccatum dæmone pejus omnino prosternit : incantemus ergo, animæ peccatis obsessæ, ex beato David. Serm. 28 super *Epist. ad Rom.*

141. Psallat os, et imbuatur animus, non est autem vel hoc ipsum modici momenti : nam si linguam psallere docuerimus, psallente illa pudefiet anima, contraria ab eo quod psallitur volens. *Ibid.*

142. Davidica carmina et de futuris disserunt, et de visibilibus et de invisibili creatione, ac de ipso cœlo. *Ibid.*

143. Vis lætari ? vis diem consumere ? psal-

lere discas, et videbis rei jucunditatem. Serm. 19 super *Epist. ad Ephes.*

144. Implentur Spiritu sancto qui psallunt; quemadmodum spiritu immundo, qui satanicas cantiones modulantur. *Ibid.*

145. Qui non attendunt, temere psallunt; verba duntaxat proferentes, corde interea alibi oberrante. *Ibid.*

146. Cogita quid psallas, intellige quid psalmi sibi velint. Homil. 4 super *Epist. ad Hebr.*

S. JOAN. CLIM. 147. Arma juvenum, psalmorum cantus. *Gradu* 4.

148. Ea, quæ canuntur, eloquia tunc, speculare ; et dum expectas ut versuum proximus finiat, intentius ora. *Ibid.*, gradu 18.

JOAN. TRITH. 149. Quemadmodum pulvis a vento dispergitur, sic adversarius noster diabolus, a voce psallentium cum humili devotione confusus et territus effugatur. Lib. 1, homil. 17, *ad Monachos.*

S. ISID. HISP. 150. Nihil est sola voce canere, sine cordis intentione. Lib. 3 *de Sum. bono,* cap. 7., sent. 30.

151. Sicut orationibus regimur, ita psalmorum studiis delectamur. *Ibid.*, sent. 31.

152. Psallendi utilitas tristia corda consolatur, gratiores mentes facit, fastidiosos oblectat, inertes exsuscitat, peccatores ad lamenta invitat. *Prosec.*

153. Nam quamvis dura sint carnalium corda, statim ut psalmi dulcedo insonuerit, ad effectum pietatis animum eorum inflectit. *Ibid.*

154. Psalmorum decantatio, perpetuam Dei laudem demonstrat in gloria futuram : cujus operis ministerium quicunque fideliter intentaque mente exequitur, quodammodo angelis sociatur. *Ibid.*, sent. 33.

155. Psalterium cum melodia cantilenarum suavium ab Ecclesia idcirco frequentatur, quo facilius animi ad compunctionem flectantur. *Prosec.*

156. Primitiva autem Ecclesia ita psallebat, ut modico flexu vocis faceret psallentem resonare, ita ut pronuntianti vicinior esset, quam canenti. Lib. 1 *de Offic. Eccles.*, cap. 5.

157. Propter carnales in Ecclesia, non propter spirituales consuetudo est instituta canendi : ut qui a verbis non compunguntur, suavitate modulaminis moveantur. *Ibid.*

158. Hoc quisque meditetur corde, quod psallitur ore. In *Regula monachor.*, cap. 6.

LACT. FIRM. 159. Dei laudes canere et audire, jucundum est. Lib. 6 *de Divin. inst.*, cap. 21.

LUDOVICUS BLOSIUS. 160. Qui psalmum exacte non intelligit, credit tamen aliquid sancti esse in eo quod cantat, omnino sine fructu non est : Deus enim psallentis cor magis, quam verba attendit. *Prosec.*

161. Plane qui benigna et religiosa mente precatur, etiamsi lingua sibi incognita psallat, eximiam utilitatem eximiumque meritum refert. Lib. 2 *Enchirid. parvulor.*, cap. 14.

S. NILUS. 162. Psalmus sit in ore tuo. Deus enim nominatus fugat dæmones. *Parænes.* 41.

PETRUS BLESENS. 163. Si psallentibus non adsit devotio, licet eumdem psalmum millies repetant, non est hic psalmus jucunda decoraque laudatio. Epist. 86 *ad Alexandr. carthus.*

S. PETRUS DAMIANUS. 164. Auribus occulti judicis non tam strepitus vocis, quam clamor insonat cordis. Lib. 6, epist. 9, *ad Gebizon. abbat.*

S. PROSPER. 165. Bonum est in gloriam Dei psallere, non voce tantum, sed multo amplius modulatione rationabilis vitæ, quæ nullo tempore omittenda est. Super *Psalm.* CXLVI, vers. 1.

166. Nulla est canentium suavitas, nec est modulatio concinens, ubi est fides ac vita dissentiens. Super *Psalm.* CXLIX, vers. 1.

ROBERTUS BELLARM. 167. Qui cum acedia psallit, indicat se parum amare eum, cui psallit. Super *Psalm.* LXXX.

THEOPHILACTUS. 168. Psallendum est corde, hoc est, cum attentione : corde non huc illuc versante sese, et oberrante : qui enim animo observat quid psallat, ille corde psallit. Super *Epist. ad Ephes.*, cap. V, in illud : *In psalmis et hymnis.*

THOMAS A KEMPIS. 169. Opus angelorum est Deum semper laudare, opus religiosorum est intenta mente psallere. *De Discipl. claustr.*, cap. 8.

S. VALER. EPISC. 170. Multum verbis honoris accrescit, si dulcisonos organi cantus, nulla mentis amaritudo confundat. Homil. 5 *de Oris insolent.*

171. Impleatur os nostrum cœlestium exultatione psalmorum. *Ibid.*, homil. 10 *de Parasitis.*

PUDICITIA.

S. THOMAS AQUINAS. *Etymologia.* Nomen pudicitiæ a pudore sumitur, in quo verecundia significatur, 2, 2, quæst. 151, art. 4.

COLLECTOR. *Definitio.* Pudicitia est continentia ab actibus, gestibus et signis venereis.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Bonum munus pudicitia, sed minoris meriti, cum periculum abest : ubi vero etiam salutis periculo defenditur, ibi plenius coronatur. *De Joseph.*, cap. 5.

S. AUGUST. 2. De pudicitia quis dubitaverit, quin ea sit in ipso animo constituta, quandoquidem virtus est ? unde a violento stupratore eripi nec ipsa potest. Lib. 1 *de Lib. arb.*, cap. 5.

3. Ornet mores tuos pudicitia. Epist. 182 *ad Bonifac.*

4. Non dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos : quia impudicus ocu-

lus, impudici cordis est nuntius. In regula 3 *ad Clericos.*

5. Bonum est pudicitia conjugalis, sed melius bonum est continentia vidualis. *De Bono viduit.*, cap. 5.

6. Pudicitia virtus est animi, comitemque habet fortitudinem. Lib. 1 *de Civitate Dei*, cap. 18.

7. Periniquum est, ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipse non exhibet. Lib. 2 *de Adulter. conjug.*, cap. 8.

8. Sicut nemo impudice utitur corpore, nisi spiritu prius concepta nequitia : ita nemo pudicitiam servat in corpore, nisi spiritu prius insita castitate. *De sancta virginit.*, cap. 8.

9. Pudicitia est res animi, virginitas corporis : denique illa integra in animo permanente, potest ista de corpore violenter auferri : et cum ista integra manet corpori, potest illa in animo lasciviæ voluntate corrumpi. Lib. 4 *contra Julian.*, cap. 8.

10. Vera pudicitia, sive conjugalis, sive vidualis, sive virginalis dicenda non est, nisi quæ veræ fidei mancipatur. *Ibid.*

11. In impiis non reperitur pudicitia virginalis, quamvis inveniatur virginitas carnis : quia vera pudicitia non potest habitare in animo fornicante. *Ibid.*

12. Pudicitia castitatem custodit, avaritiam refrænat, lites devitat, iram mitigat, libidinem occupat, cupiditatem temperat, lasciviam castigat, ebrietatem cavet, verba non multiplicat, gulæ concupiscentias oppugnat, fraudem omnino damnat. *De duodecim abusion.*, cap. 5.

13. Pudica vita famam bonam inter homines possidet, et de spe futuræ beatitudinis gaudet. *Ibid.*

14. Pudica vita bonis semper moribus delectatur et consentit, et assiduis meditationibus animam vegetat. *Ibid.*

15. Pudicitia est, alienas res non appetere, omnem immunditiam devitare, risum non excitare, verba vana et falsa non loqui, habitum per omnia ordinatum compositionemque convenientem corporis sicut decet habere, nulli contumeliam incutere, bonis non invidere, senes non irridere, cum indignis contubernia non inire. *Ibid.*

16. Pudicitia animæ est, appetitiones turpium cogitationum compescere, de semetipso nihil confidere, ante Dei oculos semetipsum constituere, catholicis per omnia consentire, Deo soli adhærere. *Ibid.*

17. Pudicitia est ornamentum nobilium, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, pulchritudo debilium, prosperitas laborantium, solamen mœstorum, augmentum omnis pulchritudinis, decus religionis, defensio criminum, multiplicatio meritorum, creatoris omnium Dei amica. *Ibid.*

18. Nulla est pudicitia corporis, nisi ab integritate animi pendeat; qua dirupta, cadat necesse est, etiamsi intacta videatur. *De Mendac.*, cap. 7.

19. Ibi servari potest pudicitia, ubi nulla nisi voluntaria potest esse corruptio. *Ibid.*

20. Aliena libidine pudicitia non potest violari. *Ibid.*

21. Pudicitiam corporis non consentiente ac permittente anima, nemo violat. *Ibid.*, cap. 19.

22. Intantum pudicitia Deo est placita ut etiam S. CLEMENS
his qui in errore sunt positi, nonnihil gratiæ in PAPA.
præsenti conferat vita. Lib. 7 *Recognit.*

23. Pudicitia non in sola carnis integritate S. CYPRIAN.
consistit, sed etiam in cultus et ornatus honore pariter ac pudore. *De Discipl. et habit. virgin.*, cap. 3.

24. Pudicitia est honor corporum, ornamentum morum, sanctitas sexuum, vinculum pudoris, fons castitatis, pax domus, concordiæ caput. *De Bono pudicit.*, cap. 2.

25. Pudicitia sollicita non est cui placeat, nisi sibi. *Ibid.*

26. Pudicitia verecunda semper est, dum innocentiæ mater est. *Ibid.*

27. Pudicitia semper ornatur solo pudore, nihil ornamentorum quærit, decus suum ipsa est. *Ibid.*

28. Pudicitia locum primum in virginibus tenet, secundum in continentibus, tertium in matrimoniis. *Ibid.*

29. Nihil tam sævum, tam durum, tam triste, quam cecidisse de alto pudicitiæ gradu. *Ibid.*, cap. 4.

30. Vera matronarum ornamenta pudicitia est, DIONYSIUS
non vestes. Super 1 *Epist. Petri*, cap. III, art. 6. CARTHUS.

31. Pudicitia sine circumcisione gulæ tuta cus- S.GAUDENT.
todiri non potest. Tract. *de Machab.*

32. Bona est pudicitia, si otiosa non est, non S. GILLEB.
affectata, non ficta. Serm. 35 super *Cant. D.* ANGLUS.
Bernard.

33. Nisi primum pudicitia sedeat in mente, GLOSS.ORD.
nulla perfectio sequetur in opere. Super *Epist. Jacob.*, cap. III.

34. Omnis pudicitia decori virgineo comparari S. GREGOR.
non potest. Lib. 6 in I *Regum*, cap. 1 super illud MAGNUS.
Psalm. 44 : *Astitit Regina in vestitu deaurato.*

35. Habet et pudicitia servata martyrium suum. S. HIERON.
Epist. 8 *ad Demetriadem.*

36. Tenera res in fœminis fama pudicitiæ est, et quasi flos pulcherrimus cito ad levem marcescit auram, levique flatu corrumpitur. Epist. 9 *ad Salvinam.*

S. HIERON. 37. Multo melius est gressu vacillare, quam pudicitia. *Ibid.*

38. Utinam præconia fœminarum imitarentur viri, et rugosa senectus redderet quod sponte offert adolescentia. Epist. 10 *ad Furiam.*

39. Ubi pudicitiæ sanctitas, ibi frugalitas est. *Ibid.*

40. Quanto plura sunt quæ impugnant pudicitiam, tanto victricis majora sunt præmia. Epist. 11 *ad Geruntiam.*

41. Non possunt habere pudicitiæ libertatem, qui serviunt dominatui nuptiarum. *Ibid.*

42. Difficile inter epulas servatur pudicitia. Epist. 47 *de Vitando suspecto contubernio.*

43. Sciant omnes inter gladios, et inter deserta et bestias, pudicitiam nunquam esse captivam. Epist. 52 *de Vita Malchi.*

44. In omni gradu et sexu tenet pudicitia principatum. Lib. 1 *adversus Jovian.*

45. Doctissimi viri vox est, pudicitiam in primis esse retinendam; qua amissa omnis virtus ruit. *Prosec.*

46. In hac muliebrium virtutum principatus est : hæc pauperem commendat, divitem extollit, deformem redimit, exornat pulchram. *Ibid.*

47. Mulieris virtus proprie pudicitia est. *Ibid.*

48. Magnus quidem est pudicitiæ labor, sed majus præmium : temporalis custodia, sed remuneratio æterna est. Epist. 14 *ad Mauritii filiam.*

HUGO A S. VICTOR. 49. Pudicitia hominem a terra sublevat, angelis sociat, Deo conjungit, de terreno cœlestem, de carnali spiritualem facit. Super *Regul. D. August.*, cap. 6.

S. JOANNES CHRYSOST. 50. Pudica mulier secum habet custodem ac pædagogum, morum integritatem. Homil. super *Psalm.* XCIII.

S. JOAN. CL. 51. Pudicitia generale virtutum cognomen omnium est. Pudicus est ille, qui in somnis quidem nullum motum, nullamque status sui mutationem sentit. *Gradu* 15.

S. ISIDORUS PELUSIOTA. 52. Non sine labore ac negotio quisquam pudicitiam consequi potest. Lib. 2, epist. 62, *ad Paulum.*

S. NILUS. 53. Pudicitia continentiæ filia est. Orat. 2 *de Fornicat.*

PETRUS BLESENS. 54. Thesaurus pudicitiæ incomparabilis est; sola enim pudicitia vitam reformat angelicam. Epist. 35 *ad Anselmam sanctimonial.*

55. Jactura pudicitiæ non recipit æstimationem. *Ibid.*

SALVIANUS. 56. Difficile est impudicitiam verbo aut jussione tolli, nisi fuerit ablata : et difficile pudicitiam verbo exigi, nisi fuerit exacta. Lib. 7 *de Gubern. Dei.*

TERTULL. 57. Pudicitia est flos morum, honor corporum decor sexuum, integritas sanguinis, fides generis, fundamentum sanctitatis. *De Pudicitia*, cap. 1.

58. Gravitas adjutrix et socia pudicitiæ est. *De cultu fœminar.*, cap. 8.

59. Pudicitiæ christianæ satis non est esse, verum et videri : tanta enim debet esse plenitudo ejus, ut emaneat ab animo in habitum, et eructet a conscientia in superficiem. *Ibid.*, cap. 13.

S. ZENO EPISCOPI ET MART. 60. Pudicitiam qui colit, quantæ nobilitatis sit, facillime cognoscit : est enim tantæ virtutis, ut sit honorabilis etiam hostibus suis. Serm. *de Pudicitia.*

61. Beata est pudicitia, cum alludit pueris : beatior, cum adolescentibus lapsus sollicite timet: beatissima, cum in juvenibus carnalia extinguere laborat incendia. *Ibid.*

62. O quantum es miranda pudicitia! quæ aliter laudari te non vis quam ut custodiaris solo bonæ conscientiæ ornamento contenta, tu in virginibus felix, in viduis fortis, in conjugiis felix, in sacerdotibus pura, in martyribus gloriosa, in angelis clara, in omnibus regina. Tu nunquam carni, nunquam ulli subjaces legi. De voluntate nasceris, sed bono puritatis voluntatem ipsam paris : quia voluntas fit voluptas postmodum tua, cum per eam quotidie tricenos, sexagenos, centenosque colligis fructus, tu in pauperibus dives, in divitibus ditior, æqualis in omnibus consummaris, tu es honor corporum, tu thesaurus animarum, tu fundamentum, culmen, ac fructus omnium coæquarum, tu tui propositi insolubilis nodus æternus, per te legitima jejunia celebrantur, per te allegatæ priusquam fundantur, acceptantur preces. Tu es sacrificium Deo charum, tu legitimum Dei templum, sacrarium pudoris, in te corruptio intrare non novit, per te sæculum vincitur, concupiscentia omnis eliditur, diabolus subjugatur, per te spiritus sanctus inducitur, glorificatur Christus, Deus Pater omnipotens propitiatur, postremo ille felix in futurum regnabit, qui tecum illo pervenerit. *Ibid.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

BIAS PHILOSOPH. 63. Quæ dos matronis pulcherrima? vita pudica. Ex *Dictis Sapient. ex Ausonio*, dict. 4.

CICERO. 64. Suæ pudicitiæ proditor, est insidiator alienæ. Lib. 4 *de Arte rhet.*

SENECA. 65. Expugnatores alienæ pudicitiæ, negligentes sunt suæ. Lib. 1 *Controvers.*

66. Pudicæ sæpius sunt, quæ malam faciem habent : non quia animus illis deest, sed corruptor. Lib. 2 *Controvers.*

67. Magnus pudicitiæ fructus est, pudicam credi. *Ibid.*, controvers. 15.

68. Vacat pudicitia, libido occupatissima est. Lib. 2 *de Ira*, cap. 13.

69. Constante tibi pudicitia, virtus salva est. *De beata vita*, cap. 13.

70. Unicum tibi ornamentum, pulcherrima, et nulli obnoxia ætati, forma : maximum decus, visa est pudicitia. *De Consolat. ad Helviam.*, cap. 16.

SIXTUS PHILOSOPH. 71. Omne membrum corporis, quod invitat te contra pudicitiam agere, abjiciendum est. *Sent.* 10.

72. Fideli mulieri ornatui ducatur pudicitia. *Ibid.*, sent. 226.

73. Mulier pudica, gloria viri est. *Ibid.*, sent. 228.

Vide etiam tit. *Aurum*, sent. 56; *Conjugium*, sent. 29, 30; *Familiaritas*, sent. 24; *Judicium in genere*, sent. 23, 25; *Maria*, sent. 204; *Multiloquium*, sent. 17; *Sanctitas*, sent. 12; *Virtutum connexio in genere*, sent. 46, 49; *Virtutum connexio in specie*, sent. 212.

PULCHRITUDO.

S. AMBROS. *Definitio.* Illa vera est pulchritudo, ut in singulis membris, esse quod deceat, et in toto ut in singulis gratia, in omnibus formæ convenientis plenitudo glorietur. Lib. 2 *Hexamer*, cap. 5.

S. AUGUST. Omnis corporis pulchritudo est partium congruentia cum quadam coloris suavitate. Lib. 22 *de Civitate Dei*, cap. 19.

S. BASILIUS MAGNUS. Pulchritudo est in membrorum compositione concinnitas, efflorescentem vitam habens. Conc. 11, super *Psalm.* XLIV, vers. 5.

S. THOMAS AQUINAS. Pulchritudo corporis in hoc consistit, quod homo habeat membra corporis bene proportionata, cum quadam debiti coloris claritate. 2, 2, quæst. 145.

S. HIERON. *Comparatio.* Sicut herba mane crevit, floruit, et siccatur, ad vesperamque induresecit et deperit : ita erit omnis hominum pulchritudo. Epist. 17 *ad Cyprianum.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Non sit affectatus decor corporis, sed naturalis; simplex, neglectus magis quam expetitus. Lib. 1 *Offic.*, cap. 19.

2. Pulchritudinem quis potest majorem existimare decore ejus, quæ amatur, a rege, probatur a judice, dicatur Domino, consecratur Deo? Lib. 1 *de Virgin.*

3. Hæc profecto vera pulchritudo est, cui nihil deest. *Ibid.*

4. Pulchritudo corporis vel morbo peritura, vel senio, omnibus noxia est casibus. *Ibid.*

5. Pulchritudo audita nec visa, plus desideratur duobus stimulis cupiditatum, amoris scilicet, et cognitionis. *Ibid.*, lib. 2.

6. Nihil ad vos si petulantibus oculis expetitur pulchritudo : ars desit, nullum est crimen decoris : illecebra facessat, inoffensa est species, et formæ gratia. Lib. 7, epist. 44 *ad Constantium.*

7. Non te vincat formæ concupiscentia; adulterina est fucis illita; nequaquam vero ac sincero fulgens decore. Lib. 1 *de Cain et Abel*, cap. 5.

S. ANSELM. 8. Pulchritudines justorum solis pulchritudini qui septempliciter quam modo sit splendidior erit, adæquabuntur. *De Similitudinibus*, cap. 50.

S. ANTONIN. 9. Pulchrior est vir muliere, sed species mulieris magis allectiva, quam species viri. Part. 1, tit. 1, cap. 2, § 2.

10. Vana est pulchritudo, cito amittitur; et nisi cum amore Domini conjungatur, occasio est multorum malorum sibi et aliis. Part. 2, tit. 4, cap. 6.

11. Mirum est quomodo mulier quærat summopere omnia habere pulchra, et animam ipsam, quæ nobilior est, et præcipuum in homine, velit habere fœdam et maculatam. *Ibid.*, cap. 5, § 1.

12. Certe erubesceret domina domus, si videret se turpem, et ancillam pulchram : ancilla caro est, anima domina, unde multum erubescere debet mulier, quod corpus pulchrum appareat, anima vero maculis plena inveniatur. *Ibid.*

13. Pulchritudo in tribus consistit : in debita corporis qualitate, et quantitate; in eleganti membrorum dispositione, et proportione; in coloris venustate. Part. 4, tit. 15, cap. 11, § 1.

S. AUGUST. 14. Pulchrum per seipsum consideratur atque laudatur, cui turpe ac deforme contrarium est. Epist. 5 *ad Marcellinum.*

15. Ex omnibus consistit universitatis admirabilis pulchritudo. In *Enchyridio*, cap. 10.

16. Quam fallax et suspectum, quam instabile et transitorium est, quidquid species, aut temporalis pulchritudo promittit! *De Spiritu et anima*, cap. 49.

17. Anima hominis figitur in pulchris extra te, Deus, et extra se : quæ tamen nulla essent nisi essent abs te. *Prosec.*

18. Quæ oriuntur et occidunt, et oriendo quasi esse incipiunt : et crescunt ut perficiantur et perfecta senescunt et intereunt : ideo quo magis celeriter crescunt ut sint, eo magis festinantur ut non sint. Lib. 4 *Confessionum*, cap. 10.

19. Interiore pulchritudine Christo placete : hanc pulchritudinem studiosa cura, et sollicita cogitatione componite; non amat ille fallaciarum fucos, veris veritas delectatur. *De Bono viduit*, cap. 19.

20. Pulchritudo corporis bonum quidem Dei donum est, sed propterea id largitur etiam malis, ne magnum bonum videatur bonis. Lib. 15 *de Civit. Dei*, cap. 22.

21. Non quærit a vobis Christus pulchram car-

nem, sed pulchros mores, quibus frænetis et carnem. *De sancta virginitate*, cap. 55.

22. Qui pulchritudine delectantur, si magni sunt amatores animorum, quales sunt amatores Dei, qui pulchros animos facit? Tract. 32, super *Evang. Joan.*, cap. 7.

23. Plus est pulchritudo, quam pulcher : pulchritudo enim facit pulchrum, non pulcher facit pulchritudinem. *Ibid.*, tract. 39, cap. 8.

24. Interroga pulchritudinem terræ, interroga pulchritudinem maris, interroga pulchritudinem dilatati et diffusi aeris, interroga pulchritudinem cœli : pulchritudo eorum, confessio eorum est. Ista pulchra mutabilia quis fecit, nisi incommutabilis pulcher in seipso? Serm. 4, *Fer.* 2, *Paschæ.*

25. Tanto magis est corpus, quanto speciosius est atque pulchrius : tantoque minus est, quanto fœdius ac deformius. *De Immortalitate animæ*, cap. 8.

26. Pulchrius est corpus, quod ex membris pulchris omnibus constat, quam ipsa membra singula. Lib. 13 *Confess.*, cap. 28.

27. Pulchras formas et varias amant oculi. *Ibid.*, lib. 10, cap. 34.

28. Fecisti ea, qui pulcher es, pulchra sunt enim ; qui bonus es, bona sunt enim; qui es, sunt enim. Nec ita pulchra sunt, nec ita bona sunt, nec ita sunt, sicut tu conditor eorum, cui comparata, nec pulchra sunt, nec bona sunt, nec sunt. *Ibid.*, lib. 11, cap. 4.

29. Corpori non est hoc esse, quod pulchrum esse, alioquin deforme esse non posset. *Ibid.*, lib. 13, cap. 2.

30. Pulchra sunt omnia faciente te, et ecce tu inenarrabiliter pulchrior, qui fecisti omnia. *Ibid.*, cap. 20.

31. Cum cœlum sit corpus pulcherrimum, omnis invisibilis creatura excedit etiam pulchritudinem cœli. Lib. 1 *de Genesi contra Manichæos*, cap. 11.

32. Omnia pulchra sunt conditori et artifici suo. *Ibid.*, cap. 16.

33. Omnis pulchritudo quæ partibus constat, multo est laudabilior in toto, quam in parte. *Ibid.*, cap. 21.

34. Amor inferioris pulchritudinis animam polluit. Lib. 6 *de Musica*, cap. 14.

35. Cujus pulchrum corpus, et deformis est animus, magis dolendus est, quam si deforme haberet et corpus. Lib. 4 *de Doctrina christiana*, cap. 28.

36. Tanto pulchrius est corpus, quanto similioribus inter se partibus constat. *De Genesi imperf.*, cap. 16.

37. Corporis membra etiamsi singula pulchra sunt, multo sunt tamen in universi corporis compage omnia pulchriora. Lib. 3 *de Genesi ad lit.*, cap. 24.

38. Fatigare nos non debet incerta eorum pulchritudo, quorum erit certa et sempiterna damnatio. In *Enchirid.*, cap. 92.

39. Corporis pulchritudo, temporale, carnale, infimum bonum est. Lib. 16 *de Civit. Dei*, cap. 22.

40. Si senex eris, pulcher non eris. Tract. 32 super *Joan.*

41. Pulcher es jam, sed noli te attendere, ne perdas quod accepisti, illum attende a quo factus es pulcher. Tract. 9 super *Epist. Joannis.*

42. Erimus pulchri amando eum qui semper est pulcher : ideo sis pulcher, ut Deus amet te. *Ibid.*

43. Juventa citius vernis floribus defluit, et corporis pulchritudo aut morbo aut tempore marcescit. Epist. 42 *ad Maxim. philosophum.* S. BASILIUS MAGNUS.

44. Felix pulchritudo, quæ mentis candorem parit, lumen scientiæ, conscientiæ puritatem. Serm. 25 super *Cant.* S. BERNARD.

45. Fœda admota pulchris, pulchriora reddunt, magisque fœda redduntur. Epist. 78 *ad Suggerium abbat.*

46. Deus non delectatur in pulchritudine corporis, sed in pulchritudine mentis. Serm. 64 *ad Sororem.*

47. Quando homo gaudet de pulchritudine corporis, mens ejus elongatur ab amore Creatoris. *Ibid.*, serm. 9.

48. Pulchritudo corporis fallax est, vana est, terra et cinis est, deceptio est hominis. *Ibid.*, serm. 64.

49. Te pulchrum videri non tua natura, sed oculorum spectantium reddit infirmitas. Lib. 3 *de Consolat. philos.*, prosa 8. BOETIUS.

50. Probis animis proprium decus, aliena non decerpit improbitas. *Ibid.*, lib. 4, prosa 3.

51. Illud recte speciosum dicitur, quod gratia mundissimæ puritatis ornatur. Super *Psalm.* XLIV, vers. 3 : *Speciosus forma.* CASSIODC

52. Qui pulcher esse desiderat, quod est in homine pulcherrimum ornandum est : nempe mens, quam oportet quotidie pulchriorem et magis decoram ostendere. Lib. 3 *Pædag.*, cap. 3. CLEMENS ALEX.

53. Fallax certe, et ruinæ maximæ, propinquus casus, inevitabileque periculum est fœminæ pulchritudo. Epist. *ad Augustin. de miraculis D. Hieronymi.* S. CYRILL. HIESOTO.

54. Pulchritudo cutis est gloria temporalis, quæ dum foris concupiscitur, quasi species in cute retinetur. Lib. 14 *Moral.*, cap. 8, num. 8. S. GREGOR. MAGNUS.

55. Nihil prodest gloriosissima sanitas, et pul-

chritudo in superficie corporis, si vulnus animæ latet intrinsecus. Lib. 2 in *Registro*, indict. 11, cap. 96, epist. 57. *ad Italicam Parriciam.*

56. Nulla pulchritudo, quæ inest corpori, valet decori sanctæ animæ comparari. *In septem. Psalm. Pœnit.*, super *Psalm.* IV, vers 8.

S. GREGOR. NAZ. 57. Pulchritudo externa tanquam insidiatrix ac deceptrix, et quæ a Deo segreget, despicienda est. Orat. 10 *in funere S. Basilii.*

58. Si pulchritudinem quis nactus est, pulchritudini pulchritudinem addat, animæ nempe, non corporis. Orat. 25.

59. Vera pulchritudo apud filios hominum nullo unquam tempore ab extra se præstandum præbet, verum obtutum ad internum flectit hominem. *Ibid.*

60. Pulchritudo manifesta non celatur, at occulta a Deo cernitur. Orat. 28.

61. In hac parte, quæ in aspectum cadit, deformis es : fac ea pulcher sis, quæ ab oculorum sensu remota est. Hab. apud D. Joan. Damascen., lib. 2 *Parall.*, cap. 74.

62. Nunquam de formis mulierum disputes. Epist. 21, *ad Nepotian.*

63. Illa fit pulchra, quæ se nescit esse pulchram : quæ negligit formæ bonum, et procedens ad publicum, non pectus et colla denudat, nec pallio revoluto cervicem aperit, sed quæ celat faciem, et vix uno oculo, qui viæ necessarius est, patente ingreditur. *Ibid.*, epist. 8 *ad Demetriad.*

64. Nitens cutis, sordidum ostendit animum. Epist. 47 *de Vitando suspecto contubernio.*

65. Amor formæ, rationis oblivio est, et insaniæ proximus : turbat consilia, altos et generosos spiritus frangit, ea magnis cogitationibus ad humillimas detrahit. *Prosec.*

66. Querulos, iracundos, temerarios, dure imperiosos, serviliter blandos : omnibus inutiles, ipsi novissime amori facit : nam cum fruendi cupiditate insatiabilis flagrat, plura tempora suspicionibus, lacrymis, conquestionibus perdit, odium sui facit, et ipsi novissime sibi odio est. Lib. 1 *adversus Jovian.*

67. Si formis mulierum quispiam delectetur, per oculorum fenestras animæ capta libertas est. *Ibid.*, lib. 2.

68. Vultus prius pulcherrimus fœminarum, ad tantam postea transit fœditatem, ut amor in odia commutetur. Epist. 17 *ad Cyprian.*

69. Satis pulchram Deo crede faciem tuam, si hominibus pulchra apparere non studeas. Epist. 1 *ad Demetriad.*

70. Ubi est illa pulchritudo? heri apparuit quasi flos, hodie flos ipse non comparet : heri virebat herba, hodie siccata est. Super *Psalm.* XCI, vers. 7.

HUGO A S. VICTORE. 71. Tanto exterior pulchritudo diligitur, quanto interior minus curatur. Super *Regul. D. August.*, cap. 9.

72. Ex pulchritudine mulierum, voluptas carnis nascitur. Lib. 1 *de Claustro animæ*, cap. 4.

73. Sicut ineptum est deformia pulchris conjungere, sic omnino indecens est, ea quæ non habent, nisi infirmam quamdam et imaginariam pulchritudinem, pulcherrimis coæquare. In *Soliloquio de Arrha animæ.*

HUGO CARD. 74. Prædicator triplici pulchritudine constat : sententia pulcher, utilitate pulchrior, honestate pulcherrimus. Super *Prov.*, cap. XV.

75. Pulchritudo semper est in præteritione et transitu et defectu, sed ad ultimum perfecte peribit. Super I *Cor.* VII.

JOAN. CASS. 76. Pulchritudo, vel fœditas animæ, virtutum seu vitiorum gignitur qualitate. Collat. 3 *Abbat. Paphnutii*, cap. 8.

S. JOANNES CHRYSOST. 77. Corporis formositas tam fragilis ac instabilis est, ut superveniens morbus repente omnem illam formositatem obscuret. *Prosec.*

78. Nonnunquam si invaserit senectus, facies quæ antea formosa erat, fit indecora et injucunda : mors autem superveniens omnem corporis pulchritudinem corrumpit. Homil. 28 super *Gen.*

79. Speciosa mulier sepulcrum est dealbatum, nisi fuerit sobria, casta, pudica. Hom. 1 super *Psalm.* 50.

80. Pulchritudo sine virtutibus, præcipitium est patens, venenum insipientibus compositum. *Ibid.*

81. Decus corporis infirmitate marcescit, et pulchritudo ægritudine tabescit : animæ autem pulchritudo immortalis est, et æterna. *Ibid.*

82. Cum mulier pulchra concupiscitur, pulchritudo non est in culpa ; quia pulchritudo Dei est donum. *Ibid.*

83. Nulla alia corporis pulchritudo est, nisi staturæ compositio, et flos qui ab anima corpori conceditur. Homil. 36 super *Matth. Oper. perf.*

84. Mulieribus non solum curæ est formositas atque corporum pulchritudo ; hæc est illarum gloria, hæc salus , magna vero atque sublimia virtutis opera, nec summa quidem videre vellent. *Ibid.*, homil. 74.

85. Corporum pulchritudo, quoad pulchrius non deprehenditur, in admiratione habetur : cum vero melius apparuerit, illa prior despicitur. Homil. 76 super *Joan.*

86. Qui tristis et mœstus et cogitabundus est, licet pulcher sit, multum tamen pulchritudini de-

trahit, hilaris autem formositatem auget. Homil. 7 super *Acta Apost.*

87. Ex bonitate vultus nihil emolumenti, ex pulchritudine autem animæ tanta licet bona lucrari, quanta congrue possidet, qui Deum habet amatorem. Homil. in dictum Apost. *Utinam tolerassetis.*

88. Diurna exercitatio, et labores, et tolerantia, et moderata mensa, et virtus simplex, et mediocritas stabiliora corpora reddunt, et formam præterea plurimum juvant. Homil. 39 super I *Cor.*

89. Externa corporis pulchritudo plena est multæ superbiæ et arrogantiæ, atque in zelotypiam conjicit, absurdaque plerumque suspicari. Serm. 20 super *Epist. ad Ephes.*

90. Quid cœlo pulchrius? quid pulchrius astris? sed consuetudo facit, ut talis ac tanta pulchritudo non ita stupefaciat homines. *Ibid.*

91. Benevolentia, animus modestus, mansuetudo in uxoribus, istæ sunt pulchritudines. *Ibid.*

92. Maximis et innumeris incommodis pulchritudo subjecta est. Homil. 4 super II *ad Thess.*

93. Qui habet uxorem eximiæ pulchritudinis, nihil ea reputat esse deterius, quando illa pulchritudo suspicioni maxime præbet locum. Homil. 1 super II *ad Tim.*

94. Vis apparere pulchra? pulchritudinem corporis contemne, et animam orna. Homil. 28 super *Epist. ad Hebr.*

95. Et si totum mundum constituas, nihil in comparatione animæ pulchritudinis deputatur : illa pulchritudo semper floret. semper viget. *Ibid.*

96. Corporis pulchritudo fugit antequam clareat ; sed etiam cum apparet, nullos pudicos habet admiratores. *Ibid.*

97. Pulchritudinis corporis substantia est pituita, sanguis fluidus, atra bilis, succus cibi bene mansi : talibus pigmentis oculi, genæ, et reliqua membra venustantur. Epist. 5 *ad Theodor. laps.*

98. Vis pulchra et honesta videri? contenta sis Creatoris tui figmento. Quid aurea ornamenta inducis, tanquam figmentum Dei correctura? *Prosec.*

99. Vis decora et honesta apparere? indue misericordiam, indue benignitatem, indue temperantiam et animi modestiam. Cuncta hæc auro sunt pretiosiora, ista pulchritudinem quoque venustiorem efficiunt, ista etiam eam quæ formosa non est, formosam reddunt. Serm. 10 super *Epist. ad Coloss.*

100. Decor atque pulchritudo certamina, intendit, majoresque calumnias atque pericula, suspicionesque quamplures parit. *Prosec.*

101. Ea vero quam non hujusmodi decor illustrat, suspicione carebit : quæ autem formosa est, nisi magno studio, et nimia utatur continentia atque honestate, opinioni protinus pessimæ locum dabit. Homil. 4 super I *Tim.*

102. Nihil profecto habet amplius mulier, quæ formosa fuerit, quam deformis : sed ea merito plus habere pulchritudinis dicitur, quæ merito virtutis excellit. *Ibid.*

103. Quid est mulier pulchra? sepulcrum de- S. JOANNES
albatum, nisi pudicitia prædita sit : etenim pul- DAMASC.
chritudo et morbo flaccescit et morte interrumpitur. Lib. 1 *Parall.*, cap. 76.

104. Omnis pulchritudo mundi, a summa pul- JOAN.
chritudine formata est. Orat. 7 *in Conventu ab-* TRITH.
bat. habita.

105. Qui per amorem pulchritudinis creaturæ S. ISID. HISP.
a Creatoris forma se abstulit, rursum per creaturæ decorem ad Creatoris pulchritudinem revertatur. Lib. 1 *de Sum. bono*, cap. 4, sent. 2.

106. Omnis hominis pulchritudo non ex corpo- S. LAURENT.
rali, sed ex spirituali ejus natura provenit. *De* JUSTIN.
interiori conflictu, cap. 7.

107. Vera pulchritudo est spiritualis, et mentis LUDOVICUS
tantum oculo conspicitur. In *Speculo spirit.*, BLOSIUS.
cap. 3.

108. Quid est caro quantumlibet etiam pulchra et elegans appareat, nisi stercus, et putredo, et ingens fœtor? *Prosec.*

109. Si detrahatur pellis illa tenuissima, quæ magnam pulchritudinem præ se fert, jam ipsa caro tota deformis erit. In *Speculo spirit.*, cap. 4.

110. Forma vincit armatos, ferrum pulchritudo ORIGENES.
captivat, vincuntur specie qui non vincuntur prælio. Homil. 20 in cap. xxv, *Numer.*

111. Pulchritudo momentanea pene prius mar- PHILO JUD.
cescit quam floreat. *De Joseph.*

112. Quidquid speciosum videtur sensibus, a sola pulchritudine animæ, ut imperfectum vincitur. *De verbis: Respuit Noe.*

113. Venustate ac decore non indiget quod S. SYNESIUS
perfectum est. In *Encomio Calvitii.* EPISCOPUS.

114. Ubi pudicitia, ibi vacua est pulchritudo : TERTULL.
quia proprie usus et fructus pulchritudinis corporis est luxuria. *De cultu fœminar.*, cap. 3.

115. Dignitas formæ angelis Dei non est necessaria, quæ possidentibus est gravis, appetentibus exitiosa, conjunctis periculosa, exposita tentationibus, circumdata scandalis. *Ibid.*

116. In pulchritudine gloriari, vanissimum est THOMAS
et vitiosum. *De Discipl. claustr.*, cap. 12, sect. 2. A KEMPIS.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

117. Pulchritudo consistit in colore figuraque, ARISTOTEL.
oblectantibus moderatisque. Lib. 4 *Theolog.*, cap. 5.

118. Si quispiam dicat pulchritudinem inveniri in corpore; etiam dicimus quod illa est naturæ : sed pulchritudo animæ existit melior, ut a qua formositas naturæ procedit. *Ibid.*, cap. 5.

119. Formæ dignitas aut morbo deflorescit, aut vetustate extinguitur. Lib. 4 *de Arte rhet., ad Herenn.*

120. Sicut corporis est quædam apta figura membrorum cum coloris quadam suavitate, eaque dicitur pulchritudo : sic in animo opinionum judiciorumque æqualitas et constantia, cum firmitate quadam virtutem subsequens, aut virtutis vim ipsam continens, pulchritudo vocatur. Lib. 4 *Tusc. quæst.*, num. 31.

Vide etiam tit. *Animus*, sent. 57; *Aspectus*, sent. 85; *Beatitudo*, sent. 67; *Christus*, sent. 17; *Concupiscentia*, sent. 79; *Facies*, sent. 17; *Fucus*, sent. 20, 21, 32, 33; *Homo*, sent. 53; *Mensa*, sent. 24; *Meretricium*, sent. 82; *Mores*, sent. 50; *Oculus*, sent. 10; *Ornatus*, sent. 77, 78, 79; *Placere*, sent. 8; *Vita æterna*, sent. 34, 35.

PUNITIO.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Impunitate nutritur audacia. *De Noe et arca*, cap. 10.

S. ANTONIN. 2. Nullus punitur sine culpa, quia pœna est mensura culpæ : ubi autem non extat mensurandum, mensura locum non habet. Part. 1, tit. 20, cap. 1.

3. Licet videatur multis crudelitas punire reos ad mortem, et graviter punire crimina; non tamen crudelitas, sed justitia et charitas est. Part. 2, tit. 8, cap. 6, § 3.

S. ANTONIUS DE PADUA. 4. Vere peccans, alterius peccatum castigare non valet. Serm. *Dom. 4, post Trinit.*

S. AUGUST. 5. Quique magnopere observent, cum vindicant, ne nimium sit : cum ignoscunt, ne parum. *Prosec.*

6. Nihil puniant, quod non valeat ad melius, nihil indulgeant, quod vertat in pejus. Lib. 2 *de Ordine*, cap. 8.

7. Non frustra instituta sunt potestas regis, vis gladii cognitoris, ungulæ carnificis, arma militis, disciplina dominantis, severitas etiam boni patris, habent omnia modos suos, causas, rationes, utilitates. *Prosec.*

8. Hæc cum timentur, coercentur mali, et quietius inter malos vivunt boni. Epist. 54 *ad Macedonium.*

9. Nihil aliud agit, quem veraciter pœnitet, nisi ut id quod mali fecerit, impunitum esse non sinat. *Prosec.*

10. Eo modo sibi non parcenti ille parcit, cujus altum justumque judicium nullus contemptor evadit. Epist. 54 *ad Macedonium.*

11. Pertinet ad innocentis officium non solum nemini malum inferre, verum etiam cohibere a peccato, vel punire peccatum, ut aut ipse qui plectitur corrigatur experimento, aut alii terreantur exemplo. Lib. 19 *de Civit. Dei*, cap. 16.

12. Melius ordinatur natura, ut juste doleat in supplicio, quam ut impune gaudeat in peccato. *De natura boni*, cap. 9.

13. Ille justus punitor, qui non habet quod in illo puniatur : ille justus reprehensor, qui non habet quod in illo reprehendatur. Super *Psalm.* L, vers. 5 : *Tibi soli peccavi.*

14. Omnis iniquitas parva magnave sit, puniatur necesse est, aut ab ipso homine pœnitente, aut a Deo vindicante : nam quem pœnitet, punit seipsum, aut punis, aut punit : vis non puniat : puni tu. Super *Psalm.* LVIII, vers. 6.

15. Sæculi lætitia est impunita nequitia. *De verbis Dom.*, serm. 37.

16. Non est crudelitas punire reatum, sed justitia : non tyrannicum, sed divinæ rectitudinis judicium. Serm. 14 *ad Fratres in eremo.*

17. Nulli peccatori impunitas est relaxanda. Habet. in *Decretis Gratiani*, part. 2, causa 23, quæst. 4, can. *Duo*, § *Ita.*

18. Peccans creatura superior, a creaturis inferioribus punitur. Lib. 3 *de Libero arbitrio*, cap. 9.

19. Voluntas punitur, sive animi supplicio, sive corporis : ut quæ delectatur in peccatis, ipsa plectatur in pœnis. Epist. 49, quæst. 4.

20. Laudet misericordiam qui liberatur, non culpet judicium qui punitur. Epist. 106.

21. Deus nunquam ita punit voluntatem malam, ut naturæ perimat dignitatem. Lib. 8 *de Gen. ad litt.*, cap. 23.

22. Quibusdam punitis, plurimi corriguntur. *Ibid.*, lib. 11, cap. 1.

23. In miseria generis humani laudatur justitia punientis. Lib. 22 *de Civitate Dei*, cap. 24.

24. Si nullum peccatum nunc puniret aperte divinitas, nulla esse providentia Dei crederetur. *Ibid.*, lib. 1, cap. 8.

25. Merito malus punitur affectus, etiam cui non succedit effectus. *Ibid.*, lib. 16, cap. 4.

26. Deus nec justo, nec peccatori parcit, illum flagellando ut filium, illum puniendo ut impium. Lib. 22, *contra Faust.*, cap. 20.

27. Liberum arbitrium si non dedisset Deus, judicium puniendi nullum justum esse posset. *Contra Fortunatum*, disput. 2.

28. Humanæ leges puniunt peccata etiam a Deo remissa. Lib. 3 *de Anima et ejus orig.*, cap. 9.

29. Nullum Deus punit indignum. Lib. 5 *contra Julian.*, cap. 3.

S. BERNARD. SENENS. 30. Nulla in principatu bestia sævior, quam impunitas delinquendi. Serm. 20, art. 2, cap. 4.

S. BERNARD. 31. Non eris amore dignus, qui indignus castigatione censeris. Serm. 42 super *Cant.*

32. Non eris innocens, si aut punias eum cui forte parcendum esset; aut parcas ei qui fuerat puniendus. Lib. 2 *de Consid. ad Eugen. Pap.*

33. Impunitas injuriæ soboles, insolentiæ mater, radix impudentiæ. *Ibid.*, lib. 3.

34. Impunitas ausum parit, ausus excessum. *Ibid.*, lib. 4.

35. Malum impunitum esse non potest : si non punitur hic propria voluntate, punietur alibi sine fine. In *Declamat.*

BOETIUS. 36. Multo infeliciores improbi sunt injusta impunitate donati, quam justa ultione puniti. *Prosec.*

37. Sed punire improbos, justum : impunitos vero elabi, iniquum esse manifestum est. Lib. 4, *de Consolat. philos.*, prosa. 4.

S. CÆSARIUS ARELAT. 38. Justitia non punit, quod natura compellit. Homil. 5.

CLEM. ALEX. 39. Castigatio est bono et utilitati ejus qui castigatur. Lib. 1 *Pædag.*, cap. 8.

DIDYMUS. ALEX. 40. Si quis per ignorantiam labitur, hunc minime æquum est pœna affici : is demum supplicio affici debet, qui improba animi affectione peccat. Habetur apud D. Joannem Damascenum, lib. 2 *Parall.*, cap. 28.

S. DIONYS. AREOPAG. 41. Non est malum puniri, sed dignum esse supplicio, malum est. *De divin. nomin.*, cap. 4.

S. EUSEBIUS CÆSARIENS. 42. Punire malum, charitas est. Epist. *ad Damas. Pap. de morte D. Hieron.*

FRANCISCUS TITELMAN. 43. In eo in quo quis offendit, dignus est puniri. In *Elucidat.*, super cap. XXXI *Job.*

GELAS. PAP. 44. Semel in abolitione remissa punitio, recidivo dolore non debet iterari. Epist. *ad Geruntium, Joannem, Germanum et Petrum episcopos.* Habetur in *Decretis Gratiani*, part. 2, causa 23, quæst. 4, can. *Si illic.*

GLOSS. DEC. 45. Commissum est sceleratius, quod punitur durius. In *Decretis Gratiani.*

GLOSS. INT. 46. Non solum qui faciunt, puniuntur; sed et qui consentiunt facientibus. Super *Levit.*, cap. 20, in illud : *Qui consenserunt ei.*

GLOSS. ORD. 47. Nescit impius mala quæ fecit, nisi cum puniri cœperit. Super *Job*, 17 : *Cum reddiderit, tunc sciet.*

48. Maxima consolatio iis est, qui puniuntur, punientis Dei cognitio. Super illud *Ezech.* 7 : *Et scietis quia ego Dominus.*

GLOSS. INT. 49. Qui æqualiter peccant, æqualiter punientur Super *Oseam*, cap. 4.

GRATIANUS 50. Nihil prodest alicui non puniri de proprio, qui puniendus est de alieno peccato. In *Decret.*, part. 1, dist. 86, can. *Facientis.*

51. Magis diliguntur illi, qui puniuntur, quam qui impuniti relinquuntur. *Ibid.*, part. 2, can. *Si non*, § *Quod vindicta.*

S. GREGOR. MAGNUS. 52. Uniuscujusque nequitia eo fit ad perpetrandum facilis, quo difficilis ad puniendum. Lib. 33, *Moral.*, cap. 4.

53. Omnis per quem necesse est aliena vitia corrigi, semetipsum prius debet solerter intueri, ne dum aliorum culpas ulciscitur, ipse ulciscendi furore superetur. *Prosec.*

54. Plerumque mentem sub obtentu justitiæ, iræ immanitas vastat : et dum quasi sævit zelo rectitudinis, rabiem explet furoris, justeque se facere æstimat quidquid ira nequiter dictat. *Ibid.*, lib. 26, cap. 28, num. 36.

55. Melius est pro multorum salute, ut unus condemnetur, quam per unius licentiam multi periclitentur. Lib. 12, in *Registro*, indict. 7, cap. 31, epist. 31, *ad Felicem episcopum Siciliæ.*

S. HIERON. 56. Non est crudelitas, pro Deo crimina punire, sed pietas. In *Regula monachor.*, cap. 6 *de Correctione.*

57. Homo ad hoc punit, ut perdat : Deus ad hoc corripit, ut emendet. Lib. 3, super *Oseam*, cap. 11, super illud: *Quomodo dabo te, Ephraim?*

HUGO A S. VICTORE. 58. Melius est pro multorum salvatione, ut puniatur unus, quam per unius exemplum plurimi periclitentur. Super *Regul. D. August.*, cap. 7.

HUGO CARD. 59. Dominus semper punit citra meritum peccatoris, et tamen juxta debitum, id est, quantum debet, et quantum prævidit. Super *Num.*, cap. 15.

60. Dominus punit malos pœna particulari, ut aliis qui non puniuntur, licet sint mali, corrigantur. *Prosec.*

61. Quandoque punit malos generaliter, et tunc bonos jubet separari a malis, ne involvantur a pœna, et ut cautiores fiant visa pœna malorum. *Ibid.*, cap. 16.

62. Justos misericorditer hic punit Deus, ne puniat in futuro, vel ut minus puniat. Super *Deut.*, cap. 8.

63. Justum est, ut per quæ quis peccat, per hæc et torqueatur. Super *Prov.*, cap. 20.

64. Non est voluntatis Dei mors nostra, sed salus : quia ejus proprium est misereri, et coactus punit. Super *Ezech.*, cap. 18.

65. Deus punit ex justitia, et Deus punit ex misericordia. Super *Epist. ad Romanos*, cap. 9.

S. JOANNES CHRYSOST. 66. Malum peccanti non est, eo quod punitur : sed hoc malum est, eo quod cum peccando male habeat, non punitur. Serm. 9 super *Epist. ad Rom.*

67. Punitio mater est salutis. Homil. 14, super II *Cor.*

68. Deum offendisse, quam puniri gravius est. Homil. 48 *ad Populum Antioch.*

69. Beatus ille maxime est, qui hic punitur, ut omnibus abjectis delictis, probatus et purgatus hinc exeat, et innocens. Homil. 5 super *Epist. ad Hebr.*

70. Sponte nostra peccata puniamus, ne pendamus non sponte supplicia. *Ibid.*, homil. 31.

S. JOANNES DAMASC.

71. Non ii duntaxat, qui impie se gerunt, puniuntur : sed ii etiam, qui cum alios ab impietate abducere queant, ob segnitiem tamen ac socordiam id facere recusant, eadem pœna afficiuntur. Lib. 1 *Parall.*, cap. 12.

LACT. FIRM.

72. Judex integer ac bonus dicitur, cum indifferenter malefacta vindicat. *De Ira Dei*, cap. 17.

73. Bonorum salutem custodit, qui malos punit. *Ibid.*

74. Nemo prudens punit, quia peccatum est : sed ne peccetur, punit. *Ibid.*, cap. 18.

PETRUS BLESENS.

75. Impunitas est negligentiæ filia, contumaciæ mater, radix peccati, nutrix adulterii et incestus, mortis æternæ præambula, præparatrix inferni. Tract. *de Inst. episc.*

76. Per impunitatem, impiorum malitia convalescit; per hanc in suis stercoribus miseri computrescunt. *Ibid.*

PHILO JUD.

77. Quid opus est pœnas ab insontibus exigere? Qui solus peccavit, solus puniatur. Lib. *de Joseph.*

SALVIANUS.

78. Ipse sibi parat peccator quod patitur : nihil itaque, nihil in nos crudelius nobis : nos, inquam, nos etiam Deo nolente cruciamus. *Prosec.*

79. Cum dixerim ob peccata nostra nos puniri a Deo, nunc dicam nos puniri a nobisipsis : utrumque verum est.

80. A Deo quippe punimur, sed ipsi facimus ut puniamur : cum autem punire nos ipsi facimus, cui dubium est, quin ipsi nos nostris criminibus puniamus?

81. Quia quicunque dat causam qua puniatur, ipse se punit. Lib. 8 *de Gubern. Dei.*

S. SYNESIUS EPISCOPUS.

82. Impunitum esse, inter mala connumerari et dicitur et auditur : igitur punitum esse, in bonis censebitur. Epist. 44 *ad Joan.*

S. THEODOR.

83. Maxima consolatio iis est, qui puniuntur, punientis Dei cognitio. Sectione 2 super *Ezech.*, in illud : *Et scietis, quia ego Dominus.*

S. THOMAS AQUINAS.

84. Punitio malorum est acerba, justa, et diuturna. Super II *ad Thessalon.*, cap. 1, lectione 2.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO.

85. Prohibenda maxime est ira in puniendo : nunquam enim tantum iratus, qui accedet ad puniendum, mediocritatem illam tenebit, quæ est inter nimium et parum. Lib. 1 *Offic.*

86. Optandum est, ut hi qui præsunt reipublicæ, legum similes sint, quæ ad puniendum, non iracundia, sed æquitate ducuntur. *Ibid.*

87. Qui injuste agunt, puniantur, ut illorum exemplo cæteri pœnarum illis inflictarum terrore concutiantur. Sizygia 2, in *Dialogo Protagoræ.*

88. Nemini unquam scelus impune cedat : sed vel exilio, vel morte, vel vinculis, vel verberibus luat. Sizygia 4, lib. 9 *de Legib.*

PLINIUS II.

89. Quantum admisit reus, tantum est vindicandum. Lib. 2, epist. 11 *ad Arrianum.*

SENECA.

90. Aliquando castigatio necessaria est, sed hæc sincera, cum ratione : non enim nocet, sed medetur specie nocendi. Lib. 1 *de Ira*, cap. 5.

91. Nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur. *Ibid.*, cap. 16.

92. Satis est pœnarum, potuisse puniri. *De Moribus.*

SIXTUS PHILOSOPH.

93. Execrabile tibi sit, etiam juste, vindicandi scilicet causa, aliquid punire. *Sententia* 252.

Vide etiam tit. *Correctio*, sent. 52; *Exemplum*, sent. 59; *Finis*, sent. 43; *Iniquitas*, sent. 62; *Invitus*, sent. 37; *Judicium in genere*, sent. 46; *Justitia Dei*, sent. 16; *Mandatum Dei*, sent. 29; *Pastor*, sent. 11; *Peccatum in genere*, sent. 155, 233, 371; *Pœna*, per totum; *Prælatio*, sent. 104; *Regimen*, sent. 55, 56; *Remuneratio*, sent. 9.

PURGATORIUM.

S. BONAV.

Definitio. Ignis purgatorius est ignis corporalis, quo tantum spiritus justorum, qui in hac vita non impleverunt pœnitentiam et satisfactionem condignam, affliguntur. Part. 7 *Breviloquii*, cap. 2.

HUGO A S. VICTORE.

Purgatorius ignis est locus in prima correctione minus correctorum, et in secunda perficiendorum. Lib. 1 *de Sacramentis*, part. 8, cap. 2.

HUGO CARD.

Ignis purgatorii est, ubi purgabitur quod hic non purgatur. Super *Matth.*, cap. III.

JOAN. GERS.

Purgatorium est carcer, in quo detinentur amici nostri, et parentes nostri mortui. Part. 4, serm. 2 *pro Defunctis.*

RICHARD. A S. VICTORE.

Purgatorius ignis est, per quem in salvandis peccati rubigo consumitur. Part. 1 *de Judiciaria potestate.*

S. VINCENT. FERRAR.

Purgatorium est domus plena ignis, qui virtute divina cruciat animas magis, quam si essent in furno ardenti. Part. 1, serm. 2 *Dom. Sexagesimæ.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ALBERTUS MAGNUS.

1. Ad proximos, qui sunt in purgatorio, vera habenda est compassio, ut eos a tanta acerbitate pœnarum, quas sustinent, dignetur Deus eripere, *De Paradiso animæ*, part. 1 *de Virtut.*, cap. 12.

S. AMBROS.

2. Videmus quosdam aliquibus peccatis obnoxios virginitatem corporis usque ad mortem servasse, quos credimus per ignem purgatorium esse

purgandos, ut in justorum numero quandoque adscribi mereantur. Super *Apocal.*, cap. XIV.

3. Multos fine mundi instante ignis purgatorius purgando cremabit, sed ante judicium absoluti, in sanctorum collegio recipientur. *Ibid.*, cap. XX.

4. Sicut aurum quod ex aliis permixtionibus sordidum efficitur, per ignem purgatur : ita et defuncti a sordibus, quas ex mundanis actibus contraxerunt, per ignem purgatorii mundantur. *Ibid.*, cap. XXI, in illud : *Habens fundamenta duodecim.*

S. ANTONIN. 5. Animæ cum separantur a corporibus, quia secum portant aliquid infectionis : vadunt ad locum temporalis purgationis. Part. 1, tit. 5, cap. 5.

6. Sciendum est quod cum anima recedit a corpore, si non est plene purgata, et libera ab omni culpa, et debito pœnæ, non est idonea ad intrandum regnum cœleste : sed est medius locus, qui purgatorium dicitur, quo destinatur ob sui purificationem ad tempus. *Ibid.*, cap. 5, § 1.

7. Sunt quatuor animarum pœnæ, quæ sunt in purgatorio : prima est ex privatione visionis Dei ad tempus; secunda est ex insultatione et visu dæmonis; tertia est ex cruciatione materialis ignis; quarta est ex consideratione negligentiæ subventionis. *Ibid.*, cap. 5, § 1.

8. Animæ educuntur de purgatorio, primo, per modum intercessionis; secundo, per modum redemptionis; tertio, per modum propriæ solationis; quarto, per modum alienæ pro eis afflictionis. *Ibid.*, cap. 5, § 3.

9. Sicut sub eodem igne aurum rutilat, et palea fumat : sic idem ignis et reprobos cruciat et electos purgat. Part. 1, tit. 8, cap. 1, § 4.

10. Duabus causis anima recedens a corpore sustinet pœnam purgatorii, vel quia moritur cum venialibus, vel ex eo quod quis non satisfecit plene pœnis debitis pro peccatis suis, moriens tamen in gratiæ statu. *Ibid.*, tit. 10, cap. 2, § 1.

S. AUGUST. 11. Nonnullos fideles latet per ignem purgatorium, quanto magis minusve bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius citiusve salvari. In *Enchirid.*, cap. 69.

12. Qui agrum non coluerit, id est, animam suam non mundaverit, et spinis eum opprimi permiserit, habebit in hac vita maledictionem terræ suæ, et post hanc vitam habebit vel ignem purgatorium, vel pœnam æternam. Lib. 2 *de Genesi, contra Manich.*, cap. 20.

13. Nec purgatorium sentiunt, qui in fine baptizantur. *De vera et falsa pœnit.*, cap. 17.

14. Prius purgandus est in igne purgationis, qui in aliud sæculum distulit, fructum conversionis. *Ibid.*, cap. 18.

15. Ignis purgatorius et si æternus non sit, miro tamen modo est gravis : excellit enim omnem pœnam, quam unquam passus est aliquis in hac vita. *Ibid.*

16. Nunquam in carne tanta inventa est pœna, quanta in purgatorio, licet mirabilia passi sint martyres tormenta, et multi nequiter iniqui tanta sustinuerint supplicia. *Ibid.*

17. Studeat quilibet sic delicta corrigere, ut post mortem non oporteat pœnam purgatorii tolerare. *Ibid.*

18. Gravior est ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita. Super *Psalm.* XXXVII.

19. Ita peccata in hoc sæculo purgentur, ut in futuro ignis purgatorius, aut non inveniat, aut certe parum inveniat quod exurat. Serm. 4 *pro Defunctis.*

20. Tamdiu in illo purgatorio igne moras habebimus, quamdiu peccata minuta, tanquam ligna, fœnum, stipula consumantur. *Ibid.*

21. Ille purgatorius ignis durior erit, quam quidquid potest in hoc sæculo pœnarum videri, aut cogitari, aut sentiri. *Ibid.*

22. Domine, in hac vita purges me, et talem me reddas, cui jam emendatorio igne non opus sit. Super *Psalm.* XXXVII.

23. Incredibile non est nonnullos fideles per ignem quemdam purgatorium, quanto magis minusve bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius citiusque salvari. *De octo Dulcitii quæstionibus*, quæst. 1.

24. Infans si sacramenta mediatoris acceperit, nulla post mortem purgatoria tormenta patietur. Lib. 21 *de Civitate Dei*, cap. 16.

25. Terrenas deserere sortes, et necdum obtinere cœlestem, afflictio intolerabilis est, et inconsolabilis dolor. In *Declamat.* S. BERNARD.

26. Tria sunt loca, quæ mortuorum animæ pro diversis meritis sortiuntur : infernus, purgatorium, cœlum : in inferno impii, in purgatorio purgandi, in cœlo perfecti. *Prosec.*

27. Quia primi redimi non possunt, tertii redemptione non indigent, restat ut ad medios transeamus per compassionem, quibus juncti fuimus per humanitatem. Serm. *de Quinque negotiat.*

28. Heu! utinam mille annis potius in purgatorii igne essem cruciandus, quam Dominus Jesus a me esset offensus. Serm. 3 *in Cœna Domini.*

29. Quædam supplicia post defunctum morte corpus relinqui manifestum est, et magna quidem : quorum alia pœnali acerbitate injustis, alia vero purgatoria, scilicet justis. Lib. 4 *de Consolat. philos.*, prosa 4. BOETIUS.

S. BONAV. 30. Quanto minus satisfaciunt in mundo, tanto plus tarde conversi ardebunt in purgatorio. Serm. in die *Cinerum*.

31. Quid mirum, si perfecti purgatorium non transeant, qui purganda omnia vitant, et fugiunt. Serm. 12 *Pent.*

32. Qui est in statu salutis, et sufficienter se in præsenti non punit, ad ignem purgatorii, velit nolit, perveniet. Serm. 1 *de S. Laurentio.*

33. Ignis purgatorii pœna est gravior, quam quidquid in hac vita portari ab aliquo potest : et est hac præsenti diuturnior, et est hac temporali pœna infructuosior. *Ibid.*

34. Animabus purgandis carcer purgatorii reddit meritum impossibile, jugum ineffugabile, debitum insolubile, incendium intolerabile. Serm. *de Animabus.*

35. Nemo ad forum purgatorii admittitur, qui forum Ecclesiæ contempsit. Super lib. 4 *Sent.*, dist. 17, part. 1, art. 1, quæst. 4.

36. Pœna purgatorii est maxima pœnarum omnium, quas sustineat anima carni modo conjuncta. *Ibid.*, dist. 20, part. 1, art. 1, quæst. 2.

37. Gravissima pœna, quæ in hoc mundo tolerari potest, minor est pœna purgatorii. Tit. 10 *Diætæ*, cap. 1.

S. BRUNO. 38. Multi in diuturna pœna purgatoria usque in diem judicii punientur. Super *Psalm.* VI, vers. 1.

S. CÆSARIUS ARELAT. 39. Illo transitorio igne, non capitalia, sed minuta peccata purgantur. Homil. 8.

40. Quicunque aliqua de peccatis criminalibus in se dominari cognoverit, nisi digne pœnitentiam egerit, et a peccatis ipsis abstinuerit, illo transitorio igne purgari non poterit, sed æterna flamma cruciabitur. *Ibid.*

41. Quidquid de minutis peccatis a nobis redemptum non fuerit, illo igne purgandum est. *Ibid.*

42. Ita peccata in hoc sæculo purgentur, ut in futuro ille ignis purgatorius, aut non inveniat, aut parum inveniat quod exurat. *Ibid.*

43. Ipse purgatorius ignis durior erit, quam quidquid potest pœnarum in hoc sæculo, aut cogitari, aut videri, aut sentiri. *Ibid.*

CASSIODOR. 44. Iste ignis non consumptorius, sed purgatorius est : datur enim argenti exemplum, quod igne ideo decoquitur, ut purius inde reddatur. Super *Psalm.* LXV, vers. 9.

S. CYRILLUS HIEROSOL. 45. Si omnes, quæ in mundo sunt, cogitari possunt, pœnæ, tormenta, afflictiones, minori quæ in purgatorio habetur pœnæ et tormento comparentur, solatia erunt. *Prosec.*

46. Mallet quilibet viventium, si illas experientia nosceret pœnas usque ad finem mundi omnibus his simul sine remedio cruciari pœnis, quas omnes homines ab Adam huc usque sigillatim pertulerunt, quam uno die in purgatorio, minori quæ illic habetur pœna torqueri. Epistola *ad Augustinum, de miraculis Divi Hieronymi.*

47. Nihil inter se differunt, quia eadem sunt magnitudine pœnæ purgatorii et inferni : sed unum est, quod differre possunt, quia infernales finem non expectant, et purgatorii pœnæ sunt cum fine. *Ibid.*

DIONYSIUS CARTHUS. 48. Qui non discessit a fundamento, nec aliquid prætulit Deo, sed ultimo fini magis inhæsit, quam alicui bono creato : si a terrenis non fuerit satis mundatus, per ignem purgatorii transibit ad gloriam. Super *Epist.* I *ad Corinth.*, cap. III, art. 3.

49. Damnatorum Christus caput non est, sed existentium in purgatorio caput veraciter appellatur. Super *Epist. ad Ephesios*, cap. I, art. 1.

50. Defuncti salvandi in locis purgatoriis sunt, ubi angeli boni ad eorum consolationem descendunt. Super *Apocalypsin.*, cap. V, art. 6.

S. ELIGIUS. 51. Ignis transitorius est, ignis purgatorius Homil. 8.

S. EUSEBIUS EMISSENUS. 52. Quanta fuerit peccati materia, tanta erit pertranseunti mora. *Prosec.*

53. Quantum accreverit culpa, tantum sibi ex homine vindicabit flammæ rationabilis disciplina.

54. Et quantum stulta iniquitas gessit, tantum sapiens purgatorii pæna desæviet.

55. In illos vero sævis æstibus nil licebit, quos ante libidinum flamma non attigit : et quibus puritas contulit reverentiam, inferre nesciet rationabilis ardor injuriam. Homil. 3 *Epiph.*

56. Flamma purgatorii non tam reum persequitur, quam reatum : et si modus fuerit delictorum, erit et mensura cruciatuum. Homil. 1 *ad Monachos.*

GLOSS. DEC. 57. Purgatorii pœna excedit omnem pœnam, quam hic quis possit sustinere. In *Decret. Gratiani.*

GLOSS. ORD. 58. Omnes oportet per ignem probari, quicunque ad paradisum redire desiderant. Super *Ecclesiastic.*, cap. III.

59. Ignis tamdiu durabit, quousque purgati sint, qui salvandi erunt. Super I *Cor.*, cap. III.

60. Hunc ipsum ignem purgatorium credimus in quo purgantur animæ, perinde atque aurum in conflatorio. *Ibid.*, cap. 3.

61. Credimus hunc ignem esse καθαρσίμον, id est, expiatorium, in quo defunctorum animæ purgantur et repurgantur, sicut aurum repurgatur a scoria in fornace. *Ibid.*

62. Sancti, si quid eis purgandum sit per ignem purgabuntur. Super II *Petr.* III.

S. GREGOR. MAGNUS.

63. Sunt quorumdam justorum animæ, quæ a cœlesti regno quibusdam adhuc mansionibus differuntur. Lib. 4 *Dialogi*, cap. 25.

64. De quibusdam levibus culpis esse ante judicium purgatorius ignis credendus est. *Ibid.*, cap. 39.

65. Post hujus vitæ exitum, alii flammis expiantur purgatoriis, alii sententiam æternæ subeunt damnationis. Super *Psalm. septem Pœnitentiales*, in *Psalm.* III.

66. Illum purgatorii transitorium ignem, omni tribulatione æstimo præsenti intolerabiliorem. *Ibid.*

67. Qui perfectionem bonæ voluntatis habuerunt in confessione peccati, post mortem purgatoria pœna peccati ad vitam transeunt, si ad delenda peccata sufficientem vim amoris nequaquam habuerunt. Lib. 2 in I *Reg.*, cap. 3, super illud II : *Ut offerat nummum argenteum.*

68. Qualis hinc quisque egreditur, talis in judicio præsentatur : sed tamen de quibusdam levibus culpis esse ante judicium purgatorius ignis, credendus est. Lib. 4 *Dialogi*, cap. 39.

69. Post mortem purgatoria pœna peccati ad vitam transeunt, si ad delenda peccata sufficientem vim amoris hic nequaquam habuerunt. Lib. 2 in I *Reg.*, cap. 3, super illud *Luc.* XXIII : *Hodie mecum eris in paradiso.*

S. GREGOR. NYSS.

70. Vitia post obitum per expurgantis ignis fornacem expiantur, ut ad pristinam redire valeat anima felicitatem. *De Mortuis.*

71. Non poterit divinitatis particeps fieri e corpore animus egressus, nisi maculas sibi immixtas purgatorius ignis abstulerit. *Ibid.*

72. Necesse est, ut dum vitiositas purgatorio igni absumitur, anima quoque, quæ cum vitiositate unita est, in igne sit. *De Anima et resurrectione.*

S. HIERON.

73. In diversa ministeria angeli mittuntur, maximeque ad eos qui purgatione indigent, et ob pristina peccata, aliqua ex parte suppliciis purgari merentur. Epist. 20 *ad Damas. Pap.*

74. Christianorum opera in igne probanda sunt, atque purganda. In fine *Commentar. in Isaiam.*

75. Genus humanum dum a vermibus consumitur, purgatorio igne examinatur. Super *Marc.*, cap. IX, can. 10, num. 101, super illud : *Et omnis victima.*

HUGO A S. VICTORE.

76. Perfecti statim ad cognitionem summi boni transeunt, in quo est æterna beatitudo : minus autem perfecti antequam ad æternam beatitudinem perveniant, per pœnas purgatorias transeunt. *De quæst. circa Epist.* I *ad Cor.*, quæst. 4.

77. Minutissima pœna purgatorii, gravior est qualibet pœna temporali. *Ibid.*

78. Firmiter credere debemus, quod nullum peccatum sine vindicta relinquitur : aut enim hic per pœnitentiam unusquisque peccatum suum delet, aut Dominus pie per flagellum suum purgat, aut post mortem igne purgatorio purgabitur, aut in ignem descendet æternum. Lib. 4 *de Anima*, cap. 17.

79. Ignis purgatorius recte terra plena correptione et correctione Domini dicitur : quia in eo plenariam correptionem Domini sentiunt, et correctionem accipiunt, qui in hoc mundo a peractis peccatis recedentes, plenaria satisfactione se purgare neglexerunt, vel certe morte præventi non potuerunt. Serm. 68 *de Divers.*

80. Est quædam pœna post mortem, quæ purgatoria dicitur; in qua qui ab hac vita cum quibusdam culpis (justi quidem, et ad vitam prædestinati) exierunt, ad tempus cruciantur, ut purgentur. Lib. 2 *de Sacram.*, part. 16, cap. 4.

81. Post mortem ignis quidam purgatorius dicitur, ubi purgantur et mundantur qui hic corrigi cœperunt, et non perfecerunt : qui autem in hac vita nec incipere voluerunt, ibi consummare non possunt. *Ibid.*, part. 14, cap. 3.

82. Durum est purgatorii tormenta vel ad modicum sentire. *Ibid.*

HUGO CARD.

83. Qui pro Christo terrena abjiciunt, non statim cum moriuntur, ad cœlum evolant, sed quandoque igne purgantur. *Prosec.*

84. Qui vero pro Christo moriuntur, statim in cœlum ascendunt; quia face martyrii resecatur quidquid purgandum erat. Super *Matth.*, cap. V.

85. In mundo magna est tribulatio, sed major erit in purgatorio, et maxima in inferno. Super *Apocal.*, cap. 7.

S. INNOC. III.

86. Salvabuntur, qui transibunt per ignem purgatorii. Super *Psalm.* XXXVII, vers. 1.

87. Domine, non punias me in purgatorio igne, in quo tanta erit incendii vehementia, quod quasi furere videberis : cum minor pœna quæ erit in purgatorio censeatur major quantalibet pœna, quæ est in hoc mundo. *Ibid.*

JOAN. GERS.

88. Si peccator tardaverit agere pœnitentiam in hac præsenti vita, ille adjudicabitur vel pœnitentiæ severæ et formidabili in purgatorio, vel pœnitentiæ infructuosæ et horribili in inferno. In prima lect. *de Pœnit.*

JOAN. TRITH.

89. Venialia deleri confidimus in purgatorio. Super *Prolog. Regul. S. Bened.*, cap. 2, tex. 16.

90. Nemo vestrum dicat, quod plures imperiti homines dicere consueverunt : Sufficit mihi, si anima mea purgatorii pœnas consecuta fuerit. *Prosec.*

91. Credite mihi, fratres, quicunque hoc ver-

bum ex animo dixerit, quid futurum sit purgatorium, non perpendit.

92. Nescit enim quid petat qui purgatorium desiderat. Stultissimus omnium hominum est merito judicandus, qui satisfacere in hac vita cum posit Deo pro peccatis, differt ad futuram. Lib. 1, homil. 13, *ad Monachos*.

GENES. 93. Sicut diaboli et omnium negatorum atque impiorum credimus æterna tormenta : sic peccatorum et tamen christianorum, quorum probanda sunt atque purganda in igne opera moderatam arbitramur et mixtam clementiæ sententiam judicis. Homil. 10 *in Diversis*.

R. BLES. 94. Pro purgatorio mihi est vicissitudo febrilis caloris et frigoris : spero autem in eo, qui spes nostra est, quod non consurget duplex tribulatio. Epist. 31, *ad Abbat. de Fontanis*.

95. Hi, qui cum ligno, fœno, et stipula de mundo transeunt, in purgatorio poliuntur. *Ibid.*, serm. 35 *de Festo omnium Sanctorum*.

96. Fideles cum transierint, quod humidum erit in eis, igne purgatorio siccabitur. *Ibid.*, serm. 40.

IARD. A ICTORE. 97. Quia nullum peccatum est impunitum, oportet ut expietur, aut in hac vita juxta arbitrium sacerdotis per dignum pœnitentiæ fructum, aut in vita futura, juxta divinum arbitrium per ignem purgatorium. Part. 1 *de Potest. ligandi et solvendi*, cap. 6.

98. Per incendium purgatorii ignis, scoria peccati excoquitur. *Ibid.*, cap. 25.

BERTUS RBONA. 99. Si paradisum velis ingredi, et in vita non plene satisfeceris, oportet ut illum ignem purgatorii sentias. In *Libello itineris paradisi*.

100. Pœnitentiam, quam justus in vita sua præsenti complere non poterit, in purgatorio perficiet. *Ibid*.

HOMAS UINAS. 101. Pœna purgatorii temporalis est, quamvis quantum ad æternam retributionem nullus defraudari possit, nisi per propriam culpam. In *Supplem.*, part. 3, quæst. 71, art. 6.

102. Certum est post hanc vitam esse quasdam purgatorias pœnas, quibus pœnitentiæ implentur non impletæ. In *Compendio theologiæ*, cap. 181.

103. Pœna purgatorii est gravissima propter conditionem patientis animæ. Super 4 *Sent.*, dist. 21, art. 1, ad. 4.

104. Longæ vigiliæ, longæ lectiones, horæ diurnæ, silentium, labor et jejunium, breve faciunt purgatorium. Serm. 6 *ad Novit.*, divis. 3.

OMAS A MPIS. 105. Melius est modo purgare peccata, quam in futuro purganda reservare : habet magnum et salubre purgatorium patiens homo, qui suscipiens injurias, plus dolet de alterius malitia quam de sua injuria. Lib. 1 *de Imitatione Christi*, cap. 24, sect. 2.

106. Melius est nunc parum et salubriter pungi, quam postea tam acerba luere tormenta purgatorii. In *Soliloq. animæ*, cap. 3, sent. 3.

S. VINCENT. FERRAR. 107. Illi qui purgatorium negant, contra divinam justitiam loquuntur, et propter hoc erroneum est, et a fide alienum. Serm. 3 *Dom.* 1 *Advent.*

108. Pœna purgatorii minima, excedit maximam pœnam hujus vitæ. *Ibid.*

109. Christus intrans purgatorium, omnes animas liberavit. Serm. *in Sabbato sancto*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 110. Solutio animæ vinclis corporis, est causa ascensus illustrationisque : descensio obscurationis, quæ nihilominus purgata sursum ascendit : atque hujus descensionis causæ sunt plurimæ; quarum prima est peccatum commissum ab anima, quapropter descendit ad luendam pœnam. Lib. 1 *Theolog.*, cap. 5.

PLATO. 111. Qui sanabilibus quidem magnis peccatis obnoxii esse constiterint, et in reliqua vita egerint pœnitentiam, in tartarum incident; postquam autem ibi annum, vel plus, vel minus, ut purgentur, fuerint commorati, tum egrediuntur, et ab illis malis liberantur, atque solvuntur tanquam carceribus quibusdam; in superiorem vero illam puramque regionem, quæ terræ supereminet, in qua ad incolendum sedes sunt illis constitutæ, perveniunt, quas non est facile explicare. Sizygia 1, in *Dialogo Phædonis*.

SIXTUS PHILOSOPH. 112. Male viventes, cum e corpore excesserint, cruciabit malus dæmon, usquequo etiam novissimum quadrantem exigat ab eis. *Sent.* 34.

PURITAS.

HUGO A S. VICTORE. *Definitio*. Munditia seu puritas, est consummata integritas utriusque hominis intuitu divini vel amoris, vel timoris. *De Fruct. carnis et spirit.*, cap. 16.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Possessio pretiosa, homo mundus. Super *Psalm.* XXXVII.

S. ANTONIN. 2. Puritas in creatura rationali, est Deo gratissima : in qua tamquam in suo consimili congaudet et quiescit. Part 4, tit. 4 *de Temperant.*, cap. 6, § 1.

S. AUGUST. 3. Ad majora mentem, nisi pietas puritasque non perducit. *De Moribus Manichæorum*, cap. 7.

4. Mens pura et sancta paradisus est deliciarum, variis bonorum operum virgultis consita, variisque virtutum floribus purpurata, et suaviter cœlesti gratia irrigata. Serm. 10 *ad Fratres in eremo*.

5. Nullus est in hac vita sic mundus, ut non sit magis, magisque mundandus. Tract 80 super *Joan.*

6. Mundissimo Domino, mundissima debetur habitatio. Lib. *Medit.*, cap. 35.

S. BERNARD. 7. Tria sunt necessaria puritati : integritas actionis, simplicitas intentionis, tranquillitas devotionis. In suis *Sententiis*, cap. *Tria.*

8. Puritas tria confert : spiritum libertatis, gaudium securitatis, firmitudinem charitatis. *Ibid.*, cap. *Puritas.*

9. Puritatis intimæ bono gloriari non potest veraciter, nisi qui extrinsecus gloriolas perfecte respuerit. Epist. 42, *ad Henricum Senonensem archiepiscopum.*

10. O vere felices! qui Christo, non solum animi, sed etiam corporis munditiam consecraverunt. Lib. *de Passione Domini*, cap. 30.

S. BONAV. 11. Puritas via est regia, per quam ad sponsi amplexus, per quam tandem ad patriam pervenitur. In *Speculo discipl.*, part. 2, cap. 6.

CASSIODOR. 12. Illud recte speciosum dicitur, quod gratia mundissimæ puritatis ornatur. Super *Psalm.* XLIV, vers. 3 : *Speciosus forma.*

DIDYMUS. ALEX. 13. Mens pura et sermo purus, thronus ac templum verum Dei est. Habetur apud D. Joannem Damascenum, lib. 2, *Parall.*, cap. 78.

GILLEBERT. ANGLUS. 14. Puritas veritatis socia est, et comes est, et prævia est. Serm. 5 *super Cant.*, *apud. D. Bernard.*

GLOSS. ORD. 15. Non est purus, qui mala ageret, si liceret. Super *Job*, cap. IX.

S. GREGOR. MAGNUS. 16. Nihil est ad defendendum puritate tutius. Part. 3 *Pastor.*, cap. 1, admonit. 12.

17. Omnipotenti Deo reus est, qui in omni quod agit et loquitur, purus non est. Lib. 2 in *Registro*, indict. 11, cap. 100, epist. 61, *ad Mauritium augustum.*

S. GREGOR. NAZ. 18. Nihil adeo puro est dignum, quemadmodum puritas et purgatio. Orat. 2 *in præsentia S. Basilii.*

19. Abominabile est, quæ pura sunt, impura manu contingere. Super *Ecclesiasten*, cap. VII.

S. GREGOR. THAUMAT. 20. Res maculæ omnis expertes, impura manu contrectare, nefarium et execrabile est. Super *Eccles.*, cap. VII.

S. HIERON. 21. Tota puritas debet in christianis esse, sicut Deus pura lux est. Super *Epist. ad Tit.*, cap. 12, in illud : *Dilectio sine simulatione.*

HUGO A S. VICTORE. 22. Puritas esse non potest, nisi ubi verum est; puritas in vero. Lib. 7 in cap. 7 *Cœlestis hierarch.*

23. Ubi est puritas mentis, ibi non apparet pulvis terrenæ cupiditatis. Lib. 3 *de Claustro animæ*, cap. 23.

HUGO CARD. 24. Maxime inter lilia puritatis satiatur et delectatur sponsus Christus, et aspectu pulchritudinis, et odore suavitatis: et tactu lenitatis. Super *Cant.*, cap. II.

25. Puritas cordis in duobus consistit scilicet : in quærenda gloria Dei; in quærenda utilitate proximi. Super I *Tim.*, cap. I.

JOAN. CA 26. Quidquid potest mentis puritatem turbare, quamvis utile ac necessarium videatur, ut noxium evitandum est. Collat. 1, *Abbat. Moysis*, cap. 7.

S. JOAN. CHRYSO 27. Optimum institutum est vita pura, hoc unum fundamentum est virtutis : quod qui recte jecerit, facile consequetur alia omnia. Homil. 60, super *Gen.*

28. Ipsa luce mundior est, et illustrior vitæ puritas. Homil 24 *ad Populum Antioch.*

JOAN. TRITH 29. Non potest servari puritas mentis, sine custodia corporis. Super *Prolog. Regul. S. Benedicti*, cap. 2, text. 28.

S. LEO 30. Quis non infirmatur in carne? quis non sordescit in pulvere? quis postremo est tantæ puritatis, ut iis non polluatur, sine quibus vita non ducitur? Serm. 11 *Quadrag.*

ORIGENE 31. Quanto purior anima redditur, tanto largior ei spiritus infunditur. Lib. 7 in cap. 8 *Epist. ad Rom.*

PHILO JU 32. Nihil purificatam mentem majore afficit lætitia, quam quod Dominum habet, quem agnoscit Regem rerum omnium. Lib. *de Cherubim.*

33. Volens Deus purificare hominis animam, primum offert ei perfectæ salutis occasionem, migrationem a corpore, sensu atque ratione. *De Migrat. Abraham.*

S. SYNESI EPISCOPU 34. Perpurgati animi decus, et pulchritudinem intueri nequeunt, qui puri non sunt. Serm. *de Dono astrolabii.*

S. VALE EPISC. 35. Corporis integritas vitam muniat, integritatem fides incontaminata custodiat : ut manente utriusque partis beneficio, immaculatum hominem faciat regnare cum Christo. Homil. 1 *de Bono discipl.*

36. Vita nostra ita sit lucida, ut sit omnibus nota : integritas religioni, pudor serviat humilitati. *Ibid.*

IN VITIS PATR. 37. Charitas, et taciturnitas, et occulta meditatio operantur puritatem. In *Sent.*, sent. 77.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 38. Non per se beatum est, malo caruisse; sed quia animum laxat, ac præparat ad cognitionem cœlestium, dignumque efficit, qui in consortium Dei veniat. Lib. 1 *Quæstionum*, in Præfatione.

SIXTUS PHILOSO 39. Incontaminatum custodi corpus tuum, tanquam si indumentum acceperis a Deo, et sicut vestimentum corporis immaculatum servare stude. *Sent.* 429.

40. Templum sanctum est Deo, mens pii : et

altare est optimum ei, cor mundum et sine peccato. *Ibid.*, sent. 40.

Vide etiam tit. *Conscientia*, sent. 37; *Cordis puritas*, per totum; *Maria*, sent. 211; *Profectus*, sent. 107; *Scandalum*, sent. 13.

PURITAS CORDIS.

Vide CORDIS PURITAS.

PUSILLANIMITAS.

STONIN. *Definitio.* Pusillanimitas est vitium quo quis inordinato timore se subtrahit ab operibus bonis, quæ posset et debet agere. Part. 2, tit. 9, *de Accedia*, cap. 16.

BONAV. Pusillanimitas est voluntas immoderate metuens gravedinem in aggressu agendorum; sive de propriis viribus immoderate diffidens. Part. 1 *Centiloquii*, sect. 21.

GO A S TORE. Pusillanimitas est ex rerum adversarum tædio iners et inconsiderata fracti animi dejectio. *De Fructu carnis et spiritus*, cap. 7.

HOMAS UINAS. Pusillanimitas peccatum est, quo quis ea non attentat quæ suæ naturali virtuti sunt commensurata. 2, 2, quæst. 133.

STONIN. *Productio.* Pusillanimitas est filia acediæ. Part. 2, tit. 9, *de Acedia*, cap. 16.

Pusillanimitas ex animi parvitate procedit. Part. 3, tit. 16, cap. 7, § 1.

SENTENTIÆ PATRUM.

ASILIUS GNUS. 1. Nullus abjecti animi coronatur, nullus tristis trophæum erigit. Conc. 1 *de Jejunio*.

RNARD. 2. De pusillanimitate tolerantiæ, etiam conscientiæ pusillanimitas generatur. Serm. 3 *Quadrag.*

3. Damnandis et reprobis tribulatio parit pusillanimitatem, pusillanimitas perturbationem, perturbatio desperationem, et illa interimit. Epist. 32, *ad Abbatem S. Nicasii Rhemensis*.

4. Pusillanimis mens rei suæ familiaris tenuitate constringitur, nec valet præ inopia otiari ad vacandum divinis laudibus. Serm. 10 super *Cantica*.

NAV. 5. Multa inhonesta et indigna committere, pusillanimitas facit. Lib. 4 *Pharetræ*, cap. 42.

EGOR. NUS. 6. Sunt nonnulli, qui cum cœlestia appetunt, atque hujus mundi noxia facta derelinquunt, ab inchoatione sua quotidie inconstantiæ pusillanimitate deficiunt. *Prosec.*

7. Quibus hoc nisi arbustis reliquis similes dixerim, qui nequaquam tales superius surgunt, quales inferius oriuntur?

8. Hi quippe ad conversionem venientes, non tales quales cœperunt perseverant, et quasi more arborum, inchoatione vasti sunt, sed tenues crescunt: quia paulisper per augmenta temporum patiuntur detrimenta virtutum.

9. Sensim quippe in eis desideria superna languescunt, et qui robusta ac fortia proposuerant, debilia atque infirma consummant, dumque ætatis augmento proficiunt, quasi flexibiles crescunt. Lib. 19 *Moral.*, cap. 6, super illud : *Et sicut palma multiplicabo dies.*

10. Pusillanimes aptius ad iter bene agendi reducimus, quam protervos. In *Pastor.*, part. 3, cap. 1, admonit. 9.

11. Infirmi sæpe in desideriis suis, si quæ eis fuerint ex adverso objecta, languescunt : et cum valida tribulatione pulsantur, pusillanimitate deficiunt. Lib. 26 *Moral.*, cap. 10, num. 10.

12. Quidquid intolerabile pusillanimitas asserit, hoc leve remunerationis spes ostendit. Habetur apud D. Bonavent., serm. 4 *in die Ciner.*

13. Jacentis est animi, formidolosa timere : et inertis est, tuta sectari. Epist. 6, *ad Amicum*. S. HIERON.

14. Pusillanimitas, patientiæ contraria est. Lib. 3 super *Epist. ad Galat.*, cap. v, in illud : *Fructus spiritus est pax.*

15. Qui sibi male conscius est, semper pusillanimis ac timidus est. Homil. 52 super *Matth. Oper. imperf.* S. JOANNES CHRYSOST.

16. Dejecti animi nec adversus paupertatem, nec adversus opes consistunt : æque tristitia et gaudio succumbunt. Adeoque secundis magis, quam adversis periclitantur. Homil. 35 super I *Cor.*

17. Pusillanimitas simul et desidia perditionem multam afferunt. Homil. 10 super I *Thess.*

18. Qui convicium non fert, pusillo est animo : et qui tentationem non sustinet, pusillanimis est. *Ibid.*

19. Non credendo pusillanimitas efficitur. Homil. 19 super *Epist. ad Hebr.*

20. Languor animæ pessimus, est pusillanimitas. Homil. 27, in cap. XXXIII *Numerorum*. ORIGENES.

21. Nutrimentum pusillanimitatis est otium. Epist. 94, *ad Joannem archidiac.* PETRUS BLESENS.

22. Sunt quidam pusillanimes, qui si aspere arguantur, de eo quod deliquerunt, pondere timoris depressi, in mœrorem nimiæ tristitiæ semetipsos mergunt. Part. 2, lib. 2, super *Apocal.*, cap. 5. RICHARDUS A S. VICT.

22. Multum impedit pusillanimitas cordis, cito amittere facit confidentiam in adversis, negligere sanctum propositum, revolvere sæculi statum. Serm. 5 *ad Novit.*, divis. 3. THOMAS A KEMPIS.

23. Crede mihi, fili, olympici corpore et robusti sumus : sed anima nostra imbecilla est. Lib. 10, cap. 168. IN VIT. PATR.

24. Homo habens mortem præ oculis omni ho-

ra, vincit pusillanimitatem. In *Sententiis in fine positis*, sent. 94.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 25. Is qui deficit, pusillanimus est. Lib. 4 *Etich. ad Nicomach.*, cap. 3.

26. Pusillitas parvitasque animi, vitium est : per quod fit, ut neque fortunam, nec infortunium, neque nomen, nec ignominiam ferre possit. Lib. 1 *de Virtutibus*, cap. 3.

VALER. MAX. 27. Enerves animos odisse virtus solet. Lib. 2 *Dictor. memorabil.*, cap. 2.

QUÆRERE DEUM.

DIONYSIUS CARTHUS. *Definitio*. Quid est quærere Deum, nisi eum qui imperfecte habetur, imperfecte cognoscitur et amatur, velle perfectius obtinere, clariusque cognoscere, et magis ferventer diligere ? *Prosec.*

Deum quærere sinceriter, est in hac ejus quæsitione ac cultu irreflexe ferri in ipsum.

Et qui in hac quæsitione stabilis permanet, nec prosperis, nec adversis, nec ulla tentatione, suggestione, seu alio modo inde deflectens, imo in hac usque in finem crescens ; ille quærit Deum constanter et veraciter. In *Exhort. ad novit.*, art. 3.

HUGO CARD. Quærere Deum, est toto corde Deo adhærere. Super *Psalm.* LXXI.

S. BONAV. *Divisio*. Deus tripliciter exquirendus est : primo in cogitationibus ; secundo in delectationibus ; tertio in operationibus. Exposit. 2, super *Psalm.* CXVIII, cap. 1, art. 2, vers. 10.

HUGO A S. VICTORE. Tripartitum est genus quærentium Deum : alii quærunt, et non inveniunt ; alii quærunt et inveniunt, sed non retinent, quia non quærunt ut habeant, sed vendant : alii quærunt, et inveniunt, et retinent. *Prosec.*

Primi quærentes, nullo modo inveniunt : secundi vivum inveniunt, et occidunt : tertii mortuum quærunt, et vivum inveniunt. Lib. 3 *Miscellan.*, codicis 2, tit 17.

HUGO CARD. Tripliciter Deus quærendus est: Veraciter, id est, vera fide ; ferventer, id est, ferventi animo ; perseveranter, id est, firma fide. Super *Sap.*, cap. I.

Quæritur Deus tripliciter, per bonam operationem, per fidem, per contemplationem. Super *Threnos*, cap. III.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Adest Christus, nec unquam iis, a quibus quæritur deest. Lib. 3 *de Virginibus*.

2. Nequaquam ibi quæramus Christum, ubi invenire non possumus. *Prosec.*

3. Non est Christus circumforaneus ; Christus enim pax est, in foro lites : Christus justitia est, in foro iniquitas ; Christus operator est, in foro inane otium : Christus charitas est, in foro obtrectatio : Christus fides est, in foro fraus atque perfidia : Christus in Ecclesia, in foro idola. *Ibid.*

4. Virgo, quæ Christum requirit, non debet esse vulgaris, non debet esse in foro, non in plateis voce querula, gressu lubrica, facilis auditu, vilis aspectu. *Ibid.*

5. Tu cum cœperis Christum quærere, adest : neque enim fieri potest, ut desit quærentibus se, quia palam factus est non quærentibus, et inventus est non interrogantibus. In *Exhort. ad Virgines*.

6. Beatus qui ita quærit Christum Dominum, ut credat eum et in paradiso constitutum, et in cœlestibus collocatum. *Prosec.*

7. Nam qui eum aut in infernis requirit, aut in tumulis, dicitur ei, *Quid quæris viventem cum mortuis ?* Serm. 57, *de Sepulchro Domini*.

8. Cum dicit David, *Quæram*, sine fine dicit esse quærendum : sed non satis est quærere, nisi intelligas quod requiris. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 5, vers. 1.

9. Bonum est Deum quærere ; sed plerumque quidam ipsius inquisitionis anfractus et error obrepit. Lib. 4, super *Luc.*, cap. 4, in illud *Joan.* XVII : *Ut cognoscant te solum verum Deum.*

10. Nemo invenit, nisi qui ante quæsierit. *Ibid.*, lib. 7, cap. 12, in illud : *Cui simile æstimabo.*

11. Adest Christus quemadmodum quæritur, nescitur qui quæritur, quando non agnoscitur. *Ibid.*, lib. 10, cap. 24, in illud : *Quem quæris ?*

12. Eia tu, Domine Deus meus, doce cor meum ubi et quomodo te quærat, ubi et quomodo te inveniat. *Prosec.* S. ANSEL.

13. Domine, si non es hic, ubi te quæram absentem ? si ergo ubique es, cur te non video præsentem ? In *Prosologio*, cap. 1.

14. Quid faciet, Domine, servus tuus ? invenire te cupit, et nescit locum tuum : quærere te affectat, et ignorat vultum tuum. *Ibid.*

15. Doce me quærere te, et ostende te quærenti : quia nec quærere te possum, nisi tu doceas me : nec invenire, nisi te ostendas mihi. *Prosec.*

16. Quæram te desiderando, desiderem quærendo, inveniam amando, amem inveniendo. *Ibid.*

17. Gloria es te, Deus, quærentibus, gaudium invenientibus. In *Meditationibus*.

18. Qui das quærere, da et invenire : doces pulsare, aperi pulsanti. *Ibid.*

19. Quærite quod quæritis ; sed ibi non est, ubi quæritis eum. Lib. 4 *Confess.*, cap. 12. S. AUGU.

20. Beatus errare non potest, cum quærit Deum : quia ut non erret, quærit. Lib. 1 *Academ.*, cap. 4.

21. Spiritus immundus potest ne Deum quærere ? qui Deum quærit, id facit quod Deus vult, et bene vivit, et spiritum immundum non habet. *De beata vita*, disput. 2.

22. Nemo potest pervenire ad Deum, nisi Deum quæsierit. *Ibid.*

23. Beatus est ille qui Deum quærit. *Ibid.*

24. Qui Deum quærit, nondumque invenit, non est sine Deo. *Ibid.*

25. Favet Deus quærenti sese homini. *Ibid.*

26. Qui Deum quærit, male vivere non potest. *Ibid*,

27. Habet, qui Deum quærit, Deum propitium; et omnis qui habet Deum propitium, beatus est. *Ibid.*

28. Ille quæratur, qui est omnium speciosissimus. *De vera religione*, cap. 11.

29. Unum certe quæramus, quo simplicius nihil est. *Ibid.*, cap. 35.

30. Quam pulchrum, quam magnum, quam Deo dignum est id, quod quæritur! *De Morib. Eccles.*, cap. 7.

31. Amore petitur, amore quæritur, amore pulsatur, amore revelatur Deus. *Ibid.*, cap. 17.

32 Si quæratur Deus ut dignum est, subtrahere atque abscondere se a suis dilectoribus non potest. *Ibid.*

33. Multi ad quærendum pigri sunt. Lib. 1 *de Genesi, contra Manich.*, cap. 1.

34. Cum homines Deum quærunt, facillime debent ignoscere errantibus. Lib. 2 *de Trin.*, in Prœmio.

35. Ecce Deus dilectio est, ut quid imus et currimus in sublimia cœlorum, et ima terrarum, quærentes eum, qui est apud nos, si nos velimus esse apud eum? *Ibid.*, lib. 8, cap. 7.

36. Tutissima est quærentis Deum intentio, donec apprehendatur quo tendimus, et quo extendimur. *Ibid.*, lib. 9, cap. 1.

37. Sic quæramus Deum tanquam inventuri, et sic inveniamus tanquam quæsituri. *Ibid.*

38. Appetitus ille, qui est in quærendo, procedit a quærente, et pendet quodammodo, neque requiescit fine quo intenditur, nisi id quod quæritur, inventum quærenti copuletur. *Ibid.*, lib. 9, cap. 12.

39. Quæritur ut inveniatur dulcius, et invenitur ut quæratur avidius. Lib. 15 *de Trinit.*, cap. 2.

40. *Quærite faciem ejus semper.* Fides quærit, intellectus invenit, et rursus intellectus eum quem invenit, adhuc quærit. *Ibid.*

41. Sunt quidam quærentes Deum per exteriora, deserentes interiora sua, quibus Deus interior est. *De Spiritu et Anima*, cap. 51.

42. Deo nihil est secretius, nihil præsentius, qui difficile invenitur ubi sit, difficilius ubi non sit, cum quo esse omnes possunt, et sine quo esse nemo potest. *De Quantitate animæ*, cap. 34.

43. Quisquis quærit auctorem, per quem aliquid discimus : auctorem profecto, per quem bene facimus, quærit. Lib. 1 *de Libero arbitrio*, cap. 1.

44. Quam stulti sunt, qui Deum istis exterioribus oculis quærunt, cum corde videatur! Lib. 1 *de Serm. Dom. in monte*, super illud: *Beati mundo corde.*

45. Si homo ita creatus est, ut per id quod in eo præcellit, attingat ad illud, quod cuncta præcellit, id est unum, verum, optimum Deum, sine quo nulla natura subsistit, nulla doctrina instruit, nullus usus expedit : ipse quæratur, ubi nobis omnia sunt secura : ipse cernatur, ubi nobis certa sunt omnia : ipse diligatur, ubi nobis recta sunt omnia. Lib. 8 *de Civit. Dei*, cap. 4.

46. *Quærite faciem ejus semper.* Si semper quæritur, quando invenitur? An semper dixit, in tota vita ista, qua hic vivitur, ex quo nos id facere debere cognovimus, quando et inventus quærendus est? *Prosec.*

47. Jam Deum invenit fides, sed adhuc eum quærit spes : charitas autem et invenit eum per fidem, et eum quærit habere per speciem; ubi tunc sic invenietur ut sufficiat nobis, et ulterius non quæratur. An forte etiam cum facie ad faciem viderimus eum sicuti est, adhuc perquirendus erit? Et sine fine quærendus, quia sine fine amandus. Super *Psalm.* CIV, vers. 4.

48. Adest quem quæris, et illum quære, qui deesse nunquam potest. Super *Psalm.* XXXIV, vers. 3: *Salus tua ego sum.*

49. Quæramus inveniendum, quæramus inventum. Ut inveniendus quæratur, occultus est : ut inventus quæratur, immensus est. Tract. 63, super *Evang. Joan.*, cap. XIII.

50. Propter carnem me quæritis, non propter spiritum : quæritis me propter aliud, quærite me propter me. *Prosec.*

51. Quam multi non quærunt Jesum, nisi ut illis faciat bene secundum tempus! vix quæritur Jesus propter Jesum. *Ibid.*, tract. 25, cap. VI.

52. Si ita flevit, et in fletu perseveravit mulier quæ quærebat filium, quomodo plangere et in planctu persistere debet anima quæ quærit Deum? In *Medit.*, cap. 36.

53. Sero te amavi, pulchritudo tam antiqua et tam nova, sero te amavi : et tu intus eras et ego

foris, et ibi te quærebam; mecum eras et ego tecum non eram. In *Soliloq. animæ*, cap. 31.

54. Te semper quærat anima mea, et tu præsta ut quærendo non deficiat. In *Manuali*, cap. 3.

55. Si lætitia est in quærendo, qualis lætitia est in inveniendo? In *Soliloq. animæ*, cap. 36.

56. Væ miseræ animæ, quæ Christum non quærit! arida manet et misera. *Prosec.*

57. Anima enim quæ Deum non quærit, peccatis servit, et vitiis subjecta est, nunquam quieta, nunquam secura est. In *Manuali*, cap. 4.

58. Doce me quærere te, et ostende te quærenti te : quia nec quærere te possum, nisi doceas tu, nec invenire nisi te ostendas. Quæram te desiderando, desiderem te quærendo, inveniam amando, amem inveniendo. *Ibid.*, cap. 31.

59. Recedit consolatio sponsi, ut absens magis desideretur, desideratus avidius quæratur, diu quæsitus tandem gratius inveniatur. *De Scala paradisi*, cap. 8.

60. Deus difficile invenitur ubi sit, sed multo difficilius ubi non sit. *De Speculo*, cap. 32.

61. Quisquis a Deo præter Deum aliquid quærit, non caste Deum quærit. *De Verbis Dom.*, serm. 49.

62. Quærendus est Christus, sed non in platea, ubi est magna vanitas. *Prosec.*

63. Quærendus est Christus, sed non in foro, ubi est grandis adversitas.

64. Quærendus est Christus, sed non in taberna, ubi est summa ebrietas.

65. Quærendus est Christus, sed non in sæculari curia, ubi est maxima falsitas.

66. Quærendus est Christus, sed non in scholis mundanorum philosophorum, ubi est infinita perversitas.

67. Quærendus est Christus, sed non cum luxuria, in qua est lata deformitas : non cum superbia, in qua jacet æterna calamitas : non cum avaritia, in qua est æterna infelicitas.

68. Sed quomodo eum quæremus? quærunt eum pagani; quærunt eum Judæi. O christiane! cave ne quæras Christum cum Judæis, sed cum paganis regibus perquirere non desistas : nam pagani quærunt Christum adorare, sed Judæi quærunt Christum supplantare.

69. Hunc ergo semper Christum quæramus, et inventum tam fortiter, tam suaviter, tam dulciter teneamus, ut eum non amittamus. Serm. 43 *ad Fratres in eremo.*

70. Si vis verum quærere, Deus est deliciæ tuæ, requies tua, sanitas tua, gaudium tuum, felicitas tua, refrigerium tuum, amœnitas tua; et quidquid sancte possit desiderare anima tua, totum tibi Deus erit. *Ibid.*, serm. 50.

71. Fieri non potest, ut religiosis animis, pie, caste ac diligenter quærentibus, inveniendi facultas desit. *De Quantit. animæ*, cap. 14.

72. Quisquis quærit auctorem per quem aliquid discimus auctorem profecto per quem bene facimus, quærit. Lib. 1 *de Libero arbitrio*, cap. 1.

73. Quære quid debeat natura peccatrix, et invenies recte factum : quære cui debeat, et invenies Deum. *Ibid.*, lib. 3, cap. 15.

74. Ubi ego eram quando te quærebam? tu eras ante me, ego autem a me discesseram, nec me inveniebam, quanto minus te? Lib. 5 *Conf.*, cap. 2.

75. Non inveniris a superbis. *Ibid.*, cap. 3.

76. Qui non pie quærunt, non inveniunt. *Ibid.*

77. Cum te Deum meum quæro, vitam beatam quæro : quæram te, ut vivat anima mea. *Ibid.*, lib. 10, cap. 20.

78. Quærentem se non derelinquet Deus, quem ipse fecit. *Annot. in Job*, cap. 35.

79. Deus res est invisibilis, non oculo, sed corde quærendus est. Tract. 7 super *Epist. Joan.*

80. Quisquis me quærit, cum illo sum. *Ibid.*, tract. 10.

81. Require requirentem, quia prius ille non quærentem. *De Cultura agri Dom.*, cap. 5.

82. Ne quæras alibi Christum, quam ubi se vobis voluit prædicari Christus. Tract. 7 super *Joan.*

83. Bonum est quærere animam Christi, sed quomodo eam quæsierunt discipuli : et malum est quærere animam Christi, sed quomodo eam Judæi quæsierunt. *Ibid.*, tract. 38.

84. Beati qui quærunt Jesum, sed bene. *Ibid.*, tract. 50.

85. Hic semper quæramus, et fructus inventionis, non sit finis inquisitionis. *Ibid.*, tract. 63.

86. Quisquis me quærit, cum illo sum. Tract. 10 super *Epist. Joan.*

87. Da cordi meo te desiderare, desiderando quærere, quærendo invenire, inveniendo amare. Lib. *Medit.*, cap. 1.

88. Deum nemo quærit, nisi admonitus, nemo invenit, nisi purgatus. *Ibid.*, cap. 32.

89. Deum quærens, gaudium quærit. In suis *Proverb.*, verbo *Deum.* V. BEDÆ

90. Maxime hoc quærendum, quod semper erit retinendum. *Ibid.*, verbo *Maxime.*

91. Nihil aliud expectat, nihil aliud quærit Deus, nisi ut sedulo et cum desiderio requiratur. Serm. 2 *de S. Andræa.* S. BERNARD.

92. Bonus es, Domine, animæ quærenti te : si quærenti, quanto magis invenienti? Serm. *de Triplici cohærentia vinculorum.*

93. Si nolumus frustra quærere Deum, quæramus veraciter, quæramus frequenter, quæramus perseveranter. Serm. 2 *ad Fratres.*

94. In simplicitate cordis quærite Deum; non aliud tanquam illum, non aliud præter illum, non aliud post illum. *Ibid.*

95. Non curant carnales quærere, quem tamen desiderant invenire, cupientes consequi, sed non et sequi. Serm. 21 super *Cantica.*

96. Non tepide aut negligenter, seu perfunctorie quærendus est Deus; sed corde ardenti, et omnino infatigabiliter quæri decet. *Ibid.*, serm. 75.

97. Age, quære, non te inaccessibilis claritas, vel sublimitas à quærendo deterreat, ab inveniendo desperare faciat. *Ibid.*, serm. 76.

98. Quære secura, quære devota : bonus est Dominus animæ quærenti se, quære votis, fide inveni. *Ibid.*

99. Magnum bonum quærere Deum : ego hoc nulli in bonis animæ secundum existimo. Primum in donis, ultimum in profectibus est; virtutum nulli accedit, cedit nulli. *Ibid.*, serm. 84.

100. Non pedum passibus, sed desideriis quæritur Deus : et utique non extundit desiderium sanctum felix inventio, sed extendit. *Ibid.*

101. Quæ virtus adscribi possit non quærenti Deum, aut quis terminus quærenti Deum? *Ibid.*

102. Dilectio causa quæsitionis : quæsitio fructus dilectionis est et certitudo. *Ibid.*

103. Quærit anima Verbum, cui consentiat ad correptionem, quo illuminetur ad cognitionem, cui innitatur ad virtutem, quo reformetur ad sapientiam, cui conformetur ad decorem, cui maritetur ad fœcunditatem, quo fruatur ad jucunditatem. *Ibid.*, serm. 85.

104. Solus est Deus, qui frustra nunquam quæri potest, nec cum inveniri non potest. Lib. 5 *de Consid. ad Eugenium papam.*

105. Quantumcunque in altum cogitatio proficiat, ultra est Deus : infra quod homo cogitare possit, altissimum quærere, ridiculum est : statuere, impium. Ultra, non citra quærendus est Deus. *Ibid.*

106. Quærendus adhuc fuerat, qui nec satis adhuc inventus est, nec quæri nimis potest : at orando forte quam disputando dignius quæritur, et invenitur facilius. *Ibid.*

107. Nemo te quærere valet, nisi qui prius invenerit : vis igitur inveniri ut quæraris, quæri ut inveniaris. Potes quidem quæri et inveniri, non tamen præveniri. Tract. *de Diligendo Deo*, cap. *Dicto.*

108. Nihil dignius est aliquid ad quærendum; nec dulcius ad inveniendum, nec utilius ad habendum, quam quod solum supereminet, qui est solus Deus. *De Vita solit.*

109. Semper Deus quæritur, ut dulcius inveniatur : dulcissime invenitur, ut diligentius quæratur. *Ibid.*

110. Multi Deum quærunt per exteriora, deserentes sua interiora, quibus interior est Deus. Lib. *Meditationum*, cap. 1.

111. Cur nos deserimus, et in his exterioribus Deum quærimus, qui apud nos est, si nos velimus esse apud Deum? *Ibid.*

112. Quærite Deum legendo, et invenietis meditando. In *Scala claustral.*, cap. *Adsignatis.*

113. Plerumque quanto frequentius Deus quæritur, tanto velocius elongatur. *Prosec.*

114. Contingit etiam ut cum non quæritur, veniat : cum quæritur, fugiat; sicut sponsa se in Canticis multipliciter ostendit quæsiisse, et non invenisse, nihil est quod quærit; qui nihil est melius, vel dulcius te. Serm. *De Virt. obed.*

115. Ultra te, vel supra te qui quærit aliquid tanquam melius te. Lib. *de Amore Dei*, verbo *O amor.*

116. Intantum mens solummodo potest invenire quid est, inquantum invenit quid non est. Lib. *de Natura et dignit. amoris*, cap. 8.

117. Necesse est ut quæramus Dominum in toto corde et tota mente in hac præsenti vita, si eum invenire quærimus in futura. Serm. 71, *ad Sororem.*

118. Qui vult Christum invenire, oportet eum habere munditiam cordis respectu sui, justitiam respectu proximi, humilitatem et reverentiam respectu Dei. Super *Luc.*, cap. II, in illud : *Et invenerunt Mariam et Joseph.* S. BONAV.

119. Quærendus est Christus per fidem, per amorem, per justitiam, per bonam operationem. Serm. 5 *Dom. infra Octavam Epiph.*

120. Christum quærendo quatuor consideranda sunt : temporis opportunitas, loci congruitas, quærentis humilitas, quæsiti utilitas. *Ibid.*

121. Quærendus est Dominus auro dilectionis, thure orationis, myrrha contritionis. *Ibid.*, serm. 68.

122. Qui modo ad extinguendum ignem culpæ non vult Deum justum fontem quærere, in inferno unam guttam non poterit exhaurire. *Ibid.*

123. In horto virtuosi cordis quærendus est Christus. Serm. 6, *in Rogat.*

124. Pretiosa margarita est Christus, qui tanto pretiosior esse cognoscitur, quanto veracius quæritur. *Prosec.*

125. Libenter et diligenter quæreret homo gemmam valentem mille marchas; quanto magis quærere decet hanc margaritam, quæ melior est toto mundo? *Ibid.*

126. Aurum quæritur libenter, ubi citius invenitur : et ecce Deus omni auro pretiosior certissimo invenitur, si pure, si integre, si continue quæritur : pure sine fictione, integre sine dimidiatione, continue sine derelictione. *Ibid.*

127. Si quæritis Deum meditando, desiderando, orando, bene agendo, invenietis in mundo gratiam, in judicio justitiam, in cœlo gloriam. *Ibid.*, serm. 7.

128. Omne quod diligitur, a diligente sollicite quæritur : Maria Magdalena, quia Dominum sollicite quæsivit, et in quærendo perseveravit, ipsum invenire promeruit. Serm. *de Invent. S. Crucis.*

129. Qui vult Dominum invenire, quærat eum tempore, quo inveniri potest, et loco in quo est. Pro tempore, in quo sumus, qui nunc inveniendus est : in loco, ubi est, ubi continue jacet, id est, in cruce quærendus est. *Ibid.*

130. Ubi est quem quærimus ? in Bethleem Judæ. *De quinque festiv. pueri Jesu*, solemnit. 4.

131. Si aliud quæris, quam pure Deum, damnum patieris, laborabis et requiem non invenies. In *Alphab. relig.*, lect. 20.

132. Deum quem ex animo quærit, ubique invocans invenit. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 12.

CASSIODOR. 133. Ille requirit Deum, qui ab ejus voluntate non discrepat. Super *Psalm.* XIII, vers. 3 : *Requirens Deum.*

134. Cur nos per diversa fatigemus ? Unus est, qui quæritur, sed unus, in quo omnia continentur : o lucrum mirabile ? o compendium singulare ? Super *Psalm.* XXXIII, vers 10.

135. Justorum consuetudo est, sive antequam mala patiantur, sive cum patiuntur, Deum fideliter quærere : sceleratorum autem, quando aliqua necessitate turbantur. Super *Psalm.* LXXVII, vers. 38 : *Quærebant eum.*

136. Si Deus mixto amore non metuatur, toto corde non quæritur. *Ibid.*, vers. 40.

137. Magna amentia est, eum tepide quærere, quem tibi cognoscis æterna beneficia posse præstare. Super *Psalm.* CXXVI. vers. 4.

138. Dilecti Dei sunt, qui eum nimia charitate perquirunt. Super *Psalm* CXXVI, vers. 4.

S. CLEMENS PAPA. 139. Deum requirite, quia invenitur cito ab his, qui veritatis amore eum perquirunt, et quorum anima prœoccupata non tenetur in malitia. Lib. 8.

CLEMENS ALEX. 140. Qui Deum quærit, inveniet cognitionem cum justitia. Lib. 2 *Stromat.*

141. De Deo quærere, si non ad litem, sed ad inventionem tendat, est salutare. *Ibid.*, lib. 5.

DIONYSIUS CARTHUS. 142. Nisi aliquo modo haberetur Deus, non quæreretur : non quæreretur nisi appeteretur, non appeteretur nisi aliquo modo diligeretur. In *Exhort. ad novit.*, art. 3.

143. Christe Jesu, quis te inveniet, aut ubi, vel, quomodo quæret, nisi quærentem præveneris præventum direxeris, directo donec invenerit comes individuus fueris ? *De Mortificat. vivifica*, art. 7.

144. Deus amando quæritur, amando invenitur, et nonnisi amando possidetur. *De Perfect. charit.*, art. 27.

S. EUSEBIUS EMISSENUS. 145. Quanto intentius Deus quæritur, tanto intentius desideretur. Homil. *de S. Maximo.*

S. FULGENT. 146. Ipsi qui pro salute sua exquirunt Deum, non desistant quærere, quod possit a quærentibus inveniri. Lib. *de Remiss. peccatorum*, cap. 1.

GLOSS. ORD. 147. Qui lucem justitiæ non quærit, de tenebris non recedit. Super illud *Job* XV : *Non recedes de tenebris.*

GLOSS. INT. 148. Qui quam cito vero intuitu Deum requirit, statim Deum invenit. Super *Cant.*, cap. III.

GLOSS. ORD. 149. Cui Deus inspirat ut quærat, quærenti donat ut inveniat. Super illud *Cant.* II : *Invenerunt me.*

GLOSS. INT. 150. Evenit quandoque ut qui quærere incepit, citius inveniat, quam ille qui dudum quærere inceperat. *Ibid.*, cap. 5.

151. Quicunque sine consortio Ecclesiæ Christum quærit, non inter filios debet computari *Ibid.*, super illud V : *Et quæremus eum tecum.*

152. Qui simpliciter quærit Deum, invenit. Super *Ecclesiastic.*, cap. II.

153. Modo potest Deus inveniri merito fidei, in futuro videbitur, non invenietur. Super illud *Isaiæ* LV : *Quærite Dominum.*

GLOSS. ORD. 154. Qui Deum orando quærit, ad superiora progreditur, verticem curiæ sublimis ascendit. Super *Luc.*, cap. VI.

S. GREGOR. MAGNUS. 155. Nihil extra Deum sufficit menti, quæ veraciter Deum quærit. Lib. 22 *Moral.*, cap. 2, num. 3.

156. Abscondit se sponsus cum quæritur, ut non inventus ardentius quæratur : et differtur ne quærens sponsa inveniat, ut tarditate sua capacior reddita, multiplicius quandoque inveniat quod quærebat. *Ibid.*, tit. 5, cap. 4.

157. Tunc minus invenitur, quando is qui totus ubique est, in parte quæritur. *Ibid.*, lib. 16, cap. 15.

158. *Quærite Dominum, dum inveniri potest* : modo non videtur et prope est : in judicio videbitur et prope non erit. Nec dum in judicio apparuit : ergo si quæritur, invenitur : sed miro modo cum in judicio apparuerit, et videri potest, et inveniri non potest. *Ibid.*, lib. 18, cap. 7, num. 5.

159. Quo Deus laboriosius quæritur, eo se quærentibus laxius aperitur. Lib. in I *Reg.*, cap. 3, super illud : *Eratque rufus et pulcher aspectu.*

160. Qui ficte quærunt Dominum, invenire nunquam merentur. Homil. 10 super *Evang.*

GREGOR. NYSS. 161. Quærendus est Dominus, cujus inventio est ipsum quod semper est, quærere. *Prosec.*

162. Non enim aliud est quærere, et aliud invenire : sed exquirendi lucrum, est ipsum quærere.

163. Tempus ad quærendum Dominum in hoc solo studii tempus est, totum studium, non enim certo aliquo ac definito tempore Dominum quærere, est bonum, sed non omnino intermittere semper quærere, hoc est vera opportunitas. Homil. 7 super *Ecclesiasten.*

HIERON. 164. Hæretici vano sermonum strepitu concrepantes, Deum quærunt, quem invenire non possunt. Super *Epist. ad Tit.*, cap. 3, in illud *Prov.* VIII : *Recte quærentes.*

165. Qui Deum non recte quærunt, invenire non possunt. *Ibid.*

HILARIUS 166. Exultatio et lætitia est quærentibus Deum. In *Explanat. Psalm.* LXXIX.

GO A S. CTORE. 167 Quare tamdiu quæris, et non invenis quod quæris ? quia male quæris ; quia ibi quæris, ubi non est quod quæris, et quod quæris intus est. Homil. 8 super *Ecclesiasten.*

168. Quæramus Christum, sed non sicut Judas, qui Christum quæsivit ut venderet, non ut possideret : Quæsivit Christum Judas, et invenit, et tenuit, sed non retinuit, quia vendidit. Lib. 3 *de Arca Noe morali*, cap. 6.

169. Sæpe offert se Deus, dum non quæritur, ut nos ad amorem sui accendat : dum quæritur fugit, ut nos post se currere faciat. *Ibid.*, lib. 4, cap. 4.

GO CARD. 170. Multi sunt, qui tantummodo ore Deum quærunt, sed corde fugiunt. Super lib. *Judic.*, cap. IX.

171. Quo ardentius quæritur Deus, eo magis lætatur in nobis. Super *Job*, cap. IX.

172. Quærite Dominum corde, ore, opere : vel fide, spe et charitate. Quærite diligenter, sapienter et perseveranter : nam qui sic quærit, invenit. Super *Psalm.* LXVIII, in illud : *Quærite Deum.*

173. Homines Deum quærere ubi debent? Quomodo debent? Quando debent? Ubi debent quærere? in pœnitentia, quia non invenitur in terra suaviter viventium. Quomodo debent quærere? humiliter, quia superbis Deus resistit. Quando debent quærere? cito, quia qui mane vigilaverit, inveniet. Super *Sap.*, cap VI.

174. Quæritur Deus tripliciter : per bonam operationem, per fidem, per contemplationem. Super *Thren.*, cap. III.

JOANNES RYSOST. 175. Injuriam facitis Divinitati, si illam in domibus quæritis, quæ implet cœlum et terram. Homil. 49 super *Matth. Oper. imperf.*

176. Nunc necessarium est ut Deus quæratur : in adventu autem suo secundo non erit quærendus, ut credatur : sed quæret ipse a quibus creditus fuit. *Ibid.*

177. *Jesum quæritis, non est hic.* Ubi est? in cœlo ? ultra cœlos est : in terra ? ultra terram est : ubicunque voluerit est, ubicunque est totus est, ubicunque est, et ubicunque fueris, tu ipse qui illum quæris, in ipso es quem quæris. Homil. *de Joan. Bapt.*

178. Deus quærentibus se remunerator est. Serm. 24 super *Epist. ad Ephes.*

179. Sicut Deum inquirentibus mercedis retributor efficitur, ita etiam non inquirentibus contra eveniet. Homil. 22 super *Epist. ad Hebr.*

180. Sicut pecunias tuas inquiris, vel filium : ita require Deum. *Ibid.*

181. Quærit nos Dominus gratia et misericordia; quærimus vero eum sanctis affectibus, miseriæ nostræ flagitantes remedia. Super *Prolog. Regul. S. Bened.*, cap. 2, text. 8. JOAN. TRITH.

182. Multi sunt qui in otio quærunt Christum, et non inveniunt : et sunt qui quærunt in persecutionibus, et cito inveniunt. Lib. 1, homil. 10, *ad Monachos.*

183. Ama quod non potes amittere : quære quod sine fine liceat possidere. *De Vanit. et miseria hum. Vitæ*, cap. 1.

184. Alterum Deum præter eum, qui est, non requiramus : impietas enim hæc maxima est. Lib 2 *advers. Hæres.*, cap. 47. S. IRENÆUS.

185. *Quærite Dominum, dum inveniri potest* : et ubi inveniri potest, nisi in hac vita : in qua etiam et prope est omnibus invocantibus se? Nam tunc longe erit, quando dixerit : *Ite in ignem æternum.* S. ISIDORUS HISPAL.

186. Modo autem non videbitur, et prope est : tunc videbitur, et prope non erit : quia et videri poterit et non poterit inveniri. Lib. 2 *de Sum. bono*, cap. 13, sent. 13.

187. Non oberres me alibi extra te quærendo ullo modo, in te quippe, ubi me hactenus non quærebas, tanquam in meridie requiesco. Super *Cant.*, cap. I, explicat. 14, in illud : *Si ignoras te.* S. JUSTIN. ORGELITAN.

188. Non qui vitio quodam, vel sopore inertiæ resolvuntur, ad illum qui de cœlo descendit, cito perveniunt, sed qui sanctis laboribus invigilaverint, ipsi eum reperiunt. *Ibid.*, cap. II, explicat. 56.

189. Deus non in ima, sed in summa regione quærendus est. Lib. 2 *de Divin. inst.*, cap. 19. LACT. FIRM.

190. Homo ideo rectus cœlum aspicit, ut Deum quærat. In *Epitome*, cap. *Dicam.*

191. Nemini præsumendum est, quia totum S. LEO I.

quod quærit, invenerit; ne desinat propinquare, qui cessarit accedere. Serm 11, *de Passione Dom.*

LUDOVICUS BLOSIUS.

192. Quidquid præter Deum quæritur, mentem occupat, non satiat. In *Canon. vitæ spirit.*, cap. 15.

193. Non timeat anima, quæ Deum quærit : paveat illa, quæ non quærit. *Ibid.*

MINUTIUS FELIX.

194. Sacrilegii vel maximi instar, humi quærere, quod in sublimi debeas invenire. In suo *Octavio.*

S. ODILO ABBAS CL.

195. Qui Deum ficte quærunt, invenire minime possunt. Serm. 2 *de Epiphan.*

PETRUS CELL.

196. Dat invenire et possidere, si quæratur Deus, quomodo jubet quærere. Lib. 4, epist. 1.

S. PETRUS CHRYSOL.

197. Divinum Patrem nescit viarum cursu quærere, qui fide quærens, mox sibi illum invenit esse præsentem. Serm. 3.

198. Quærere Deum, et nescire quærere, necessitas magis est, quam reatus. *Ibid.*, serm. 157.

S. PETRUS DAMIANUS.

199. Quærentibus Deum, duæ propensius necessariæ probantur esse virtutes; charitas scilicet ac patientia. Serm. 3 *de S. Anastasio.*

PHILO JUD.

200. Si quæris Deum, o anima! a teipsa egressa illum quære : donec enim manes in mollibus corporeis, aut mentis opinationibus, non es apta ad quærendas res divinas. Lib. 2, *Legis allegor.*

201. Nihil magis quam verus Deus quærendum est, etiamsi ejus inventio supra vires humana sit. Lib. 1 *de Monarchia.*

202. Natura comparatum est, ut qui Deum invenire cupiunt, amicam ei solitudinem diligant. *De Abrahamo.*

S. PROSPER.

203. Deus se non quærentibus ut quæratur, ostendit. Lib. 3 *de Vita contemplat.*, cap. 12.

204. Deum quærens, gaudium quærit : sic ergo quærat, ut non in se, sed in Domino gaudeat. Apud D. Augustin., sent. 9.

205. Rectum cor cum Deo est, quando propter Deum quæritur Deus. Apud. D. Augustin., sent. 245.

RICHARD. A S. VICTORE.

206. Deus inveniri non potest ab anima priusquam prætereuntis mundi figuram despexerit. Part. 1 *de Gradib. charit.*, cap. 2.

207. Menti Deum quærenti tanto Deus gloriosius apparet, quanto subtilius atque interius investigatur ut appareat. Part. 2, super *Cant.*, in Prologo

208. Anima quæ Deum quærit, hunc quærere debet in quiete mentis : vacare enim debet; et quiescere ab occupatione et inquietatione rerum terrenarum. *Prosec.*

209. Nisi enim ab exteriorum cura et amore quieverit, Deum quærere non potest, nec invenire meretur. Part. 2, super *Cantica*, cap. 1.

ROBERTUS BELLARM.

210. Animus non omnino erigi potest ad quærendum Deum, dum aliquid habet in terra, quod amet, vel in quo delectetur, et quiescat. Super *Psalm.* XL, vers. 3.

RUPERT. ABB.

211. Prius non inveniendus quæritur; ut postea inventus, strictius teneatur. Lib. 2, in *Cant.*, cap. 3.

S. THEODOR.

212. Pii homines Deum, qui in omnibus est, non in loco quærunt. Orat. 1, super *Daniel.*

THOMAS A KEMPIS.

213. Jesus non semper ibi invenitur, ubi quæritur : sed sæpe ibi existit, ubi minime putatur. Medit. 11 *de Invent. Jesu*, cap. 4.

214. Si quæris in omnibus Jesum, invenies utique Jesum. Lib. 2 *de Imitatione Christi*, cap. 7, sect. 3.

215. Heu! raro invenitur, qui Deum pure quærat. In *Hortulo rosar.*, cap. 4.

216. Nihil melius, nihil animæ felicius quam Deum quærere : qui aliud quærit, nihil in fine obtinebit. In *Valle lilior.*, cap. 33.

S. THOMAS A VILLANOVA.

217. Non in circo, sed in lectulo : non in negotio, sed in otio : non inter æstuantes sæculi procellas, et negotiorum strepitus, sed inter quietæ contemplationis blanditias, placidosque recessus, quærendus est Deus. Super *Cant.*, cap. 1.

S. VALER. EPISCOPUS.

218. Non longe tibi quærendus est Dominus, si non sis avarus. Homil. 7, *de Misericord.*

IN VIT. PAT.

219. Oportet mentem eorum, qui Deum quærunt, otium agere ab aliis omnibus. Lib. 8, cap. 43.

Vide etiam tit. ***Accedere ad Deum***, sent. 61; ***Cordis rectitudo***, sent. 5; ***Deus***, sent. 18; ***Gratia Dei***, sent. 104; ***Jesus***, sent. 92; ***Odium sui***, sent. 8; ***Oratio***, sent. 111; ***Tribulatio***, sent. 25; ***Visio Dei***, sent. 27.

QUIES.

Vide CORDIS PURITAS

FINIS TOMI TERTII.